Vulgra

t

Digitized by Google

FRATRIS FRANCISCI
DE PITIGIANIS ARRETINI
Ordinis Minorum de Obſ.

SERENISSIMI FERDINANDI GONZAGÆ
S. R. E. CARDINALIS, MANTVAE,
& Montis Ferrati Ducis, Theologi.

COMMENTARIA SCHOLASTICA IN GENESIM, IN QVIBVS
vltra explicationem literalem ex Patribus contextam, quingenta, & nonaginta ſex Quæſtiones per facili, breui, ac lucida methodo explicantur, & reſoluuntur.

Opus non ſolum Prædicatoribus, e Sacræ Scripturæ ſtudioſis, ſed cuicunque vtiliſſimum, & neceſſarium.

Cum duplici Indice Quæſtionum vno, & rerum notabilium altero.

ILL.MO AC REV.MO D. D. POMPEIO ARIGONIO
S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO, SERAPHICAE
RELIGIONIS MINORVM DE OBSERVANTIA
Protectori vigilantiſſimo, dicata.

PERMISSV SVPERIORVM ET PRIVILEGIIS.



VENETIIS, Apud Iacobum Violatum. M DCXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSMO AC REVERENMO D. D. POMPEIO ARIGONIO

S. R. E. CARDIN. AMPLISSIMO,

Totiuſque ordinis Minorum de Obſer. Protectori, Correctori, atque Gubernatori vigilantiſſimo.

FRATER FRANCISCVS ARRETINVS ORDINIS Minor. de obſeruantia. S. P. D.

QVI lucubrationes ſuas Regibus inſcribunt (Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Cardinalis) veterem conſuetudinem ſequuntur, quãdoquidem ea litterarũ dignitas, & quaſi prærogatiua ſemper fuit, vt dicari eas ſibi principes, honeſtum, & glorioſum putarent; Nec intereſt qua materia, dummodo non obſcena; atque adeo nullum genus faſtiditũ eſt, vt Iulius Pollux ad Commodum Cęſarem de grammatica,, Viturui us ad Auguſtum de Architectura, Oppianus ad Antonium de piſcibus ſcripſerint.

Id quidem mihi cõſideranti. (Card. Ampliſ.) cum ſcholaſtica Commentaria in tria prima capita Geneſeos ſucceſſiuis horis à me elaborata amicorum precibus coactus cudenda decreuerim: occurrit. Quapropter veterum conſuetudinem, cum literis fere ipſis ortam, & ad noſtra vſque tẽpora in vſum retentam ſequens, tuo Illuſtriſſimo; ampliſſimoque nomini ea inſcribenda eſſe cẽſui. Nam valde repræhendendus fuiſſem, ſi ea qualiacũq; forent tibi nõ conſecraſſem: Futurũ enim erat, vt cùm alia, tùm illud quoque diceretur, ideo me tibi ea dicare neglexiſſe: quia neſcirem,

aut quantum ſemper Illuſtriſſima, & Reuerendiſſima Dominatio tua litteris, ac ingenijs fauiſſet, vel quo demum animo, tu ipſe in bonos, & ſtudioſos ſemper fuiſti. Nicolaus Quintus Pontifex Max. cum ei quoſdã eſſe Romæ, qui bonos verſus facerent renunciatum eſſet, negauit (ita fertur) bonos eſſe. Cur inquit ad me non veniunt, qui Poetis etiam malis pateo? Moleſte quidem tulit vir ille ſapiens ſua in vrbe eſſe, qui litteras ſcirent, & neſcirentur. Quanto mihi iuſtius ſuccenſeres Princeps optime, qui plurimis, & non exiguis titulis iure optimo tibi maxime deuinctus confiteor, ſi labores mei, quicunque ſint ex tua Franciſcanorum obſeruãtium familia, cuius Protector, Gubernator, & Corrector exiſtis ſine tuo auſpicio prodeant? His itaque ductus tibi tanquam mearum vigiliarum Męcenati hos meos labores pro munuſculo offerre, dicare, & conſecrare conſtitui. Quos etſi neque ad Critolai libram, neque ad Cleanthis lucernam euigilauerim, tamen, vt ſapientiſſimo tuorum oculorum Iudicio, atque eruditione doctiſſima me probatum iri exiſtimarem, omnẽ diligentiam, ſtudiumque adhibui. Accipe igitur hylari fronte, ſerenoque vultu hoc munuſculum, tenue certo ſcio, ſed haud minus Regium eſt pauca benigne ſuſcipere, quam multa largiri. Quod ſi haud ingratum fuiſſe intellexero ad maiora diuino tuo auſpicio excitabor. Faxit Deus, vt voti compos efficiar, & tua ſingularis humanitas, qua omnes facile vincis, ſit, quæ me tibi omnino dicatum in proprio ære ponat, atque recipiat. Vale Cardinalium Decus, Italiæque ornamentum ad Neſtoreos annos. Ex Cœnobio Noſtro Sancti Franciſci Mantuæ. Idibus ſeptembris 1614.

Digitized by Google

Lectori optimo ſalutem.

SCripturarum omnium vertex, ſublimis liber Geneſeos, originem, atque Fabricam huius corporalis ſenſibiliſque mundi, oſtẽdit, quemadmodum. ſ. à Deo per ſex dies, particulatim, conditus, diſpoſitus, & exornatus fuerit. Cuius diſcriptionis, & narrationis Moſaicæ apud ſcriptores, tam veteris, quàm recentis memoriæ, vix dici poteſt, quã multæ ſint, atque diſcrepantes interpretationes, quarũ aliquæ falſæ, nonnullæ vix probabiles, quædam etiam ad turpiter errandum lubricę ſunt, atque præcipites. Quare vt lector errores omnes, (quo ad fieri poſſit) præcauere, & certã atque compendioſam intelligentiam veritatis valeat amplecti, omnium, tam antiquorũ: quã neotericorum, tam Patrum, quam ſcholaſticorum doctorum ſententias, & interprętationns, breui, ſed lucida (ni fallimur) methodo in vnũ redegimus, nec non pauca de noſtro, & ſi rudi Minerua addidimus. Propoſitum quidem erat, ſicut noſtri tãtum cauſa, hæc ſcripta fuerunt, (& potiſſimum fugiendi ocium ſtudio, atque vt dies caniculares nõ ſine aliquo honeſto labore tranſiremus) ita apud nos tantum remanerent; ea namque luce, atque ſapientum, doctiſſimorumq; virorum cõſpectu haud digna cenſebamus. Verum amicorum præcibus, qui ea euulgari obnixe à nobis efflagitabant contradicere nequiuimus. Quapropter qualia, qualia ſunt, ecce in lucem prodeunt. Rogatum interim cupimus beneuolũ lectorem, vt eo animo illa recipiat, atque legat, quo ſibi offeruntur, & iuſti, bonique conſulat. Vale.

Digitized by Google

FRATER Archangelus a Meſſana Totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter, & ſeruus, Dilecto Nobis in Chriſtum admodum Reuerendo Patri Fratri Franciſco Arretino, eiuſdem Ordinis Patri, & huius Prouinciæ noſtræ Thuſciæ olim Prouinciali Miniſtro, Sacræ Theologiæ in præclariſſimo Peruſino Gymnaſio, in Conuentu noſtro Sancti Franciſci de Monte lectori eruditiſſimo Sal. Præclara Commentaria Scholaſtica in tria priora capita libri Geneſeos, nec non in Tertium Librum ſententiarum ſubtilis Doctoris noſtri Scoti, Chriſtiana pietate, ac ſtudio poſteritatis iuuandæ, multis laboribus, ac Vigiliis a Te nuper confecta, quæ, prælo (ſicut nobis ſignificaſti) committere cupis, Nos etiam, reipublicæ vtilitati conſulere cupientes, vt euulgari ac in lucem ædi poſſint, ſeruatis ſeruandis, harum ſerie facultatem tibi concedimus, & impartimur. Vale Dat. in Sacro Monte Aluernæ die 2. Iulij 1608.

Frater Archangelus a Maſſana qui ſupra
manu propria.

IN COMMENTARIVM ERVDITISSIMI
P. Theologi Arretini ad ſacram Geneſim. M. Antonius Bonciarus.

PRimum hominem, primus fertur finxiſſe Prometheus,
Phoebeaque nouum luce animaſſe lutum
Sed quis Phœbum ipſum? quis condidit ante Prometheum?
Terra ne prægnanti fudit vtrumque ſinu?
Scilicet. O veterum præceps inſania Graium,
Quos tecum in tenebras Ecce Poeta trahis.
Huc, precor, huc greſſum melius conuertite Gentes,
Qua nitet Hebræi vatis ab ore iubar.
Namque per anfractus, ne quis vos fallat euntes,
Expediit rectum dux Arretinus iter.

Digitized by Google

C O P I A.

GLI *Eccellentiſſimi Sig. Capi dell'Eccellentiß. Conſ. di X. infraſcritti hauuta fede dalli Sig. Reformatori del ſtudio di Padoa per relatione, à loro fatta dalli due à queſto deputati, cioè dal Reuerend. Padre Inquiſitor, & dal Circ. Secretario del Senato Gio. Marauegia con giuramento, che nel libro intitolato. Commentaria Scolaſtica in priora tria Capita libris Geneſis. Auctore Fratre Franciſco Arretino ordinis Minorum. de obſeruantia; non ſi troua coſa contra le leggi, & è degno di ſtampa concedono licentia, che poßa eſſer ſtampato in queſta Citta.*

Dat. Die 8. Aprilis. 1612.

D. Bertuzi Valier
D. Iſeppo Moreſini. } *Capi dell'Eccellentiß. Conſ. di X.*
D. Dolfino Veniero.

Illuſtriſſ. Conſ. X. Secr. Bartholameus Cominus 1612. *adi* 4. *Maggio.*

Regiſtrato, nel libro all'Officio contra la Biaſtema à carte 104.

Ant. Laured. offic. Contra Blaſph. Coad.

Beneuolo Lettori Autor.

Errata,& quidem non pauca,quæ ignorantia , negligentia, aut inertia correctoris irrepſerunt , non ſunt talia (candide lector) quæ tu ipſe emendare non poſſis ; Ideo tædio affecti, eorum ſeriem texere haud curauimus . Tu ergo(ea qua polles Charitate , & ſapientia) illa corrigito , & bene vale .

Digitized by Google

INDEX AVCTORVM EX QVORVM
DOCTRINA PRAESENS
Opus confectum eſt.

Abbas Vercellenſis.
Accacius.
Acchillinus Bononienſis.
Albinus.
Alcuinus.
Albertus Magnus.
Alexander de Ales.
Alphonſus toſtatus Abulenſis.
Aloyſius Lippomanus.
Alphonſus à Caſtro.
Albertus Pighius.
Alexander Piccolomineus.
S. Ambroſius.
S. Anſelmus.
S. Antoninus florentinus.
Antiſiodorenſis.
Antonius Andreas Minorita.
Anaſtaſius.
Antonius trombetta.
Andreas à Vega.
Anaxagoras.
Ariſtotiles.
Aretas.
Armacanus.
Aquila.
Andreas Ciſalpinus.
S. Athanaſius.
S. Auguſtinus.
Auguſtinus Eugubinus.
Auerroes.
Auicennas.
Auicerberon.

B.

S. Baſilius.
S. Beda.
S. Bernardus.
Beroſus.
Bartholomęus Angles.
Bartholomęus Medina.
Bercorius.
Benedictus Pererius.
S. Boetius.
S. Bonauentura.
Brito.

C.

Caſſiodorus.
Catharinus.
S. Clemens Romanus.
S. Cyrillus Alexand.
Chriſoſtomus Iauellus.
S. Ciprianus.
Cicero.
Cornelius Ianſenius.

Sacra Concilia:
Mileuitanum.
Affricanum
Auras icanum
Tol etanum
Carthaginenſe .V.
Bracharenſe
Viennenſe
Elibertinum
Toletanum .I.
Toletanum V I.
Florentinum
Lateranenſe .I I.
Conſtantienſe
Nicenum
Lateranenſe .3.I I I.
Tridentinum

D.

S. Damaſcenus.
S. Dionyſius Areopagita.

B Diony-

Dionyſius Cartuſianus.
Didymus.
Diodorus.
Diogenes Laertius.
Dioſcorides.
Dominicus ſotus.
Dominicus Bannes.
Durandus.

E.

Ægidius Domanus.
Oecumenius.
Elias Creſentis
Epiphanius
Epigenes
Eraſmus
S. Ephrem
S. Euſebius Emiſſenus
Euſebius Cęſarienſis
Euthimius.
Eucherius.

F.

Ferrara.
Franciſcus Maronius.
Franciſcus Leuchetus.
Franciſcus Georgius
Franciſcus Valeſius

G.

Gangeus.
Gabriel Biel.
Gratianus ſcotiſta
S. Gregorius Papa
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Nicenus.
Galenus.
Gennadius.
Gelaſius Papa
Gregorius de Valentia.
Groppius.
Guliemus Pariſienſis.
Guliemus Ocham
Guliemus Rubion.
Guliemus Vorilion.
Gloſſa ordinaria

H.

S. Hieronymus.
Hieronymus Olchaſter.
Hieronymus Vielmius.
S. Hilarius.
Haymon.
Henricus de Gandauo.
Heraclitus
Herueus
Heſiodus
Homerus.
Hugo de ſancto Victore

I.

Iacobus Almaim
Iacobus chyus.
Innocentius Primus.
Innocentius Tertius.
Ioſephus flauius.
Ioſeph Angles
Ioannes ſcotus.
Ioannes Papa
Ioannes Baſſolus.
S. Ioannes Chriſoſtomus.
Ioannes Caſcianus.
Ioannes Driedo.
Ioannes Capreolus.
Ioannes Picus.
Ioannes Roffenſis.
Ioannes Maior.
Ioannes lucidus.
Ioannes Arboreus.
Ioannes ferus
Ireneus Martyr.
S. Iſidorus.
S. Iuſtinus Martyr.
Iunilius
Iulius ſcaliger.

L.

Lactantius firmianus.
Landulphus de Neapolis.

Digitized by Google

S. Leo Papa
Lucretius Poeta
Ludouicus Viues.
Ludouicus Molina

M.

Macrobius
Marſilius Inguen.
Matthias Doringh.
Menander
S. Methodius Martyr.
Melito.
Melchior Canus.
Michael Medina
Moſes Barcepha

N.

Niceta.
Nicolaus de Lyra.
Nicolaus Bonetus.
Nicolaus de Orbellis
Nicolaus Sanderus.

O.

Olimpiodorus
Origenes.
Oratius Poeta.

P.

Paulus Oroſius.
Paulus Burgenſis.
Paulus Soneinas
Paulus Venetus
Paraphraſtes
Petrus Comeſter Hiſt. Mag.
Petrus lombardus ſent. Mag.
Petrus Aureolus.
Petrus Tataretus.
Petrus de Aquila
Petrus Galatinus.
Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus.
Phylo hebreus.
Phyloſtratus
Pelbartus 1 hemeſſuar.
Plato.
Plutarcus.
Plinius
Prateolus
Primaſius
Porphyrius.
Procopius.
Proſper Aquitanus.

Q.

Quintilianus
Quintus Curtius

R.

Rabanus
Remigius
Ricardus à ſancto Victore
Ricardus de media Villa
Robertus Holcbot.
Robertus Bellarminius
Rupertus Abbas.
Rabbi Dauid.
Rabbi eleazer.
Rabbi Moſes.

Digitized by Google

INDEX EORVM, QVÆ IN HOC OPERE DISPVTANTVR.

De Cœli, & terræ creatione.

Quæſt. 1. Vtrum per cœlum intelligatur præciſe cœlum Empyreum vel omnes cœli. p. 6.a
Quaſt. 2 An cęlum Empyreum cõſtet ex materia. 8.a
Quaſt. 3. Vtrum materia corporalium ſubſtantiarum fuerit ſimul cum ſubſtantialibus formis creata. 10 b
Quaſt. 4. Vtrum potuerit per Dei potentiam abſolutam materia rerum corporalium exiſtere ſine forma. 13.b
Quaſt. 5. Vtrum vna & eadem materia ſit omnium corporalium. 14.a
Quaſt. 6. Vtrũ creatura corporales ab initio fuerint à Deo immediate producta. 16.a

De opere primæ diei.

Quaſt. 1. Quid intelligitur per lucem cum dicitur, Fiat lux. 29.a
Quaſt. 2. An illa lux fuerit corporalis, vel ſpiritualis 33.a
Quaſt. 3. Cuius corporis qualitas fuerit illa lux. 34.b
Quaſt. 4. Vtrum Angeli fuerint ante mundum corporeum. 37.a
Quaſt. 5. Vtrum Angelos creatos eſſe vnà cũ hoc mũdo corporeo & sẽſibili ſit de fide 42.b
Quaſt. 6. Vtrum Angeli fuerint creati in cęlo Empyreo. 46.b
Quaſt. 7. Vtrum Angeli ſint creati in gratia. 49.a
Quaſt. 8. Quare Deus opus ſuum à luce incępit. 53.b
Quaſt. 9. Vtrum illi ſex dies creationis fuerint veri naturales dies. 57.a
Quaſt. 10. Quomodo factum eſt veſpere, & mane dies vnus. 61.a
Quaſt. 11. Quomodo illa lux diem & noctem toto illo triduo ante ſolis creationem fecerit. 61.a
Quaſt. 12. In quo cęli loco fuit creata illa lux 61.a
Quaſt. 13. Cur Moſes definiendo primum diẽ prius nominat veſpere quam mane. 62.b
Quaſt. 14. Cur dies in quo facta fuit lux, appellatur dies unus, & non primus. 66.a

De opere Secundæ diei.

Quaſt. 1. An Firmamentum ſit creatum, vel de materia productum. 68.a
Quaſt. 2. Cur firmamentum appellatum ſit cęlum. 71.a
Quaſt. 3. Quid intellexit Moſes per aquas ſuperiores & inferiores. 71.b
Quaſt. 4. Propter quid poſuit Deus aquas ſuper firmamentum 74.b
Quaſt. 5. Quare nõ benedixit Deus operibus diei ſecundæ. 76.a

De opere Tertiæ diei.

Quaſt. 1. Cur in opere diei tertiæ non dixit Deus fiat. 79.a
Quaſt. 2. Aqua in quam terræ partẽ fuerint congregata. 80.a
Quaſt. 3. Qua virtute congregata ſunt aquę in locum vnum 85.a
Quaſt. 4. Quomodo verum ſit omnes aquas in locum vnum eſſe congregatas. 86.a
Quaſt. 5. An actiue produxerit terrã herbam virentem plantas, & arbores. 92.b
Quaſt. 6. An ordinate prius ornata ſit terra, quam firmamentum. 93.b
Quaſt. 7. Cur ornatus terræ non ſpectat ad ſeparatum diem. 93.b
Quaſt. 8. Vtrum terra tertia die germinauit ſpinas, & tribulos. 94.b
Quaſt. 9. Vtrum omnia virentia producta ſint tertia die. 96.a
Quaſt. 10. Vtrum plãta actu, vel tantum virtute tertia die fuerint producta. 96.b
Quaſt. 11. Que tempore anni mundus fuit conditus. 98.a
Quaſt. 12. A quo tẽpore mũdus incępit. 104.a

De opere Quartæ diei.

Quaſt. 1. Quæ ſunt luminaria, quæ quarta die producta ſunt. 107.a

Quaſt. 2.

Digitized by Google

Quæſt. 2. Ex qua materia condita ſunt luminaria. 108.a
Quæſt. 3. Cur Deus ſydera creauit ante animalia. 112.b
Quæſt. 4. Cur Deus luminaria per plantas condidit. 112.a
Quæſt. 5. Cur Moſes dixit quòd Deus poſuit luminaria in firmamento cœli. 113.a
Quæſt. 6. Quot ſunt numero cœli. 115.a
Quæſt. 7. Luminaria ad quem uſum producta ſint. 116.a
Quæſt. 8. Quomodo luminaria ſunt in tempora, dies, & annos. 121.a
Quæſt. 9. An omnia ſidera ſint in tempora, dies, & annos 122.a
Quæſt. 10. Sol, & Luna quanta ſint magnitudinis. 125.a
Quæſt. 11. An Luna uno excepto Mercurio ſit omnium ſiderum maxima. 126.b
Quæſt. 12. An ſol ſit fons omnis lucis cœleſtis. 127.a
Quæſt. 13. Vtrum luna à ſole lumen recipiat. 127.b
Quæſt. 14. Quomodo ſol, & luna ſint in inchoatione diei, & noctis. 129.b
Quæſt. 15. Cur annus lunaris non contineat tot dies, quot continet annus ſolaris. 130.b
Quæſt. 16. Cur Moſes appellat lunam luminare minus. 131.a
Quæſt. 17. An cœli ſint animati, & ab intelligentiis moueantur. 131.b

De Opere quintæ diei.

Quæſt. 1. An congruo animalia producta ſint quinta die. 134.b
Quæſt. 2. Cur dixit Deus Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram, cum aquæ virtus nō ſufficiat ad piſcium & auium productionem. 135.b
Quæſt. 3. Cur dixit Deus Producant aquæ reptile animæ viuentis, & non reptile viuens. 137.a
Quæſt. 4. Cur cum dixit Deus producant aquæ reptile &c. nō addidit ſuper terram. 138.a
Quæſt. 5. Quid intellexit Moſes per reptile. 138.a
Quæſt. 6. An aues productæ ſint ex aqua tanquam ex materia. 139.a
Quæſt. 7. Cur volatilia omnia ſub aquis naturalibus viuere nō poſſunt. 143.a
Quæſt. 8. Vtrum animalia die producta ſint quinta die actu, vel virtute. 143.b
Quæſt. 9. Cur Deus in productione piſcium certas aliquas ſpecies nominauit. 145.b
Quæſt. 10. Cur dixit Moſes creauit Deus cete grandia ſecundum ſuas ſpecies. 146.a
Quæſt. 11. Cur Deus non fecit mētionem de ſemine cum animalia produxit ſicut fecit in productione terra naſcentium. 146.a
Quæſt. 12. Cur dixit Moſes creauit Deus cete grandia, cum hic de ornatu, & non de creatione ſit ſermo. 147.a
Quæſt. 13. Cur benedixit Deus producta ex aquis, & non terræ naſcentia. 148.b
Quæſt. 14. Cur Deus vno, & eadem die natatilia & volatilia condidit. 149.b
Quæſt. 15. Cur aer, & aqua habeant ſuum ornatum, & non ignis. 150.a
Quæſt. 16. Quare non eſt facta aliqua mentio de igne in rerum creatione. 151.b

De Opere ſextæ diei.

Quæſt. 1. Cur Moſes in productione animalium dixit producat terra &c. 152.b
Quæſt. 2. Cur de animalibus dixit Moſes producat terra animam viuentem. 152.b
Quæſt. 3. Quare quadrupedia connumerentur iumentis, & beſtijs. 153.a
Quæſt. 4. Cur in formatione hominis non eſt facta mentio de ſuo genere, vel ſpecie. 154.b
Quæſt. 5. Cur in formatione hominis, dicitur maſculum, & fœminam fecit eos. 155.a
Quæſt. 6. An minutiſſima animalia facta ſint in operibus ſex dierum. 155.b
Quæſt. 7. Ad quid tam in terra, quàm in aquis quæ homini non ſunt neceſſaria imo peruicioſe, producta ſunt. 156.a
Quæſt. 8. Vtrum animalia venenoſa, & pernicioſa pducta ſint ante hoīs peccatū. 158.a
Quæſt. 9. Quare Beſtiæ ſibi inuicem nocēāt. 158.b
Quæſt. 10. Cur animalia noxia corpora hominum mortuorum dilacerent. 159.b
Quæſt. 11. Vtrum animalia, quæ generantur ex coitu diuerſarum ſpecierū ſexto die, producta ſint, vt Mulus, & Tityrus. 159.b
Quæſt. 12. Cur aues & piſces benedicantur, & non animalia terreſtria. 161.a

De hominis formatione.

Quæſt. 1. Cur Deus non creauit hominē vnà cum alijs animalibus. 163.b
Quæſt. 2. Cur Deus in formatione hominis in

prima

Digitized by Google

prima pſona loquatur dicēs Faciamus. 163.b
Quæſt. 3. An fuerit hęc Dei locutio mentalis vel vocalis. 166.a
Quęſt. 4. Cuius fuit hęc locutio faciamus &c. & ad quem dirigebatur ſermo. 166.b
Quæſt. 5. An hęc locutio fuerit vnius perſona ad alteram. 166.b
quęſt. 6. Cur Deus in creatione aliarum rerū non dixit faciamus. 168.b
Quæſt. 7. Quid ſignificatur vocabulo hominis cū dicitur faciamus hominem. 169.a

De Imagine Dei ad quam creatus eſt hō.

Quæſt. 1. Pro quo ſupponit imago cū dicitur faciamus hominē ad imaginem &c. 170.a
Quæſt. 2. An homo dicatur ad imaginē Dei quo ad animam, vel ſecūdum corpus. 171.b
Quęſt. 3. An ſit diſcrimen inter eſſe imaginē, & eſſe ad imaginem. 173.b
Quęſt. 4. Ad quem imago hominis, cum ſit relatio, dicatur tāquam ad terminū. 174.b
Quæſt. 5. In quo conſiſtat imago Dei in anima noſtra, vt in fundamento. 177.b
Quæſt. 6. Vtrum imago conſiſtat in ſuperiori, aut in inferiori portione animæ 181.a
Quæſt. 7. Vtrum imago attendatur penes naturalia, vel penes gratuita. 182.a
Quæſt. 8. Vtrum imago attendatur penes potentias vel penes actus. 182.b
Quæſt. 9. Vtrum imago differat à ſimilitudine, & penes quid. 184.a
Quæſt. 10. Vtrum ſolus homo, & nihil aliud ſit imago Dei. 185.b
Quæſt. 11. Vtrum Angelus ſit magis ad imaginem Dei quam homo. 186.a
Quæſt. 12. Vtrum mundus ſit magis ad imaginem Dei, quam homo. 188.b

De hominis imperio in animalia, ante, & poſt peccatum.

Quæſt. 1. Quale fuit hominis dominium ante peccatum. 190.a
Quæſt. 2. Quomodo animalia ferociſſima in ſtatu innocentia hominibus paruerint. 193.b
Quæſt. 3. Cur poſt peccatum voluit Deus hominis dominium minui, et hominem beſtias timere. 195.b
Quæſt. 4. An homo in ſtatu innocentia creaturis inſenſatis dominaretur. 195.b
Quæſt. 5. An in ſtatu innocentia homo homini dominatus fuiſſet. 197.a
Quæſt. 6. Cur cum nondum eßet formatus homo, nec de latere viri mulier, fecit Moſes de maſculo, & fœmina diſtinctionem, at mentionem. 203.a
Quæſt 7. Cur de maſculi, & fœmina diſtinctione mentionem fecit Moſes cum ſextus diſtinctio ad rationem imaginis haud pertinent. 203.b
Quæſt. 8. An mulier ad imaginem Dei condita ſit. 204.a
Quæſt. 9. Vtrum imago Dei amittatur per peccatum. 206.a

De hominis conſeruatione quantum ad ſpeciem.

Quæſt. 1. An his verbis creſcite, & multiplicamini dedit Deus preceptum homini dandi operam liberis. 207.b
Quæſt. 2. An in ſtatu innocentię multiplicati fuiſſent homines per copulā carnalem. 211.a
Quęſt. 3. An in ſtatu innocentię in ſexuum commixtione fuiſſet ſeminis deciſio. 215.a
Quæſt. 4. An in ſtatu innocentię in emiſſione ſeminis fuiſſet delectationis intenſio. 216.a
Quæſt. 5. An ſi cognita fuißet Eua in ſtatu Innocentię amiſiſſet integritatem. 217.b
Quęſt. 6. An in apertione Clauſtri in ſtatu innocentię amiſiſſet mulier Virginitatem. 218.b
Quęſt. 7. An in ſtatu innocentię coiſſent ſemper cauſa prolis habendę. 220.a
Quęſt. 8. Vtrum in ſtatu innocentię quoties coißent, toties generaſſent. 220.b
Quæſt. 9. Vtrum in ſtatu innocentię fuißet ęqualis multiplicatio virorum et mulierum. 221.a
Quæſt. 10. Vtrum in ſtatu innocentię licitum fuißet continere. 224.a

De Hominis conſeruatione quod indiuiduum.

Quæſt. 1. Vtrum in ſtatu innocentię fuiſſent in vſu carnium eſus. 226.b
Quæſt. 2. Vtrum in ſtatu innocentię homo animalia occideret. 227.b
Quæſt. 3. Cur Deus non preſcripſit homini certum potum, ſicut certum cibum. 227.b
Quęſt. 4. Vtrum poſt peccatum ſtatim in prima ætate homines comederint carnes. 228.a
Quæſt. 5. Quare homines in prima ętate non veſcebantur carnibus. 228.b
Quęſt. 6. Quando dixit Deus hominibus ecce dedi vobis omnem herbam &c. 229.a
Quæſt. 7. Cur, & quando ſcriptura ſacra anticipa-

ticipatione & recapitulatione vtatur. 232.a

De Vniuerſi perfectione.

Quæſt. 1. Cur Moſes non tantum dixit Vidit Deus quę fecerat, & erant bona, ſed addidit valde bona. 234.a
Quæſt. 2. Quare Deus formato homine non dixit, quod eſſet bonum. 234.b
Quæſt. 3. Quam bonitatem habeant, vt de ſingulis in ſex diebus dictum ſit. Vidit Deus quod eſſet bonum. 236.a
Quæſt. 4. Quam bonitatem habet Mundus vltra ſingularem rerum bonitatem. 236.b
Quæſt. 5. An Mundus melius fieri poterit, quàm ſit factus. 238.a
Quæſt. 6. An Mundus potuit fieri melior quo ad proprietates partium integrãtium. 239.b
Quæſt. 7. Cur ſtatim homine creato, & non prius dictum ſit. Vidit Deus cuncta quę fecerat, &c. 242.b
Quæſt. 8. Vtrum Deus quacunque ſpecie creata, aliam perfectiorem poſſit producere. 243.a
Quæſt. 9. Vtrum Deus potuerit facere Adamum meliorem, quàm fecerit. 246.b
Quæſt. 10. Vtrum Chriſtus ſecundum naturam humanam potuit fieri melior. 247.b
Quæſt. 11. Vtrum Virgo Maria, vt pura creatura potuit melior fuiſſe. 249.a
Quæſt. 12. Cur Moſes non fecit mentionem de materię cœleſtis, & elementaris creatione. 251.b
Quæſt. 13. Cur Moſes dixit perfecti ſunt cœli, & non facti ſunt. 251.b
Quæſt. 14. De qua perfectione loquitur Moſes cum dixit, Igitur perfecti ſunt cœli. 252.a
Quæſt. 15. Cur Moſes dixit pluraliter cœlos, & ſingulariter terram. 252.b
Quæſt. 16. Quomodo intelligatur, quod Deus Septima die compleuit opus, quod fecerat. 253.b

De quiete Dei, & Santificatione ſabbati.

Quæſt. 1. Quomodo intelligitur quod opus conſeruationis incepit à ſeptimo die. 253.b
Quæſt. 2. Quomodo intelligitur, quod Deus requieuit die ſeptima. 254.a
Quæſt. 3. Quare die ſeptima non dicitur factum eſt veſpere, & mane. 255.a
Quæſt. 4. Si die ſeptima requieuit Deus, quomodo dixit Chriſtus Pater meus vſque modo operatur, &c. 257.b
Quæſt. 5. Cur non eſt dictum, quod Deus requieuit in operibus ſuis. 259.b
Quæſt. 6. Cur diem ſeptimum ſanctificauit Deus. 263.a
Quæſt. 7. Cur diem ſeptimum potiſſime benedixit Deus. 262.a
Quæſt. 8. An Deus diem ſeptimum ſanctificauit: quia in illo requieuit. 263.a
Quæſt. 9. An expoſitio verborum Et benedixit Deus diei ſeptimo quę eſt Lymni, ſit literalis. 263.b
Quæſt. 10. Quodnam ſit diſcrimen inter benedictionem & ſanctificationem. 265.b
Quæſt. 11. Quomodo intelliguntur illa verba Moſis. Creauit Deus vt faceret. 266.b
Quæſt. 13. Cur dixit Moſes generationes cœli, & terrę, cum hęc non ſint genita. 268.b
Quæſt. 13. Quid ſignificet illud verbum quando, cum dicitur, quando creatę ſunt. 269.a
Quæſt. 14. Cur Moſes librum hunc appellauit liber generationis cœli, & terrę. 270.a
Quæſt. 15. Cur dicitur cum factus eſt dies, cum dies cum die non ſit factus. 271.b
Quæſt. 16. Quomodo dicitur, quod fons aſcendebat de terra cum iam aquę eſſent congregatę. 276.a

De humani corporis formatione quo ad cauſam efficientem.

Quæſt. 1. An corpus Adę à Deo formatum ſit. 279.a
Quæſt. 2. An corpus Adę ab Angelis formari potuerit. 279.b
Quæſt. 3. An corpus Adę à Demonibus produci potuerit. 281.b
Quæſt. 4. An virtus cœlorum, atque aſtrorum potuerit Adę corpus producere. 282.b

De humani corporis formatione quo ad cauſam formalem.

Quæſt. 1. Vtrum Corpus Adę per creationẽ ſit productum. 283.a
Quæſt. 2. Vtrum fuiſſet maioris potẽtię producere de nihilo corpus Adę, quam formare de limo. 284.a
Quæſt. 3. An modus producendi corpus Adę de limo ad perfectionẽ ſpectet vniuerſi. 284.b

De humani corporis formatione quo ad cauſam materialem.

Quæſt. 1. An corpus Adę de materia pure cœleſti.

leſti produci debuerit. 286.a
quæſt. 2. Vtrum aliquid de materia cæleſti fuit de eſſentia corporis Adę. 286.b
quæſt. 3. Vtrum corpus Adę debuit eſſe ex quatuor elementis. 287.a
quæſt. 4. An corpus Adę recte de limo, vel terra formatum ſit. 287.b
Quæſt. 5. An elementa ſecundum equalitatem molis fuerint in corpore Adę. 288.a
Quæſt. 6. An elementa ſecundum virtutem erant equalia in corpore Adę. 289.b
Quæſt. 7. An grauitas & leuitas ſecundum equalitatem erant in corpore Adę. 291.b
Quæſt. 8. A quo habuiſſet corpus Adę mi ſtatu innocentię miſcibilium equalitatem 290.b

De humani corporis formatione quo ad cauſam finalem.

Quęſt. 1. An voluptas carnalis fuerit cauſa finalis corporis Adę. 292.a
quæſt. 2. Vtrum anima rationalis fuerit finis corporis Adę. 292.a
quæſt. 3. Vtrum Deus ſit finis corporis humani. 293.a

De corpore Primi hominis quo ad eſſe.

Quæſt. 1. An corpus Adę fuit vere corpus humanum. 293.b
quæſt. 2. An corpus Adę fuerit animale. 294.b
quæſt. 3. An conueniebat magis corpus Adę eſſe ſpirituale, quàm animale. 295.a
quæſt. 4. An iure corpus Adę formatum ſit erectę figurę. 295.b
Quæſt. 5. An corpus Adę fuit formatum poſt ſextum diem. 296.b
Quæſt. 6. An Adam ſit creatus à Deo perfectus ſecundum ætatem, & ſecundum molem corporis. 297.b
Quęſt. 7. An corpus Adę prius tempore formatum ſit, quam ſit creata anima. 298.b
Quæſt. 8. An corpus Adę formatum ſit in Paradiſo. 300.a
quęſt. 9. Cur Adam non ſit formatus in Paradiſo. 300.b
quęſt. 10. An Adam ſit formatus in Campo Damaſceno. 301.b

De Animæ rationalis creatione, eſſentia & proprietatibus.

Quæſt. 1. An per ſpiraculum vitę intelligatur anima rationalis. 303.b
quęſt. 2. Vtrum anima rationalis ſit. 304.b
quęſt. 3. Vtrum anima rationalis ſit ſpiraculum vitæ, & quid ſit. 305.a
quæſt. 4. Vtrum anima rationalis ab alio quã à Deo eſſe poſſit. 306.b

De Eſſe animæ rationalis quo ad cauſam materialem.

quęſt. 1. Vtrum anima rationalis ſit de Dei ſubſtantia. 308.a
quęſt. 2. Vtrum anima rationalis habeat materiam ſpiritualem. 309.b
quęſt. 3. Vtrum anima rationalis ſit compoſita ex materia & forma. 310.a
quæſt. 4. Vtrum anima rationalis ex alia anima propagari poſſit. 310.b
quęſt. 5. Vtrum anima rationalis facta ſit ex materia corporali. 311.a
quęſt. 6. Vtrum anima rationalis cum ſemine traducatur. 311.a

De eſſe animæ rationalis quo ad cauſam formalem.

quæſt. 1. Vtrum anima rateinalis habuerit eſſe per creationem. 311.b
quæſt. 2. Vtrum creatio animæ rationalis recte vocabulo inſpirationis inſinuata ſit. 314.b
quęſt. 3. Cur in hebręo pluraliter dicitur ſpiraculum vitarum. 315.a

De anima rationali, quo ad eius finem.

quęſt. 1. An finis animę rationalis ſit intelligere Deum, ipſoque frui. 315.b

De eſſe animæ in facto eſſe

quęſt. 1. Vtrum omnes animæ rationales ſimul creatę ſint. 316.b
quęſt. 2. Vtrum anima Adę creata ſit ante corpus, vel ſimul, an poſt. 317.b
quęſt. 3. Vtrum anima rationalis ſit corpori vnibilis. 318.b
quęſt. 4. Vtrum anima & corpus cum medio, vel ſine medio vniuntur. 319.b
quæſt. 5. Vtrum anima & corpus per vnum, vel plura media vniantur. 320.a
quęſt. 6. Vtrum anima vniatur corpori per modum formæ. 320.b
quęſt. 7. Vtrum anima rationalis ſit forma hominis.

quęſt.8 *Vtrum anima rationalis multiplicetur iuxta corporum multiplicationem.* 322.b
Quaſt.9. *Vtrum preter animam intellectiuā ſint in homine alię animæ realiter differentes.* 324.b
Quaſt.10. *Vtrum anima rationalis ſit immortalis.* 326.b
Quęſt.11. *Vtrum anima rationalis ſit immortalis ex ſui natura vel dono Dei.* 327.a

De Terreſtri Paradiſo.

Quaſt.1. *Vtrum Paradiſus ſit hortus deliciarum.* 330.b
quaſt.2. *Vtrum Paradiſus terreſtris ſit corporalis, vel ſpiritualis.* 331.a
quaſt.3. *quę erant terreſtris Paradiſi qualitates.* 333.a
quaſt.4. *qua eſt cauſa ſalubritatis. & longitudinis vitę in Paradiſo.* 334.b
quęſt.5. *An Paradiſus ſit maxima altitudinis.* 334.b
quaſt.6. *An Paradiſus ſit notabilis altitudinis.* 335.a
quaſt.7. *An Paradiſus ſit in Meſopotamia ad orientem.* 337.a
quaſt.8. *An Deus plantauit paradiſum die tertio.* 341.a
quaſt 9. *Cur Deus Paradiſum plantauit, quę homini per exiguo uſui erat futura.* 342.b
quęſt.10. *An Paradiſus terreſtris adhuc ſit in rerum natura.* 344.b
quaſt.11. *quare locus Paradiſi ignoratur.* 346.b
quaſt.12 *An ante hominis lapſum animalia fuerint in paradiſo.* 347.a
quaſt.13. *an modo in Paradiſo terreſtri ſint Henoch, & Elia.* 348.b

De Paradiſi ornatu.

quęſt.1. *an arbores Paradiſi fuerint productę tertia die, vel ſexta.* 350.b
quaſt.2. *Cur.6. die nulla ſit mentio de productione herbarum, vel arborum.* 350.b
quaſt.3. *Cur non dixit Moſes quod Deus produxit lignum odorabile.* 351.a
quęſt.4. *Cur dixit Moſes quod Deus produxit omne lignum pulchrum viſu &c.* 351.a
quęſt.5. *quare prius dictum eſt pulchrum viſu, quam ſuaue ad veſcendum.* 351.a
quęſt.6. *quare Moſes has tantum duas lignorum qualitates expreſſit.* 352.b
quęſt.7. *Vtrum in Paradiſo fuerint ligna aliqua non fructifera.* 352.b

De ligno vitæ.

quęſt.1. *Vtrum arbor vitę fuerit vera arbor naturalis.* 353.a
quęſt.2. *Vtrum arbor vitę ſit eiuſdem ſpecies, & ſimilis alicui noſtrarum arborum.* 354.b
quaſt.3. *Vtrum arbor vitę vna tantum, vel multę in vna ſpecie.* 355.a
quęſt.4. *Cur arbor illa ſit appellata arbor vitę.* 355.a
quęſt.5. *an virtus arboris vitę ſeruandi hominem ab interitu fuerit naturalis.* 356.b
quęſt.6. *Vtrum arbor vitę eſſet in medio Paradiſi.* 358.b
quęſt.7. *Vtrum Adam dum fuit in Paradiſo comedit de fructu arboris vitę.* 359.a

De ligno ſcientię boni, & mali.

quęſt.1. *Vtrum arbor ſcientię boni, & mali fuerit vera, & naturalis arbor.* 359.a
quęſt.2. *Vtrum arbor ſcientię boni, & mali fuerit vna vel plures.* 360.b
quęſt.3. *In qua ſpecie arborum fuit arbor illa ſcientię boni & mali.* 360.b
quęſt.4. *Cur arbor illa ſit appellata arbor ſcientię boni, & mali.* 360.a
quęſt.5. *a quo illi arbori fuit hoc nomen impoſitum.* 362.b

De flumine Phyſon.

quęſt.1. *quod eſt hoc nomen phyſon, quo ad nominis interpretationem.* 365.a
quęſt.2. *quid eſt Phyſon ſecundum rem.* 366.b
quęſt.3. *Phyſon Vnde habet ortum.* 366.b
quęſt. 4. *Per quas regiones perfluat Phyſon.* 367.a
quęſt.5. *Quę in flumine Phyſon inueniantur.* 368.b

De flumine Gehon.

quęſt.1. *quid eſt Gehon quo ad nominis interpretationem.* 369.a
quęſt.2. *quis fluuius ſit Gehon ex fluminibus nobis notis.* 370.b
quęſt.3. *Vnde Gehon habeat ortum.* 370.b

Quaſt.4. Quos regiones perluat Gehon. 371.a
Quaſt.5. Quæ ſunt in flumine Gehon vocabilia. 371.a

De flumine Tigris.

Quæſt.1. Quare Tigris hoc nomine aquelletur. 371.a
Quaſt.2. Vnde ortum habeat Tigris. 372.b
Quaſt.3. Quos regiones perluat Tigris. 372.b

De flumine Euphrates.

Quaſt.1. Quid ſignificet Euphrates quo ad nominis interpretationem. 373.a
Quaſt.2. Vnde ortum habent Euphrates. 373.a
Queſt.3. Quas regiones perluſtret Euphrates. 373.a

De collocatione hominis in Paradiſo.

Quaſt.1. Cur dixit Moſes tulit Dominus Deus, & non dixit ſimpliciter tulit Deus. 377.a
Quaſt.2. Ad quid poſuit Deus hominem in paradiſo. 379.a
Quaſt.3. Quomodo ante peccatum indigeret paradiſus hominis cuſtodia. 380.b

De præcepto a Deo Adæ impoſito.

Quaſt.1. An illa verba; De omni ligno Paradiſi comede, &c. contineant duo præcepta. 382.b.
Quaſt.2. Cur fuit dictum homini, vt de omni ligno paradiſi comederet. 383.a
Queſt.3. An tenerentur primi parentes in ſtatu innocentię comedere. 383.a
Quaſt.4. Cur arborum duntaxat ſit mentio, & non herbarum. 384.b
Queſt.5. An hoc preceptum datum fuerit ſoli Adę an etiam Euę. 384.b
Quaſt.6. Cur Deus vetuit Adamo de ligno illo comedere. 386.b
Queſt.7. An illud preceptum fuerit Adamo obſeruatu difficile. 386.b
Queſt.8. Quid Deus eo præcepto ab Adamo exigebat. 387.a
Quaſt.9. Cur homini preceptum non ſeruaturo precepit Deus. 388.b
Quaſt.10. An illud preceptum Adę filios etiam comprehenderet. 388.b
Quaſt.11. An ſi Adam filios in Paradiſo habuiſſet Deus, etiam ad illos preceptum illud extenderet. 389.a
Quaſt.12. An hoc preceptum comprehendat modo Adę poſteros. 390.b

De pœna tranſgreſſioni præcepti inuincta. 391.a

Queſt.1. An mors quam Deus minatus eſt Adę fuerit tantum animæ. 393.a
Quaſt.2. An homo comedens de ligno incurrit alia mala vltra mortem. 394.b
Queſt.3. Quare Deus ſolum comminatus eſt mortem. 394.b
Quaſt.4. Cur Deus non ſit comminatus Adę pœnas inferni. 395.a

De Mulieris formatione. 396.b

Quaſt.5. Quis loquitur, & ad quem dirigitur ſermo cum dicitur faciamus adiutorium, etc. 397 a
Quaſt.6. Cur Deus fecit hominē ſolum, ſi non erat bonum hominem eſſe ſolum. 398.b
Quaſt.7. Cur non dixit Deus faciamus fœminam, ſed faciamus adiutorium. 399.a
Quaſt.8. Ad quid oportebat fieri homini hoc adiutorium. 399.a
Quaſt.9. Quare dicitur adiutorium ſimile ſibi. 400.b

De animalium adductione ad Adam, & nominis eorum impoſitione.

Quaſt.1. Cur iteram Moſes fecit mentionem de animalium formatione. 401.a
Queſt.2. Quomodo dicitur formatis cunctis animantibus de humo. 402 b
Queſt.3. An vere, & realiter fuerint animalia adducta ad Adam. 402.b
Queſt.4. An omnia animalia fuerunt adducta ad Adam. 403.a
Queſt.5. An de omnibus ſpeciebus animalium aliqua adduxerit Deus ad Adam. 403.a
Queſt.6. An piſces adducti fuerint ad Adam. 403.a
Queſt.7. Quare piſces non fuerunt adducti ad Adam. 403.a
Queſt.8. Cur Deus adduxit animalia ad Adam. 403.a
Queſt.9. Quis adduxit aĩmalia ad Adã. 404.b
Queſt.10. Quare Moſes fecit mentionem quod animalia fuerunt adducta ad Adam. 404.b

Que.

Queſt.11.Vtrum Deus dederit Adę licentiam accipiendi aliquid de animalibus illis.406.b

Queſt.12.Quare voluit Deus quam Adam animalibus nomen imponeret. 406.b

Queſt.13.An re uera Adam animalibus nomen impoſuit. 406.b

Queſt.14.Cur Deus ipſe animalibus non impoſuit nomen. 406.a

Queſt.15.Quomodo Adam impoſuit nomina animalibus.cum iam nomen haberent 407.a

De approbatione impoſitionis nominis atque permanentia. 408.b

Queſt.1. Quomodo Adam cum iam animalia nomen haberent impoſuit eis nomen. 407.a

Queſt.2. In quo idiomate Adam animalibus nomina impoſuit. 409.a

Queſt.3. Quomodo eſt verum,quod omne quod vocauit Adam,ſit nomen eius. 409.a

Queſt.4. Quo idiomate loquebatur Eua,& à quo habuit illud. 410.b

De ſcientia Adę.

Queſt.1.Vtrum Adam ſtatim conditus perfectam habuerit ſcientiam. 410.b

Queſt.2. Vtrum Adam ſtatim conditus habuerit omnium rerũ naturaliũ ſciẽtiã.410 b

Queſt.3. Vtrum ſi Adam ſtetiſſet in creaturarum cognitione profeciſſit. 411.a

Queſt.4. Vtrum Adam ſapientior fuerit cunctis mortalibus. 412.b

Queſt.5. Vtrum Adam in ſtatu innocentię in cognitione creaturarũ decipi potuiſſet. 413.a

De Adami ſuper naturali notitia.

Queſt.6. Vtrum Adam in ſtatu innocentia uidit Deum per eſſentiam. 414.b

Queſt.7. Adam in ſtatu innocentię quot modis Deum cognouit. 417.a

Queſt.8. Vtrum Adam in ſtatu innocentię habuerit fidem. 418.b

Queſt.9. Quę myſteria per habitum fidei cognouit Adam in ſtatu innocentię. 420.b

De Adami ſapore & extaſi. 421.a

Queſt.1. An ſomnus ſit extatio, vel ab extaſi diſtingubtur. 422.b

Queſt.2. quomodo cauſetur extaſis,vel raptus. 422.b

queſt.3. quomodo poteſt fieri raptus, vt ligatis ſenſibus ſolutę maneãt uires naturales.424.b

queſt.4. An ſopor Adę fuerit extaſis,vel ſomnus. 424.b

queſt.5. quomodo poteſt fieri extaſis in ſomno. 424.b

queſt.6. quare Deus immiſſit ſoporem in Adã. 425.a

De productione Euæ.

queſt.1. An coſta quam Deus tulit de Adam erat ei ſuperflua. 426.b

quaſt.2. Cur Deus vt tolleret coſtam de Adã immiſſit in eum ſoporem. 428.b

De formatione corporis Euæ.

quaſt.1. Cur Moſes dixit ædificauit dominus &c. 430.b

quaſt.2. A quo fuit formata mulier. 432.b

quaſt.3. An formatio Eua de coſta opus miraculoſum fuerit. 432.b

quaſt.4. An re uera mulier ex viro, atque ex eius coſta producta ſit. 433.a

quaſt.5. quomodo ex illa coſta mulier formari potuerit. 433.b

quaſt.6. Vtrum materia addita materia coſtę fuerit de nouo creata. 435.a

quaſt.7. quomodo illa materia addita fuerit ad coſtam Adę. 435.a

quaſt.8. Vtrum Eua formata ſit ex nuda coſta Ada abſque carne. 435.a

quaſt.9. Cur Eua formata ſit de latere Adami. 435.b

quaſt.10.Ex quo factus eſt neruus Eua; ſi caro ex carne,& os ex oſſe facta ſunt. 435.b

quaſt 11.Cur mulierem ex uiro fieri voluerit Deus. 436 a

quaſt.12.An ex viro dormiente congrue mulier formata ſit. 436.6

queſt.13.Vtrum productio corporis Eua fuerit creatio. 437.a

Queſt.14.Cur Moſes animę mulieris creationem non memorat. 437.b

Quaſt.15.Vtrum anima Euę ex anima Adę producta ſit. 437.b

Quaſt.16.An mulier ſit creata ad ſeruiendum viro. 437.b

Quaſt.17.An mulier ſit condita in hominis adiutorium. 438.a

Queſt.18.An congruum fuerit corpus mulieris fieri in adiutorium generationis. 438.b

Quaſt.29.Quare voluit Deus fœminam de vi-

ſo formare. 439.a
Quaſt.20 Quare voluit Deus vt totum genus humanum ex vno eſſet principio. 439.b
Queſt.21. An mulier condita ſit de viro propter genus humanum. 439.b
queſt.22. An Eua eque fuerit fortis ſecundum corpus ſicut Adam. 440.a
queſt.23. An corpus Eug fuit eque nobile ſicut corpus Ada. 440.b

De loco in quo creata fuit Eua.

queſt.1. An mulier creata fuerit in paradiſo. 440.b
queſt.2. Quo die Eua producta fuit. 441.b
Queſt.3. Cur Deus adduxit mulierem ad Adam. 441.a
Quaſt.4. Cur mulier non fuit formata vbi erat Adam. 441.a
Quaſt.5. Quare dixit Adam. Hoc nunc os ex oſſibus meis &c. 442.a
Quaſt.6. Quare adducta muliere dixit Adã. Hoc nunc os &c. 442.b
Queſt.7. Quare dicitur caro de carne mea, & os ex oſſibus meis. 442.b

De impoſitione nominis Eue.

Queſt.1. Quare Adam appellauit Euam Virago. 443.a
queſt.2. An hoc nomen virago ſit nomen propriũ illius mulieris. 443.b
Quaſt.3. Quare Adam poſtea hoc nomen Eua mulieri impoſuit. 443.b
Quaſt.4. An hoc nomen Eua ſit nomen propriũ vel commune. 443.b
Quaſt.5. Quare Adam, & non Deus mulieri nomen impoſuit. 444.a

De coniugij ſeu Matrimonij inſtitutione. 444.b

Quaſt.1. Quomodo Deus inſtituit matrimoniũ ſi Adã verba inſtitutionis protulit. 445.a

De ſtatus innocentiç excellentijs. 445.b

Quaſt.1. Quare Moſes vocauit nudos Adam, & Euam. 446.a
Queſt.2. Cur primi parentes in ſtatu innocentię non habebãt veſtes. 446.a
Queſt 3. An Adam ante Eua formationem erat nudus. 446.a
Quaſt.4. Quare ante Eue formationem non dixit Moſes Adamum eſſe nudum. 446.b
quaſt.5. quare Adam, & Eua non erubeſſebãt cum eſſent nudi. 447.a
quaſt.6. quare dixit Moſes, quod Adam, & Eua nudi exiſtentes non erubeſcebant. 447.b

De gratia quam habuit Adam in ſtatu innocentię.

quaſt.1. Vtrum Adam ſit creatus in gratia 448.a
quaſt.2. Vtrum Adam in primo inſtantĕ creationis habuit diſpoſitionem ad gratiam. 448.b
quaſt.3. Vtrum Adam ſimul cum gratia habuit omnes virtutes. 449.a
quaſt.4. Vtrum homines in ſtatu innocentię abundantiorem habuiſſent gratiam. 449.a
quaſt.5. Vtrum tot dona, & virtutes habuiſſent homines in ſtatu innocentia, quot in praſenti ſtatu culpę nos habemus. 449.b
quaſt.6. Vtrum dona gratuita fuiſſent efficaciora ad merẽdum ante, vel poſt lapsũ. 449.b
quaſt.7. Vtrum homo in ſtatu innocentia potuiſſet peccare venialiter. 450.a
queſt.8. Vtrum in ſtatu innocentię fuiſſent homines creati in gratia. 453.a
quaſt.9. An in ſtatu innocentię filij Adę ſtatim geniti fuiſſet confirmati in gratia. 453.b
quaſt.10. Vtrum Adamo non peccante nati fuiſſent tantum electi, vel etiam reprobi. 458.b

De Iuſtitiam originali. 455.a

quaſt.1. Vtrum ſcripturarum authoritate euidenter probari poſſit Adam fuiſſe conditum cum iuſtitia originali. 456.a
quaſt.2. quid fuerit quidditatiue iuſtitia originalis. 456.b
queſt.3. Vtrum iuſtitia originalis fuerit vnus habitus, vel plures. 458.a
quaſt.4. An iuſtitia originalis ſit ſubiectiue in voluntate. 459.a
quaſt.5. Vtrum iuſtitia originalis ſit habitus diſtinctus à gratia gratum faciente. 459.b
quaſt.6. qui erant iuſtitię originalis effectus. 458.b
queſt.7. Vtrum iuſtitia originalis & gratia eſſent habitus realiter diſtincti. 460.b
queſt.8. Vtrum in ſtatu innocentię appetitus ſenſitiuus ita rationa ſubiectus fuiſſet, vt contra eam nunquam inſurgeret. 463.b

quę.

quæſt.9. quomodo voluntas in ſtatu innocentiæ diſſentiebat ab appetitu ſenſitiuo. 463.b
Quæſt.10. Vtrum in ſtatu innocentiæ motus appetitus ſenſitiui, qui appellantur paſſiones, vt deſiderium, gaudium &c. futuri fuiſſent in homine. 464.a
quæſt.11. Vtrum filij Adæ in ſtatu innocentiæ naſcerentur cum iuſtitia originali. 464.b

De hominis tentatione.

quæſt.1. An ſerpens qui cum Eua collocutus eſt fuit verus ſerpens, vel methaphoricus. 464.b
quæſt.2. An illa verba ſerpens erat callidior &c. intelligenda ſint de ſerpente. 465.a

De hominis tentatore. 466 a

quæſt.1. quis nam fuit Euæ tentator. 466.b
quæſt.2. qualis fuit Demonum ille, qui Euam tentauit. 467.a
quæſt.3 quid mouit Demon ad tentandum primos parentes. 467.a
quæſt.4. An Demon tentando hominem peccauit, ita vt fuerit hoc primum eius peccatum. 467.b
quæſt.5. quare Demon tentauit Euã externe, et non potuit interne. 468 a
quæſt.6. quare Demon non tentauit in propria forma. 468.b
quæſt.7. quare Demon tentando Euam non trãsfigurauit ſe in angelum lucis. 469 a
quæſt.8. quare Demon non aſſumpſit formam humanam. 469 b
quæſt.9. quare Demon apparuit in forma animalis bruti. 470 a
quæſt.10. quare Demon non tentauit in forma columbæ, vel ſymiæ &c. 470.a
quæſt.11. Cur Demon tentauit in figura ſerpentis. 470.b
quæſt.12 Vtrum ſerpens tentauit Euam in pedibus ſtans, vel pronus in terram. 470.b
Quæſt.13. Qualis fuit ſerpens ille in quo Diabolus tentauit Euam. 470.b
Quæſt.14 An ſerpens, vel Diabolus in ſerpente locutus ſit Euæ. 471.a
Quæſt.15. Quomodo Demon per ſerpentem loquebatur, tanquam per Energumenos, & phanaticos. 471.a
Quæſt.16. An ſonus emiſſus per ſerpentem, fuit formatus à ſerpente, vel à Demone. 471.b
Quæſt.17. Cum Demon tentauit Euam. cur ſcriptura tantum de ſerpente loquitur. 472.a
Quæſt.18. Cur Eua videns ſerpentem non timuit. 472.b
Quæſt.19. Quomodo Demon cognoſcebat mulierem eſſe debiliorem ad reſiſtendum. 473.b
Quæſt.20. Quomodo potuit Demon tentare Euã an ſimul tẽtaret Adã, cũ ſimul eſſẽt. 474.a
Quæſt.21. Quomodo tentatio potuit fieri in verbo, cũ mulier adhuc linguã non ſciret. 474.b
Quæſt.22. An tentatio, qua Demon tentauit Euam fuit vna, vel plures. 474.b
Quæſt.23. Cur Eua non obſtupuit audiens ferã loquentem & diſputantem ſerpentem. 475.a
Quæſt.24. Cur Demõ prius Euã tẽtauit. 473.b

De Progreſſu tentationis. 475.a

Quæſt.1. Quo genere tentationis Eua tentata fuit. 475.a
Quæſt.2. Cur Diabolus tentando Euam à præcepto incepit. 475.b
Quæſt.3. Cur Diabolus mandatum per modũ quæſt. induxit. 476.a
Quæſt.4. Cur Diabolus tentauit Euam circa cibum ligni vetiti. 476.a
Quæſt.5. Cum Diabolus loqueretur ſoli Euæ. cur in numero plurali fuit locutus. 476.b
Quæſt.6. Cur mulier ſerpenti reſpondere voluit. 476.b
Quæſt.7. Quomodo mulier dicere potuit, De omni ligno paradiſi veſcimur. 477 a
Quæſt.8. Quod nam fuit lignum, illud quod mulier dixit fuiſſe ſibi, & Adamo vetitum. 477.a
Quæſt.9. Quare Eua non appellauit lignum illud nomine proprio. 477.a
Quæſt.10. An Deus Adamo ſimul, & Euæ præcepit ne comederent de ligno &c. 477.a
Quæſt.11. Cur Eua dixit Præcepit nobis Dominus ne tangeremus illud; cum Dominus hoc non præcepiſſet. 477.b
Quæſt.12 Quare dixit mulier ne forte moriamur, cũ Deus abſolute locutus fuerit. 478.a
Quæſt.13. Quomodo Diabolus auſus eſt dicere Nequaquam moriemini ſciens illud eſſe falſum. 479.a
Quæſt.14. Quomodo exiſtimare potuit Demon, quod mulier crederet ei aſſerenti contra illud, quod dixerat Deus. 479.b
Quæſt.15. Quomodo mulier credidit Diabolo tam aperta mendacia. 479.b
Quæſt.16. Quare dixit Diabolus. ſcit autem Deus &c. & non petitur de alio. 480.b
Quæſt.17 Quare dixit ſerpens. In quocunque die commederitis ex eo &c. 481.a
Quæſt.18. Quomodo intelligatur id, quod dixit ſerpens. Aperientur oculi veſtri. 482 b

queſt.19.quare Demon dixit pluraliter oculos ſi per oculos intellexit intellexit intellectum. 485.a

queſt.20.quid intellexit Diabolus cum dixit eritis ſicut Dij. 485 a

quaſt 21.quare dixit Demon erit ſicut dij pluraliter. 482.b

quaſt.22 quid per Deos intellexit Demon dicens Eritis ſicut Dij. 482.b

queſt.23.quid intellexit Demon cum dixit Eritis ſcientes bonum, & malum. 482.b

De aſſenſu quem prebuit mulier Diabolo tentanti.

quaſt.1. quomodo dicitur. Vidit mulier quod lignum eſſet bonum ad veſcendum. 486.b

quaſt.2 quare additur; & quod eſſet pulchrũ viſu. 486.b

quaſt.3. quare dicitur pulchrum oculis; aſpectuque delectabile. 487.a

queſt.4 quare Eua dedit viro ſuo de ligno vetito. 488.b

quaſt.5. quare dicitur quòd Eua dedit viro ſuo, & non dicitur, quòd dedit Adę. 489.a

queſt.6. An Eua fuit à Demone decepta. 490.b

quaſt.7. quare Deus permiſſit Euam decipi. 491 a

quaſt.8. An Eua ante ſerpentis congreſſum, & ſermonem peccauit. 492.b

queſt.9. quod nam fuit primum Eua peccatum. 493.a

queſt.10.quare mulier videns ſe deceptam, dedit viro ſuo, vt comederet. 494.b

queſt.11.quid dixit Eua Adæ quando dedit ei de ligno vetito. 495.a

quaſt.12. An Eua ſtatim poſt eſum ligni vetiti originalem iuſtitiam amiſit. 495.b

De Adami tentatione facta per Euam, & de eius Primo peccato. 497.b

queſt.1. quare Adam voluit de ligno vetito commedere ſciens eſſe vetitum. 497.b

queſt 2. An Adam fuerit deceptus. 498.a

queſt.3. Vtrum Adam peccauit ex ignorantia. 500.a

queſt.4. Vtrum ignorantia Adæ fuerit vincibilis, an iuris, vel facti. 501.a

queſt 5. Vtrum Adam peccando appetijt ęqualitatem Dei. 502.b

queſt.6. Vtrum primum Adę peccatum fuerit ſuperbia. 504.b

queſt.7. Vtrum Adę peccatum fuerit omniũ peccatorum grauiſſimum. 504.a

queſt.8. Vtrum Adæ peccatum remiſſibile fuit. 805.a

queſt.9. Vtrum Adę peccatum fuit grauius peccato Eue. 806.b

queſt.10.Vtrum Adamo non peccante, ſed tantum Eua, genus humanum iuſtitia originali ſpoliatum fuiſſet. 807.a

queſt.11.qua hora Adam peccauit. 808.b

queſt.12.quomodo intelligitur, & aperti ſunt occuli eorum. 809.a

queſt.13.quare dicitur quòd aperti ſunt oculi eorum. 810.b

queſt.14.quare oculi Eue non fuerunt ſtatim aperti poſt eſum ligni vetiti. 811.a

De primum Parentum nuditate, & perizomatibus. 812.b

queſt.1.quomodo Adam & Eua poſt peccatum cognouerunt ſe eſſe nudos. 813.a

queſt.2.quare Adam & Eua fecerunt ſibi perizomata. 813.a

queſt 3. quare Adam & Eua non fecerunt ſibi veſtes, quales nos habemus. 813.a

queſt.4.quare Adam & Eua fecerunt ſibi veſtes de folijs ficus. 814.b

queſt.5. quomodo Adam, & Eua conſuerunt folia ficus. 815 a

queſt.6. quare Adam, & Eua non fecerunt ſibi veſtes de pellibus animalium. 815.a

quaſt.7.quare Adam, & Eua ſolas partes genitales coperuerunt. 816.b

quaſt.8. Vtrum in Adamo, & Eua; quando erubuerunt fuerint genitalium aliqui motus. 816.b

quaſt.9. Vtrum Adam, & Eua habuerunt tunc deſiderium coeundi. 817.a

quaſt.10 quare Adam & Eua non ſunt copulati in Paradiſo. 817.a

quaſt.11.An motus venereorum fuerint tunc in Adam, & Eua naturaliter. 818.b

De Peccato originali.

Queſt.1. Vtrum peccatum originale ſit. 818.b

quaſt.2. Vtrum peccatum originale ſit proprie peccatum. 819.b

quaſt 3. Vtrum peccatum originale ſit carentia iuſtitię originalis. 820.a

queſt 4.quomodo peccatum originale tranſfundatur 826.a

quaſt.5. Vtrum ad tranſfuſionem peccati originalis

ginalis requiratur parentum libide. 828.b
queſt 6. quomodo peccatum originale à parentibus peccato originali mundatis contrahatur. 829.a
queſt.7. Vtrum peccatum origenale ſit æqualiter in omnibus. 829.a
queſt.8. Vtrum peccatum originale ſit vnum in omnibus 830.b
queſt.9. Peccatum originale à quo, cauſaliter transfundatur. 830.b
queſt.10 quando contrahitur peccatum originale. 831.a
queſt.11.quæ ſint pœnalitates originale peccatum conſequentes. 831.a

De apparitione Dei Adæ facta poſt peccatum. Atque Adami citatione. 832.b

Queſt.1. Quomodo Deus primis parentibus in paradiſo apparuit. 833.a
Queſt.2. Vtrum Pater, vel filius, aut Spiritus Sanctus primis parentibus apparuit. 834.b
Queſt.3. Vtrum Angelus in perſona Dei locutus ſit primis parentibus. 834.b
Queſt.4. Quare Deus venit ad Adam, & Euam poſt quam peccauerunt. 835.a
Queſt.5. Quare venit Deus ad primos parentes poſtquam fecerunt ſibi perizomata. 835.a
Queſt.6. Quæ fuerit vox illa, quam primi parentes audiuerunt. 835.a
Queſt.7. Quare dicitur quòd audiuerunt vocem Domini deambulantis in paradiſo. 836.b
Queſt.8. Quare dicitur quòd Deus deambulabat ad auram. 529.a
Queſt 9. Quare dicitur, quòd Deus deambulabat ad auram poſt meridiem. 529.a
Queſt.10. Quomodo Adam, & Eua nouerunt Deum eſſe qui ambulabat. 530.b
Queſt.11. Quare Adam, & Eua abſconderũt ſe a facie domini. 530.b
Queſt.12. Cur Adam & Eua abſconderunt ſe veniente Domino. 531.a
Queſt.13. An Adam, & Eua peccauerunt ſe abſcondendo. 531.a
Queſt.14. Quomodo Adam & Eua abſconderunt ſe in medio ligni paradiſi. 532.b

De Adæ & Euæ examine. 532.b

Queſt.15. Quare Deus vocauit Adam, cum ad eum redarguendum ire poſſet. 533.a
Queſt.16. Quare Deus vocauit Adam, & non Euam. 533.a
Queſt.17. Quare Deus vocauit Adam cum ſciret vnde eſſet. 534.b
Queſt.18. Quare Deus dixit Adam vbi es. 534.b
Queſt.19. Quare Adam prodijt ſtatim, vt Deus de eo quæſiuit. 535.a
Queſt.20. Quare Eua non vocata ante Deum venit. 535.a
Queſt.1. Quare dixit Adam vocem tuam audiui in paradiſo & timui. 536.b
Queſt.2. Quare Adam dixit quod timuit & tamen prodijt. 536.b
Queſt.3. Quare Adam dixit, quòd timuit, quia nudus eſſet et non dixit erubui. 536.b
Queſt.4. Quomodo Adam timere potuit quòd eſſet nudus cum nudus non eſſet. 537.a
Queſt.5. Cur dixit Deus Adæ, quis indicauit tibi, quòd nudus eſſet. 538.b
Queſt.6 Cur dixit Deus, quòd cauſa nuditatis Adę fuit, quia comedit de ligno &c. 539.a
Queſt.7. Quare dixit Deus de ligno de quo preceperã tibi ne comederes comedisti. 539.a
Queſt.8. Quare Adam ſtans coram Deo non eſt confeſſus peccatum ſuum. 540.b

De Adami defenſione. 540.b

Queſt.9. Quare Adam dixit mulier quam dediſti mihi. 541.a
Queſt.10. quare Adam dixit mulier, quam dediſti mihi potuit quem aliud 541.a
queſt.11. quare Adam ita ſe excuſauit. 541.a
queſt.12. Cur Deus Adę ſe excuſanti nihil reſpondit, nec ipſum redarguit. 542.b
queſt.13. Cur Deus Adami excuſationem ſtatim non redarguit cum non fuerit legitima. 543.a
queſt.14 quod nam fuiſſet inconueniens ſi Eua audiuiſſet Deum Adame excuſaſcionem increpantem. 543.a
queſt.15. quid intellexit Deus cum dixit Euę, quare hoc feciſti. 543.a
queſt.16. Cur Deus interrogauit Adam, & Euam, cum eos ſtatim iuſte punire poſſet. 544.b
queſt.17. Cur Deus ſtatim credidit Adę dicenti Mulier quam dediſti mihi &c. 544.b
quę.18. Cur Deus dixit Euę Quare feciſti ſic, & non dixit, an feciſti ſic. 545.a

Euę defenſio.

quæſt.19. In quo mulier dixit ſe eſſe deceptam 545.a
quæſt.20. Cur Eua ſe deceptum dixit 546.b
quæſt.21. Cur Eua ad interrogata non reſpondit. 546.b
quæſt.22. Cur mulier non reſpondit de quo quęrebatur. 546 b
quæſt.23 Quare Adam, & Eua iſtas excuſationes adduxerunt cum non eſſent legitimæ. 547.a

De ſententia contra ſerpentem lata.

quæſt. 1. Cur Deus non dixit ſerpenti; quare hoc feciſti. 148.b
quæſt. 2. Quare Deus noluit loqui ad ſerpentē dicens quare hoc feciſti. 149 a
quæſt 3. Quomodo ſerpens erat tunc praſens cū Deus pronunciauit pœnas Adamo. 149.a
quæſt. 4. Vtrum maledictio ſerpentis ad verū ſerpentem, an ad Diabolum referenda ſit. 550.b
quæſt. 5. Quomodo dicitur ſerpenti maledictus eris inter omnia animantia. 550.b
quæſt. 6. Quomodo intelligantur illa verba ſuper pectus ſuum gradieris. 552.b
quæſt. 7. Quomodo intelligantur illa verba terram comedes omnibus diebus &c. 552.b
quæſt. 8. Quomodo intelligantur illa verba inimicitias ponam inter te &c. 553.a
quæſt. 9. Quæ ſint iſtę inimicitiæ & quando Deus poſuit illas. 554.b
quæſt. 10. Quomodo dixit Deus inimicitias ponam cum inimicitia iā eſſent poſita. 556.b
quæſt 11. Quare dixit Deus inimicitias ponā inter te &c. 557.a
quæſt. 12. Quomodo intelligantur illa verba Ipſa conteret caput tuum. 558.b

De ſententia lata contra mulierem. 560.b

quæſt. 1. Quæ pęna ſit mulieris prolis multiplicatio 563.a
quæſt. 2. Quæ ſit pœna parere cum dolore, cum omnibus fœminis ſit naturalis. 565.a
quæſt. 3. Quę pœna ſit mulieri eſſe ſub poteſtate viri. 566.b
quæſt. 4 Quomodo mulier ante peccatum erat ſubdita viro. 569 a
quæſt. 5. Qualis ſit hęc ſubiectio, qua mulier poſt peccatum facta eſt ſubdita viro 571.a
quęſt. 6. An idem ſit ſubijci viro, & eſſe ſub eius poteſtate 572.b
quæſt. 7. Quid ſibi velint illa domini verba, & ipſe dominabitur tui. 574.b

De ſententia lata contra virum. 576.b

quęſt. 1. Quare Deus maledicens Adæ dixit quia audiuiſti vocem uxoris tuæ. 578.b
quęſt. 2. Quare Deus aſſignans Adæ pœnam, promiſit: quia audiuiſti verba &c. 579.a
quęſt. 3. Quare maledicitur terra, cum ipſa non deliquerit, ſed Adam. 579.a
quęſt. 4. Quid importatur nomine maledictionis terrę. 580.b
quęſt. 5. Cur Deus non impoſuit viro maledictionis, niſi in difficili acquiſitione ciborum. 581.a
quęſt. 6. Quare homini datum eſt in pœnam, vt comedat herbas terra. 583.a
quęſt. 7. An peccatum intulerit Adæ neceſſitatem corporea mortis. 584.b
quæſt. 8. Vtrum mors bonum vel malum ſit. 585.a
quæſt. 9. Vtrum ſpinę & tribuli orirentur ex terra ſi non peccaſſet homo. 586.b
quęſt. 10. Cum mors ſit malum, vtrum ſit malum pœnę pro peccato 586 b
quęſt. 11. Verum mors, cum ſit malum pœnæ, ſit à Deo 587.a
quęſt. 12. An mors corporalis ſit tamen primorum parentum pœna. 588.b
quęſt. 13. An Adam ante lapſum fuit mortalis, vel immortalis. 589.a
quęſt. 14. An Adam ſtante innocentiæ ſtatu potuiſſet mori, & non mori. 591.a
quęſt. 15. Vtrum homo in ſtatu innocentię fuiſſet paſſibilis paſſione proprie dicta 593.a
quęſt. 16. Vtrum Adam in ſtatu innocentię ſenuiſſet. 596.b
quęſt. 17. An immortalitas Adę in ſtatu innocentię fuiſſet naturalis. 598.b
quęſt. 18 An cauſa immortalitatis Adæ fuiſſet aliquod donum ſupernaturale. 599.a
quęſt. 19. An immortalitas ſtatus innocentię ſit alia ab immortalitate reſurgentiū. 603.a
quęſt. 20. An ea quę ponuntur in maledictione viri extenduntur ad fœminam. 604.a
quęſt. 21. Cur mala pronunciata in ſententia viri extenduntur ad mulierem, & non e contra 606.b
quæſt. 22. Quales fuerunt tunicę illę pelliceę quibus Deus primos parentes induit. 610.b

quęſt.

Digitized by Google

Quęſt.23. Vnde aut quomodo illę veſtes factę fuerunt. 611.a
Quæſt.24. Cur Deus primos parentes poſt peccatum tunicas pelliceas induere voluit. 612.b
Quæſt.25. Ad quem refertur ſermo Dei cum dixit: Ece Adam quaſi vnus ex nobis &c. & cui locutus eſt. 614.b
Quæſt.26. Quibus dictum eſt. Videte ne forte mittat manum ſuam &c. 616.b
Quæſt.27. Cur noluit Deus poſt peccatum Adamum comedere de ligno vitæ 616.b
quæſt.28. Verum ſi poſt peccatum de ligno vitæ comediſſet Adam perpetuari potuiſſet. 617.a

De expulſione Primorum parentum de Paradiſo.

Quæſt.1. Quomodo Adam exierit de paradiſo an per ſe ipſum, vel angelorum miniſterio. 620.b
Quæſt.2. Quo in loco vixit Adam poſtquam fuit eiectus de paradiſo. 621.a
Quęſt.3. An eodem die, quo creatus fuit Adã e paradiſo ſit eiectus. 621.a
Quæſt.4. Qua hora diei Adam expulſus fuit de Paradiſo. 623.a
radiſo, & quanto plus. 624.b

De cuſtodia Paradiſi.

Quæſt.1. An quod ſcribitur de Cherubin, & gladio flammeo hiſtorice ſit accipiendum. 626.b.
Quæſt.2. Quid litteraliter per cherubin ſignificetur. 628.b
Quæſt.3. An cherubin ſint ſpiritualis ſubſtantię. 629.a
Quæſt.4. An Cherubin poſiti ad cuſtodiendam viam ligni vitæ ſint ſpiritus de ſecundo ordine ſupramæ Hierarchię. 629.a
Quæſt.5. Quid ſit flammeus gladius, atque verſatilis. 631.a
Quæſt.6. Cur Deus duplicem poſuit ingreſſus Paradiſi cuſtodiam. 633.a

De ętate, morte, & ſalute ipſius Adæ.

Quæſt.1. Quot annos Adam vixit. 633.a
Quæſt.2. Quo in loco mortuus, atque ſepultus ſit Adam. 634.b
Quæſt.3. Vtrum Adam ſalutem ęternam ſit conſecutus. 637.a

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTABILIVM,

QVAE IN HIS COMMENTARIIS

continentur in quo primus numerus paginam. 2. Colonam deſignat.

A

ACtus voluntatis eſt duplex 506.1
Adam numquam coiſſet cum Eua, niſi cauſa Prolis habenda 220.2
Adam, & Eua quoties conueniſſent, toties generaſſent 220.2
Adam, an creatus ſit à Deo perfectus ſecundū ætatem, & ſecundum molem corporis 297.2
Adam qua ætate creatus fuit 298.1
Adam quāta corporis mole fuit creatus 298.1
Adam quare non fuit conditus in Paradiſo 300.2
Adam quo in loco fuit formatus 301.2
Adam formatus fuit de terra rubea 301.2
Adam in Paradiſo exiſtens, an commederit de ligno vitæ 359.1
Adam non per aerem, nec in inſtanti; ſed per terram, & ſucceſſiue delatus fuit in Paradiſum 377.2
Adam ad quid fuit poſitus in Paradiſo 379.1
Adam an re vera Animalibus nomina impoſuit 405.2
Adam cur arboribus, & herbis non impoſuit nomina 407.1
Adam quomodo potuit animalibus nomina imponere 407.2
Adam quo idiomate animalibus nomina impoſuit 409.1
Adam, an ſtatim conditus, perfectam habuit ſcientiam 410.2
Adam ab exordio ſuæ conditionis, omnium habuit ſcientiam 411.1
Adam ſi ſtetiſſet in cognitione creaturarum, non profeciſſet 411.2
Adam, quæ non cognouit in innocentiæ ſtatu. 412.1
Adam, an ſapientior fuit cunctis mortalibus. 412.1
Adam tribus modis præceſſit ſapientia cunctis mortalibus 412.2
Adam, an ſapientior fuit Salomone 412.2
Adam an circa rerum creatarum cognitionē, falli, vel decipi potuerit. 413.2
Adam, an in ſtatu innocentiæ viderit Deum per eſſentiam 414.2
Adam habuit altiorem, & excellentiorem notitiam de Deo, quam nos in hoc ſtatu habeamus 415.2
Adam in ſtatu innocentiæ, non habuit cognitionem Dei diſtinctam intuitiuam 415.2
Adam per ſuam eſſentiam tanquam per medium cognitum cognouit Deum eſſe 415.2
Adam in ſtatu innocentiæ non potuit naturaliter cognoſcere Deum eſſe trinum, & Vnum 416.1
Adam in ſtatu innocentiæ non potuit naturaliter attingere ad diſtinctam, & diffinitiuam Dei cognitionem 416.1
Adam per ſuam eſſentiam tanquam per medium cognitum, non potuit Deum ſub ratione Deitatis cognoſcere 416.2
Adam, vt Deum diſtincte cognoſceret indiguit ſpecie intelligibili, repreſentante Diuinam eſſentiam 416.2
Adam in principio ſuæ creationis habuit notitiam diſtinctam eſſentiæ Diuinæ per ſpeciē impreſſam 417.1
Adam quot modis Deum cognouit in ſtatu innocentiæ 417.2
Adam in ſtatu innocentiæ, an habuerit fidem. 418.2
Adam, an habuit fidem de articulo reparationis. 420.1
Adam in ſtatu innocentiæ quæ myſteria cognouit per habitum fidei. 420.2
Adam quando formatus fuit habuit in vno latere plures coſtas, quam in alio iuxta Toſtatum. 427.1
adam b ſar'am conſiderim poteſt. 427.1
adam fuit primo creatus, & poſtea Eua. 440.4
adam cur dixit hoc nunc os ex oſſibus meis &c. 442.3
adam quare impoſuit mulieri hoc nomen Eua. 443.4
adam & Eua quomodo erant nudi ante peccatum. 446.1
adam antequam fuiſſet formata eua nudus fuit. 446.3
adam, & Eua nudi quare non erubeſcebant. 446.1

Adam

adam exiſtens nudus, quare loquens cum Deo non erubeſcebat. 446.3
adam, et eua nudi quare non erubeſcebãt. 447.1
adam ante lapſum fuit in gratia. 448.1
adam fuit creatus in gratia. 448.2
adę peccatum fuit grauius peccato Euę, & è conuerſo. 806.1
adam qua hora peccauit. 808.1
adam, & Eua quomodo poſt peccatum cognouerunt ſe nudos. 813.1
adam, & Eua quare fecerunt ſibi Perizomata. 813.1
adam, & Eua quare non fecerunt ſibi veſtes, quæ totum corpus cooperirent. 813.2
adam, & Eua quare de folijs ficus fecerunt ſibi Perizomata, & non ex folijs aliarum Arborum. 814.1
adam, & Eua quomodo conſuerunt folia ficus. 815.1.
adam, & Eua cur non fecerunt ſibi veſtes de pellibus Animalium. 815.2
adam, & Eua quare ſola genitalia velauerunt. 816.1.
adam, & Eua quando erubuerunt habuerunt actualiter in partibus genitalibus motum inordinatum. 816.2
adam, & Eua non habuerunt deſiderium coeũdi ſtatim vt erubuerunt. 817.2
Adam, & Eua quare non ſunt copulati in Paradiſo. 817.2
adam cur ſe abſcondit. 531.1
Adam, & Eua occultando ſe non peccauerunt. 531.2.
adam quomodo abſcondit ſe in medio ligni Paradiſi. 532.1
adam cur Domino vocãte ſtatim prodijt. 535.1
adam cur dixit vocem tuam audiui, & timui. 535.2.
adam ſi timuit cur ſe prodijt. 536.1
adam cur non dixit erubui, ſed timui. 536.2
adam quomodo timuit; quod nudus eſſet cum nudus non eſſet. 537.1
adam quare non eſt confeſſus peccatum ſuum. 540.4
adam quare non negauit peccatum ſuum. 541.1
adam peccatum negare non poterat; ideo ſe excuſauit. 541.2
adam quare ita ſe excuſauit. 541.2
Adam, & Eua cur adduxerunt excuſationes non legitimas. 547.2
adam in ſtatu innocentiæ eſſet confectus ſenio. 596.1
adam cur mulierem Euam appellauit. 607.2
adam cui dicitur ſimilis factus poſt peccatum. 614.2
adam ſi poſt peccatum edißet de ligno vitæ, an vixiſſet in æternum. 618.1
adam poſt peccatum per eſum ligni vitę perpetuari non potuiſſet. 619.1
adam tribus modis educi potuit de Paradiſo. 620.2
adam an eodem die, quo creatus fuit ſit è Paradiſo eiectus. 621.2
adam ſecundum aliquos tantum per ſex horas fuit in Paradiſo. 621.2
adam ſecundum aliquos, per ſeptem horas in Paradiſo manſit. 622.1
adam ſecundum alios fuit in Paradiſo per nouem horas. 622.2
adam, & Eua plus vno die fuerunt in Paradiſo. 623.1
adam eodem die quo peccauit; expulſus eſt de Paradiſo. 623.2
adam, & Eua paulò ante ſolis occaſum è Paradiſo eiecti ſunt. 624.1
adam ſecundum aliquos tot annos fuit in Paradiſo, quot annos Chriſtus Dominus vitam mortalem duxit. 624.1
adam, & Eua non vno tantum die fuerunt in Paradiſo. 624.2
adam, & Eua fuerunt in Paradiſo per octo dies. 625.2
adam vixit annos nongentos triginta. 634.1
adam in monte Caluariæ humatus fuit. 636.2
adam fuit ſalutem conſecutus. 639.1
adam in ſtatu innocentiæ habuit vna cum gratia omnes virtutes. 449.1
adam & Eua ſecundum aliquos ante tentationem erant cæci. 480.4
adam & Eua habebant ante tentationem oculos apertos ſicut & poſtea. 480.4
adam cur comedit de ligno, quod ſciebat eſſe vetitum. 497.2
adam in quo fuit ſeductus. 459.1
adam & Eua ſecundum aliquos poſt ligni eſum vere fuerunt ſcientes bonum & malũ. 483.1
adam non appetijt directe æqualitatem Dei. 503.1
In Adam fuit ſuperbia, auaritia, & laſciuia; quibus perductus eſt ad inobedientiã. 504.2
ambitio quid ſit. 493.2
anima Adæ an materiam ſpiritualem habuerit. 309.2
anima rationalis an ſit compoſita ex materia, & forma. 310.1
anima rationalis ex alia anima propagari non poteſt.

poteſt. 310.2
anima rationalis an ſit facta ex materia ſpirituali. 311.1
anima rationalis non traducitur cum ſemine. 311.1
anima rationalis an habeat eſſe per creationem. 311.2
Anima rationalis non ſit per generationem. 312.2
animam rationalem produci per generationem, eſt error in fide. 313.2
anima rationalis organizato Corpore creatur, & infunditur. 314.2
anima rationalis creatio, cur nomine inſuflationis inſinuata ſit. 314.2
anima rationalis ad quid creata eſt. 315.2
animæ rationales an omnes ſimul creatę ſint. 316.2
anima Adę an creata fuerit ante Corpus. 317.2
anima rationalis, an ſit corpori vnibilis. 318.2
anima, & Corpus an per medium vel ſine medio vniantur. 319.2
anima, & corpus an per vnum, vel per plura media vniantur. 320.1
aīa quo genere vnionis vniatur corpori. 320.2
anima rationalis eſt forma hominis. 321.1
anima rationalis multiplicatur ſecundum corporum multiplicationem. 322.2
anima rationalis eſt immortalis. 326.2
anima rationalis an ſit immortalis ex dono Dei. 327.1
anima Euę an ex anima Adami creata ſit. 437.4
animalia noxia, vel pernicioſa, cur Deus produxit. 156.2
animalia venenoſa, & pernicioſa an condita ſint ante hominis peccatum. 158.1
animalia noxia, cur corpora hominum mortuorum dilacerent. 159.2
animalia quę ex diuerſarum ſpecierum coitione naſcuntur, an ſexto die fuerint producta. 160.1
Animalia Terreſtria, cur à Deo non benedicuntur. 161.1
animalia ferociſſima quomodo in ſtatu innocentię hominibus parerent. 193.2
animalia fera quatuor modis cicurari poſſunt. 194.1
animalia cur poſt luminarium productionem condita ſint. 134.2
animalium terreſtrium duo ſunt genera. 154.2
animalia minutiſſima an producta ſint die ſexto. 155.1
animalia minutiſſima multiplicis ſunt generis. 155.2
animalia irrationalia an fuerint in Paradiſo. 347.1
animalia omnia, an ſint de humo formata. 402.1
animalia, an vere, & realiter adducta fuerint ad Adam. 402.1
animalia omnia an fuerint adducta ad Adam. 402.2
animalia quis adduxit ad Adam. 404.1
animalia quomodo adducta fuerunt ad Adam. 404.1
analogia mirabilis inter Adam, & Christum Dominum. 622.1
anni duo eſſe principia indicat ſcriptura. 101.1
Annorum mundi computationis diuerſitas vnde proueniat. 105.1
annus lunaris, quare pauciores contineat dies, quam ſolaris. 130.2
Aquę quomodo produxerint Aues cum infra terram fuerint. 142.2
aqua eſt principium duplicis generis animalium. 141.2
aquę quę ſunt ſuper firmamentum, quid ſint. 71.2
aqua elementaris habet tres proprietates. 73.1
aquę quare ſint poſitę ſuper firmamentum. 74.1
aquę in quam partem ſint congregatę cum totam terram cooperirent. 80.2
aqua duplicem habet appetitum. 82.2
aqua tertia die fuit condenſata vt appareret arida. 84.2
aqua cuius virtute ſint in vnum locum congregatę. 85.1
aquę virtute Dei, in vnum locum congregatę ſunt. 86.1
aquas in vnum locum congregatas eſſe, quomodo ſit verum. 86.1
aperire oculos idem eſt quod intelligere. 810.2
arbor vitę an fuit vera arbor naturalis. 353.2
arbor vitę an ſit ſimilis alicui noſtrarũ. 354.2
arbor vitę an eſſet tantum vna. 355.1
arbor vitę cur ſic appellata. 355.1
arbor vitę an habuerit vim conſeruandi hominem ab interitu. 356.2
arbor vitę an ſit in medio Paradiſi. 358.2
arbor ſcientię boni, & mali an fuerit vera, & naturalis arbor. 359.2
arbor ſcientię boni, & mali an fuerit tantum vna. 360.1
arbor ſcientia boni, & mali, in qua ſpecie arborum fuit. 360.1

Arbor

Digitized by Google

Arbor ſcientiæ boni, & mali, cur ſic appellata. 361.1
Arbori ſcientiæ boni, & mali, nomen à quo fuit impoſitum. 361..362.2
Arida quomodo appellata ſit terra. 89.1
Audire accipitur oro exaudire. 578.1
Aues, & piſces, cur ex aqua produci dicantur. 136.1
Aues, an productæ ſint ex aqua, tanquam ex materia. 139.1
Appetitus ſenſitiuus, in ſtatu innocentiæ, ſequebatur voluntatis imperium. 464.1

B

Bedellium quid ſit. 368.2
Benedictio, & ſanctificatio differunt. 165.2
Benedictio Dei ad fœcunditatem ſpectat. 147.2
Beſtiæ quare inuicem ſibi nocent. 158.2
Bonitas accidentalis cuiuslibet rei triplex eſt. 236.1
Bonitas vniuerſi octo modis declaratur. 236.2
Bonitas creaturæ poteſt dupliciter conſiderari. 247.2
Bonitas Diuæ Virginis bifariam conſiderari poteſt. 249.2

C

Calliditas eſt duplex 466.1
Carbunculus quid ſit. 369.1
Cauſa multiplex, vt de nuditate quis non erubeſcat. 447.2
Cauſa triplex, quare Moſes expreſſit quod Adã & Eua nudi exiſtẽtes nõ erubſcebãt. 447.4
Cauſa mortis poſt lapſum ſunt duæ. 592.2
Cã extrinſeca corruptionis eſt duplex. 592.2
Cauſa immortalitatis primi hominis fuiſſet in innocentia. 599.2
Cauſa immortalitatis hominis non fuiſſet plenum dominium animæ rationalis ſuper corpus. 600.1
Cauſa immortalitatis hominis fuiſſet ſolus Deus. 603.1
Caietanus negat Diuum Paulum fuiſſe raptũ ad Cœlum empyreum. 6.2
Cœlum Chriſtallinum multis temporibus fuit incognitum. 73.2
Cœlum Chriſtallinum eſt primum mobile. 73.2
Cœlum Empyrieum bifariam ſumi poteſt. 116.2
Cęlum Empyreum intelligitur cum dicitur in principio creauit Deus Cęlum, & terram. 7.1
Cęlum Empyreum ex parte conuexa eſt quadrata figura. 7.2
Cœli Empyrei proprietates. 8.1
Cęlum Empyreum non eſt factum ex materia. 10.1
Cęli ſunt numero decem. 117.2
Cęli, an moueantur à ſeipſis; vel ab Angelis. 181.2
Cęli an ſint animati. 131.1
Cete quid hebraice ſignificet. 144.2
Cognitio bifariam ſumi poteſt. 184.2
Cognitio in ſtatu innocentiæ erat media inter cognitionem patriæ & uiæ. 414.2
Cognitio Angeli eſt duplex matutina, & veſpertina. 58.2
Cognitio eſt triplex. 419.1
Cognoſcibilia ſunt in duplici differentia. 801.2
Cauſa ſalubritatis, & diuturnitatis vitæ in Paradiſo qua nam eſſet. 334.1
Cauſa caloris ſunt duæ. 339.2
Cherubin quid litteraliter ſignificet. 628.1
Cherubin ſunt ſpirituales ſubſtantiæ. 629.1
Cherub qui poſitus fuit ad cuſtodiendam Paradiſum, fuit ſubſtantia ſpiritualis, & Angelus. 630.1
Chriſtus, an ſecundum naturam humanam potuit fieri melior. 247.2
Chriſti humanitas tripliciter conſiderari poteſt 248.1
Chriſtus tripliciter conſiderari poteſt. 248.2
Circulus lunaris bifariam ſumitur. 339.1
Communicationes quatuor ſunt inter homines. 567.1
Communicatio naturalis quid ſit. 567.1
Communicatio deſpotica quid ſit. 567.1
Communicatio œconomica quid ſit. 567.1
Communicatio homogalatica quid ſit. 567.2
Communicatio politica quid ſit. 567.2
Communicatio Deſpotica non fuiſſet in Paradiſo. 567.2
Communicatio Oeconomia non fuiſſet in ſtatu innocentiæ. 567.2
Communicatio homogalatica non fuiſſet in ſtatu innocentiæ. 568.1
Communicatio politica non fuiſſet in Paradiſo. 568.2
Communicatio naturalis fuiſſet in Paradiſo. 568.2
Completio rei eſt duplex. 253.1
Computationis Annorum mundi diuerſitas vnde

de proueniat. 105.1
Concupiſcentia ſumitur tribus modis. 826.2
Concupiſcentia ex parte appetitus rationalis, tribus modis ſumitur. 827.1
Corpus Adæ an prius tempore formatum ſit, quam ſit creata anima. 298.2
Corpus Adæ, an formatum fuerit in Paradiſo. 300.2
Corpus Adæ tripliciter conſiderari põt. 292.2
Corpus Adæ, an vere fuerit corpus humanum. 293.2
Corpus Adæ, an formari potuit admonib. 281.2
Corpus Adæ, an ab influentia Cœlorum produci potuerit. 282.2
Corpus Adæ, an fuerit creatum. 283.1
Corporis Adæ productio de limo terræ an ſpectet ad vniuerſi perfectionem. 284.2
Corpus Adæ, an de materia Cęleſti produci potuerit. 286.1
Corpus Adæ nihil habuit de Cœleſti materia. 286.2
Corpus Adæ, an conſtet ex quatuor Elementis. 287.1
Corpus Adæ magis de terra, quam de alijs Elementis dicitur formatum. 287.2
Corpus Adæ, an magis animale, vel ſpirituale fuerit. 295.1
Corpus Adæ, an fuerit animale. 294.1
Corpus Adæ, an iure fuerit formatum erectæ figuræ. 296.1
Corpus Adæ, non habuit elementa ſecundum æqualitatem molis. 288.1
Corpus Adæ, an habuerit elementa equalia ſecundum virtutem. 289.2
Corpus Adæ fuit nobiliſſime compleſſionatum. 290.2
Corpus Adæ in ſtatu innocẽtiæ habuiſſet à Deo miſcibilium æqualitatem. 290.2
Corpus Adæ an habuerit grauitatem, & leuitatem ſecundum æqualitatem. 291.2
Corporis Adæ finis, non fuit voluptas. 292.1
Corporis Adæ finis, an ſit Deus. 293.1
Corporis Adæ finis, an ſit anima. 292.1
Corpus Adæ, an creatum fuit poſt ſextum diem. 262.2
Corpus Adæ fuit formatum à Deo. 279.1
Corpus Adæ an ab Angelis formari potuerit. 279.2
Corpus Mulieris, an congrue factum ſit in adiutorium Viri ad generationem. 439.1
Corpus Euæ, an æque nobile ſit, ac Corpus Adæ. 440.3
Coſta quam tulit Deus de Adam an erat ei ſuperflua. 426.1
Corpus humanum quadruplici ratione eſt corruptibile. 618.2
Creatio multis modis ſumitur. 2.2
Creatio per ſe ſumpta quid ſit. 3.2
Creata à Deo, cur nedum bona, ſed valde bona dicantur. 234.1
Creari dicitur aliquid tripliciter. 437.2

D

Definitio productionis volatilium, quæ ſit. 138.1
Demon quõ graditur ſuper pectus ſuum. 552.2
Demon quomodo terram comedit. 553.1
Demon qui tentauit primos Parentes fuit Lucifer. 467.2
Demon, cur non tentauit primos Parentes interius. 468.2
Demon ex D. Paulo habet propriam figuram. 468.3
Demones, & Angeli poſſunt aſſumere figuras, quas volunt. 468.4
Demon, cur non transfigurauit ſe in Agelum lucis vt tentatret Euam. 469.2
Demon, cur non tentauit Euam in humana effigie. 469.3
Demon, cur apparuit in forma Animalis Bruti. 470.1
Demon triplici de cauſa tentauit in forma ſerpentis. 470.3
Demon ex multis cognoſcebat mulierem eſſe inæqualis rationis cum viro. 473.4
Deus tertia die creauit terram, & cætera Elementa. 79.2
Deus à principio creauit terram rotundam ſine montibus, & Vallibus iuxta Diui Auguſtini placitum. 84.1
Deus, cur vno, & eodem die natatilia, & volatilia condidit. 149.2
Deus in ſola ſpecie humana conſtituit coniugium. 155.1
Deus, cur animalia, noxia, & pernicioſa produxit. 156.2
Deus, cur hominem vna cum alijs animalibus non produxit. 163.2
Deus creans hominem, cur loqutus ſit in prima perſona. 163.2
Deus, cur poſt peccatum hominis dominium minuit. 195.2
Deus hominem condidit ad Chriſti Imaginem 200.1.2
Deus, an dederit homini præceptum in eundẽ

con-

coniugium. 207.2
Deus, cur homini certum potum non preſcripſit. 22;,2
Dei locutio quid ſignificet in mundi creatione. 229.2
Deus, cur non dixit de homine, quod eſſet bonus. 244.2
Deus, an poſſit quacunque ſpecie rerum creata perfectiorem producere. 243.1
Deus non poteſt facere infinitos mundos numero eiuſdem rationis cum iſto. 244.2
Deus non poteſt facere mundum iſtum extenſiue infinitum. 244.2
Deus non poteſt facere mundum iſtum in infinitum meliorem bonitate accidentali. 244.2
Deus non poteſt facere infinitos mundos ſpecie diſtinctos. 244.2
Deus, an potuerit facere Adamum meliorem. 246.2
Deus, quomodo ſeptima die compleuit opus ſuũ 254.1
Deus, quomodo requieuit die ſeptimo. 256.1. 254.1
Deus. an ſit finis corporis humani. 293.1
Deus requieuit ab operibus non in operibus. 259.2
Deus, cur diem ſeptimum benedixit. 262.1
Deus, cur diem ſabbati ſanctificauit. 263.1
Dei requies in die ſabbathi dupliciter accipitur 263.2
Deus, an in Mundi exordio ſabbathi obſeruantiam præcepit. 264.2
Deus quomodo creauit vt faceret. 266.2
Deus hominem produxit in Campo Damaſceno 377.1
Deus quomodo tulit Adam, vt poneret eum in Paradiſo. 377.2
Deus quando primo appellatus eſt Dominus in ſcriptura 377.2
Deus ad quid primum hominem in Paradiſo poſuit. 379.1
Deus an præceperit Adæ vt comederet de ligno quod eſt in Paradiſo. 382.1
Deus quare dixit homini, vt comederet de omni ligno Paradiſi. 384.1
Deus, cur vetuit Adæ, ne comederet de ligno ſciẽtiæ boni, & mali. 386.1
Deus quid exigebat ab Adamo in illo præcepto non comedendi. 387.1
Deus, cur homini extra ſuo præceptũ dedit. 388.1
Deus, cur Adamo comminatus eſt mortem. 394.2
Deus, cur non ſit comminatus Adæ pœnas Inferni. 395.1
Deus quomodo loquatur. 397.1
Deus, cur dixit faciamus adiutorium, & non dixit faciamus fœminam. 399.1
Deus, an de omnibus animalibus aliquod adduxit ad Adam. 403.1
Deus, quare adduxit animalia ad Adã. 403.2
Deus, an dederit Adæ facultatem accipiendi ſibi aliquod animal. 406.1
Deus, quare voluit Adam animalibus nomina imponere. 406.2
Deus cur non impoſuit nomina Animalibus. 406.2
Deus quare immiſit ſoporem in Adam. 425.2
Deus, cur immiſit ſoporem in Adam, vt ex eo coſtam auferet. 428.2
Deus, cur voluit mulierem fieri ex viro. 436.1
Deus quare voluit formare fœminam de viro. 439.1
Deus, quare voluit, quod totum genus humanũ eſſet ex vno prinripio. 439.3
Deus corporibus mulierum non infundit animas infirmiores. 440.2
Deus, cur adduxit Euam ad Adamum. 441.2
Deus non impoſuit nomen mulieri, & quare. 444.1
Deus impoſuit nomina appellatiua, Adam vero nomina propria. 444.1
Deus in forma humana apparuit primis Parentibus. 833.1
Deus pater fuit qui ad primum hominem loquutus eſt. 834.2
Deus, cur venit ad Adam, & Euam poſtquam fecerunt ſibi Perizomata. 836.2
Deus, quare ambulabat ad Auram. 529.1
Deus, cur ambulabat ad auram poſt meridiem. 229.2
Deus, cur vocauit Adam. 533.1
Deus, quare non vocauit Euam. 533.2
Deus, cur non dixit Adæ exi foras. 534.2
Deus, cur dixit Adæ quis indicauit tibi quod nudus eſſet. 539.1
Deus, cur dixit Adæ de ligno quod præceperã tibi ne comederes, commediſti. 539.2
Deus Adamo & Euæ ſimul præcepit ne comederent de ligno vetito. 477.2
Deus, cur luminaria poſuit in firmamento Cæli. 113.1
Deus cur ſydera ante animalia creauit. 112.2
Dei proprium eſt de nihilo producere. 2.2
Deus ab initio ſolam materiam informem de nihilo produxit. 9.1
Deus ab initio vna cum materia in formi cælũ Empyr-

Digitized by Google

Empyreum & Angelos creauit. 9.2
Deus non creauit chaos confuſum. 12.2
Deus potuit producere materiam abſque omni forma ſubſtantiali. 14.1
Deus, cur non dicatur Creator Aqua, ſicut dicitur Creator terra. 36.1
Deus opus ſuum conuenienter incępit à luce. 53.2
Deus quomodo diuiſit lucem à tenebris. 55.1.2
Deus quinque rebus nomina impoſuit. 56.2
Deus, cur poſuit aquas ſuper firmamentũ. 74.1
Deus, quare non benedixit operibus ſecundæ diei. 76.1
Deſiderium perfectum coeundi duo importat. 817.1
Dies primus quomodo habuit primũ veſpere, quam mane. 63.1
Dies creationis, an fuerint naturales dies. 58.59
Dies ſeptimus habuit veſpere, & mane. 255.1
Dies ſeptima prerogatiua ſingulares. 262.1
Dies in ſcriptura, interdum pro certo aliquo tẽpore ſumitur. 269.2
Dies duobus modis ſumi poteſt. 271.2
Dydimus docuit in homine eſſe duas animas. 326.2
Diuerſitas computationis annorum Mundi ex ex quatuor oritur cauſis. 105.1
Diuiſio animalium quomodo ſumatur. 138.2
Dignitas Mulieris ſuper cętera animalia ex tribus poteſt oſtendi. 401.1
Diuina aſſiſtentia, quot bona efficiebat in ſtatu innocentiæ. 463.2
Dominium bifariam conſiderari poteſt. 190.1
Dona gratuita efficaciora eſſent ad merendum poſt lapſum & quomodo. 449.4
Duobus modis poteſt quis dici confirmatus in gratia. 454.1
Duplex eſt impedimentorum genus, quibus cęleſte Paradiſum hominibus precluditur. 626.2
Diabolus motus fuit ex inuidia ad tentandum primos parentes. 467.2
Diabolus non habet formam propriam, in qua videri poſſit. 468.3
Diabolus per ſerpentem Euæ loquebatur. 472.2
Diabolus tentauit Euam de eſu ligni vitæ. 476.3
Diabolus tentans Euam ſolum, cur locutus eſt in numero plurali. 476.4
Diabolus cur falſa locutus ſit ad mulierem. 479.1
Diabolis proprium eſt mentiri. 479.2
Diabolus cur non ſemper mentiatur cum ſit ei proprium mentiri. 479.3
Diabolus credidit quod mulier potius aſſentiret quã Deo. 479.4
Diabolus cur dixit Eua ſit autem Deus. 480.3
Diabolus ſecundum aliquos intendebat deducere homines ad credendum plures Deos. 482.1
Diabolus nomine deorum intellexit Angelos. 482.1
Diabolus nomine Deorum intellexit Deum. 482.2
Diabolus quid intellexit dicens eritis ſcientes bonum, & malum. 483.2
Diabolus vſus eſt tranſumptione dicens aperientur oculi veſtri. 481.1
Diabolus quid intellexit cum dixit, Eritis ſicut Dij. 481.2
Diabolus in quo volebat homines eſſe Deo ſimiles. 481.2

E

Eloym ſecundum Caietanum caret ſingulari. 4.1
Eloym ſecundum hebręos non caret ſingulari. 4.1
Elementa ſunt optime conſtituta, & ordinata. 237.2
Elementa an ſecundum qualitatem molis fuerint in corpore Adæ. 288.1
Elementa an fuerint in corpore Adæ æqualia ſecundum virtutem. 289.2
Electi omnes qui nunc ſunt, ex qui futuri ſunt, nati fuiſſent in ſtatu innocentiæ. 455.2
Efficacia meriti, ex tribus attenditur. 449.4
Energumenus vnde dictus. 472.2
Energumeni, & Phamatici conuenientia, & diſcrimen. 472.3
Eua in ſtatu innocentię cognita, an integritatẽ carnis amiſiſſet. 217.2
Eua non fuit condita poſt ſextum diem. 261.1
Eua quo Idiomate loquebatur. 410.1
Eua formatio de coſta Adæ, an fuit miraculoſa. 432.2
Eua, an ſit formata ex nuda coſta. 435.2
Eua, cur formata fuerit ex latere Viri. 435.3
Eua ex quo latere formata ſit. 435.4
Eua, an congrue formata fuit ex Adamo dormiente. 436.3
Eua productio, an fuerit creatio. 437.1
Eua, an ſit æque fortis ſecundum corpus ſicut Adam. 440.1
Eua, an producta ſit in Paradiſo. 440.3
Eua quo die producta fuit. 440.4

Eua

Digitized by Google

Eua, cum non fuit formata vbi erat Adã, quare Adam non iuit ad eam. 441.3
Eua cur dixit Præcepit nobis Dominus ne tangeremus illud, cum Dominus hoc non præceperit. 477.3
Eua de ſuo addidit ne tangeremus illud. 477.4
Eua quare dicitur os de oſſibus, & caro de carne Adæ. 442.4
Eua de ſuo adhibuit ne forte. 478.2
Eua ſimpliciter grauius peccauit, quam Adã. 816.2
Eua tribus modis verba peruertit. 478.3
Eua ſi tantum peccaſſet homines non perdidiſſent iuſtitiam originalem. 817.2
Eua, cur ſtatim non cognouit ſe iuſtitia originali ſpoliatam poſt peccatum. 462.3
Eua peccatum nullã habet excuſationẽ. 480.1
Eua credendo Diabolo multa mala credidit de Deo. 480.2
Eua ſeducta fuit. 491.1
Eua non fuit decepta quam diu fuit in ſtatu innocentia. 491.1
Eua ſecundum Rupertum peccauit ante ſerpentis ſermonem. 492.1
Eua ante congreſſum & ſermonẽ ſerpentis non peccauit. 492.2
Eua peccauit peccato ambitionis, ſuperbia, & gula. 493.2
Eua primum peccatum fuit ſuperbia. 494.2
Eua videns ſe à ſerpente deceptam cur dixit viro ſuo, quod comederet. 494.1
Eua quid dixit Adæ cum dedit illi de fructu ligni vetiti. 495.1
Eua poſt eſum ligni vetiti, an ſtatim iuſtitiã originalem amiſit. 495.2
Eua quomodo ſciebat lignum eſſe bonum ad veſcendum. 486.2
Eua ſecundum aliquos inuidia mota dedit de ligno vetito viro ſuo. 488.2
Eua, cur nõ vocata, venit ante Dominũ. 535.2
Eua cur non nominauit lignum vetitum proprio nomine. 477.2
Eua cur dicta ſit virago. 443.2
Eua cur ſe deceptam dixit. 546.1
Eua eſt nomẽ proprium primæ mulieris. 443.4
Eua, cur ita ſe excuſando reſpondit. 546.2
Eua cur non timuit ſerpentis congreſſum ſecundum aliquos. 473.2
Eua cur non reſpondit ad interrogata. 547.1
Eua cur non obſtupuit audiens ſerpentem loquentem. 473.4
Eua triplici pœna a Deo plectitur. 561.2
Eua decẽ annis poſt virum ſuũ moritur. 634.2
Euphrates quid ſit quo ad nomen. 373.1
Eua tria denotantur vitia in illis verbis. Vidit igitur mulier &c. 484.2
Euphrates vnde oriatur. 373.2
Euphrates quas regiones perluat. 373.2
Explicãda de iuſtitia originali quot ſint. 453.2
Explicatio quadruplex illorum verborum, & omne virgultum ante quam orietur in terra &c. 373.1.2
Explicatio verborum quamobrem relinquet homo &c. 444.5
Explicatio verborum formauit Deus hominem de terra. 302.1
Explicatur ſententia. D. Pauli dicentis, quod Adam non fuit ſeductus. 498.2
Explicatio Burgenſis de formatione mulieris exploditur. 431.1
Extaſis quid ſit. 421.2
Extaſis quomodo fieri potuit in ſomno. 424.2
Errores Auctoris Quæſtionum noui, & Veteris Teſtamenti. 448.1
Eua differenter vidit lignum vetitum ante, & poſt ſerpentis tentationem. 484.1

F

Fabula Hebræorum de Cete. 144.2
Filij in ſtatu innocentiæ non fuiſſent in gratia confirmati. 454.1
Filij nati in ſtatu innocentiæ fuiſſent in gratia confirmati, ſecunda confirmatione, ſi primæ tentationi reſtitiſſent. 454.3
Filij Adæ in ſtatu innocentiæ nati fuiſſent cũ iuſtitia originali. 463.3
Fides duo concernit. 419.1
Fides eſt duplex. 419.2
Figura poteſt dupliciter accipi. 468.2
Filum, & Acus ſunt inſtrumenta miſerorum. 815.1
Finis corporis Adæ, an fuerit carnis voluptas. 292.1
Finis corporis humani, an ſit Deus. 293.1
Finis corporis Adæ, an ſit anima. 292.1
Firmamentum quid ſignificet, cum dixit Deus fiat firmamentum. 66.2
Firmamentum, an ſit creatum, an de materia productum. 68.1
Firmamentum, cur Cœlum ſit appellatũ. 71.1
Fixum eſt duplex. 94.1
Flammeus gladius, atque verſatilis, quid re uera ſit. 691.2
Fluuius irrigans Paradiſum, quis fuerit. 364.1
Fluuius e Paradiſo egrediens, quatuor modis potuit eum perluere. 364.1
Fontes, & flumina, quomodo ſecundum Ariſtotilem generentur. 87.1
Fons, qui aſcendebat e terra, irrigans uniuerſã ſuperficiem terræ, quis nam fuerit. 276.1
Formaliter eſſe tale dupliciter contingit. 327.1

G

Genus debiti eſt duplex. 209.2

Digitized by Google

Gneratio eſt duplex. 268.2
Gehon quid ſit quo ad nomen. 369.2
Gehon quis fluuius ſit ex nobis notis. 370.1
Gehon vnde oriatur. 370.2
Gehon quas regiones perluat. 371.1
Gehon quę contineat notabilia. 371.2
Gehon fluminis ortus deſignatur. 375.1
Gradus eſſe.ſunt numero quatuor. 904.2
Gradus naturę ſunt quatuor. 179.2
Gratia in ſtatu innocentię non fuiſſet in poſteros per originem transfuſa. 453.3
Grauitas,& leuitas an ſecundum aqualitatem fuerint in corpore Adę. 291.2
Gratia gratis data ſtat cum peccato mortali. 496.1

H

Habitus bonus voluntatis inclinat ipsam vt prompte, & delectabiliter feratur in Deum. 458.4
Henon,& Elia an ſint in tereſtri Paradiſo. 348.1
Habreorum fabula de Cete. 144.2
Habere eſſe intētionale bifariā ſumitur. 144.2
Hareſes de rerum creatione. 16.1.& 17.1.2
Hominis appetitum non quieſcit totaliter in adoptione boni finiti. 264.1
Homo habuit tres ſtatus. 232.2
Homines quare in prima ętate non veſcebātur carnibus. 228.2
Homines an ſtatim poſt peccatum in prima ętate carnes comederint. 228.1
Homini cur non fuerit preſcriptus certus potus. 229.2
Homo an in ſtatu innocentię occideret animalia. 227.2
Homines in ſtatu innocentię an per copula carnalem multiplicati fuiſſent. 211.1
Homini an fuerit datum praceptum ineundi coniugium. 207.2
Homo fuit creatus ad imaginē Chriſti. 201.2
Homo cur vltimo loco creatus ſit. 164.2
Hominis vocabulo quid ſignificatur cum dicitur facciamus hominem. 199.2
Homo ſecundum quam partem dicitur ad imaginem Dei. 171.2
Homo quodammodo continet omnia. 180.1
Homo an ſolus ſit imago Dei. 185.2
Homo cur à natura nudus, & inermis ſit procreatus. 190.2
Homo in ſtatu innocentię creaturis inſenſatis an dominaretur. 195.2
Homo an in ſtatu innocentię dominaretur homini. 297.1
Homo in ſtatu innocentię prefuiſſet homine dominatione ciuili. 107.1
Homines in ſtatu innocentię non prefuiſſent aliis dominio ſeruili. 198.1
Homo duobus modis conſiderari poteſt. 394.1
Hō an mala alia prater mortē incurrit. 394.2
Hominem eſſe ſolū cur non erat bonum. 396.1
Homo quilibet vnicam habet animam. 324.2
Homo quomodo erat ſolus ſi non erat bonum hominem eſſe ſolum. 398.2
Hominem eſſe ſolum aliquādo fuit bonū. 399.1
Hominem decipi dupliciter contingit. 414.1
Homines ante peccatū quō erant nudi. 446.1
Hominis quare poſt peccatum habuerunt veſtes 446.2
Homo in primo inſtanti ſuę conditionis habuit diſpoſitionē proportionatā ad gratiā. 448.3
Homo diſponitur ad gratiam per actum fidei, ſpei,& caritatis. 448.3
Hō poſt peccatū cur reuertitur ad veniā. 806.1
Homines omnes deſcendentes ab Adam conſiderari poſſunt vt vnus domo. 827.2
Homo Chriſtianus,& mundus cur filium generet immundum. 829.2
Hominis ad ſerpentem eſt naturalis inimicitia 555.2
Hō quomodo ſerpentis caput conterat. 558.1
Homo primus ſimpliciter,& abſolute fuit mortalis. 591.1
Homo in ſtatu innocentię fuit paſſibilis propriè. 594.1
Homines in ſtatu innocentię decipi poterant.& quomodo. 490.2
Homines in ſtatu innocentię geniti fuiſſent cū gratia gratum faciente. 453.3
Homines in ſtatu innocētię qūo habuiſſent abūdatiorē gratiā,quā in ſtatu miſeria. 449.1
Homines in ſtatu innocentię & in ſtatu miſeria quoad dona gratia gratis data ſe haberēt vt excedentia & exceſſa. 449.3
Humani corporis finis an ſit Deus. 293.1
Humor aqueus eſt duplex. 141.2
In Hominis creatione duo ſunt ſuper potentiam naturalium cauſarum. 163.1
Homines duobus maxime incitantur ad peccādum. 478.4
Homo primus in ſtatu innocentię, potuit mori, & non mori. 592.2

I

Informitas materię non anteceſſit tempore eius formationem. 12.2
Ignis elementum cur non habeat ſuum ornatū 150.1
Ignis cur non meminerit Moſes in rerum creatione. 151.2
Ignorantia,neſcientia,& error differūt. 500.1
Ignorantia eſt duplex. 500.1
Ignorantia Adami non fuit ignorantia iuris, nec facti. 501.2

Igno-

Ignorantia Adami fuit vincibilis. 502.1
Ignorantia eſt duplex. 473.2
Imago pro quo ſupponit cum dicitur faciamus heminem &c. 171.1
Imago tria requirit. 176.2
Imago Dei quō ſit in corpore hominis. 172.1
Imaginē, et eſſe ad imaginē quō diſerūt. 173.2
Imago ad quid relatiuè dicitur. 174.2
Imago Dei in homine in quo conſiſtat. 177.2
Imago Dei in homine an ſit in ſuperiori vel in inferiori portione. 181.1
Imago Dei an ſit penes naturalia, vel penes gratuita. 182.1
Imago ē duplex naturalis, et artificialis. 182.1
Imago an attendatur penes potentias vel potentiarum, actus. 182.2
Imago & ſimilitudo quomodo differunt. 184.1
Imago Dei an ſit ſolus homo. 185.2
Imago in creatura dicitur dupliciter. 187.1
Imago eſt duplex ſcilicet creationis, & recreationis. 203.2
Imago Dei an per peccatum amittatur. 206.1
Ieiunij tempore quare eſt carnium abſtinentia, & non piſcum. 579.2
Immortale dicitur aliquid biſariam. 326.2
Immortale biſariam ſumitur. 589.1
Immortale ſumitur duobus modis. 590.1
Immortalitas Adami in ſtatu innocentia non fuiſſet naturalis. 598.1
Immortalitas Ada erat ſimpliciter & abſolute ſupernaturalis. 599.1
Imortalitas Ada quō pōt dici naturalis. 599.2
Immortalitas quomodo accipiatur. 603.1
Immortalitas hominum in ſtatu innocētię, & immortalitas reſurgentium diſerūt. 603.2
Immortalitas innocentia fuiſſet alia ab immortalitate ſtatus gloria. 604.2
Inpaſſibile tripliciter accipi poteſt. 595.2
Incorruptibile pōt aliquid dici trib. modis. 589.2
Inimicitia ſunt inter demonem, & ſenſualitatem. 553.2
Inimicitiā quas poſuit Deus inter ſerpentē, & mulierem, qua nam fuerint. 555.1
Inimicitias quomodo poſuit Deus inter mulierem, & ſerpentem. 555.2
Inuidia quid ſit. 467.2
In iuſto politico ſubditus regitur a Praſidente ſed non eſt ſub eius poteſtate. 573.2
Iudeorum ineptia de hominis creatione. 202.1
Iudeorum delirium, de rebus creatis in die ſexta. 254.2
Iudeorum error de ignis creatione. 261.1
Iudae, Arrius & Lutherus grauius peccauerūt quam Adam. 805.2
In Paradiſo fuiſſēt Arbores infructifere. 352.2
Inter Virum, & fœminam dua ſunt combinationes. 458.2
Iuſtitia originalis ſecundum aliquos eſt ordo potentiarum armoniā inter ſe habentiū. 456.3
Iuſtitia originalis ſecundum aliquos eſt ſpecialis Dei manutenentia, qua ordo potentiarū ſeruabatur. 456.4
Iuſtitia originalis quid ſit ſecundum Henricū 456.4
Iuſtitia originalis poteſt donum naturale appellari. 457.4
Iuſtitia originalis fuit donum ſupernaturale per ſe. 458.1
Iuſtitia originalis fuit qualitas de prima ſpecie qualitatis. 458.1
Iuſtitia originalis fuit virtus moralis. 458.1
Iuſtitia originalis tres efficiebat ſubiectiones. 458.2
Iuſtitia originalis principaliter ordinabat hominem in Deum. 458.4
Iuſtitia originalis duob. modis poteſt eſſe debita. 826.2
Iuſtitia originalis non fuit vnus habitus, ſed plures. 456.1
Iuſtitia originalis dupliciter accipi pōt. 456.1
Iuſtitia originalis eſt quid analogum. 456.2
Iuſtitia originalis ſecundum Molinam eſt ſubiectiuè in omnib. anima viribus. 456.2
Iuſtitia originalis non eſt in eſſentia anima, vt in ſubiecto. 459.3
Iuſtitia originalis eſt in voluntate vt in ſubiecto. 459.3
Iuſtitia originales erat habitus re ipſa diſtinctus à gratia gratum faciente. 460.3. 462.3
Iuſtitia originalis an fuerit ab Eua ablata, ſtatim quod pomum comedit. 460.4
Iuſtitia originalis multos habuit effectus. 461.2
Iuſtitia originalis fuit reipſa diuerſa à gratia gratum faciente. 462.3
Iuſtitia originalis effectus. 462.4
Iuſtitia originalis abſtulit omem rebellionem à toto homine. 463.3
Iuſtitia originalis eſt gratia gratis data, & qua comprehendat. 496.1
Iuſtitia originalis non ſtatim poſt peccatum ab Eua ſublata fuit. 497.1
Iuuentus eſt duplex. 596.2

L

Legum Diuinarū quinq; ſunt genera. 389.1
Libido tripliciter ſumitur. 528.2
Liber Geneſis, vnde dictus ſit. 1.1
Lignū vita, cur dicatur lignū vitarū. 353.1
Lignorum omnium, & herbarum productio, tertia die facta fuit. 350.1
Lingua hebraa fuit omnium prima. 409.1
Locutio hac, faciamus hominem, &c. cuius fuit & ad quem. 166.2

Digitized by Google

Locutio qua dixit Deus, faciamus hominem, an fuerit vocalis. 166.1
Locutio ſit quatuor modis. 472.3
Locutionis formatio tria poſtulat 473.1
Locutio ſerpentis non fuit à virtute animæ ſenſitiua, tanquam à principio efficiente, ſed à dæmone. 473.1
Luna quō ſit luminare magnū. 125.1.126.2
Luna quanta ſit magnitudinis. 125.1
Luna, an lumen a ſole recipiat, & quō. 127.2
Luna quomodo ſit in inchoatione noctis. 129.2
Luna creata fuit in plenilunio. 131.1
Luna condita fuit in nouilunio. 130.2
Luna, cur dicatur luminare minus. 131.1
Lucifer quō appetijt qualitatē Dei. 439.3
Luminare maius quomodo dicatur præeſſe diei, & minus nocti. 128.2
Luminaria quatuor faciunt vtilitates 124.1
Luminarium duplex eſt motus. 120.1
Luminaria quomodo ſint in ſigna tēpora, dies, & Annos. 118.& inde
Luminaria propter quid facta ſunt. 118.1
Luminaria, cur poſita ſint in firmamento cœli. 113.1
Luminaria, quare poſt plātas cōdita ſint. 112.1
Luminaria quæ quarto die producta dicuntur, quæ ſint. 107.1
Luminaria ex qua materia condita ſint. 108.1
Lumē eſt effectus lucis in corpore Diafanō. 34.1
Lumine naturę cognoſci poteſt Deum non eſſe mendacem, nec inuidum. 479.4
Lux prima die creata, quid ſit. 30.2
Lux non eſt forma ſubſtantialis. 33.2
Lux primo die condita, cuius corporis fuit forma. 34.2
Lux primo die condita, quomodò diem, & noctē diſtincto faciebat. 61.2
Lux prima die creata in quo loco condita fuit. 62.1

M

Maria Virgo cum Diabolo omnes inimicitias habuit. 559.2
Maria Virgo, an fieri potuit melior. 249.1
Maria Virgo, quia eſt Mater Dei, habet dignitatem quandam infinitam. 249.2
Maria virgo tres ꝓcipuas hēt conditiones 249.2
Manichæorum ſententia de eſſentia lucis 33.1
Mare an ſit altius terra 81.1
Materia an creata fuerit in formis. 10.2
Materiam eſſe vnam omnium corporum tribus modis intelligi poteſt. 15.1
Materia quæ addita fuit coſtę Adę, an fuerit creata de nouo. 435.1
Materia quomodo addita fuit coſtę viri ad formandum corpus Mulieris. 435.2
Mala pronunciata in ſententia viri, cur extendantur ad mulierem, & non è contra. 606.2
Maledictio ſerpentis, & ad ipſum ſerpentem, & ad Dæmonem referri poteſt. 550.1
Maledictio Viri quō extēdat ad fœminā. 605.2
Malorum duo ſunt genera. 582.1
Modi producendi hominem ſunt quatuor. 436.2
Matrimonium à Deo inſtitutum fuit. 445.1
Mors quam Deus minatus eſt Adę, an fuerit tantum animæ. 393.2
Mors quatruplex eſt. 393.2
Mors non eſt in ſe bonum. 586.1
Mors Adamo peccante introducta eſt in peccati pœna. 587.1
Mors abſolute conſiderata non eſt pœna culpę. 587.2
Mors duplicem habet reſpectum. 588.1
Mons Caluarię vnde nomen accipit. 337.1
Moſes, cur refert animalia fuiſſe adducta ad Adam. 404.2
Moſes, cur dixit, quod Deus creauit Cetę grandia. 145.1.2
Moſes quid intellexit per reptile. 138.1
Moſes triplex Dei opus deſcribit. 106.2
Moſes cur mineralium non meminerit. 94.1
Moſes quid intellexit per firmamentum. 66.2
Moſes, cur non dixit factum eſt Veſpere, & mane dies primus, ſed vnus. 66.1
Moſes quid intelligat per ſpiritum, cum dicit ſpiritus. Domini ferebatur &c. 24.2.25.1.2.& deinceps.
Moſes quid intellexit per Abiſum, & tenebras. 22.1.2.23.1.2.
Moſes per Cœlum, & Terram docet ea, quæ à Deo in principio per creationem præſe ſumptam, creata fuerunt. 5.2.
Moſes, cur non memorat animę Euę creationem. 437.3
Motiuum in omnibus tentationibus Adæ et Euæ fuit appetitus excellentię. 474.3
Motus luminarium eſt duplex. 120.1
Motus duplex eſt in Cœlo. 32.1
Motus venereorum in Adam, & Eua partim fuit naturalis, & partim ſuper naturalis. 814.1
Mulierem neceſſe erat fieri, partim ſimilem, & partim viro diſſimilem. 396.2
Mulier non eſt à Deo producta per ſe, & primaria intentione. 399.2
Mulier propter quid facta eſt in hominis adiutorium. 400.1
Mulier partim fuit homini neceſſaria, partim non neceſſaria. 400.1
Mulier, cur dicatū adiutoriū ſimile viro. 400.2.
Mulieris dignitas ſuper cętera animalia ex tribus poteſt attendi. 401.1
Mulier à quo fuit formata. 432.1

Mu-

Digitized by Google

Mulier, an re vera ex Viro producta ſit. 433.2
Mulieri quomodo potuit formari de coſta. 433.4
Mulier, an ſit creata ad ſeruitū dum viro. 437.4
Mulier, an ſit cōdita in hoīs adiutorium. 438.1
Mulier, an condita ſit ꝑꝑ genus humanū. 439.4
Mulier non eſt viro dignior. 439.4
Mulier quadruplici ratione infirmior viro condita eſt. 440.2
Mulier in Hebree appellatur, Hiſſa, & Vir His 443.2
Mulier cur ſerpenti reſpondit. 476.4
Mulier, & ſerpens veras habent inimicitias. 454.1.
Mulieriſq́ pęna ſit, prolis multiplicatio. 563.2
Mulieri naturale eſt cum dolore parere. 565.2
Mulieres in ſtatu innocentię peperiſſent ſine dolore. 566.1
Mulier in ſtatu innocentię non erat omnino viro ęqualis. 566.2
Mulier an ſit facta ad imaginem Dei. 202.1
Mulier in ſtatu innocentię, an ammiteret virginitatem. 218.2
Mulier in ſtatu innocentia per coitum amiſiſſet virginitatem. 219.2
Mundus an perfectiori modo habeat Dei imaginem quam homo. 189.1
Mundus non fuit conditus per ſpacium ſex dierum naturaliū iuxta Phylonis placitū. 57.5
Mundus quo Anni tempore fuit conditus. 98.1
Mundus creatus fuit die Dominico. 104.2
Mundus à quo tempore incepit. 104.2
Mundus quam bonitatem habeat. 236.2
Mundi principales partes, ſunt quatuor. 237.2
Mundus, an potuerit fieri melior. 238.1
Mundus ſe habet ad modum exercitus. 238.2
Mundus potuit fieri melior, quam ſit factus quatuor modis. 239.1
Mundus non potuit fieri melior, quinque modis. 239.1
Mundus an potuit fieri melior, quo ad proprietates partium integralium 239.2

N

Natura eſt duplex, uniuerſalis, & particularis 223.2
Natura bifariam ſumitur. 599.2
Naturale dicitur quatuor modis. 457.2
Nocumentum, eſt duplex. 466.1
Nomen ſcientię boni, & mali; a quo arbori fuit impoſitum. 362.2
Nomen principij quō accipiatur à Moſe. 2.1
Nomine Terrę duo intelligi poſſunt. 12.1
Nomina, quę animalibus impoſuit Adam, quo modo manſerunt poſt diluuium. 409.2
Notitia quam habuit Adam de eſſentia Diuina per ſpeciem intelligibilem, fuit quidditatiua. 417.2
Nudum quid ſignificet. 445.4
Nudus dicitur aliquis, dupliciter. 445.4
Nuditas dupliciter accipitur. 446.1
Nuditas primorum Parentum deſcribitur, velut quoddam arduum. 446.3
Nudum, eſſe ſicut erubeſcere, eſt peccati pœna. 447.3
Nudum eſſe, & erubeſcere, ſe conſequuntur. 447.3
Numerus ſenarius eſt numerus perfectus. 250.2
Numerus ſenarius ſignificat totum tempus nobis pręſtitum ad operandum. 251.1

O

Oculi Euę cur ſtatim poſt peccatum non ſunt aperti. 811.1
Onychinus quid ſit. 369.1
Opinio Diui Auguſtini de ſex diebus creationis 58.1
Opinio D. Thomę de quantitate aquę. 83.2
Opinio D. Chriſoſtomi de numero Cælorum explicatur. 115.2
Opinio multiplex, de cælorum numero. 115.2
Opinio triplex de productionis materia auium. 139.1
Opinio quadruplex, ad quid referatur imago. 175.1
Opinio quadruplex de appellatione Arboris ſcientię boni & mali. 361.1
Opinio Burgenſis de formatione mulieris. 431.1
Opinio aſſerens iuſtitiam originalem, non fuiſſe ſuper naturale donum. 456.3
Opinio Durandi de ſubiecto Iuſtitię originalis. 456.2
Opinio Henrici de iuſtitia originali refellitur. 457.1
Opinio Molina de unitate habitus iuſtitię originalis. 458.2
Opinio Pererij de unitate habitus iuſtitię originalis. 258.2
Opinio D. Thomę de ſubiecto iuſtitię originalis. 459.3
Opinio Soti de Identitate iuſtitię originalis, & gratię. 459.4
Opinio Caiet. de ſerpēte, qui tētauit Euā 463.4
Opinio Cirilli de ſerpente, qui tentauit euam. 464.1
Opinio Ioſephi de ſerpēte qui tētauit euā 464.2
Opinio D. Ephrem de ſerpente, qui tentauit Euam. 464.3
Opus ornatus, quomodo differat ab opere diſtinctionis. 106.1
Opus triplex Dei deſcribit Moſes. 106.2
Opus conſeruationis quomodo incepit à ſeptimo die. 253.2
Optimum tripliciter dicitur. 241.2
Ordo qualis ſit inter actus voluntatis. 506.1

Digitized by Google

Ordo rerum in creatione. 162.1
Ordo in deſtruenda iuſtitia originali qualis fuerit. 496.2
Ordo ſecundum quem creatura conformatur, eſt triplex. 188.1
Ordo inter actus voluntatis quo ad malitiam, et bonitatem. 506.2.
Oriens & Occidens biſariã ſumi poſſunt. 338.1
Ordine quo Eua ad peccandum proceſſit, etiam homo ad peccandum procedit. 485.2
Ornatus eſt triplex. 106.2
Os mulieris, an factum fuerit ex oſſe viri. & caro ex carne, & ex quo Cartilagines. & nerui. 435.4
In Operibus Dei conſideratur triplex eſſe. 77.1

P

Paradiſus Terreſtris, an adhuc exiſtat. 344.1
Paradiſus quare ignoratur. 446.1
paradiſus Terreſtris quid ſit. 330.1
paradiſus quid ſit, quantum ad quid nominis. 330.1
paradiſus quid ſit quantum ad quid rei. 330.2
Paradiſus an ſit ſẽſibilis, vel intelligibilis. 331.1
paradiſi qualitates quę nam ſint. 333.1
paradiſus quantę ſit magnitudinis. 334.2
paradiſi altitudo quanta ſit. 335.2
paradiſus quomodo ante peccatum cuſtodia indigebat. 381.1
paradiſus in qua Mundi parte exiſtat. 337.1
paradiſus, cur ſit à Deo plantatus. 342.2
paradiſus, cur ſit à Deo plantatus. 342.2
paradiſum cur Deus condidit, à quo homo erat ſtatim eiiciendus. 345.2
Panes fuerunt multiplicati à Domino, per additionem materię. 434.4
Partes Vniuerſi ſunt duplices. 240.1
Partes permanentes Vniuerſi, abſolute poſſunt fieri meliores. 240.2
Paſſiones appetitus ſenſitiui, vt timor, gaudium ſpes, deſiderium &c. fuiſſent in ſtatu innocentię. 464.2
Paſſiones iraſcibilis ſunt quinque. 493.1
Partes Vniuerſi tranſeuntes, vt in pluribus meliorari poſſunt. 241.1
Paſſio dupliciter accipi poteſt. 593.2
In Paradiſo, an fuerint animalia irrationalia. 347.1
Pelles quibus Deus primos parentes induit fuerunt verę pelles. 61[illegible].1
Pelles quibus Deus Adam veſtiuit ex qua materia factę fuerunt. 612.1
Phyſon quid ſit. 368.4
Phyſon à Gręcis, et latinis vocatũ Gãgẽs 365.1
Phyſon quis nam ſit fluuius ex nobis cognitis. 366.1
phyſon vnde oritur. 366.2
Phyſon quas regiones perluat. 367.2
phyſon quę notabilia contineat. 368.1
Phyſon ortus deſcribitur. 374.1
phanatici qui dicantur. 472.2
Peccatũ alio grauius iudicatũ trib. modis 806.1
Peccatum Adę fuit grauius peccato Euę, & è conuerſo. 806.2
Peccatũ Eua duob. modis conſiderari põt. 811.2
Peccatũ originale tripliciter accipi poteſt. 814.2
De peccato originali tria ſentire uidetur D. Chriſoſt. 820.1
Peccatum originale ad quatuor comparari poteſt. 821.2
Peccatum originale quid ſit quo ad quid nominis. 822.1
Peccatum originalem quid ſit quo ad quid rei. 823.2
Peccatum originale vt contrahatur quid requiritur. 828.1
peccatum originale ex propagatione contrahitur. 828.1
peccatum originale contrahit anima mediante carne ab Adã ſeminaliter propagata. 828.2
peccatum originale contractum eſt per primorũ parentum inobedientiam 828.2
peccatũ originale eſt vnũ ſpecie in omnib. 830.1
Peccatum originale in vnoquoque indiuiduo eſt vnum ſimpliciter. 830.1
peccatum originale non infligitur à Deo animã creante. 830.2
peccatũ originale nõ infligitur a parẽtib. 830.2
peccatum originale infligitur cauſaliter à lege diuina. 831.1
peccatum originale contrahitur in primo inſtanti animationis. 831.1
Peccatum originale ſex pœnalitates conſequuntur. 831.2
Peccatum mortale & veniale quomodo diſtinguntur. 450.3
Peccatum mortale quid ſit. 450.3
Peccatum mortale nõ ſtat cum iuſtitia originali. 460.4
Peccatum veniale eſt duplex. 450.3
Peccatum veniale quid ſit. 450.3
Peccatũ veniale duob. modis cõmittitur. 451.1
Peccatum ex certa ſcientia, & electione poteſt eſſe veniale. 452.2
Peccatum primum Luciferi, nõ fuit tentare primos Parentes. 464.4
Peccatum poteſt ſumi dupliciter. 468.1
Peccatum poteſt dici commiſſum ex ignorantia tripliciter 500.2
Peccati grauitas multis ex rebus exiſtimari poteſt. 508.1
Peccare p ignorantiã dupliciter cõtingit. 500.2
Pluuia vt introducta in pœnã poſt peccatũ 275.2
Piſces die quinta actu producti ſunt. 143.2

Piſces

Piſces an fuerint adducti ad Adam. 403.1
piſces quare nõ fuerũt adducti ad Adã. 403.2
pœna oẽs duplicẽ hẽnt habitudinẽ ad motẽ. 394.2
plus eſt ſub viri poteſtate eſſe q̃ ei ſubici. 572.1
primũ mobile qua rõne Criſtallinũ appella 73.2
primus egreſſus à retitudine fuit mortalijs. 450.1
primi parentes an in ſtatu innocentię tenerentur comedere. 383.2
primi parentes fuerunt quodammodo fortiones quam nos, quod admodo minus fortes ad reſiſtẽdum tentationi. 469.2
primum hominis peccatũ eſt communiter in amore voluntatis inordinato. 506.2
præceptum do non comedendo an datum fuerit ſoli Adę. 384.2 præceptum de non comedendo an facile fuerit uel difficile. 386.2
præceptũ Adæ impoſitum, an comprehenderet poſteros ſuos. 388.2
Præceptum Adæ impoſitũ, an extenderetur ad poſteros. 389.2
præceptũ Adæ impoſitũ, an mõ cõprehẽdat ſuos poſteros. 390.2 paraſinus quia ſit. 369.2
poſſibile dicitur tribus modis. 328.2
principatus politicus, & deſpoticus maxime diſtant. 572.2
principatus paternus mediat inter politicum, et deſpoticum. 572.2
principatus politici eſt minima poteſtas, & maxima libertas. 572.2
principatus politicus eſt minimus. 572.2
principatus deſpoticus maxime habet de principatu. 572.2
principatus paternus, & œconomicus habent magnus de ratione principatus, quam politicus, & minus quam deſpoticus. 573.1
principatus paternus, accedit magis ad deſpotitũ, œconomic⁹ vero magis ad politicum. 573.2
principia anni eſſe duo indicat ſcriptura. 101.1
profectus ſciẽ triplici via cõſiderari põt. 411.2
productio corporis Adæ de limo terræ an pertineat ad vniuerſi perfectionem. 284.2
proceſſio, quæ eſt in creatura eſt per quandam Antheſim ad proceſſionẽ q̃ eſt in creatore.
plãtæ in ſuo eſſe pfecte tertia die pducta sũt. 97.2
planetæ mouentur ad motum ſui orbis. 115.1
perfectio rerum differt ab earum ornatu. 106.2
Perfectio vniuerſi eſt duplex. 258.1
potentia materiæ ſiue ſubiecti tranſmutationis eſt duplex. 284.1

Q

Qualitates elementares non erant in corpore Adæ in punctali æqualitate æquiparãtia. 601.1
Quatuor ſunt in nobis ſtatus viuendi penes quos quatuor ætates ſumuntur. 596.1
Quid importetur per hoc quod dicitur, & ædificauit Dominus &c. 430.1
Quis fluuius fuit ille, qui irrigabat Paradiſum. 364.1
Quomodo intelligitur de omni arbore paradiſi veſcimur. 477.1

R

Raptus quid ſit. 422.2
Raptus quomodo fieri poteſt. 424.1
Reductio præcepti ad memoriam in nobis non inclinat ad peccatũ, ſecus in primis parẽtib. 475.3
Rectitudo eſt duplex 450.2. 450.3
Rectitudo actualis quid ſit. 450.4
Reptile quid ſignificet in ſcriptura 138.1
Reptile non diſtingitur contra volatile 138.1
Reptile dicitur quatuor modis. 138.1
Requieuit Deus die ſeptimo &c. mirabilis Ruberti Abbatis expoſitio. 260.1.2

S

Salomõ quomodo excelluit ſapientia omnes. 413.1
Sabbatum eſt duplex. 265.2
Scriptura ſacra, cur liber Generationis Cæli, & terræ appelletur. 270.1
Scriptura ſacra quando vtitur anticipatione, & recapitulatione. 232.1
Scriptura ſacra quæ cognoſcibilia dicit aperire oculos. 810.2
In ſcriptura duæ particulę interdum ſubaudiuntur. 139.2
Serpens qui tentauit Euam fuit verus, & naturalis ſerpens. 464.2
Serpens quomodo erat præſens quando Deus pœnas dedit Adamo, & Euæ. 549.2
Serpens eſt animal, & beſtia. 551.2
Serpentis pena gradi ſuper pectus ſuũ q̃ fuit. 552.1
Serpẽs habuit venenũ anteq̃ tentaret Euã. 555.1
Serpentis multæ ſunt aſtutiæ. 465.4
Serpens qui tentauit Euã nõ habebat pedes. 471.3
Serpens qui tentauit Euam ſecundum Bedam habebat virgineam faciem. 472.1
Serpens qui tentauit Euam ſecundum Engub. fuit Baſiliſcus. 472.1
Serpens qui tentauit Euam ſecundum Pererium fuit ſeps tales 472.1
Serpens a principio loquebatur naturaliter ſecundum Ioſephum. 473.4
ſerpens ex Dei prouidentia & Demonis aſtutia primum tentauit Euam, quam Adam. 473.3
ſerpentis locutio cõtinet quinque falſa, abſurda & incredibilia. 479.1
Similitudo, an addat aliquid ad imaginem. 198.2
Signi vſus eſt duplex. 119.2
Sydera cũ an ſint in tẽpora dies, & annos. 122.1
Somnus, an ſit extaſis. 422.2
Sopor Adami, an fuerit extaſis, vel ſomnus. 424.1
Sol, et cetera Aſtra ante primũ die cõdita sũt. 36.2
Sol quomodo ſit luminare magnum. 125.1
Sol quantę ſit magnitudinis. 125.1
Sol an ſit fons omnis luminis. 127.1

Sol quomodo ſit in inchoationem diei. 129.2
Status innocentię ſumitur dupliciter. 450.3
Status naturæ humanæ ſunt tres. 294.1
Status naturæ humanę ſunt ſex. 455.3
Status primus, & ſecundus hominis differũt. 455.3
Status hominis primus, & tertius maxime diffe-runt. 455.4
Status tertius hominis differt à quarto. 455.4
Status hoĩs quintus excellentior eſt cæteris. 456.1
Status ſextus hoĩs, oĩm eſt excellentiſſimus. 456.1
Status viuendi quatuor ſunt in nobis, penes quos quatuor ſumuntur ętates. 596.1
In Statu innoctia erãt tria maxime inſig. 456.1
In Statu innocentię in commixtione ſexuum fuiſſet ſeminis deciſio. 215.1
In Statu innocentię in ſeminis emiſſione, an fuiſſet delectationis intenſio. 216.1
In Statu innocentię fuiſſet in fœmina clauſtrorum aperitio, ſed non corruptio. 218.1
In ſtatu innocentię, an mulier amiſiſſet virginitatem. 218.2
In Statu innocentię, an fuiſſet ęqualis multiplicatio virorum, & mulierum. 221.1
In Statu innocẽtię, an fuiſſet licitũ cõtinere. 224.1
In Statu innocentię, an fuiſſet in vſum carnium eſus. 226.2
In Statu innocentię, ẽt qui modo damnãdi sũt nati fuiſſẽt, & tñ oẽs tũc natus fuiſſet electus. 455.3
In ſtatu innocentię nati fuiſſet omnes, qui nati, & naſcituri ſunt, & nullus fuiſſet reprobus. 455.4
Species intelligibilis diſtincte repreſentans Diuinam eſſentiam dari omnino poteſt. 417.1
Species numerorum, & figurarum non procedunt in infinitum. 245.2
Spinæ, & Tribuli erant ante peccatũ Adæ. 584.1
Subiectio, qua mulier poſt peccatum facta eſt ſubdita viro qualis fuerit. 571.1
Subiectio non eſt omnis pœnalis. 570.1
Subiectio eſt, vbi eſt principatus. 567.1
Subiectio non ſenſus ſub imperio rationis, inſinuat ſacra ſcriptura. 456.2
Superbia ſẽm aliquos eſt appetitus eminẽtiæ. 493.1
Superbia eſt ſexta paſſio iraſcibilis. 493.2
Superfluitas alimenti eſt duplex. 216.1
Supernaturale dicitur aliquid bifariam. 457.4
Spiraculum vitæ quid ſignificet. 303.2
Spiraculũ vitæ, cur in Hæbreo dr̃ pluraliter. 315.1
Stellæ quomodo præſunt nocti. 129.1

T

Tentatio quinque modis conſiderari poteſt. 466.2
Tentatio triplex eſt. 466.2
Tentatio alia Diabolica, alia humana, & earum differentia. 466.2
Tentatio humana fit tribus modis. 466.3
Tentatio eſt ſeptuplex. 466.3
Tentatio duplex interior, & exterior. 468.2
Tentator, qui tentauit Euam fuit Diabolus. 467.1
Tentationis tres ſunt modi. 475.2
Tentatio, qua Dæmon tẽtauit Euã vna fuit. 474.2
Tentatio, qua Dæmon tentauit Euam fuit aliquo modo multiplex. 474.3
Tentatio qua Dæmõ tẽtauit Euã, q̃ nã fuit. 474.3
Tentatio prima Euæ non fuit de gula. 474.4
Terra quomodo fuit inanis & vacua. 19.1.2
Terra à principio creata fuit ſine montibus, & vallibus. 84.1
Terra, an effectiue, vel materialiter tãtum herbas, & plantas produxerit. 92.2
Terra, cur prius ſit ornata, quã firmamentũ. 93.2
Terræ ornatus, nõ pertinet ad ſpecialẽ diem. 93.2
Terra, an tertio die produxit ſpinas, & tribulos, & in fructnoſas Arbores. 94.2
Terræ maledictio quid importet. 580.1
Terræ maledictio non fuit deterioratio. 581.1
Tenebræ, cur nõ dicãtur factæ ſicut diſtinctæ. 55.2
Tygris, cur ita ſit appellatus. 371.2
Tygris vnde ortum habeat 372.1
Tygris quas regiones perluat. 372.1
Tygris vnde oriatur. 375.1
Traductio duo requirit. 437.4
Tria ſunt, quæ homines ad leges ſeruandas, mouere ſolent. 391.1
Tria ſunt genera rerum, quæ homines ad vitam cõſequendam impediunt. 626.2
Triplex cœlorum genus ſcriptura conſtituit. 7.1
Triplex opus Dei deſcribit moſes. 106.2
D. Thomæ dictum de immaculata Virginis conceptione. 250.2

V

Velle voluntatis eſt duplex. 506.1
Verecundia quid ſit. 536.2
Verbum hoc vocauit nominis ęquiuocationẽ ſignificat. 89.2
Verba illa ſerpens erat callidior &c. de vero ſerpẽte intelligenda ſunt. 465.3
Vir ſecundum naturam, eſt dignior muliere. 506.2
Viator poteſt in gratia confirmari, confirmatione imperfecta. 454.2
Virago quid proprie ſignificet. 443.3
Virago non eſt nomen proprium, ſed cõmune. 443.3
Virago eſt nomen ſexus. 443.3
Virago fœmina, & mulier differunt. 443.3
Virginitatis perfectio duo expoſcit. 219.1
Virentia omnia tertia die fuerunt producta. 96.1
Virtutis concupiſcibilis ſex ſunt paſſiones. 467.2
Virum diligere mulierem conueniens fuit propter multa. 405.2
Vniuerſi perfectio eſt duplex. 258.1
Volatilia oĩa, cur ſub aquis viuere nõ poſſint. 143.1
Voluntas in ſtatu innocentiæ non condelectabatur appetitui ſenſitiuo. 463.4
Vxor non eſt in communicatione deſpotica. 574.1

F I N I S

Digitized by Google

COMMENTARIA SCHOLASTICA, R. P. FRATRIS FRANCISCI ARETINI ORDINIS MIN. DE OBS. IN TRIA PRIORA CAPITA Libri Geneſeos.

Caput Primum.

In principio creauit Deus Cęlum, & Terram.

EXIMII illius Prophetæ Moſis de vtriuſq; & magni, & parui mundi fabrica enarratio, ſic incipit. In principio creauit Deus cęlũ, & terram. appellatnrq; liber iſte Geneſis à cœli, & terræ generationibus, imo à generatione illius diei, quo iſtæ generationes creatæ ſunt, antequam fierent, ſicut in hoc libro ſcriptum eſt; Iſtæ ſunt generationes cęli, & terræ, quando creatæ ſunt, in die, quo fecit Deus cœlum, & terram, & omne virgultum agri &c. Quis autem eſt dies iſte, in quo omnia creata ſunt antequam orirentur, niſi ipſe, quem annunciamus diem, ex die? Diem (inquam) ex die, ideſt verbum ex patre, in quo (ſicut ait Ioan.) vita erat quod factum eſt antequam fieret. In hoc ergo die, qui etiam principium appellatur creauit Deus cœlum, & terram.

Liber Geneſis vnde dictus ſit.

Cum enim omnium principium ſit dominus noſter, & Saluator omniũ Ieſus Chriſtus Primogenitus omnis creaturæ; ideo in hoc principio, ideſt, in verbo ſuo, Deus cœlum, & terram fecit, iuxta Ioan. cap. 1. In principio erat verbum, &c. omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Non ergo hoc, temporale aliquod principium dicit, ſed in principio, ideſt in Saluatore factum eſſe dicit omnia, cœlum, & terram, & omnia, quæ facta ſunt. Cæterum hæc expoſitio, magis allegorica eſt quam litteralis, quapropter iuxta litteralem ſenſum mundi inceptionem his verbis ſignificat diuinus Vates. Vnde,

Orig. hom. 1. in Gen. de mũdi ortu, & eorũ quæ in mundo ſunt.

D. Aug. li. 1. de Gen. contra Maniche os, & Rup. li. 1. de operibus Trinit. cap. 3

Phylo de opificio mũdi in princ.

qui mundum factum negāt: non animaduertunt ſe toilere, quod eſt in vita vtiliſſimum,& ad pietatem ſummè neceſſarium, nempe prouidentiam; nam opificium non negligi ab Opifice ſuo, Parentéq; docet ratio: etenim Pater hoc agit, vt permaneat ſua progenies, Conditorũ itẽ diuturnitati à ſe conditor, conſulit; arcẽ quicquid noxam, damnumuè illaturum videtur, contra quicquid vtile, commodumq; modis omnibus proſpiciens.

Phylo vbi ſupra,& D. Augu. de Gen. contra Manicheos lib. 1. cap. 2.

Nomẽ principij. quomodo accipiatur a Moſe.

Accipit autem Moſes nomen Principij, non eſt quidam putant iuxta ſignificationem temporis. Tẽpus enim ante mundum non erat, ſed aut vnà factum eſt, aut poſt eum. Cum enim tempus ſit ſpatium motus cœli fieri non poteſt, vt motus rem motam præceſſerit; ſed neceſſe eſt hunc, aut poſt, aut ſimul exiſtere. Neceſſarium igitur colligitur tempus, aut æquum eſſe mundo, aut recentius; affirmare autem illud eſſe antiquius re vera alienum eſt à Phyloſophia. Cum igitur Principium non accipiatur iuxta temporis ſignificationem, conueniẽs fuit id ſignificari iuxta numerum, vt ſit ſenſus. In principio creauit Deus, &c. hoc eſt primum fecit cœlũ,& terram; Nam conſentaneum rationi eſt, primum in generatione illud prouenisſe, cum ex his, quæ facta ſunt, ſit præſtantiſſimum, & è puriſſima conſtet eſſentia. Vel.

Pererius in Gen.

In principio, hoc eſt ante alia omnia, quemadmodum cum ædificaturus domum, in Principio, & ante omnia bonum ſupponit fundamentum, ita Deus in fabricando mundo, in principio, & ante alia condidit cœlum, & terram, velut duas principes mundi partes, quæ cæteras ordine naturæ neceſſario antecedunt; Vel in principio hoc eſt ante omnem diem; ita quod nullus dies, vel hora præceſſerit creationem cœli, & terræ; & ideo dicitur in Principio, id eſt temporis; quia tunc tempus cum ipſis rebus incæpit.

Senſus itaq; eſt non quod in principio ſiue temporis, ſiue æui creauerit, quaſi præſupponatur principium temporis, aut æui rebus ipſis creatis, ſic accidit in generatione; ſed quod ipſarum rerum creatarum fuit aliquod initium, id eſt, ita creauit, vt inciperent eſſe in aliquo puncto, quod (vt ait B. Baſilius) minus fuit momento; Fuit enim æui initium, quando incepit eſſe æuum, ipſo primo rerũ principio, non dum enim tempus erat. D. Baſilius.

Dei propriũ eſt ẽ nihilo producere.

Creauit. hoc eſt de nihilo produxit, quod requiritur ad creationem. & eſt ipſius Dei proprium de nihilo producere. Hoc verbum Hæbreum Bara, quod latine verſum eſt creauit, propriè ſignificat tantum productionem rei ex nihilo, ad quam ſolam denotandam Scholaſtici Theologi nomen creationis, & verbum creandi, accommodare ſolẽt. Quamuis D. Auguſt. cõtra aduerſarium legis, & Prophetarum dicat creare proprie eſſe ex aliquo; Facere autem ex nihilo, ſed hoc à Scholaſticis non recipitur & certe hoc in loco, neceſſe eſt nos intelligere creationem ex nihilo, cũ ſit hęc productio prima, quæ nullam materiam ſupponit. D. Auguſt.

Creatio multis modis ſumitur.

Vnde obſeru. eſt creationẽ multis modis ſumi. In primis ſumitur latiſſime, pro cuiuſcũq; rei productione, ẽt ſi non de nihilo, ſed de aliquo producatur, quo pacto ſapientia. Verbum æternũ Eccl. 24. de ſe dicit. Ab initio, & ante ſecula creata ſum, id eſt genita, & producta. vt. n. D. Aug. de fide, & ſymbolo c. 4. ait Creare apud Latinos idẽ eſt interdũ, quod generare, ſeu producere. Idẽ ẽt locus ab Auguſtino, & à pleriq; alijs exponitur, de eadẽ Dei ſapientia, nõ qua filius Dei eſt, ſed qua homo eſt, eodẽ modo ſumitur creare illis verbis Hiere. 31. Creauit Dñs nouũ ſuper terram femina circũdabit virũ. Quod de Chriſto Dño in vtero Virginis per myſteriũ Incarnationis intelligitur. Fuit nãq; vir perfectus, quo ad iudiciũ, vſumq; D. Auguſt.

rationis

rationis Virginis vtero circundatus. Secundo ſumitur pro regeneratione per gratiam, ita dicitur de iuſtificatis ad Eph. 2. Ipſius. n. factũ ſumus creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. & c. 4. dicitur. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecũdum Deũ creatus eſt, in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Et Regius Propheta pſal. 50. Cor mũdum (inquit) crea in me Deus, & ad Gal. 5. Neq; circũciſio aliquid valet, neq; præputium, ſed noua creatura.

Tertio modo ſumitur creatio, pro ut idem eſt, quod promotio ad aliquid, in qua ſignificatione, illud creari dicitur, quod ad aliquid promouetur, quo pacto creari quis dicitur in Cardinalem, in Epiſcopum, in Prætorem &c. ita D. Aug. contra Aduerſarium Legis, & Prophetarum. li. 1. c. 23. vbi inquit. Si verba facere, & creare ex cõſuetudine conſideremus locutionis humanæ, & fieri, & creari, non ſolum filij, quos de ſemetipſo quis generat, verum etiam magiſtratus dicuntur, atque vrbes; & in eodẽ loco, diſtinguens inter creare, & facere, inquit id dicitur fieri, qđ ſi non fieret omnino nõ eſſet; creari autem id dicitur, quod ex eo, quod erat aliquid conditur, vel conſtituitur, ſic dicimus creari Magiſtratus. D. Auguſt.

Quarto modo ſumitur creatio, pro conuerſione, ſeu ordinatione, in qua ſignificatione illud creari dicitur, quod in ſe deficit, ſi in bonũ conuertatur, vel ordinetur, quomodo intelligitur locus Iſaiæ. 45. Ego Dñs, & non eſt alter, formans lucẽ, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.

Quinto modo ſumitur creatio pro productione eius, quod tamdem proximè, vel remotè, originem traxit ex nihilo; atque huiuſmodi productio dicitur factio, reſq; producta facta, creaturaq; nuncupatur, & hoc modo ſumitur paſſim in communi vſu loquentium, & in ſcripturis ſacris. Hoc modo de filio Dei dicitur in ſymbolo Athanaſij. Non factus, nec creatus, ſed genitus, & in ſymbolo Miſſæ, Genitum, non factum; negaturq; aduerſus Arrium Filium Dei eſſe creaturam; & ſumpta creatione hoc modo, tota latitudo entis realis diuiditur in increatum, & creatum, in Creatorẽ, & creaturã; & omne ens reale, aliud à Deo creatum, & creatura dicitur. In qua ſignificatione D. Paulus. 1. ad Thimot. 4. dicit à Deo creatos cibos, & D. Aug. ſuper Ioan. affirmat ſegetes creati. D. Athanaſ. in Symbolo

Poſtremo ſumitur creatio, præſſe, ac propriſſimè, pro productione ſeu factione rei non de aliquo ſubiecto, quod vel intrinſecũ illi ſit, vel à quo pendeat in ſuo eſſe, & hoc modo ſumitur in propoſito, quæ à Doc. ſub. in 2. d. 1. q. 2. art. 1. ſic definitur. Creare eſt aliquid de nihilo producere in effectu; quam explicans, ar. 2. Sub. lit. c. §. Quantum ad iſtum articulum, inquit. Creationem eſſe productionem alicuius de nihilo, hoc eſt non de aliquo ſecundum eſſe exiſtentiæ, ac proinde non de aliquo ſecundum eſſe eſſentiæ, quia vt probatum eſt (ait) d. 36. primi libri, nunquam eſſe eſſentiæ ſeparatur ab eſſe exiſtentiæ. Addit tamen Sco. ibi; Nullam rem creari de nihilo, hoc eſt de nullo modo ente, nec ſimpliciter, nec ſecundum quid: quia omnia quæ creantur prius habebant eſſe intelligibile, & eſſe volitũ, & in eſſe intellecto fuit poſſibile formaliter, & tunc, ſcilicet habens eſſe poſſibile, fuit quaſi in potentia propinqua, vt poſſet eſſe obiectum omnipotentiæ, & poni ineſſe ſimpliciter. cotus. Creatio pſſe ſumpta, quid ſit.

Deus. Hæbraicè eſt Elohim in numero plurali, quæ vox in ſcriptura non modo tribuitur Deo, ſed etiam Angelis, Iudicibus, & Principibus. Sed cur cum vox Elohim ſit numeri pluralis, Moſes iunxit cum Bara numeri ſingularis, ac non potius dixit Peretjaus ubi ſupra.

Phylo de opificio mũdi in princ.

qui mundum factum negat: non animaduertunt ſe tollere, quod eſt in vita vtiliſſimum, & ad pietatem ſummè neceſſarium, nempe prouidentiam; nam opificium non negligi ab Opifice ſuo, Parenteq; docet ratio: etenim Pater hoc agit, vt permaneat ſua progenies, Conditorũ itẽ diuturnitati à ſe conditor, conſulit; arcẽ quicquid noxam, damnumuè illaturum videtur, contra quicquid vtile, commodumq; modis omnibus proſpiciens.

Phylo vbi ſupra, & D. Augu. de Gen. contra Manicheos lib. 1. cap. 2.

Nomẽ principij quomodo accipiatur a Moſe.

Accipit autem Moſes nomen Principij, non eſt quidam putant iuxta ſignificationem temporis. Tẽpus enim ante mundum non erat, ſed aut vnà factum eſt, aut poſt eum. Cum enim tempus ſit ſpatium motus cœli fieri non poteſt, vt motus rem motam præceſſerit; ſed neceſſe eſt hunc, aut poſt, aut ſimul exiſtere. Neceſſarium igitur colligitur tempus, aut æquum eſſe mundo, aut recentius; affirmare autem illud eſſe antiquius re vera alienum eſt à Phyloſophia. Cum igitur Principium non accipiatur iuxta temporis ſignificationem, conueniẽs fuit id ſignificari iuxta numerum, vt ſit ſenſus. In principio creauit Deus, &c. hoc eſt primum fecit cœlũ, & terram; Nam conſentaneum rationi eſt, primum in generatione illud proueniſſe, cum ex his, quæ facta ſunt, ſit præſtantiſſimum, & è puriſſima conſtet eſſentia. Vel.

Benatius in Gen.

In principio, hoc eſt ante alia omnia, quemadmodum cum ædificaturus domum, in Principio, & ante omnia bonum ſupponit fundamentum, ita Deus in fabricando mundo, in principio, & ante alia condidit cœlum, & terram, velut duas principes mundi partes. quæ cæteras ordine naturæ neceſſario antecedunt; Vel in principio hoc eſt ante omnem diem; ita quod nullus dies, vel hora præceſſerit creationem cœli, & terræ; & ideo dicitur in Principio, id eſt temporis; quia tunc tempus cum ipſis rebus incæpit.

D. Baſilius.

Senſus itaq; eſt non quod in principio ſiue temporis, ſiue æui creauerit, quaſi præſupponatur principium temporis, aut æui rebus ipſis creatis, ſic accidit in generatione; ſed quod ipſarum rerum creatarum fuit aliquod initium, id eſt, ita creauit, vt inciperent eſſe in aliquo puncto, quod (vt ait B. Baſilius) minus fuit momento; Fuit enim æui initium, quando incepit eſſe æuum, ipſo primo rerũ principio, non dum enim tempus erat.

Dei propriũ eſt ẽ nihilo producere.

D. Auguſt.

Creauit. hoc eſt de nihilo produxit, quod requiritur ad creationem. & eſt ipſius Dei proprium de nihilo producere. Hoc verbum Hæbreum Bara, quod latine verſum eſt creauit, propriè ſignificat tantum productionem rei ex nihilo, ad quam ſolam denotandam Scholaſtici Theologi nomen creationis, & verbum creandi, accommodare ſolẽt. Quamuis D. Auguſt. cõtra aduerſarium legis, & Prophetarum dicat creare proprie eſſe ex aliquo; Facere autem ex nihilo, ſed hoc à Scholaſticis non recipitur & certe hoc in loco, neceſſe eſt nos intelligere creationem ex nihilo, cũ ſit hęc productio prima, quæ nullam materiam ſupponit.

Creatio multis modis ſumitur.

D. Auguſt.

Vnde obſeru. eſt creationẽ multis modis ſumi. In primis ſumitur latiſſime, pro cuiuſcũq; rei productione, ẽt ſi non de nihilo, ſed de aliquo producatur, quo pacto ſapientia. Verbum æternũ Eccl. 24. de ſe dicit. Ab initio, & ante ſecula creata ſum, id eſt genita, & producta. vt. n. D. Aug. de fide, & ſymbolo c. 4. ait Creare apud Latinos idẽ eſt interdũ, quod generare, ſeu producere. Idẽ ẽt locus ab Auguſtino, & à pleriq; alijs exponitur, de eadẽ Dei ſapientia, nõ qua filius Dei eſt, ſed qua homo eſt, eodẽ modo ſumitur creare illis verbis Hiere. 31. Creauit Dñs nouũ ſuper terram fœmina circũdabit virũ. Quod de Chriſto Dño in vtero Virginis per myſteriũ Incarnationis intelligitur. Fuit nãq; vir perfectus, quo ad iudiciũ, vſumq;

rationis

rationis Virginis vtero circundatus. Secundo ſumitur pro regeneratione per gratiam, ita dicitur de iuſtificatis ad Eph. 2. Ipſius.n. factũ ſumus creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. & c.4. dicitur. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecũdum Deũ creatus eſt, in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Et Regius Propheta pſal. 50. Cor mũdum (inquit) crea in me Deus, & ad Gal. 5. Neq; circũciſio aliquid valet, neq; præputium, ſed noua creatura.

Tertio modo ſumitur creatio, pro ut idem eſt, quod promotio ad aliquid, in qua ſignificatione, illud creari dicitur, quod ad aliquid promouetur, quo pacto creari quis dicitur in Cardinalem, in Epiſcopum, in Prætorem &c. ita D. Aug. contra Aduerſarium Legis, & Prophetarum. li. 1. c.23. vbi inquit. Si verba facere, & creare ex cõſuetudine conſideremus locutionis humanæ, & fieri, & creari, non ſolum filij, quos de ſemetipſo quis generat, verum etiam magiſtratus dicuntur, atque vrbes; & in eodẽ loco, diſtinguens inter creare, & facere, inquit id dicitur fieri, qđ ſi non fieret omnino nõ eſſet; creari autem id dicitur, quod ex eo, quod erat aliquid conditur, vel conſtituitur, ſic dicimus creari Magiſtratus. D. Auguſt.

Quarto modo ſumitur creatio, pro conuerſione, ſeu ordinatione, in qua ſignificatione illud creari dicitur, quod in ſe deficit, ſi in bonũ conuertatur, vel ordinetur, quomodo intelligitur locus Iſaiæ. 45. Ego Dñs, & non eſt alter, formans lucẽ, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.

Quinto modo ſumitur creatio pro productione eius, quod tamdem proximè, vel remotè, originem traxit ex nihilo; atque huiuſmodi productio dicitur factio, resq; producta facta, creaturaq; nuncupatur, & hoc modo ſumitur paſſim in communi vſu loquentium, & in ſcripturis ſacris. Hoc modo de filio Dei dicitur in ſymbolo Athanaſij. Non factus, nec creatus, ſed genitus, & in ſymbolo Miſſæ, Genitum, non factum; negaturq; aduerſus Arrium Filium Dei eſſe creaturam; & ſumpta creatione hoc modo, tota latitudo entis realis diuiditur in increatum, & creatum, in Creatorẽ, & creaturã; & omne ens reale, aliud à Deo creatum, & creatura dicitur. In qua ſignificatione D. Paulus. 1. ad Thimot. 4. dicit à Deo creatos cibos, & D. Aug. ſuper Ioan. affirmat ſegetes creari. D. Athanas. C in Symbolo

Poſtremo ſumitur creatio, præſſe, ac proprijſſimè, pro productione ſeu factione rei non de aliquo ſubiecto, quod vel intrinſecũ illi ſit, vel à quo pendeat in ſuo eſſe, & hoc modo ſumitur in propoſito, quæ à Doc. ſub. in 2. d. 1. q. 2. art. 1. ſic definitur. Creare eſt aliquid de nihilo producere in effectu; quam explicans, ar. 2. Sub. lit. c. §. Quantum ad iſtum articulum, inquit. Creationem eſſe productionem alicuius de nihilo, hoc eſt non de aliquo ſecundum eſſe exiſtentiæ, ac proinde non de aliquo ſecundum eſſe eſſentiæ, quia vt probatum e.t (ait) d. 36. primi libri, nunquam eſſe eſſentiæ ſeparatur ab eſſe exiſtentiæ. Addit tamen Sco. ibi; Nullam rem creari de nihilo, hoc eſt de nullo modo ente, nec ſimpliciter, nec ſecundum quid: quia omnia quæ creantur prius habebant eſſe intelligibile, & eſſe volitũ, & in eſſe intellecto fuit poſſibile formaliter, & tunc, ſcilicet habens eſſe poſſibile, fuit quaſi in potentia propinqua, vt poſſet eſſe obiectum omnipotentiæ, & poni in eſſe ſimpliciter. cotus. Creatio præſe ſumpta, quid ſit.

Deus. Hæbraicè eſt Elohim in numero plurali, quæ vox in ſcriptura non modo tribuitur Deo, ſed etiam Angelis, Iudicibus, & Principibus. Sed cur cum vox Elohim ſit numeri pluralis, Moſes iunxit cum Bara numeri ſingularis, ac non potius dixit Pererius ubi ſupra.

Digitized by Google

Eloha Bara? Vt oſtenderet in ipſo ſcripturæ exordio ſemina, quæ iam Chriſtianæ doctrinæ, quam de myſterio Sanctæ Trinitatis habemus: nam que per nomen plurale Elohim multitudinem diuinarum perſonarum, per verbum Bara numeri ſingularis vnitatem diuinę eſſentiæ inſinuauit. Ita ſenſit Magiſter ſent. lib. 2. d. 1. quē Scholaſtici Theologi omnes prorſus ſecuti ſunt, cū quibus conſentit Paulus Burgenſis. Nicol. de Lyra, Petrus Gala. Aug. Eugub. Franciſ. Georgius, Catharinus, & alij quam plurimi.

Magiſt. ſen.

Burgē. Nic. de Lyra. Galat. Eugub. Ioan. Georgi⁹, Cathar. Caietanus.

Quo circa non placet Caiet. commentum; qui neſcio à quibus Iudæorum Rabbinis ſeductus ait nomen Elohim carere ſingulari, quod duabus nititur probare coniecturis; Prima eſt inquit, quod Moſes frequentiſſimè nominans Deum Elohim, inchoando præſertim doctrinam creationis mundi occaſionem maximam dediſſet Iſraelitis examinandi plures Deos: Si enim Elohim habet in Hæbreo ſingulare vtendo Moſes nō ſingulari, ſed plurali, manifeſte ſignificat pluralitatem iudicum, & propterea ex hoc, quod vtitur Plurali nominando Deum, colligitur quod caret ſingulari. Altera eſt (ait) quæ magis vrget, quod expreſſe Moſes manifeſtat ſe vti plurali, pro ſingulari adiūgendo verbum ſingularis numeri creauit; Hæc enim adiectio conuincit, quod pro ſingulari vtitur plurali, quod oportet ſæpe fieri in vſu nominum carentium ſingulari; Dixi vrget: quia non eſt hic locus myſterio Trinitatis. Hæc ille.

Elohim iuxta Caiet. caret ſingulari

Cæterum certum eſt apud Hębraicæ linguæ peritiſſimos Elohim eſſe pluralis numeri; cuius ſingulare eſt Eloha; Quapropter eius prima coniectura, quæ, & ſui debilitate facile corruit, manifeſta inſtantia refellitur. Debilitate inquam ſui corruit: quia non propterea tollitur occaſio plures extimandi Deos, ſi Eloha non ſit eius ſingulare; cum manifeſtè ipſa vox Elohim ſit pluralis numeri, & formæ, & ſignificationis, & Eloha ſingulare, vnde remanet prorſus eadem cauſa ad cogitandum pluralitatem Deorum. Poſſet enim non minus dici. Cur potius elegit Moſes Elohim, quam Eloha, vel el, ſingularis, & etiam dato, quod non veniat Elohim ab Eloha.

Elohim apud Hæbreos non caret ſingulari.

Inſtantia etiam exploditur hæc Caietani coniectura: quoniam Adonai eſt abſque dubitatione pluralis numeri cum affixo pronomine, & habet ſingulare ſuum Adoni vt Peritiſſimi linguæ Sanctæ docent, & tamen frequentiſſimè Deus in libris Moſeos, & aliorū Prophetarum vocatur Adonai; vbi poterat vocari, per ſuum ſingulare Adoni. Cur ergo ſimiliter, non repræhēdantur Prophetæ illi, quod maximam per hoc illis anxam dederint ad cogitandum plures Deos? Futilis eſt ergo hæc Caietani collectio, videlicet Elohim non habet ſuum ſingulare Eloha, quia frequenter ad ſignificandum Deum, Moſes hac voce vtitur, & non Eloha: nam pari ratione Adonai non habebit ſingulare, Adoni; cum etiam frequenter eadem voce vtatur ſcriptura ad ſignificandum ipſummet Deum, quod tamen eſt apertiſſimè falſum.

Neq; vlla fit grammaticæ læſio, vt inſinuare videtur Caiet. ex ſecunda coniectura; cum dicitur Dij creauit: nā quēadmodum licitū eſt dicere, Populus currunt, Turba ruūt, q. a ſub ea voce populus, vel Turba multi cōprehēduntur, ita è cōuerſo rectè, & verè dicitur Dij creauit, vt ſalua pluralitate perſonarū deitatis, & productionis, ſeu creationis vnitas ſignificatur; atque proinde æqualis, imo vna, & eadem omnipotentia, & maieſtas, quo primo verbo impietas Arriana pœnitus exterminetur; quin et per hoc, quod dicitur creauit, omnis aufertur ſuſpicandi Deorū pluralitatem occaſio, & ſimul ſapientibus

via

via ad perſpiciendum Trinitatis myſterium aperitur. Atque adeo valde ſecure loquitur Caietan. cum inquit non eſt hic locus myſterio Trinitatis, cum aliter doceant tot, & tam inſignes viri, & hæbraicis litteris eruditiſſimi; vt fuit Magiſter Nicol. de Lyra, Magiſter Paulus Burgenſis, & alius qui librum egregium, cui hunc titulum præſcripſit. Victoria aduerſus hebræos, & ex recentioribus Auguſtinus Steuchus Epiſcopus Eugubinus, Sanctes Pagninus, Ioannes Reuclinus, & alij plures.

Chriſ. hom. 2. in Geneſ. Aug. li. 2. de Gen. contra Manic. c. 3. & lib. 11. de Ciu. c. 33. & lib. 12. Confeſſ. cap. 17.

Cœlum, & terram nomine cœli, & terræ totum hunc mundum corporeum voluit ſignificare Moſes. Ita vt conſilium Moſis fuit ſtrictim, & ſummatim ponere ante oculos, vniuerſi mundi opificium; deinde per ſex dies ipſum particulatim explicare, quod quoque die à Deo ſit factũ ſigillatim enarrando.

Orige. hom. 1. in Geneſ. Aug. lib. 12. Confeſſ. c. 7. & lib. 1. ſuper Geneſ.

Item nomine cœli intellexit Moſes naturam Angelicam, per terram autem materiam informem omnium corporum; ita vt Deus à principio res duas condiderit, velut duo totius entis creati extrema, alterum ſũmum, & prope Deum, qui eſt Angelus, alterum infimum & prope nihil, quæ eſt materia prima. Origenes inquit. In principio, & ante omnia, cęlum dicitur factũ, idest oĩs ſpiritualis ſubſtantia ſuper quã velut in Trono, & ſede quadam, Deus requieſcit.

Quid p cœlum, & terram Moſes intellexit.

Item tertio per cœlum & terram ſimul, intellexit Moſes materiam primam ex qua conſtant omnia corporea, ſed primo, & principaliter cęlum, & terra, & ob hanc cauſam eorum nominibus eam appellauit.

Aug. lib. 12. confeſſ. c. 17. in fine, & c. 19. & 20. & lib. 1. de Geneſ. contra Manich. c. 7.

Vel quarto per cœlum intellexit corpora cœleſtia omnia in ſuis formis ſubſtantialibus diſtincta; licet adhuc in aliquibus proprietatibus accidentalibus eſſent informia; per terram vero intellexit terram ipſam in ſua forma ſubſtantiali diſtinctã, & aliquibus proprietatibus formã ſubſtantialem neceſſario concomitantibus, licet quantum ad aliqua adhuc eſſet informis.

Nic. de Lyra. & Toſt. vbi ſupra, & Peretius vbi ſupra.

Vel quinto per cęlũ intellexit Moſes cęlũ Empyreũ tñ. multis reb. maxime diuerſũ à cęteris cęlis per terrã aũt materiã primã, vel informẽ oĩno, vt vł ſenſiſſe D. Aug. vel non quidem oĩno informem, ſed habentẽ tantum modo generalẽ quãdã formã corporis, velut corpu entam quãdã maſsã, quæ totũ illud vacuũ, quod eſt intra cœli empyrei ambitum occupabat, & implebat, & ab initio erat quędam corpulenta maſſa rudis, & indigeſtã, ex qua deinceps corpora omnia compoſita, & conformata ſunt.

Beda in Exã. Theod. q. 11 & 14 ſuper Geneſ. Baſil. hom. 3. & 4. i Gẽ. Damaſ. li. 2. de fide c. 4. Ruper. lib. 1 de operibus Trin. cap. 6. & Toſt. vbi ſupra.

Poſſet etiam dici, quod his verbis Moſes docet ea, quæ per creationem præſſe ſumptam creata fuere à Deo in principio. Ni prçter angelos, quos Deus ſimul cum cœlo, & in cœlo Empyreo creauit, ſolum produxit de nihilo, atq; adeo per creationẽ præſſe ſũptã, cœlũ ipſum Empyreũ, terrã, & aquam; ex qua poſtea reliqua corpora ſimplicia eſt fabricatus. Hũc enim mundum, quem Deus in hominũ habitationem cõdidit, produxit primo tamquam domũ quãdã rudem, ac imperfectam, quã perficeret poſtea, ac exornaret. Quo circa à principio, ac de nihilo ſolum produxit cœlũ Empyreum, tamquã illius tectum, & ſedem angulorum, ad quam homines poſtea perduceret, & terram, velut eius ſolum, & fundamẽtum, ſimulq; repleuit aquis interſtitiũ, quod inter cœlũ, & terram interponitur, tum ne vacuum daretur, tum etiam, vt inſeruiret in materiam, ex qua domũ, quo ad partes omnes, ex quibus conſtare debebat, perficeret.

Moſes p cœlum, & terrã docet ea, quæ à Deo in princ. per creationem præſſe ſumptam creata fuerunt.

Has autem ſolas tres corporũ ſpecies produxiſſe Deũ à principio, atq; adeo de nihilo, & per creationem præſſe ſumptam probari poteſt: quoniã hic tantum hæc tria corpora narrantur creata in principio, hoc eſt, ante omnia, ac proinde de nihilo. Sic

enim ſcribit Moſes. In principio creauit Deus cœlum, & terram, ecce mentio fit cœli, & terræ. Porro nomine cœli Strabus, & Beda, & plerique alij cœlum Empyreum, intelligunt, illudque ſolum eſſe intelligendum ſtatim monſtrabimus aperte ex ſcriptura ſacra. Subiungit ſtatim Moſes, Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebrę erant ſuper faciem abyſſi, id eſt aquarum, & ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas, ecce manifeſte docet aquas etiam fuiſſe a principio, ſimulque cum cœlo, & terra fuiſſe productas, atq; adeo de nihilo creatas. Reliqua vero quæ deinde referuntur facta, non à principio; ſed mora temporis inter principium, & productionem ipſorum interiecta prodiiſſe narrantur, Lux enim facta eſt, præcedentibus à principio tenebris, ſuper faciem abyſſi, cętera vero poſt lucem diebus ſequentibus facta commemorantur. Sed circa hanc litteram.

Strabus. Beda.

Quæritur primo, vtrum per cęlum intelligatur præciſe, cœlum Empyreum, vel intelligatur omnes cœli.

Primo vitandus eſt error Auguſt. Eugubini in Coſmopœia, qui in illa verba. In principio creauit Deus cœlū, & terram, affirmauit cœlum Empyreum eſſe æternum, & increatum. Et licet Sixtus Sen. li. 5. Bibliothecæ annot. 4. referat, quaſi adiecerit ſeparatum recantare ſi male ſentiret, & Ambroſium Catharinum merito dixiſſe. Præſtiterat tam periculoſa literis non mandare, quam ſe ad palinodiam offerre. Quis enim nomine illius recantabit, qui iam obijt, & errorem ſuum in ſcriptis viuentem reliquit? Cæterum licet in Eugubino loco citato error ille inueniatur nihil tamen de oblatione ad recātādū reperitur, niſi forte in libro de rebus incorporeis & inuiſibilibus id dixerit, quo etiam in loco ab alijs citatur, quod tamen opus ego videre non potui. Quicquid ſit, an ſe obtulerit ad recātandū vel non, error eſt ſane in fide affirmare aliquid a Deo diſtinctum fuiſſe ex ęternitate, ſiue id creatum, ſiue non creatū conſtituatur, vt ex ſe ſatis patet. Deus n. vniuerſorū eſt principium, quæ ipſum non ſunt, qui omnia ex tempore de nihilo condidit. Niſi pro Eugubino dicatur, per cœlum Empyreum ipſum intelligere, claritatem ipſam diuinam, quæ vere non eſt extra Deum, ſed ipſe Deus; quod verba eius indicare videntur, ita enim ſcribit. Eſt enim cœlum Empyreum, claritas diuina quā ſemper fuiſſe cum Deo neceſſe eſt; ſed quicquid ſit, male explicauit Eugubinus cœlum Empyreum pro ipſa claritate diuina. Quod etiam lucidius apparebit, ſi oſtenderimus non aliud eſſe cœlum Empyreum, quam illud, de quo hic Moſes dixit; In principio creauit Deus cœlum &c.

Augu. Eug. Sixtus Sen.

Quod vt oſtendamus obſeruādum eſt, quod Caiet. in illud. 2. ad Corint. 12. Raptum vſque ad tertium cęlum, negat eſſe cœlum Empyreum, ſed nomine tertij cœli ait, eo loco intelligi cœlum aqueum, ſeu primum mobile, ea ratione permotus; quoniam (inquit) Empyreum cœlum a poſterioribus traditum, nullibi inuenitur in ſcriptura; in eademque ſentētia fuiſſe videtur Gen. 1. nullam de Empyreo cœlo; ſed ſolum de mobilibus orbibus faciens mentionem. Cui ſententiæ fauere videntur affirmantes vocabulo cęli, & terræ hoc in loco debere intelligi omnem ſubſtantiam corpoream ſimplicem, tam cęleſtem quam elementarem, quæ ex cœlo, & terra tamquam duobus extremis continetur, ac proinde omnes cęleſtes orbes, quo ad ſubſtantiam ſuam, ſine perfectione tamē lucis, & aſtrorum, ac proprij cuiuſque motus, & vis cuiuſdam vltimæ ad agendum, quæ omnia poſtea per opus, primi, ſecundi, & quarti diei acceſſerunt. Quod autem per cęlum omnes cælos, generali cæli vocabulo à Moſe hoc loco fuiſſe comprehenſos ex eo probant,

Caiet.

quod

Digitized by Google

quod nomẽ Hæbraicum haſſamaim, quo Moſes vſus eſt, plurale eſt, ſignificans cœlos, tam etſi etiam pro ſingulari interdum ponatur apud hæbreos. Vnde Pſalm. 101. vbi interpres vertit. Initio tu domine terram fundaſti; & opera manuum tuarum ſunt cœli; hæbraice eſt idem verbum. Quibus verbis eandem ſententiam voluit Dauid exprimere, quam Moſes illis. In principio creauit Deus &c. Cæterum perſpicuum eſſe arbitror, cum Moſes dixit. In principio creauit Deus &c. nomine cœli intellexiſſe ſolum cœlum Empyreum: nam ſecunda die dicitur factum firmamentum, ideſt grande cœlum, & quarta die Solem, & Lunam, &c. ac proinde poſitionem cœli Empyrei ſolidiſſimum fundamentum habere in ſacra ſcriptura; nec aliunde credo motos fuiſſe Patres, quos cœlum Empyreum innexiſſe referemus; quam ex ſcriptura ſacra iuxta ſenſum ſanum intellecta, vt ex eorum teſtimonijs ex parte erit manifeſtum.

Cœlũ Empyreum intelligitur cũ dicitur. In principio creauit Deus cœlum &c.

Et primo ſolet cœli Empyrei poſitio confirmari ex illo 2. ad Corin. 12. Scio hominẽ in Chriſto, ante annos quatuordecim raptum vſque ad tertium cœlum, quaſi ex ſcriptura ſacra triplex cœlorum genus ſit conſtituẽdum, aereum primum, quod vſque ad orbem Lunæ incorruptibilem pertingit; Sydereum ſecundum, quod orbes omnes incorruptibiles ex aqua factos, in quibus aſtra omnia ſũt collocata, comprehendit; & Empyreum tertium quod eſt ſedes beatorum, quæ ſane eſt legitima expoſitio eius loci.

Triplex cœlorum genus ſcriptura cõſtituit.

Secundo ex illo Pſal. 113. Cœlum cœli domino, terram autem dedit filijs hominum, cũ enim in eo pſalmo agatur de egreſſu hæbreorum ex Aegypto, & ingreſſu in terram promiſſionis, tot factis mirabilibus relatis, excitantur filij Iſrael ad gratias Deo agendas, tantaq; beneficia domino accepta referenda, adeoque cum dictum eſſet. Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum, & terram, additur Cœlum cœli domino, terram autem dedit filijs hominum. Vnde more hebræo geminatione illa cœlũ cœli; ſignificatur cœlum, quod reliquis eſt multo excellentius, & quaſi alterius rationis; ſicut dicitur Cantica canticorum, quod alia cantica multũ excedit; & dicitur Deus Deorum Dominus, qui infinito interuallo Deos alios ſuperat.

Nec deſunt Patres. Chriſoſtomus. videlicet in illa verba ad hebræos 8. Tabernaculi veri. Theophylactus, & Athanaſius, ibidem Baſilium etiam pro eadem ſententia citans, qui arbitrarentur eiuſmodi cœlum, non eſſe figuræ ſphæricæ, ſed quadratæ ex parte conuexi, quod quieti, & habitationi ea figura accommodata ſit, atque illud dicunt eſſe Tabernaculum Dei cum hominibus, & Ciuitatem illam de cœlo deſcendentem, & in quadro poſitam. quorum Apoc. 21. & 22. Fit mentio. Hoc idem cœlum eſt de quo Iſaiæ vltimo Deus ait: Cœlum ſedes mea eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.

Chryſoſto. ad Hebręos octauo. Theophyl. Athanaſius

Cœlũ Empyreum ex parte conuexa eſt quadratæ figuræ.

Secundo de hoc cœlo loquuntur Patres, & ſi non ſub eo nomine, certe tamen, quo ad rem ipſam. In primis Clemens Petri diſcipulus. lib. 1. recognitionum, prope medium, & ad finem ſecundi libri, ac etiam in 3. Iuſtinus martyr de quæ ſtionibus à Chriſtianis gentibus propoſitis, ea rumque reſponſionibus, in vltimis verbis repræhenſionis, qua reprehenditur reſponſio ad vltimam quæſtionem. Strabus, cui ſubſcripſit Beda. In principio, inquit, creauit Deus, celũ, & terram, cœlum autem non viſibile Firmamentum, ſed Empyreum, ideſt igneum, vel intellectuale dixit, quod non ab ardore, ſed à ſplendore dicitur, quod ſtatim repletum eſt Angelis. Diodorus etiam ita ſcribit. Poſt inuiſibiles, & intellectu præditas ſubſtantias; Deus cœlum ſtatim vna cum terra fabricatus eſt, non illud, quod ſpectabile eſt, ſed quod ſupra omnes

Clem. Romanus.

Iuſtinus Martyr.

Strabus, & Beda.

Diodorus.

Digitized by Google

cœlos eſt, quod Dauid cœlum cœli nuncupare ſolet Theodoretus. q. 11. in Gen Hilarius in pſal. dum exponit illa verba pſal. 122. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis, & omnes Scholaſtici; Quare explodenda omnino eſt ſententia Caietani.

Theodoret. & Hilarius.

Ad primum igitur Caiet. argumentum iam ſatis oſtenſum eſt, quam ſolidum fundamētum cœlum Empyreum in ſcripturis habeat; nec a ſolis poſterioribus, vt Caie. vult, ſed ab antiquiſſimis patribus fuiſſe aſſertum. At ratio Caieta. non concludit quaſi omnia litteris ſint mandata, & non plurima per traditionē accepetimus. Non.n. idcirco comprobatur non eſſe per hoc ſolum, quod hoc nomen Empyreum non inuenitur in ſcripturis. Non ne Chriſtum homuſion confitemur, quamuis non ſic vocatus ſit in ſcripturis?

Ad ſecundū; dicimus primo, quòd nomen Hæbreum haſhamaim, quod, cœlum ſonat, ca et ſingulari, atque adeo ponitur modo ad ſignificādum rem vnam, eo pacto, quo Athenæ in plurali vna rem ſignificabant; modo ad ſignificādas res plures, hoc eſt plures cęlos. Merito autē vt ex ſuperius dictis patet, Interpres tranſtulit eo loco cælum in ſingulari. Secundo dicimus per hoc nomen cælum duos intelligi cęlos, nempe Empyreum, & ipſos Angelos, atque adeo vox ipſa eſt numeri pluralis, & ſignificat plures cælos, imo eſt numeri dualis. Duo enim ſunt cælorum genera, videlicet ſpirituale, & corporeum, & hæc ſub ſe plura continent indiuidua, ſiquidem ſunt numeroſiſſimi Angeli, qui cæli appellatione ſignificantur.

Quæritur ſecundo: An cælum Empyreum conſtet ex materia. Cælum Empyreum concreatum eſſe materiæ primæ certum eſt apud omnes Theologos ſcholaſticos ex Strabi, & Bedę, & aliorum authoritate: nam fuerunt ſimul creata natura Angelica, cęlum Empyreum, materia corporalis, & tempus: Certum eſt etiam cœlum Empyreum eſſe immobile, incorruptibile & lucidum; nam cum rationes rei ordinatæ ad finem, debeant fini competere, & cœlum Empyreum ſit ad ſtatum beatorum ordinatum, & beati ſint in plena fruitione, totaliter humanum appetitum quietante, & in participatione æternitatis, & in continua viſione lucis æternæ, debet, & cœlum Empyreum eſſe non motum, ſed quietum, incorruptibile, & lucidum. Ideo enim empyreum dicitur; ideſt igneum, non à calore, ſed à ſplendore, diciturq́; lucidum, non quod ſit radioſum, ſed quia in compoſitione ſua lucem habet, non tamen in tanta partium denſitate, ſicut corpora Solis, & Lunæ, & Stellarum, vt viſum terminet. Influitq́; eiuſmodi cœlum iuxta veriorem ſententiam in hæc inferiora: quoniam cum hoc cœlum ſit ſubſtantia quædam naturalis, & inter corporeas ſubſtātias nobiliſſima, oportet, vt ſecundum ſuam naturam habeat aliquam operationem, quę quidem operatio cum non poſſit eſſe immanens, ſiue manens in operante: quia hæc ſolis rebus viuentibus conuenit, erit neceſſario tranſiens in materiam exteriorem, quod nihil aliud eſt, quam in hæc inferiora influere; & inconueniens eſſet maximum, ponere ſubſtātiam nobiliſſimam otioſam, & omni operatione deſtitutam. Influit autem in corpus ſibi proximū, vel aliquod lumen, cum ſit lucidum, & mediante lumine virtutem aliquam, quæ nos latet, vel etiam perpetuitatem, & permanentiam inferioribus corporibus, influit, vt nonnulli volunt.

Cœli Empyrei proprietates.

D. Tho. 1. p. qō. 56. art. 3. ad ſecundū. & D. Bonau. in 2. d. 22. articu. 2. q. 2.

Sed dubium eſt, an huiuſmodi cœlum ex materia conſtet, & ratio dubitandi eſt, quia cœlum cum ſit corpus pertinet ad materiam informē; cęlum enim Empyreum pars eſt mūdi, prout mundus dicitur machina mundana, ſed ex materia informi factus eſt mundus, ergo & cœlum Empyreum.

Alex. de Ales. p. 2. qō. 45. num. 2.

Digitized by Google

Hugo. pyreum. Item dicit. Hugo lib.1.p.2. quod per cœlum intelligitur quicquid eſt mundi ſenſibilis, præter terram, vnde dicit in altum porrigitur, quouſque ſummum naturæ corporeæ pertingat, ergo cœlum Empyreũ conſtituitur ex materia informi.

Pro huius difficultatis ſolutione obſeruandum eſt, exiſtimaſſe quoſdam, Deũ in principio produxiſſe de nihilo ſolam materiã informẽ, eãq; Moſẽ nomine cœli, & terræ, & abyſſi ſignificaſſe; poſtea vero ex illa totum mũdum fuiſſe fabricatum, quod probari poteſt, tum ex illo Sap.11. Nõ impoſſibilis erat omnipotẽs manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa immittere illis multitudinem Vrſorum, &c. tum etiam ex illo ad Hæbr.11. Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent, porrò materia inuiſa, ſeu inuiſibilis, materia eſt informis: quæ neque iam formis ſubſtantialibus diſtincta videri poteſt, vt Paulus ipſe dum ait, ex inuiſibilibus viſibilia fierent, ſatis innuit. Sap.11. Hæbr.11.

Hanc eamdem ſententiam aliqui tribuunt D.Aug.num.12.Confeſ.c.8. ſic ait. Tu Domine feciſti mũdum de materia informi, quam feciſti de nulla re, penè nullam rem vnde faceres magnas, quæ mirantur filij hominũ. Valde enim mirabile hoc cęlum corporeum, quod firmamentum inter aquã, & aquã, ſecundo die poſt conditionem lucis dixiſti fiat, & factũ eſt, quod firmamentum vocaſti cęlũ, ſed cœlum terræ huius, & maris, quæ feciſti tertio die dando ſpeciem viſibilem informi materię, quã feciſti ante oẽm diem, & licet in eodem illo capite.D.Augu.doceat. Deum ſimul cum materia informi creaſſe cœlum cœli; Moſemq; cũ dixit in principio creauit Deus cælũ & terram nomine cœli intellexiſſe, cælum cæli, nomine vero terræ, & abyſſi intellexiſſe materiam informem, attamen, vt ex antecedentibus, & ſequentibus capitibus conſtat, nomine illius cœli intellexit D. Aug. non cœlum corporeum, ſed Angelos: nam eodem lib.c.12.inquit. Duo reperio, quæ feciſti carentia temporibus, cum tamen neutrum tibi coæternum ſit, vnum quod ita formatum eſt, vt ſine vllo defectu cõtemplationis, ſine vllo interuallo mutationis, quamuis mutabile, non tamen mutatum, tua æternitate, atque immutabilitate perfruatur, alterum, quod ita informe erat, vt ex qua forma, in quam formam, vel motionis, vel ſtationis mutaretur, quo tempori ſubderetur non haberet. Quare vult mundum totum corporeum factum eſſe ex materia informi, quam à principio vnà cum Angelis produxit Deus ante omnem diem, quod apertius docet li.1.de Gen.contra Manicheos.c.5.& 7. D.Auguſt.

Cæterum dicendum eſt Deum in principio creaſſe ſolum cœlũ Empyreum, & materiam informem ex qua reliqua poſtea eſt fabricata, eamq; nomine terræ, & abyſſi à Moſe ſignificatam, vt docent Abulenſis, & Catherinus, qui tamen dicunt materiam illam non fuiſſe omni forma ſubſtantiali ſpoliatam, ſed habuiſſe formam corporeitatis indifferentem ad reliquas formas ſuſcipiendas, quæ ſententia Lyrano non diſplicet. Vel dicẽdum eſt. Deum in principio creaſſe corpora omnia cœleſtia, materiam vero elementorum produxiſſe exutam omniforma ſubſtantiali, & accidentaria, præter extenſionem, quæ ſententia placuit Marſilio, in 2.qõ.8. art.2.& Gab.in eodem 2.d.12.q.1.& 2.non diſplicet. Abulenſis. Catherinus. Lyranus. Marſilius. Gabriel.

Vel põt dici Deũ ꝑduxiſſe à princ. cęlũ ſolũ Empyreũ, & materiã cõtinẽtẽ cõmixtionẽ quãdã quatuor elemẽtorũ ſimile Chao poetarũ, antiquorũ q; Philoſophorũ, ĩ qua eo modo elementa deliteſcerent, quo in luto terra, & aqua in eo cõmixta, quæ materia informis poteſt appellari; quia nõdum pulchram, & apertam formam pul-

Magiſt. ſen. Hugo de Sancto Victore.

pulchritudinem habeat. ita docet Magiſter in 2. partim. d. 2.& partim. d. 12.& in eadem ſententia fuit Hugo de Sancto Victore.

Cœlum Empyreum nō eſt ex materia factum.

Vel dicendum eſt, prout nos vero ſimilius credimus Deum à principio ſolum de nihilo produxiſſe cœlum ipſum Empyreum, terram,& aquam, ex qua poſtea reliqua corpora ſimplicia eſt fabricatus, & iuxta quamcumque iſtarum ſententiarum patet cœlum Empyreum non eſſe ex materia factum, atque adeo corpus eſſe ſimplex,& materia carens.

Ad primum in oppoſitum dicitur, quod cœlum Empyreum, vtique eſt corpus, cæterum non pertinet ad materiam informem ex qua factum ſit, cum vnà cum materia ſit creatum,& licet Empyreum ſit pars mundi, non tamen mundi ſenſibilis, atque adeo non conſtat ex materia.

Ad authoritatem Hugonis, dicitur ita ipſum opinatum fuiſſe, verum nō ſumus cum eo in hac ſententia.

Ad teſtimonium illud Sap. 11. dicitur primo Deum ex materia inuiſa, hoc eſt, ex terra inani,& vacua, atque adeo carente pulchritudinis forma, & ex aquis, dum tenebrę erant ſuper faciem abyſſi, & neutrum elemẽtum videri poterat, produxiſſe orbem terræ, hoc eſt ſuperficiẽ terræ, quã tertia die diſcooperuit, ac eleuauit ſuper aquas, & ea, quæ ſuper eam ſuperficiem ſunt; Neque enim ſola animalia, & plantas produxit Deus ex his duobus elementis, ſed etiam ſuperficiem ipſius terræ, quam diſcooperuit, quæq; magna ex parte corporibus mixtis interius, & exterius, (vt ex ſatis, & mineralibus conſtat) repleta eſt, produxit tertia die ex terræ elemento, quod in ſua puritate antea condiderat. Senſus ergo citati teſtimonij eſt; Non minus potẽs erat manus tua immittere in homines, de quibus eſt ſermo, multitudinem Vrſorum, ac Leonum, qui illos perderent, quã à principio fuerit ad creandum omnia, orbis terrarum ambitu contenta, ex materia illa inuiſa, vacua,& incompoſita, quam ſimul cum cœlo Empyreo creauit.

Secundo exponi poteſt teſtimonium illud de materia prima, quæ ſuapte natura eſt inuiſa, ex qua corpora omnia ſenſibilia producta ſunt, non quidem tamquam ex re, quæ per moram temporalem præextiterit, ſed tamquam ex parte eorum, atque ſubiecto formæ, qua etiam conſtant.

Ad teſtimonium Pauli dicendum eſt, nomine aptionis ſeculorum, non intelligi creationem de nihilo, vt verbum ipſum aptare,& ea, quæ Paulus ſubiungit aperte ſonant; ſed digeſtionem, coordinationem, ac compoſitionem ſeculorum ex materia terræ, & aquæ, quam à principio Deus vnà cum cœlo Empyreo condiderat. Creatis namque cęlo, terra, & aquis, dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux, fiat firmamentũ, congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida, fiat luminaria &c. vt infra patebit; atque ad hoc verbis illis alludit Paulus. Senſus ergo eſt. Fide intelligimus aptata ſecula verbo Dei ex materia, videlicet terræ, & aquæ, quæ quando tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, videri non poterant, vt ex rebus ea ratione inuiſibilibus, viſibilia, atque pulcherrima fierent, qua lis eſt fabrica tota huius mundi, quæ oculis noſtris conſpicitur.

Quæritur tertio: Vtrum materia corporalium ſubſtantiarum fuerit ſimul cũ ſubſtantialibus formis creata, an vero prius, ita vt prius fuerit aliquando informis, quam formata. Ratio dubitandi eſt propter diuerſũ modum loquendi Sanctorum Patrũ: nam D. Auguſtinus lib. 1. ſuper Gen. ad lit. c. 15.& alias ſæpe, docet informitatem materiæ, non duratione aliqua, ſed ſolum quodã naturæ ordine præceſſiſſe eius formationem. Sed li. 1. de Geneſ. contra Manicheos. cap. 5. vult mundum totum corporeum factum

D. Auguſt.

Materia an creata fuerit informis.

Digitized by Google

ctum eſſe ex materia informi, quam à principio vna cum Angelis produxit Deus, ante omnem diem; nam ita ſcribit; Prima materia facta eſt confuſa, & informis, vnde omnia fierēt, quæ diſtincta, atque formata ſunt; quod credo à Græcis chaos appellari. Sic enim & alio loco credimus dictum in laudibus Dei. Qui feciſti mũdum de materia informi; quod aliqui codices habent, de materia inuiſa. & cap. 7. addit. Informis ergo illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata eſt primo cœlum, & terra, & dictum eſt. In principio creauit Deus cœlum, & terram, nō, quia iam hoc erat, ſed quia hoc eſſe poterat. nam & cœlum ſcribitur poſtea factũ. Quemadmodum ſi ſemen arboris cōſiderantes, dicimus ibi eſſe radices, & robur, & fructus, & folia; non quia iam ſunt, ſed quia futura ſunt. Sic dictũ eſt. In principio creauit Deus &c. quaſi ſemen cœli, & terræ, cũ in confuſo adhuc eſſet cœli, & terræ materia. Sed quia certum erat, inde futurum eſſe cœlum, & terram, iam & ipſa materia, cęlum, & terra, appellata eſt. & infra. Hæc ergo nomina omnia, ſiue cęlum, & terra, ſiue terra inuiſibilis, & incompoſita, & abyſſus cum tenebris, ſiue aqua, ſuper quam ſpiritus ferebatur, nomina ſunt informis materiæ, vt res ignota, notis vocabulis inſinuaretur imperitioribus, & non vno vocabulo, ſed multis. Quibus verbis videtur D. Aug. ſenſiſſe informitatem materiæ duratione præceſſiſſe formam. Quam ſententiā videtur etiam inſinuaſſe D. Baſilius hom. 2. in Hæxam. Chryſoſto. hom. 2. Gen. & Ambroſius lib. 1. Hæxamer. cap. 8.

Baſilius. Chryſoſt. Ambroſius.

Ex Scholaſticis autem hanc ſententiam ſecuti ſunt, Marſilius in 2. qō. 8. qui extimauit materiam primam fuiſſe prius creatā abſque omni forma; & Gabr. in 2. d. 12. qō. 1. ſub finem, qui in eam ſententiam citat Aug. qui lib. 12. confeſſ. c. 3. dicit. Nonne tu Domine docuiſti me, quod priuſquam iſtā informem materiam formares, atq; diſtingueres; non erat aliquid? non color, non figura, non corpus, non ſpiritus; non tamen omnino nihil? eamdem ſententiam ſecutus eſt poſtea Catharinus in Gen. cap. 1. dicens materiam productam fuiſſe, omni forma ſubſtantiali carentem, prius tempore, quam per formas ſpecificas actuaretur & in ſuam ſententiam citat Bedam, & Hugonem de ſancto Victore. idem ſentire videtur Aloyſius Gen. 1. ibi. terra erat inanis, & vacua. Cæterum ipſe Hugo in prænotatis in Geneſ. capit. 5. expreſſe ait, quod non eſt creata materia informis, per excluſionem omnis formæ ſubſtantialis: nam hoc (inquit) poſſe eſſe impoſſibile crediderim; ſed dicitur informis; quia non dum peruenerat ad pulchram, aptamque diſpoſitionem, quam modo habet. Abulēſ. vero Gen. 1. docet materiam vocari informem; quia licet habuerit aliquam formam ſubſtantialem, non tamen atomam ſpecialiſſimam, quæ eſt vltima forma, ſed tantum quod habuerit formam corporeitatis, quæ eſt communis omnibus formis ſubſtantialibus, atomis, & Lyra ibidem citat Strabonem ita ſenſiſſe.

Marſilius. Gabriel. Catharinus. Aloyſius. Abulenſis.

Quidam alij hanc informitatem ita docent præceſſiſſe, quemadmodũ docuerunt olim Philoſophi, & Poetæ quoddam, chaos, vbi omnia elementa erant permixta, & mentem intellectumque diuinum ea ſegregaſſe, vt docuit Anaxagoras, & hoc dicunt maxime conuenire cum Moſis Theologia, qui dicit mandato domini formatum eſſe orbem, ſegregando terram ab aquis &c. quam ſentētiam D. Auguſ. lib. 1. de Gen. contra Manicheos c. 4. non reprobat; & eam videtur ſequi Magiſter ſent. in 2. d. 12. in cap. quod incipit Secundum hāc, & in c. de qua prius. & Aug. Eugub. in ſua Coſmopeia, c. 1. in Gen. in illa verba: ſpiritus Domini ferebatur ſuper

Anaxagor. Magiſt. ſen. Aug. Eugu.

Digitized by Google

per aquas, & lib. 7. de Peremni philoſophia, cap. 9. Strabus etiam in illud. Terra erat inanis, & vacua admittit hanc elementorum commixtionem, & confuſionem.

Strabus.

Pro huius difficultatis ſolutione obſeruãdũ eſt primo, quod nomine terræ duo poſſumus intelligere, aut ipſum elemẽtum terræ, aut naturam primæ materiæ, ſi intelligamus materiam primam, vt intelligit D. Auguſtinus in locis ſupra citatis, tunc materia prima non ſolum vocatur terra; ſed etiam cœlum, & aqua; non quidem, quod ſecundũ ſe talis eſſet, ſed eo tropo, & figura, quod de rebus certo futuris ſit ſermo, tamquam de iam factis, vt patet ex ipſomet D. Auguſt. de Gen. contra Manicheos lib. 1. c. 7. & Epiſt. 57. & li. 3. contra Maxim. c. 21. Si autem loquamur de terra, & aqua, vt ſignificant ipſa elementa formata cum ſuis formis ſubſtantialibus, multiplex informitas terræ aſſignatur à Sanctis patribus iuxta varias tranſlationes illius loci, Terra erat inanis, & vacua, de quibus infra erit ſermo.

Nomine terræ duo intelligi poſſunt.

D. Auguſt.

Secundo obſeruatum eſt D. Augu. fuiſſe in hac re varium, multumque difficultatis inueniſſe in expoſitione litterali operum ſex dierum, vt ex varijs libris, quos de hac re ſcripſit cõpertum eſt. Scripſit enim primo de Gen. contra Manicheos, deinde de Gen. imperfectum, poſtea iam Epiſcopus factus lib. 12. confeſſ. & ſequentes, nec non. 12. libros de Gen. ad literam, & 1. lib. retract. c. 10. & 18. profitetur ſe profeciſſe paulatim, in alijs ſcripturis exponendis, tum præſertim in exponendo principio Geneſis; lib. autem 12. Confeſſ. c. 17. varios modos referret quibus initium Gen. exponi pōt, & à multis exponebatur; imo vero ſatis aperte innuit multis diſplicuiſſe, opinionẽ, quã de Gen. contra Manicheos fuerat ſecutus, & quam lib. 12 Confeſſ. c. 8. & non nullis antecedentibus, & ſequentibus refert, nempe creaſſe Deum prius materiam informem, & ex illa poſtea fuiſſe fabricatum mundum viſibilẽ; quin, & fuiſſe amaritudines, quæ pacem, & charitatem conturbabant, quas ille ſedare conatur. Tandem c. 29. explicatis varijs modis, quibus aliquid poteſt dici factum prius alio, ait, Dici poſſe Deum feciſſe mũdum, ex materia informi, nõ quidem prius tempore, ſed prius natura; quo pacto (inquit) dicere poſſumus cantum fieri ex ſono, non quidem quaſi ſonus, ex quo fit cantus, tempore cantum antecedat, ſed quia prius natura eſt, eſſe ſonum, quàm dearticulationem, & numeros cantus in ſe habeat; atq; hanc poſtea opinionem amplexatus eſt in libris de Gen. ad literam. quare hæc ſola, quã vltimo eſt amplexatus, cenſenda eſt opinio Auguſtini nempe quod informitas materiæ non tẽpore, ſed natura ſolum anteceſſerit mũdum viſibilem, quem Eucherius, & alij ſunt ſecuti. His obſeruatis ſit prima concluſio. Informitas materię quæ attenditur pœnes carentiam omnis formæ, vel pœnes carentiam formarum atomarum, & per ſolam informationem cuiuſdam formæ communis, qualis eſt forma corporeitatis, non anteceſſit tempore formationem eius, pœnes formas particulares terræ, & aquæ, &c. Patet ex D. Auguſtino in Dialogo. 80. q. q. 21. & primo de Gen. ad literam, c. 15.

D. Aug. varius, & anceps fuit in explicatione litterali operum ſex dierum.

Eucherius. Informitas materiæ nõ anteceſſit tẽpore eius formationẽ.

D. Aug.

Secunda concluſio: Deus non creauit Chaos confuſum, & indiſtinctũ, in quo omnia continerentur in confuſo, & ſine aliqua forma. Tum quia Chaos ſufficienter reprobatur a Phyloſophis, vt patet ex Ariſt. 1. phyſicorum, tum quia ſcriptura aperte inſinuat diſtinctionem rerum, quo ad formas ſpecificas etiam ante opus diſtinctionis, & ſegregationis ab illo Chao, vt ipſi arbitrantur: nam dicit hic Moſes. In principio creauit Deus cœlum, & terram, ecce vnam diſtinctionem; Secundo ponit aliam diſtinctionem inter ipſa elementa nominans,

Deus non creauit Chaos confuſũ.

Ariſtot.

nans, etiam terram, & aquam, & tandem ſubdit tertiam diſtinctionem, quo ad ſitum; nam terram dicit eſſe ſub aquis, quibus inuiſibilis reddebatur, aer vero, qui eſt ſubiectum tenebrarum, ſignificatur fuiſſe ſuper aquas, per hoc quod dicitur, Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Tum quia alias Deus non feciſſet omnia, in modo, ſpecie, & ordine, quod eſt contra Diuum Auguſtinum in lib. de natura boni. Et confirmatur ex Concil. Latera. & habetur in c. Firmiter de ſum. Tri. & fide Cat. vbi definitur, qđ Deus in principio temporis vtramq; de nihilo condidit creaturam angelicam, videlicet, & mundanam, ſed creatura mundana non ſignificat Chaos, aut confuſionem ſed ipſam naturam diſtinctam, & formatam: nõ enim eſſet mundus, vbi non eſſet ordo, & diſtinctio, ergo à principio tẽporis fuit talis ordo, & illum non pręceſſit chaos, & confuſio. Et hoc argumentum probat primam concluſionem: quia ſi prius tempore produxiſſet Deus materiam ſine omni forma, vel tantum cum forma corporeitatis, non produxiſſet a principio temporis mundum: nam illa materia ſic informis, non poteſt vocari mũdus, qui ſignificat multitudinem rerum in ſuis ſpeciebus formatarum, & adinuicem ordinatarum.

Concilium Later.

Tertia concluſio: Si loquamur de terra, & aqua, vt ſumuntur pro materia, certum eſt ſecundum Philoſophiam, & communem ſanctorum ſententiã, quod informitas materiæ tantum natura præceſſit eius formationẽ; ita ſentit D. Auguſt. & Eucherius vbi ſupra, & Baſilius hom. 2. Hexam. vbi pugnare dicit cum ſcriptura eos, qui dicunt extitiſſe primo aliquam talem materiam, ideſt ſine omni forma, & poſtea ait. Deũ aſtruamus vna cum forma protinus ipſius materiam accomodatam creaſſe; & colligitur ex ſententia omnium aliorum doctorum, dicentium Deum creaſſe res in ſuis ſpeciebus ſubſtantialibus perfectas: nam tunc ipſi non poſſunt negare materiam, quæ ſecundum ſe nullam habet formam, in genere cauſæ materialis præcedere totum compoſitum.

August. Eucherius. Baſilius.

Quarta concluſio: Si loquamur de terra, & aqua, vt ſignificant ipſa elementa in ſuis ſpeciebus ſubſtantialibus, & accipiatur informitas terræ pro priuatione arborum, & mixtorum, quæ ſunt ſuper terram, vel pro priuatione culturæ, quæ prouenit ab Agricola, huiuſmodi informitas tempore præceſſit eius formationẽ: nam arbores animalia &c. non fuerũt actu producta cum terra: quia illa erat à principio inanis, & vacua; ſed dicuntur producta a principio, quia à principio accepit terra virtutem à Deo producendi arbores, herbas, animalia, &c. ex quo ſequitur quod formoſitas, quæ proueniebat à plantis tempore ſubſequitur creationem terræ; & idem dicendum eſt, de formatione aeris, & aquæ per aues, & piſces. Et in hoc ſenſu intelligendi ſunt Patres illi, qui materiæ informitatem cenſent præceſſiſſe tempore formationem eius; nam informem materiã vocant, non ſicut ipſe Auguſtinus ipſam materiam primam, quæ eſt pura potentia ſubiectiua; ſed ipſam ſubſtãtiam ſimplicem cœleſtem, & elementarem, vt initio carebat decore quodam, ac perfectione accidentali, quæ poſtea ei acceſſit per opera ſex dierum. Auguſtinus autem intelligi debet ſecundum prioritatem duntaxat naturæ.

Quæritur quarto: Vtrum potuerit ſaltẽ per Dei potẽtiã abſolutam materia rerum corporalium exiſtere ſine omni forma. De hac re duplex eſt oppoſita opinio. Prima eſt S. Thom. p. 1. q. 66. art. 1. & de potentia. q. 4. art. 7. & quol. 3. art. 1. tuẽtis partẽ negatiuã: affirmat enim contra dictionẽ inuolucre materiã primã eſſe ſine forma, nã tũc eſſet actu, & nõ eſſet actu

D. Thom.

cum

(

cum ſit pura potentia. Idem ſentit D. Bonau in 2.d.12.ar.1.q.1. Duran. eadem.d.qõ.2.& omnis Schola Thomiſtarum. Capreolus in 2.d.13.q.1.ar.3. Caiet. de ente & eſſentia c.5. Ferrara. lib.9. contra gentes. c.5. Soncinas.8. Met.q.1. Iauellus eodem loco,& alij.

D. Bonauēt. Durandus. Capreolus. Caiet. Ferrara. Soncinas. Iauellus.

Oppoſita ſententia eſt Scoti Doct. ſub. in 2.d.12.q.2. Riccard. eadem d. art.1.qõ.4. Gregorij ibidem, Gabr. eadem d.q.1.art.3. dub.2. Marſilij.in 2. q.8.art.2.& omnium Scotiſtarū quos ſequitur Sotus Thomiſta 1.Phy.q.6. & hinc ſententiæ vt probabiliori, & ipſe adhæreo.

Scotus. Riccardus. Gregor. Gabr. Marſil. Sotus.

Dico ergo quod Deus potuit materiam abſque quacumq; forma ſubſtantiali producere,& ratio eſt: quia non magis dependet materia à forma, quam accidens à ſubiecto, vel nō minus dependet accidens à ſubſtanſtantia, quam materia à forma; ſed Deus poteſt conſeruare accidens ſine ſubiecto, vt patet in Euchariſtia, ergo ſimiliter, & materia per eamdem potentiam poterit eſſe ſine forma. Huic rationi Caieta. reſpondens vbi ſupra negat minorem; plus enim inquit dependet pura potentia, ab actu, quam actus imperfectus ab actu perfecto, at materia eſt pura potentia, accidens vero eſt actus imperfectus ac proinde illa magis ab actu depende, quam accidens à ſubſtantia. Sed hæc reſponſio Caiet. falſum ſupponit, ſcilicet materiam eſſe puram potentiam. eſt enim ens in actu entitatino proprio, vt oſtendit luciddiſſimus Themiſtius. 1. Phy. in digreſſione de materia & ſubtiliſſimè demonſtrat Doc.ſub.in 2.d.12.q. 1. Cæterū: quia hæc materia eſt magis Phyſica, quam Theologica, ideo pro nunc ſit ſatis quid de ea ſentimus pronunciaſſe, eam clariſſimæ explicatam inueniet Lector in Commentarijs noſtris ſuper Secundū Doc.ſub. Et eſto quod materia eſſet pura potentia, in genere determinati,& ſpecifici actus, ſub ſtantialis, non eſt tamen omnino nihil, vt recte dixit. D.Aug.lib.12. Confeſſ.c.3. ſed habet aliquam entitatem ab omni forma diſtinctam, ratione cuius poſſet per potentiam Dei abſolutam conſeruari abſque omni forma, ſine vlla implicatione contradictionis, vt recte oſtendūt Scotus Gregor.& Gabr. locis citatis.

Deus potuit materiā abſque omni forma ſubſtantiali. Caiet. Themiſtius

Quæritur quinto: Vtrum vna,& eadem ſit materia, rerum omnium corporalium a Deo conditarum; ſeu omnium corruptibilium, & incorruptibilium, vel diuerſæ rationis ſit materia corporum cœleſtium, à materia horum corporum inferiorum.

In hac quæſtione in primis ſupponimus, cum Auer. in lib. de ſub.orbis c.2.8.Phy.comm 79.& lib.1.de cœlo comm.5.10.&95.& lib.2. comment. 4. cum Doc.ſub.in 2.d.14.q. 1. Dur.d. 12.q.1. Marſilio in 2.q. 8. Corpus cœleſte iuxta ſententiam Ariſt. eſſe ſubſtantiam ſimplicem, nō compoſitam ex materia, & forma præter intelligentiam à qua mouetur. Non enim hanc quæſtionem hoc in loco, phyſicè agitamus, ſed Theologicè: nam ſecundum Theologos ponenda eſt in cœlo materia. Illud enim Chaos, qđ ponitur ab eis attigiſſe vſque ad cœlum Empyreum erat materia omniū corporalium, contentorum ſub cęlo Empyreo, vt docet Doc. ſub. vbi ſupra. Quo poſito nempe ſecundum veritatem in cęlo eſſe materiam, de propoſita quæſtione ſunt duæ opiniones.

Auer. Scotus. Durandus. Marſilius. Doc.Sub.

Vna eſt diuerſæ rationis eſſe materiam corporum cœleſtium, à materia corporum inferiorum; per hoc, quod materia corporum inferiorum eſt in potentia ad plures formas, puta ad omnes inferiorum corporū; materia autem corporis cœleſtis, tantum eſt in potentia ad formam ſuam cœleſtem. Hanc ſententiam docet D. Tho.1.p.q.66 art.2.& Caiet.ibi. Riccar.in 2.d.12.art.1.q.8. Capreolus in 2.d.12.q.vnica concl.2. Soncinas 12. Met.q.3.& alij D.Thom. diſcipuli.

D. Thom. Caiet. Riccardus. Capreolus. Soncinas.

Altera

D.Bonauēt. Scotus. Egidius. Abulenſis. Plato. Ambroſ. Auguſt. Chryſoſt. Baſilius.

Altera ſententia eſt, eiuſdem eſſe rationis materiam omnium corporum, atque adeo cœli,& elementorum, & mixtorũ. Ita docent D. Bonau. in 2.d. 12.ar1.2.q.1. Scotus in 2.d.14.q.1. Egidius Roma. in 2.d.12. Abulenſis in Geneſ.cap.1.& omnes Scotiſtæ, atque in eamdem ſententiam fuit Plato in Timæo, ſiquidem cenſuit, corpus cœleſte, non eſſe alterius naturæ ab elementari. Quin etiam pleriq; Patres ex veteribus idem arbitrati ſunt, vt Ambroſius lib.1. Hexam.c 3. Auguſt. lib.1. de Gen. contra Manicheos. c.7. Chryſoſt. hom.10. ad populum. Baſilius hom.1. Hexam. & ex ſcriptura Sacra cuius authoritas cæteris omnibus eſt anteponenda apertè colligitur materiam cęlorum, ſi Empyreum excipias conuenire in ſpecie, cum materia rerum ſublunarium.

Vnam eſſe materiã omnium corporum tribus modis intelligi poteſt.

Et hæc ſententia eſt probabilior, pro cuius tamen ampliori explicatione obſeru. eſt materiam, eſſe vnam, & eiuſdem rationis omnium corporũ tribus modis poſſe intelligi. Primo ſecũdum communem rationem, iuxta quã conuenit ſibi ſubſtantiali formæ ſubijci. Secundo iuxta ſpecialem rationem, ſecundum quam competit ſibi, vt formæ ſubſtantiali, ac etiã quantitati ſubijciatur. Et tertio ſecũdum rationem ſpecialiſſimam, ob quam ſibi ineſt, vt formæ ſubſtantiali, & quantitati.& cõtrarietatem, atque priuationi ſit ſubiecta.

Primo, & ſecundo modo, vna eſt corporum cœleſtium, & inferiorum materia, patet: quia vbi eſt forma vnius rationis, ibi eſt materia vnius rationis, forma autem corporeitatis, in corporibus cœleſtibus, & inferioribus eſt eiuſdem rationis, propterea quod eadem ratione corpus de cęlo, & elementis prædicatur. Tertio modo non eſt vna, & eadem materia corporum cœleſtium, & inferiorũ: quia materia corporum cœleſtium, nõ eſt contrarietati, nec formæ ſubſtantialis priuationi, quemadmodum materia horum inferiorum ſubiecta. Ita reſpondet Angles in floribus ſuper ſecundum d.12. diff.2. Sed tu tene cũ Doc. Sub. quod materia in ſe, & quantum eſt ex ſe eſt eiuſdem rationis in quocumque, atque adeo Theologi habent diſcordare à Philoſopho in hac propoſitione. Cœlum eſt neceſſarium, & incorruptibile: nam quantum eſt ex natura ſua, cœlum eſſet ſimpliciter corruptibile: quia ſibi ineſſet potentia ad contrarium. Eſt autem cœlum incorruptibile: quia forma cœli non habet contrarium potens vincere iſtam formam, ideo non poteſt corrumpi ab agente naturali: non enim datur agens naturale, potens inducere formam, ad quam materia cœli eſt in potentia, & expellere contrariam, quam habet, nec ex hoc ſequitur cœlum ſuapte natura eſſe corruptibile. Nam ad hoc, quod aliquid ſit generabile, & corruptibile, generatione, & corruptione de qua locutus eſt Ariſtoteles non eſt ſatis, quod habeat materiam, ſed requiritur vlterius, quod forma illius, qualitates alijs contrarias ſecum in materia patiatur, atque eas tamquam diſpoſitiones exigat; quorum neutrum conuenit formæ cœli, vt optime docet Doctor. Sub. quoniam (vt inquit) forma cœli in tantum dominatur illi materiæ, vt nõ poſſit ab aliquo alio alterari recipiendo peregrinas impreſſiones, & per cõſequens nec corrumpi; atque adeo ex eo quod materia cœli, & horum inferiorum ſunt eiuſdem ſpeciei, non ſequitur cęlum eſſe generabile, & corruptibile generatione, & corruptione naturali.

Angles. Scotus.

Et ſi dicas ſaltem ſequeretur ſi materia, cęli, & materia horum inferiorum eſſent eiuſdem ſpeciei, materiã rerum ſublunarium, eſſe in potentia ad formam cœli, & cum eam non habeat, eadem priuatam eſſe, ipſamq; deſiderare, & tũc cęlum poſſet corrũpere, & conuertere ignem in cęlum: quia virtus actiua cœli, excedit formam

mam ignis, & eſt à forma cœli, ergo materia ignis poſſet à Cœlo transmutari, ad formam cœli, & per conſequens cœlum eſt generabile, quod eſt abſurdum

Reſpondet Scotus, quod forte cœlum non poſſet alterare elementum, ad qualitates conuenientes tali corpori cœleſti, atque ita, etſi materia horum inferiorum habeat priuationē formæ cęli, vel appetitum ad formā cœli, huiuſmodi tamen appetitus per cauſas naturales expleri non poſſet, neq; eſt neceſſe, vt naturalis appetitus, quo prima materia deſiderat primo formam ſubſtantialem in cōmuni, poſſit in omnibus indiuiduis materiæ, poſtquam iam informatur forma aliqua ſubſtātiali, ſatiari per cauſas naturales, ſecundum totam latitudinem formarum, quas ſecundario reſpicit. Eo enim ipſo, quod vnum quodq; indiuiduum materiæ informatur forma corporis corruptibilis, nequit per cauſas naturales informari forma corporis incorruptibilis, & è contrario, eo ipſo quod informatur forma corporis incorruptibilis, nequit per cauſas naturales informari forma corporis corruptibilis.

Nec id, eſt aliquod abſurdum, etenim vt potentia, & appetitus naturalis, quem res alicuius ſpeciei infimæ habet primo ad aliquid, quod ſub ſe multas ſpecies continet, nō ſit fruſtra ſatis eſt, ſi pro diuerſis indiuiduis talis ſpeciei infimæ ſatiatus ſit, quo ad totam latitudinem ſpecierū, quas ſecundario reſpicit, nec eſt neceſſe, vt pro ſingulis indiuiduis expleatur, vel ſucceſſiuè expleri poſſit per cauſas naturales. Neque enim dicitur potentia fruſtra ſi non reducatur ad actum in ſingulis ſuis indiuiduis, ſed ſolum ſi actum non decēdat in omnibus collectiuè ſumptis.

Quæritur ſexto: Vtrum creaturæ corporales fuerint ab initio à Deo immediatè productæ, an vero per Angelos. Platonis in Timæo, & multorū *Plato.* veterum hæreticorum ſententia fuit res corporales fuiſſe ab initio immediatè productas ab Angelis per creationem. Auicenna etiam. li. 7. ſuæ Mech. cap. 9. & Auiceberon in lib. Fontis vitæ cenſuerunt res corporales, non niſi ab aliqua cauſa ſpirituali, & immateriali immediatè produci. *Auicenna. Auicebron.*

Exiſtimauit nāq; Auic. vnā ſolā intelligentiam, ſeu ſubſtātiā ſeparatam fuiſſe primo productā à Deo, cōpoſitam ex actu, & potentia; & hanc intelligendo ipſum Deum produxiſſe aliam, ſimiliter ex actu, & potentia compoſitam; quæ rurſus intelligendo eam à qua eſt producta produxit tertiam, intelligēdo autem id, quod ipſa habet de actu, produxit animam ſupremi cęli, intelligendo autem id, quod habet de potentia produxit ipſum ſupremum cœlum. Ac rurſus tertia intelligendo ſecundam à qua fuit producta produxit quartam, intelligendo autē quod habet de actu, produxit animam ſecundi cœli, intelligendo vero quod habet de potentia produxit ipſum ſecundum cœlum. Et ſic conſequenter vſque ad intelligentiam, quæ produxit vltimum cœlum, puta Lunę; quam intelligentiam ait Auic. produxiſſe aliam quamdā, à qua producuntur immediatè omnes res ſublunares corporeæ.

Sed prætermiſſis Philoſophorum placitis; circa huius vniuerſi fabricā ex hæreticis Simon Magus, qui omnium primus ex Euangelio hæreticus fuit, vt auctor eſt Tertullianus libro de Præſcriptionibus. cap. 46. & qui Diſcipulus fuit cuiuſdam Doſithei, qui vnus ex ſeptem primis hæreticis nominatur, mundum hunc viſibilem, & homines non à Deo, ſed ab Angelis conditum fuiſſe dixit. Angelos vero ex ſe ipſo, & ex muliere quadam circumlatrice, quam Helenam vocauit progenitos eſſe dixit. Teſte Ireneo lib. 1. aduerſus hæreſes. cap 20. atque idem ſenſit Menander Simonis Magi diſcipulus teſte eodē Ireneo *Simon Magus. Tertullianus. Ireneus. Menander.*

Digitized by Google

Ireneo eodem lib. c. 21. Niſi quod Angelos, qui mundũ fabricarint, nõ ex Helena, vel ex Selene, vt alij dicunt, ſed ex Ennea procreatos, ſiue emiſſos dicit, vt ibidem memorat Ireneus. Iactabat etiam ſe eſſe Spiritum ſanctũ, & Deum infinitamque ſapientiam, & Iudæis tamquã Filium appatuiſſe, ad Samaritanos autem tamquam patrem deſcẽdiſſe; ad alias autem gentes tãquam Spiritum ſanctum acceſſiſſe iactitabat. Hæc partim ex Clemente, lib. 2. Recognit. partim ex Ireneo locis citatis, & Epiphanio hæreſi 21. collecta sũt. Legito etiam Theodoretum lib. 1. hæreticarum fabularum, c. 3. Tertullianum lib. de Præſcript. c. 46. D. Auguſt. de hæreſibus ad Quod pult deum. hęreſi prima Nicolaũ Sand. lib. 7. de viſibili Monarchia Eccleſiæ hæreſi prima, & Alfonſum à Caſtro aduerſus hæreſes, verbo Creatura.

Secunda hæreſis fuit Saturnilianorum, à quodam Saturnilio, ſic vocati, hi dicebant Deum authorem fuiſſe omnium Angelorũ; à ſeptem tamen ex illis præter ipſius Dei conſenſum hunc mundũ viſibilem formatum fuiſſe, atque in hominis productione illis verbis vſos fuiſſe, quæ in hoc capite infra habentur .ſ. Faciamus hominem, ad imaginem &c. ſic referunt ex Græcis. Epiphanius hæreſi 23. & Theodoretus lib. 1. hæreticarum Fabularum, cap. de Saturnilio, Ireneus lib. 1. cap. 21. & 22. ex Latinis verò, Tertull. loco ſupracitato, & D. Aug. lib. de hæreſibus cap. 3. qui hunc hæreticũ Saturninum appellant. Legito etiam Nicolaum Sand. hæreſi 4. & Alfonſum à Caſtro vbi ſupra.

Tertia hæreſis eſt Baſilidis, qui teſte Epiphanio hæreſi 24. & Theodoreto lib. 1. hæreticarum fabularum cap. de Baſilide, Tertull. lib. citato, Ireneo lib. 1. c. 23. & Auguſt. c. 4. aſſerebat eſſe 365. cælos, & multitudinem Angelorum, quos, & cælos ſic dicebat eſſe productos, vt ex Deo, quem Abraxan vocabant creata fuerit mens, ex mente Verbum, ex illo prouidentia, ex prouidentia virtus, & ſapientia, ex ipſis deinde Principatus, & Poteſtates, & Angeli, ab his vero Angelis, cælos illos hoc ordine procreatos aſſerebat; vt Primum cælum conditũ fuerit à Virtutibus, Poteſtatibus, atque Angelis, & cum eo alij Angeli creati; qui rurſus produxerunt ſecundum cælum, & alios cũ eo Angelos, qui deinde tertium cum alijs Angelis cælum fecerũt, & ſic vſque ad vltimum. i. 365. cælum, & tandem mundum inferiorem, & hominem à poſtremi cæli conditoribus emanaſſe dicebat.

Quarta hæreſis fuit Carpocratis, & Cherinti, atque eorum diſcipulorum, qui dicti ſunt Gnoſtici .i. ſcientes, cum prædictis conuenit, aſſerit .n. Angelos à ſuprema virtute productos defeciſſe, & mundum viſibilem condidiſſe Deo id neſciente. Ita ſcribit Epiphanius hæreſi 27. & 28. Theodoretus libro citato cap. de Carpocrate, & Irenus lib. 1. c. 24. & 26. Gnoſtici porro, qui vel à Nicolao, vel à Carpocrate exorti ſunt, aſſerentes duos eſſe Deos, alterũ bonum alterum malum, videntur ſicut Manichæus docuiſſe, mundũ hunc viſibilem à Deo malo fuiſſe productum. Hunc errorem hoc modo tribuũt recentiores Theologi his hęreticis, Quod D. Aug. lib. de Hęreſibus citato cap. 6. de illis dicat in hæc verba. Dicunt

quoque bonum Deum,& malum Deũ in ſuis habere dogmatibus, & quidam ex Epiphanio hæreſi 26. Cæterum in Epiphanio hęreſi 26. & 28. vbi de his Gnoſticis agit, nihil tale inuenire potui, quinimò hæreſi 27. de Carpocrate, à quo etiam dixit Gnoſticos effluxiſſe, tantum refert hæreſim illam proximè memoratã de productione mundi ab Angelis; neq; Auguſtinus refert ex Epiphanio Gnoſticos dixiſſe mundum hunc corporeum à malo Deo cõditum fuiſſe.

Primus igitur, qui poſuit duo principia, alterum Deum bonum, alterum malum, fuit Apelles, vt author eſt Epiphanius hæreſi 44. & Aug. hæreſi 23. & mundum viſibilem à Deo malo factum eſſe dixit, ita vt nullam illius, Deus bonus curam gereret; cæterum cum diceret Apelles, vt etiam referunt Epiphanius, & Auguſtinus, Deũ malum factum à Deo bono, non duo principia æque prima poneret, remote ſaltem in Deum bonum tamquam in Auctorem, mũdum hunc referebat.

Tandem Manichęus, vt ſcribit Epiphanius hæreſi 66. & Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum cap. vltimo, non modo duo principia, ſed duos Deos poſuit, alterum bonum, alterum malum, ſed etiam eos ingenitos, coęternos,& ſibi inuicem contrarios eſſe affirmauit. Quare cum dixit hunc mundum viſibilem quoad naturas malas ſpectat, à malo Deo conditum fuiſſe, Deum autẽ bonum non eſſe auctorem rerum omnium, neque proximè, neque remotè, directè contra catholicã doctrinam quam tradit Moſes in principio huius primi capitis pugnauit; Verum ante Manichęum Cerdon tempore Higinij Papæ teſte Epiphanio hæreſi 41. Aug. cap. 21. Ireneo lib. 1. aduerſus hęreſes cap. 28. & Tertull. lib. citato cap. 51. introduxit etiam duos Deos, alterum ignotum mundo, quem Patrem eſſe dicebat Chriſti,& hunc bonum appellabat; alterum verò opificem totius creaturæ, ſęuum, & crudelem, & hominibus ſatis notum, & conueniebat cum Manicheo ponẽs duo principalia, alterum bonum, alterum malum, niſi quòd ipſe omnes creaturas Deo malo, vt authori tribuebat; Manichęus autem aliquas bonas Deo bono reſeruabat: nam commixtione harum duarũ naturarum .ſ. boni,& mali, mundum eſſe factum dicebat, ac proinde addebat vtrumq; principiũ fabricaſſe mundum, ſed cooperatione alterius, commixtioneque proinde, naturæ boni, cum natura,& ſubſtantia mali; addebatq; id, quod boni eſt in rebus creatis eſſe à Deo bono, id vero quod eſt mali, à malo Deo, & has duas naturas .ſ. mali, bonique permixtas eſſe volebat in rebus, & malum purgari ſeparatione à bono, cui eſt permixtum. Manichęo conſenſerunt Priſcillianiſtæ in Hiſpania, qui à Priſcilliano Abulenſi originem traxerunt, vt ſcribit Leo 1. Epiſt. 91. quæ eſt ad Tiberium cap. 14. vbi eorum damnat errorem. Deinde Albigenſes noui Manichęi in Gallia, tempore Innoc. III. vt Auctor eſt Antonin. 3. par. hiſt. tit. 19. c. 1.

Aduerſus hæc omnia deliramenta hæreticorum eſt expreſſa ſententia Moſis in hoc cap. In principio creauit Deus, &c. vbi per ordinem narratur fabrica totius vniuerſi, & ſpecierum eius, & Ioan. 1. Omnia per ipſum facta

ſunt.

ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil, Actorum 4. Domine tu, qui feciſti Cælum,& Terrã, Mare,& omnia,quę in eis ſunt.Rom.11.Quoniam ex ipſo,& in ipſo,& per ipſum ſunt omnia,&c. In Symbolo Concilij Nicæni. Factorem Cæli & Terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium; Et in Concilio Lateran.cap.Firmiter,de Summa Trinit.& fide Cathol. Vnum vniuerſorum principium,qui ſua omnipotente virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo cõdidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam,& mundanam.&c. &cap.Damnamus,de eſſentia Diuina dicitur; Quæ ſola eſt vniuerſorum principium præter quod, aliud inueniri non poteſt; Prætermitto alia plura teſtimonia ſacræ Scripturæ quibus generatim Deo tribuitur rerum omnium productio, & effectio.

Terra autem erat inanis, & vacua.

ITa legit noſtra vulgata. Pagninus legit, Deſolata, & inanis; Alij inculta,& vacua. Septuaginta. Inuiſibilis, & incompoſita; & hanc lectionem ſequũtur Origen.Chryſoſt.Aug.& Beda;Aquila, vanitas, & nihil; Symmacus ocioſum, & indigeſtum. Theodotio,Innane,& nihilum.Paraphraſis OnKeli,deſolata, & vacua. Ionatha,vacua hominibus,& iumẽtis.Hebraicę verò legitur Thohu, Bohu.Vox autem Thohu,proprie ſignificat vanum, ſeu vanitatem, nempe id, quod finem non aſſequitur propter quem factum eſt: Bohu autem ſignificat proprie inane, vacuum, & nihil: latens ẽi,& obſcurũ, vnde quidã putant eſſe ductã vocẽ Italicã (Buio) quæ ſignificat obſcurũ,et tenebroſum,

Quapropter dicendum eſt iuxta ſingulas translationes inſinuari, aliquam formam, ſpeciem, & decorem terræ defuiſſe. Prima quidem editione 70. interpretũ, in illa voce inuiſibilis ſignificatur, vel quòd omnio non poterat videri: quia erat aquis cooperta, vt docent Ambr.1.Hexam.cap.7. Beda,vbi ſupra, Iunilius, & Acatius in opere ſex dierum. Vel vt explicat Seuerianus non quod eſſet aquis cooperta (hoc enim putat ille falſum eſſe) ſed quia erat deformis natura; ſicut dicimus mutum eſſe illum, qui male loqui poteſt: ita dicitur terra inuiſibilis: quia deformis erat aſpectu, quod Italice dicimus. (Non è coſa da vedere) quia deerat illi ornatus arborum,&c. ſicut è cõtrario, cum ſcriptura loqueretur de Banaia. 2. Reg. 13. dicit de eo, qui occidit virũ Ægyptium viſibilem, ita enim habetur in Græco, quod noſtra litera habet, dignum ſpectaculo, ideſt, viſu dignum, & ſpecioſum; ita hic terra dicitur inuiſibilis, ideſt indigna, quę videretur. Vel dicitur inuiſibilis: quia non erat homo, qui aſpiceret eam;Vel quia à Deo non viſitabatur, qui propter hominẽ reſpicit terram, iuxta illud Pſal. 13. Dominus reſpexit ſuper filios hominum. Explicationes ſunt D. Ambroſij vbi ſupra licet non per omnia placeant. D. Auguſtino contra Manichęos,c.7. vbi ait in lib. 1. quòd licet fuiſſet homo,non poſſet tamen videri.

Quartò dicitur inuiſibilis:quia non erat lux quæ redderet eam viſibilem, explicatio eſt Baſilij, & Ambroſij, vbi ſupra.

In illa autem voce incompoſita, volunt ſancti ſignificare,quod non erat ſolertis Agricolæ inarata

Digitized by Google

culturis: quia adhuc deerat cultor, verba ſunt Ambroſ. vbi ſupra; vel vt dicunt idem Ambro. Baſilius, & Ruper. lib. 2. in Gen. cap. 7. quia deerat compoſitio, & ornatus, qui prouenit ab arboribus, herbis, & animalibus, quaſi tunc in principio nihil horum haberet. Ex eo enim qui humoris haberet exuberantiam gignẽdis plantis inhabilis reddebatur, vel tandem dicitur in compoſita, vt dicit Strabus: quia erant elementa confuſa tunc, & commixta, & has eaſdem habent explicationes voces ille inſtructa, & inculta. At vero tranſlatio Aquilæ alium admittit ſenſum: nam vbi nos dicimus inanis, & vacua, habetur in Hebræo, Tohu, va Bohu, quæ verba vltra explicationes ſupra poſitas, aliam patiuntur: nam Tohu, ſignificat vanitatem, vt patet 1. Reg. ca. 21. Nolite declinare poſt vana, & Iſaiæ 17. Quaſi nihilum, & inane reputata ſunt ei, vbi pro vanitate ponitur Tohu. legito Hieronym. lib. 11. in Iſaiam in fine. Similiter ponitur Bohu, pro deſtructione, & omnimoda deſolatione, vt Iſaiæ 34. de Babylone dicitur, extendetur ſuper eum menſura vt redigatur ad nihilũ, & perpendiculum ad deſolationẽ, vbi pro nihilo, eſt in Hebræo Tohu, pro deſtructione Bohu. Similiter Hierem. 4. Aſpexi terrã, & ecce vacua, & nihil, vbi eædem voces ponuntur in Hebræo. Vnde his verbis in propoſito datur intelligi, vel quod id, quod poſtea fuit terra, antea erat nihil, omnimoda vanitas, & carentia entitatis vt conuinceretur error Platonis, Seleuci, à quo Seleuciani, & Hermiæ à quo Hermeniani hæretici, Marcionis, Valentini, & Albanenſium: qui teſte Ambroſ. lib. 1. Hæxam. c. 1. Plutarcho lib. 1. de placitis Philoſophorum Chryſoſt. hom. 2. in Gen. & Alphonſo à Caſtro contra hæreſes, verbo, mũdus, materiam ex qua mundus eſt factus non eſſe factam à Deo eique coæternam eſſe aſſerebant quod eleganter aſſerit Iob ca. 26. Qui extendit Aquilonẽ ſuper uacuum, & appendit terram ſuper nihil. quaſi diceret Aquilonem, partem terræ, imo totam terram fundatam eſſe vbi nihil erat, ſed mera vanitas.

Vel ſignificatur, quod terra erat omnino deſtructa, & deſolata, ac ſuo fine carens, & per conſequens vana: nam inane, ſeu vacuum dicitur, quod caret eo, ad quod in ſe habendum ſuapte natura ordinatur, vt cortex, ſeu teſta amigdalæ, ſi nucleo careat, ad quem habendum, & protegendum ordinatur, inanis, & vacuus dicitur: quia ergo terra carebat à principio tam fine remoto, quam proximo, ad quem in ſe habendum, & procreandum erat condita, nempe hominibus, & cæteris animalibus, à quibus habitaretur, plantis, mineralibus, & cæteris mixtis, dicitur fuiſſe tunc inanis, tam intus ſine ſeminibus, & mineralibus, quam foris ſine hominibus, animalibus, & plantis, hiſque omnibus vacua.

Nã ſicut terra deſtructa in vaſtitate hoſtili remanet ſine fructibus, & arboribus, qui eſt eius finis, ita erat in principio Vniuerſi, atque adeo dicitur inanis & vacua. Hoc idem ſignificat Caldaica editio; noſtra autem tranſlatio hoc idem ſignificãtius exprimit: nam ambę voces .ſ. inanis, & vacua, idem videntur ſignificare, & tamen conſulto adiunctæ ſunt, vt expli-

Digitized by Google

explicarent diſpoſitionem terræ, in qua creata fuit: nam pro tunc fuit purum elementum, & intus vacua omni ſemine vegetabiliũ, & omni vena mineralium; & extra etiam fuit vacua, omni virgulto, & reliquis mixtis: erat enim tantum purum elementum. Vnde addẽs Moſes inanitati, vacuitatẽ, ſignificauit, quod ex ſeipſa, & ẽt à Deo in nulla parte fuit plena.

Auguſt. de Gen. contra Manich. libro 1.

At quomodo fecit Deus in principio Cælum, & Terram, ſi iam terra erat inuiſibilis, & incompoſita. Dubitationi huic, quæ eſt Manichæorum, occurrit D. Auguſtinus inquiens, quod nihil manifeſtius dici potuit, quàm quod dictũ eſt. In principio creauit Deus Cælum, & Terram. Terra autem erat inuiſibilis, & incompoſita. In principio fecit Deus Cælũ, & Terram; terra autem ipſa, quam fecit Deus inuiſibilis erat, & incompoſita. Senſus autem horum verborum eſt.

Aug. lib. 12. Conf. c. 21.

Terra autem erat inuiſibilis, & incompoſita, ideſt. In corporale illud, quod fecit Deus, adhuc materies erat corporearum rerũ informis, ſine ordine, ſine luce. Vel ſic. Hoc totum, quod Cæli, & Terra appellatum eſt, adhuc informis, & tenebroſa materies erat, vnde fieret cælum corporeum, & terra corporea, cum omnibus, quæ in eis ſunt corporibus ſenſibus nota. Vel iterum. Hoc totum quod cælum, & terra appellatum eſt, adhuc informis, & tenebroſas materies erat, vnde fieret cælum intelligibile, quod alibi dicitur cælum cæli; & terra ideſt omnis natura corporea, ſub quo nomine intelligatur etiam hoc cęlum corporeum, ideſt vnde fieret omnis inuiſibilis, & viſibilis creatura.

Nico. de Lyra.

Vel ſic. Terra erat inanis, ideſt inuiſibilis, quia erat vndique aquis cooperta; & vacua: quia non erat adhuc herbis, & plantis ornata.

Strabus.

Vel ſic. Terra erat inanis, & vacua hoc eſt, inutilis. ſ. infructuoſa, & incompoſita omnia enim elementa commixta, & confuſa; & totum hoc aeris ſpatium aquis plenum, non quales nunc ſunt, ſed ſicut nebulæ tenues erant.

Toſtatus vbi ſup.

Vel iterum ſic. Terra ideſt tota illa materia informa communi, quæ terra nuncupatur, erat inanis, ideſt inuiſibilis, vel non bene viſibilis: quia videri poterat, cum haberet aliquem colorem, licet non bene terminatum. Et vacua, ideſt carens ornatu: quia nondum partes cęleſtes ſideribus ornatæ fuerant; quia hoc factum eſt 4. die: nec aqua, terra, vel aer, piſcibus, animalibus, brutis, & hominibus, & auibus fuerant ornata, non dicitur autem de cælo quod fuerit inane, & vacuum, quòd Empyreum, mox vt creatum fuit ſanctis angelis fuit repletum.

Pererius vbi ſup.

Vel demum ſic. Moſes his verbis, ponit ante oculos noſtros, qualis fuerit in exordio mundi ſtatus terræ. Erat enim ſine luce, ſine vllo ornatu, & decore, vacua hominibus, animalibus, & plantis; non diſtincta in montes, valles, & colles, non eminens, extans ſuper aquas, ſed omni ex parte altiſſimis aquis cooperta, deniq; talis, vt verè poſſet appellari materia inuiſibilis, & informis.

Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.

Phylo lib. de Opificio mundi.

NOndum enim effluerat lux intelligibilis ſole antiquior, atque

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

atque ideo aer, qui quodammodo exiſtebat ſupra vacuum, tenebroſus erat, quandoquidem omnem illam immenſam regionem vacuam diſertamq; expleuit, quę ad nos vſque à lunari orbe pertinet.

Origenes ho. mel. 1. in Gen. Quæ eſt abyſſus? illa nimirum, in qua erit Diabolus, & Angeli eius; quod manifeſtiſſime in Euāgelio deſignatur, cum dicitur de Saluatore; Et rogabant eum Dęmonia, quæ eijciebat, ne iuberet ea ire in abyſſum.

Chryſ. hom. 3. in Gen. Dat intelligere Moſes, quod omne, quod videbatur, erat abyſſus aquarum tenebris vallata, & opus habebat ſapiente opifice, qui omnem hanc infirmitatem diſcutere, & ornatū aliquem inducere poſſet.

Aug. lib. 1. ſuper Gen. ad literam. Per abyſſum intelligit Moſes materiem quamdam confuſam, de qua mundus, qui duabus maxime partibus cælo, ſcilicet, & terra conſtat, digeſtis elementis, & accepta forma fabricaretur, quæ confuſio materiæ græce chaos dicitur: Tenebræ vero nihil aliud ſunt, quam lucis abſentia, ita igitur dictum eſt, Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, ac ſi dictum eſſet, non erat lux ſuper abyſſum. Quapropter hæc materies, quæ conſequenti Dei operatione in rerum formas ordinata, diſtinguitur, appellata eſt terra inuiſibilis, inanis, & incompoſita, & profunditas carens hicce quæ ſuperius nomine cæli, & terræ apellata eſt.

Aug. lib. 1. de Gen. contra Manichæos. Materiam informē voluit Moſes, terram inuiſibilem, & incompoſitam appellare: quia inter omnia elementa mundi, videatur minus precioſa, quam cætera; inuiſibilem autem dixit propter obſcuritatem, & incompoſitam propter informitatem. Erat autem inuiſibilis: quia operiebatur tenebris: vbi enim lux non eſt, tenebræ ſunt: non quia aliquid ſint tenebræ; ſed quia lucis abſentia tenebræ dicuntur. Sicut ſilentium non aliqua res eſt, ſed vbi ſonus non eſt ſilentium dicitur, & nuditas aliqua res non eſt, ſed in corpore vbi tegumentum non eſt, nuditas dicitur, & inanitas, non eſt aliquid: ſed locus vbi corpus non eſt, inanitas dicitur: ſic tenebræ non aliquid ſunt: ſed vbi lux non eſt, tenebræ dicuntur.

Rup. Abb. lib. 1. de operib. Trinit. c. 7. Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: ideſt ſuper profunditatem aquarum quæ nondum diuiſæ, neque vt appareret arida congregatæ fuerant in locum vnum: Tenebræ inquam corporeæ circa indiſcretum mundi corpus erant: quia nondum firmamentum erat in medio aquarum: nondum ea, quæ corporaliter lucent in eo, & terram illuminant, ſol, luna, & ſidera facta erant, quæ die quarto facta ſunt.

Baſilius in Hexam. Theodoretus hoc in loco. Vel per abyſſum intellexit Moſes totum hunc mundum corporatum, & aſpectabilem; qui ex eo tenebris operiebatur: quia ſuper primum cælum fuit lux quædam inacceſſibilis, in qua verſabantur angeli, multis ſęculis ante huius mundi molitionem conditi; ſed creato cælo, quoniā ipſum eſt corpus continuum, & ſolidum opacauit, & obtenebrauit omnia, quę intra eius ambitum facta ſunt, videlicet obiectu ſuo obſtans, ne lumen illud ſupremum, terram, & aquam illuminare poſſet; cæterū explicatio iſta improbabilis omnino eſt, & reijcienda penitus.

Nic. de Lyra, & Toſt. vbi ſup. Vel ſic abyſſus, dicitur ab a. quod eſt ſine, & byſſus, quod eſt genus

generis lini cãdidiſſimi, vnde abyſſus dicitur quaſi ſine candore, & ſplendore: quia color candidus habet plurimum de luce, & ideo congeries Elementorum vocatur abyſſus, quia lux non erat adhuc producta. Dicitur etiam abyſſus alio modo, illud, quod importat quandam confuſionem, & commixtionem, totũ enim quod erat infra circulum Lunæ, erat confuſum, quia licet Elementa eſſent producta in ſuis formis ſubſtantialibus, tamen non habebant adhuc omnes proprietates accidentales debitas, vſque ad tertiam diem, in qua ſunt diſtincta Elementa, & ideo vſque tunc, aqua ipſa non habuit debitam dẽſitatẽ, ſed quaſi vaporaliter eleuabatur per totum ſpatium aeris, & ignis: cooperiebatur enim terra, atque ita quędam confuſio, & commixtio erat in Elementis, & hoc vocabatur abyſſus.

Toſt. vbi ſupra.

Tenebræ dicuntur carentia diſtinctionis formarum: quia ſicut lux facit diſtinctionem in rebus, ita forma diſtinguit, & dat cognoſci, quæ autem informia ſunt cognoſci non poſſunt. Abyſſus autẽ dicitur tota materiæ indiſtinctæ, vel informis congeries: ſicut vocatur abyſſus aquarum profunditas, vel magnus terræ hiatus: quia inperſcrutabiles ſunt: ſic materia illa, quæ valde magna erat, quia occupabat à centro terræ in rotundum, vſque ad concauitatẽ Empyrei, quæ ſpacia à nobis cogitatione comprehendi non poſſunt.

Caieta. in Gen. & Pererius, vbi ſup.

Et tenebræ hoc eſt obſcuritas, nam vox hebręa Choſech, poſſet etiã verti Latine obſcuritas: erãt ſuper faciem, ideſt ſupra ſuperficies: nam vox hebręa Alpene ſuperficies pluraliter ſignificat. Abyſſi, hoc eſt, voraginis, vox .n. hebręa Thehom ſignificat propriè voraginem, abyſſum, & magnam profunditatem aquarum. Fuiſſe autem tunc ingẽtem aquarum multitudinem non eſt dubitandum: Quinimo maior fuit tũc aquarum copia, quàm tẽpore Diluuij, quo tempore 15. cubitis omnes terrę montes exceſſit aqua. In exordio autem mundi, tanta fuit aquarum altitudo, vt linea ducta à circũferentia terræ, ad extimã aquæ circumferẽtiam, longe maior fuerit, quàm linea ducta à cẽtro terræ ad eius ſuperficiem, quę tamen eſt ſemydiameter terræ minimum longitudine cõtinens ter circiter mille milliaria. Erant ergo tenebræ ſuper faciem abyſſi, quia tota aqua omni ex parte circumiens terrã tam verſus noſtrũ Hemiſpherium, quàm verſus oppoſitum fuit obſcura, & tenebroſa: quia nondum erat lux vlla à Deo creata.

Burgenſis in addit. ad primũ cap. Gen.

Abyſſus multitudinem aquarũ in penetrabilem ſignificat, quæ totam terram vndique cooperiebat, & eo vſque in altum progrediebatur, vbi nunc ſũmitas naturæ corporeæ pergit: hæc autem ſũmitas naturæ corporeę circa cęlum Chriſtallinum, quod per ſuperficiem abyſſi intelligendũ eſt, & hoc eſt primum corpus mobile, quod ſe habet ad omnia corpora naturalia, ſicut ſuperficies ad corpus ſphæricum, quæ totam eius ſoliditatem continet, cum ergo dicitur, quod tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: obſeruandum eſt, quòd ſcriptura nõ dicit, quòd tenebræ erant in terra, vel in abyſſo, neque ſuper abyſſum, ſed ſuper faciem abyſſi, & ratio eſt: quia illa multitudo aquarum prefundiſſima, in prima ſui productione

Digitized by Google

erat turbida, & quaſi opaca, in tantum, quod non erat capax lucis, ſicut, nec terra, atque ita non erant tenebrę in abyſſo, nec in terra proprie loquendo, ſicut nec cæcitas dicitur eſſe in ligno; at quia ſuperficies abyſſi, quod eſt primum mobile, natura eſt diaphanum, & capax lucis, & lux non eſſet adhuc creata à Deo, dicitur, quòd tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.

Senſus ergo eſt, tenebrę, ſeu obſcuritas (vtroque enim modo verti poterat) & carẽtia luminis, erat vndequaque in aquis, quæ ſpaciũ interpoſitum inter cælum Empyreum, & terram tunc occupabât. Vt verò Dialecticis, & Philoſophis morem geramus: Si ſpectes hoc vniuerſum in eum finem, à Deo fuiſſe fabricatum, vt domus quædam eſſet hominum habitationi apta, atque adeo colligas illi quodammodo deberi ornatũ totum, aſtrorum, animalium, plantarum, ex quo poſtea venuſtata eſt, dici poteſt fuiſſe proprie tenebras à principio in hoc vniuerſo, eo quod eſſet carentia luminis debiti in eſſe: ſicut etiam dici potuit, terram fuiſſe inanem, ſeu vacuam pro vacuitate, quæ vera eſſet priuatio ornatus ſibi debiti in eſſe, ſpectato finem, ad quem condebatur. Quod ſi quis neget lucem tunc debitam fuiſſe in eſſe, dicat tenebras hoc loco valere idem, quod obſcuritatem, ſeu non exiſtentiam luminis.

Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Chryſ. ho. 3. in Gen. D. Aug. lib. Imperfect. ſuper Gen. c. 4. & Peter.

HOc eſt aſſuit efficax quędam, & vitalis operatio aquis, & non fuit ſimpliciter aqua ſtans, & immobilis, ſed mobilis, & vitalẽ quamdam vim habens: nã quod immobile eſt, omnio inutile eſt, quod vero mouetur ad multa cõducit. Vt igitur Moſes doceret nos aquam illam magnam habere vim, & vitalem quamdam operationem dicit: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Neque hoc abſque ratione: Cum enim dicendum eſſet poſtea, quòd animalia ex aqua iſta iuxta pręceptũ Dei producta ſunt, propterea auditorem hic nunc docet, quod nõ ſolùm aqua illa ſit condita, ſed & quod moueatur, & diſcurrat, & omnia alluat, adeo quòd per ſpiritum intelligitur hic vis, impetus, & efficacia quędam vitalis, & fecunditatis plena, aquis à Deo impreſſa.

Aug. lib. 1. de Gen. con. Manich. c. 7. & lib. Imper. de Gen. ad lit. Rup. Abb. lib. 1. de operibus Trin. ca. 8. Nic. de Lyra vbi ſupra.

Secundo per ſpiritũ intelligitur hoc in loco Deus, per aquam verò materia illa informis, ex qua facta ſunt omnia, quam & terram inuiſibilem, & incompoſitam voluit appellare: quia inter omnia Elementa mundi, videtur minus pretioſa, quàm cætera: inuiſibilem autem dixit, propter obſcuritatem, & incompoſitam, propter infirmitatem, eamdem etiam materiã, aquam appellauit: quia omnia, quæ in terra naſcuntur, ſiue animalia, ſiue arbores, vel herbæ, & ſi qua ſimilia ab humore incipiunt formari, atque nutriri, adeo quòd omnia hæc, ſiue cælum, & terra, ſiue terra inuiſibilis, & incompoſita, & abyſſus cum tenebris, ſiue aqua ſuper quam ſpiritus ferebatur, nomina ſunt informis materiæ, vt res ignota notis vocabulis inſinuaretur imperitioribus. Dictum eſt ergo cælum, & terra: quia inde futurum erat cælum, & terra; dicta eſt terra inuiſibilis, & incompoſita, & tenebræ ſuper abyſſum, quòd informis erat, &

nulla

nulla ſpecies, cerni, & tractari poterat, etiam ſi homo eſſet, qui videret, atque tractaret; dicta eſt aqua quia facilis, & ductilis ſubiacebat operanti, vt de illa omnia formarentur. Ex diuerſis enim rationibus materia informis tria ſortiur vocabula. Eſt enim potentia materiæ receptiua, quæ deficit in genere potentiæ reſpectu potentiæ actiuæ, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid, & quātum ad hoc, habet rationem terræ: terra enim inter omnia elementa, minus habet de ratione actiui. Item dicitur abyſſus ideſt ſine candore, quia ſine ſpecie, & pulchritudine, vt oſtendatur defectus ex parte ſpecioſitatis: dicitur enim abyſſus ab .a. quod eſt ſine, quādoquidem .a. apud Græcos vim priuationis obtinet, & byſſus, quod eſt genus lini candidiſſimi, vt dictū eſt ſupra, quaſi ſine candore, & ſplendore: quia ſine forma, quæ materiæ lux quodammodo appellari poteſt. Dicta eſt aqua: quia aqua male terminabilis eſt termino proprio, bene alieno, ita materia bene terminabilis eſt per formam, & debitam diſpoſitionem: ex defectu ergo terminationis, dicta eſt aqua, quia de facili ductilis, & fluida, ſubiacebat operanti, vt de ea omnia formarentur, & à primo agente daretur eidem virtus per formam, ſpecies per diſtinctionem, terminatio per ornatum, à ſumma ſcilicet potentia, ſapientia, & bonitate. Super hanc ergo aquam ideſt informē materiam, ferebatur ſpiritus Domini ideſt Deus non per ſpatia locorum aquæ, ſicut ſol terræ ſuperfertur, ſed per potentiam inuiſibilis ſublimitatis ſuæ, eo modo, quo ſuperfertur rebus fabricandis voluntas artificis.

Materia informis tria ſortitur vocabula.

Poteſt tertio per ſpiritum intelligi aeris elementum, vt ita quatuor elementa inſinuata ſint, quibus mundus iſte viſibilis ſurgit, cælum .ſ. & terra, aqua, & aer: non quia iam erant diſtincta, & ordinata: ſed quia in illius materię, quamuis informi confuſione, tamen exortura præſignabantur, quæ informis confuſio, tenebrarum, & abyſſi nomine, commendata eſt.

Aug. ſuper Gen. ad lit. ope re Imperf.

Quarto per ſpiritum poteſt intelligi ventus, qui cum mobilis, & agitabilis ſit naturæ, ferri dicitur; appellatur autē ſpiritus Dei, vel quod à Deo immiſſus erat; nō enim tunc erant cauſæ naturales excitantes ventum; vel quod ille ventus eſſet admodum validus, & vehemens, atque adeo ſpiritus Dei appellaretur, ſicut dicitur mons Dei, Cedrus Dei, &c. hoc enim modo loquendi vtitur ſcriptura, cum rem aliquam inſignē, & eximiam ſignificare vult, fecit autem Moſes ſpiritus ideſt venti mentionem: quia eius miniſterio mox vſurus eſſet Deus ad ſeparandam aquam à terra, vel certe ad exſiccandam eam, quæ ſegregatis aquis lutulenta, & cęnoſa remanſerat.

Tertull. aduerſus Hermo. Theod. q. 8. in Gen. & Perer.

Quinto poſſet per ſpiritum intelligi Dei voluntas, & intellectus; vt ſit ſenſus, ſpiritus Dei, ideſt ſua voluntas, & intellectus, ferebantur ſcilicet iudicando, quid faceret illis aquis, ideſt congregationi elementorum, quia nōdum erant perfecta in pulchritudine, & quia opera Dei perfecta ſunt. Deut. 20. decebat dare ſingulis elementis ſuam pulchritudinem ſiue diſpoſitionem; non eſt autem intelligendum quod iſto modo Deus conſiliaretur, quid ageret

Toſtatus capit. 1. in Gen. q. 6.

gerec

ageret in Elemẽtis: quia conſiliũ ſuum æternum eſt, & ipſemet eſt, ſed quia creare eſt aliqd facere, ſicDeus ſe videtur habere in creã do ſicut Artifex in fabricando: Artifex autem ſecundum ſuã cognitionem conſiliatur de materia, vt inueniat exemplar, deinde ſecundum exemplar iudicat quid faciendum de hac parte materiæ, quid de illa. Sic deus dicebatur prius conſiliari quid ageret illis clementis nondum decoratis, vt poſtea decoraret: nam ſcriptura eo modo declarat, quo nos intelligere poſſumus: quia ſi menſuratum non coæquetur menſuræ, nunquam menſurabitur, & ſi viſibile, non proportionetur potentiæ viſiuæ, nunquam fiet viſio, atque ita de intelligibilibus. Deus autem ſupremũ intelligibile eſt, excedens valde intellectus noſtri conditionem, atque ideo nunquã intelligemus, niſi aſsumat modũ rerum inferiorum. Ideo ſcriptura de Deo tamquam de quodam corporeo homine loquitur: quia nos maxime per corpora intelligimus. Cæturum quia litera hebraica ſic legit. Bohoh, elohym, merachefet calpene hamaym, quod interpretatur, Ventus domini flabat ſuper aquas, ideſt ventus miſſus à Deo, & eſt ſenſus, quod poſtquam Deus diſtinxit quantũ ad ſubſtantiam elementalem, ita quod eſſet terra, & aqua, tamen adhuc manebat aqua ſuper totã terram, deinde congregata fuit aqua ad locum vnum voluntate diuina, & terra manſit madefacta, & limoſa, ideo induxit dominus ventum vrentem flantem .ſ. Boream, & deſiccauit terram, & iſte vẽtus ferebatur ſuper aquas, ſeparando, & deſiccando aquas, remanentes in locis infimis, vel concauis, & ſecundum hanc expoſitionem, quæ eſt eadem cum ſuperiori, relata ex Tertulliano, & Theod. dicendum eſſet, quod hæc verba dicta ſunt per anticipationem: quia in prima die, non fuit terra, nec aqua, ſed corpus illud materiale, & in ſecundo die fuerunt aquæ factæ, & diſtinctæ à terris.

Toſtatus vbi ſup.

Poſtremo per ſpiritus intelligi poſſunt angeli, qui cælos præſertim primum mobile, maxima celeritate mouẽt, ita vt ſpiritus Dei ſignificet angelum, ſuper aquas ſignificet cælos, nam, & hebraicè uocantur Schamaym, ab aquis du cto vocabulo, & cælũ Cryſtallinum cum ſit totum diaphanum, & perlucidum, nomine aquæ ritè nominatur, illa autem particula, ſuper, denotat excellentiam angeli ſuper cælum, quod mouet: non enim ab eo continetur, vel pendet: ſed ei potius ſupereminet, & præſidet, ferebatur, vel vt proprie ſonat verbum hebræum volitabat, aut incubabat, oſtendit qualis ſit motus cæli, qui ſit ab angelo: ſi enim legamus, volitabat, declaratur ſumma eius motus cæleritas; ſi autem incubabat, demõſtratur vitalis eius vis, & efficacia: eſt enim motus cæleſtis, quaſi vita rerum ſublunarium, vt docet Ariſt. 8. Phyſic.

Caiet. in hũc locũ.

Verum hæc expoſitio, duriſſima, extorta eſt, atque violẽta, neque propoſito, verbiſque Moſis conſentanea. Reijcienda quoque eſt opinio Ægidij in 2. diſt. 12. afferentis, nomine ſpiritus Domini, qui ſuper aquas ferebatur, intelligi eum, qui mouendo primũ mobile (quod per ſeipſum arbitratur Ægidius Deum mouere) materiã totam, quæ infra ipſum continebatur ſimul ciebat, eamque materiam

Repellitur expoſitio.

teriam ſignificatam fuiſſe nomine aquarum.

Dicendum eſt ergo cum communi ſcholaſticoru n ſententia, Baſilij,& Ambr. in Hexam. Hieronymi, in quæſtionibus Hebraicis in gen. Aug. lib. 11. contra Fauſtũ c.11.& lib.13. Confeſſ. à cap.5. vſque ad 11. Iunilij Africani Epiſcopi, Eucherij, Ruper. in hunc locum. Alexan. de Ales 2. par. quæſt. 45. in 4. Catharini in hunc locũ, & plurium aliorum, nomine Spiritus Domini intelligi Spiritũſanctum. Vnde Auguſt. cap.5. citato, & 1. ſuper Gen. ad lit. c.6 & alij affirmant. Dum in initio huius capitis dicitur Deum Patrem in principio, hoc eſt in Filio creaſſe cælum, & terram, additumque eſt Spiritus domini ferebatur ſuper aquas, traditum à Moſe fuiſſe myſterium adorandiſſimæ Trinitatis, & hæc expoſitio eſt fere eadem cum prima Toſtati ſuperius relata; qua dicebatur Moſem Deum deſcriberé inſtar Artificis, per intellectum,& voluntatẽ operantis, cuius voluntas in materiã in qua, & ex qua debet operari, fertur ad opus efficiendum. Nam qui hunc locum de Spirituſancto interpretantur, non alia ratione, id ei peculiariter tribuunt, quam quatenus opera illa à ſola Dei bonitate emanarunt, qua mere gratis, ex creaturarum hominumque præcipuè dilectione, ea omnia operatus eſt. Bonitas autem, & dilectio Spirituiſancto peculiariter tribuitur, eſto toti ſanctiſſimæ Trinitati alioqui ſit communis. In hoc ſenſu de Spiritusãcto in proſa eius feſti canit Eccleſia. Tu ſuper aquas foturus eas nomen tuũ expandiſti Domine. Idem habetur in benedictione fontium. Nomine ergo aquarum notatur hic materia formæ debitæ receptibilis, & localitatis ei reſpondentis. Spiritus autem Domini magis dicitur ferri ſuper aquas, quia bonitas Dei, quæ appropriatur ſpirituiſancto, eſt principium huius terminationis per formam diſtinctam, & locum terminatum.

Et ſi quæratur, quare ſuper aquas potius dicitur ferri, quam in aquis eſſe, cum ſpiritus Dei ſit vbique. Reſpondet Alex. loco citato: quia Moſes loquitur de ſpiritu Domini, qui ſuperior eſt natura in ratione agentis, atque ita agitur de illo, licet in ratione quadam dicatur continere partes inuicem, quaſi eſſet intra. Et ſi quis iterum dicat. Cur non potius ſuper cælos? Reſpondet Catharinus. Vbique erat ſpiritus, qui eſt Deus, vt autem eius immenſam intelligeremus dignationem, dicit Scriptura, ferebatur, & incumbebat ſuper aquas illas .i. ſuper materiam illam informem, vt ſua benigniſſima voluntate inde cuncta, quæ ibi erant in potentia in actum educeret, & in ſuas ſpecies diſtingueret, quo participarent ſingula certæ alicuius, & veritatis, & bonitatis: nam cælum cum ſuis angelis iam erat perfecte creatum, nec opus erat ferri, aut agitari ſpiritum ſuper ipſum cælum, ad conferẽdam ei perfectionem, quod ſapienter Spirituiſancto tribuitur. Scriptum eſt enim: Verbo domini cæli firmati ſunt, *Pſal.37.*
& ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Hic eſt Spiritusſanctus, cuius fuit perficere creaturas ſuas pro deſiderio optimæ voluntatis ſuæ. Quapropter hæc Methaphoricè dici conſtat, quandoquidem ſpiritus, matris loco deſcribitur, quaſi maternis alis imperfectam creaturam fouere cupiens,

vt eam

vt eam ad perfectum adduceret.

Sed cur Moſes ſicut terræ, ita & aquæ Deum eſſe creatorem aperte non docuit? nuſquam enim dixit Deum aquas feciſſe. Quoniam eamdem materiam, quam vel cæli, & terræ, vel inuiſibilis, & incompoſitæ, atque abyſſi nomine nuncupauerat, etiã aquam voluit appellare.

Aug. lib. Imperfecto de Gen. ad lit.

Aer, & ignis quõ inſinuentur creata

Sed cur non, & aqua appellabatur, ſi terra potuit materies illa informis appellari, cum adhuc, neque aqua diſtincta, atque formata, neque terra eſſet, neque aliquid aliud? Dicitur quod fortaſſe primum cælum & terra appellata eſt: Secundo terra incompoſita, & abyſſus carens luce: Tertio aqua non incongrue, vt primo ipſius vniuerſitatis propter quam facta eſt materies de omnino nihilo, cæli, & terræ nomine vocaretur: Secundo terræ incompoſitæ, atque abyſſi nomine inſinuaretur informitas: quia terra inter omnia Elementa eſt informior, & minus relucens, quam cætera; Tertio aquæ nomine ſignificaretur materia ſubiecta operi artificis.

Sed cur non fuit vocata aer, vel æther? Quoniam aer mobilior eſt, quàm aqua, æther autẽ mobilior ipſo aere: atque adeo, vel ætheris nomine minus conuenienter appellaretur materia, magis enim hæc Elementa vim creduntur habere faciendi; terra vero, & aqua patiendi; aquam enim ventus mouet, & nonnulla terrena. Ventus autem eſt aer motus, & quaſi fluctuans, ergo cum aer aquam moueat, manifeſte, vnde autem ipſe moueatur, vt ſit ventus, occultum eſt, quis dubitet congruentius aquæ nomine materiam vocari, quia mouetur, quam aeris, qui mouetur: moueri autem pati eſt, mouere facere.

Aug. lib. 11. de Ciuita. Dei cap. vlt.

Secundo dicitur aquam à Deo fuiſſe conditam ſatis inſinuaſſe Moſem, ex eo, quòd cum dixiſſet. In principio creauit Deus cælum, & terrã, proximè declarauit qualis ſit creata, nimirum inanis, & vacua, & aquis tenebroſis vndique operta; quibus verbis in volute docetur terram creatam eſſe ſimul cum aqua; neque enim creari debuit aqua ante cælum, & terram.

Rupert. Abb. li. 1. de operi. Trin. c. 8.

Vel tertio dicitur, quòd per tenebras, quę erãt ſuper faciẽ abyſſi vicinus aer poteſt intelligi; qui deſup à nullis adhuc hominibus radiabatur, & idcirco rectè tenebrarum nomine deſignatur: aqua vero nomine abyſſi, ac etiam proprio nomine fuit appellata. Solus ignis licet gignentibus terræ, & aquis cooperetur, nihil tamen ex ipſo gignitur, ac proinde, de hoc Elemento non iniuria ſiletur vſque in quartam diem, quo fons illius, ſcilicet Sol in firmamẽto libratur, ſolem enim eſſe fontem ignis æterei Phyſici quoque, qui diligentiores fuere, atteſtantur.

Vel dicendum eſt, propterea Moſem mentionem feciſſe ſpiritus, ideſt aeris, ſeu venti, vt indicaret, omnia elementa à Deo eſſe ab initio condita, hoc eſt terram, aquam, & aerem: nam de igne vtrũ ſit elementum aliquod ſeparato in mundi loco poſitum, magna lis eſt etiam inter Philoſophos, & ſane priora duo manifeſta sũt, etiam vulgo viſu tactuque, tertiũ, & tactu, & auditu, quartum autem ideſt ignis, qui eſt ſupra aerẽ, proxime ſubiectus orbi Lunæ, nulo ſenſu notus eſt.

Opus

Digitized by Google

Opus Primæ Diei.

Ex dixit Deus fiat lux.

Queſt. 1. Chryſoſt. hom. 3. in Geneſ. Ambroſ. lib. 1. Hexam. c. 9.

DIxit, & facta ſunt, mandauit, & tenebræ quidem fugatæ ſunt, lux autem productæ. Lucem fieri voluit, quæ oculis corporalibus comprehenderetur. Qui ædificium aliquod dignum habitaculo Paterfamilias ſtatuere deſiderat, antequam fundamentum ponat, vnde lucem ei infundat explorat, & ea prima eſt gratia, quę ſi deſit, tota domus deformi horret incultu.

Theodor. q. 9. in Geneſ.

Sed quomodo dixit Deus? Non præcepit Deus alteri Creaturæ, ſed ea, quæ non ſunt vocat, ita vt hic præceptum ſit ipſa voluntas, omnia enim ait, quæcumque voluit fecit, quod ſi creando voce quadam vſus eſt, certum eſt, hoc non inanimatorum Elementorũ cauſa, ſed inuiſibilium virtutum gratia factum eſſe, vt ſciant: quia ipſo iubente ea, quæ nõ ſunt, ſubſiſtunt.

Baſyl. ho. 3. Hexa.

Vocem in Deo verbum, Imperium, præceptumque dicimus, nec eum intelligimus ſonum, qui per inſtrumenta vocis elicitur, nec aerem lingua formatum, orationem eſſe Diuinam aſſerimus, ſed pro voluntatis momento, vocem, atque præceptum ſumi, dici cenſemus.

Augu. ſuper Gen. ad lit. imperf. c. 7.

Deum dixiſſe fiat lux, non voce de pulmonibus edita, nec lingua, & dentibus accipere debemus, carnalium ſunt iſtæ cogitationes; ſecundum autem carnem ſapere mors eſt. Rom. 8. ſed ineffabiliter dictum eſt fiat lux.

Beda in Hexam.

Verbo autem inducitur Deus creans lucem, vt inoteſcat, quanta Deus celeritate, & facilitate, quodcunque vult perficere valeat: nam quam infinitis partibus facilius eſt Deo facere quodcunque fuerit ei collibitum, quam eſt huiuſmodi verbo id explicare, vel cogitatione fingere: nam Deus (vt inquit D. Paulus) omnia portat verbo virtutis ſuæ.

Ad Ro. 4.

Nic. de Lyra et Toſt.

His accedit, vt intelligatur Deum non eſſe velut agens naturale, neceſſitate quadam, & ſine cognitione faciens opus ſuum, ſed ratione, conſilio, & libera voluntate lucem, totumque mundum condidiſſe: dicere enim, & iubere eorum eſt tantummodo, qui ad agendum, & rationem, & conſilium adhibent: nam iſtud dicere Dei, non importat aliquã vocem ſenſibilem, ſed intelligere Di practicum, quod includit ipſum velle: quia ſecundum formã, & diſpoſitionem ſuæ voluntatis ſequitur effectus.

Auguſt lib. 1. ſuper Geneſ. ad lit. c. 7. Pſal. 32. Ioan. 1. Aug. lib. 11. de Ciuit. c. 9. li. 1. ſuper Geneſ. ad lit. c. 3. & lib. 12. Cõfeſſ. c. 9. & 16. Rup. Abb. lib. 1. de oper. Trinit. c. 10 & Catharinus in hunc locum.

Poſtremo inducitur Deus verbo creans, vt ſic inſinuetur perſona ſecunda Sanctiſſimæ Trinitatis quæ eſt Verbum æternum: nã ſi Deus dicendo fecit lucem, & mundum, ergo per verbum ſuum fecit, vt veriſſime dictum ſit à Dauide: Verbo domini cæli firmati ſunt, & à Ioan. omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. In lib. Sapiẽtiæ 8. Tu Deus feciſti omnia verbo tuo.

Quæritur primo quid intelligitur per lucem cum dicitur: Dixit Deus, fiat lux, & ratio dubitandi eſt: quia lux eſt duplex, ſcilicet ſpiritualis, & corporalis, vt notum eſt exercitatis in ſcriptura ſacra: videtur ergo, quòd dupliciter hæc littera poſſit exponi, & primo de luce ſpirituali, ita vt per

lucem

lucem intelligat Moſes naturam angelicam: nam ſi in mundi conditione angeli prætermiſſi non ſunt, vel cæli nomine, vbi dictum eſt. In principio creauit Deus cælum, & terram, vel potius nomine lucis de qua loquimur ſignificati ſunt. Non eſt autem dicendum angelos prætermiſſos: quia ſcriptum eſt requieuiſſe Deum die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, cum liber ipſe ita ſit exorſus. In principio fecit Deus cælum, & terram, ut ante cælum, & terram nihil aliud feciſſe uideatur.

Angeli quãdo creati ſint. Deinde cum omnia creando diſpoſita ſint, ut per ſex dies conſumata narrentur, quo modo Angeli non prętermitterentur, tamquã non eſſent in operibus Dei, ſi uel per cælum, uel per lucem non intelligerentur? Quis enim opinari audebit, poſt omnia iſta, quæ ſex diebus enumerata ſunt angelos factos? Nam huic ſcriptura reclamat Iob. 38. Vbi eras quando facta ſunt ſidera, & laudarent me voce magna angeli mei. Iam ergo erant angeli: quando facta ſunt ſidera: facta ſunt autem quarto die: neque die tertio factos eſſe dicendum eſt, cum eo die terra ab aquis diſcreta ſit, diſtinctas ſui generis ſpecies hæc duo elementa ſumpſerunt; Neque etiam die ſecundo, quia tunc firmamentum factum eſt inter aquas ſuperiores, & inferiores, in quo facta ſunt ſidera quarto die. Relinquitur igitur ſi ad iſtorum dierum opera referenda eſt, pertinere ad opus primæ diei, quo lux facta eſt. Natura itaque angelica creata fuit in principio, quando conditum fuit cęlum nã cũ dicitur. In principio creauit Deus cælum, & terram, per cælum intelligitur ſpiritualis natura adhuc informis, hoc eſt ſine gratia, & gloria, quæ formata fuit in lucis productione: formatio enim naturę ſpiritualis eſt per hoc, vt adhæreat uerbo Dei. Cæterum hæc expoſitio, & ſententia præſupponit angelos non fuiſſe conditos ante hunc mundum ſenſibilem, & primo fuiſſe informes, quo ad gratiam, quam formatos, quod & apud Patres, & apud Doctores ſcholaſticos non paruam continent controuerſiam, quæ à nobis ſtatim explicabitur.

Quæſt. 2. Secundo igitur per lucem intelligi poteſt, lux corporalis, & ſenſibilis, ſed qualisnam fuerit hæc lux, nõ eſt omnium vna Doctorũ ſententia. Damaſ. lib. 2. de Fide cap. 7. videtur exiſtimaſſe lucem illam fuiſſe ignem. Sic enim inquit. Ignis vnus quattuor Elemẽtorum extitit, cæterorumque leuiſſimũ, & ociſſime ſurſum emicans, aduſtiuum, & illuminatiuũ, prima die à rerum opifice conditum. Inquit enim Diuina Scriptura. Et dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux: neque enim aliud ignis eſt, quàm lux, vt quidam aiunt. Sed hãc expoſitionem Damaſcenus non approbat, vt rectè exponit eum ibi Clithoueus. *Quid ſit lux prima die creata*

Ideo per lucem intelligit Damaſ. pulchritudinem, & ornatũ omnium rerum viſibilium, non quidem intrinſecum, quandoquidem, nec floribus, nec rebus opacis ineſt, ſed extrinſecum: quia eum ſuperfuſum rebus expandit lumen, ornatus omnium, & decor ſpectabilis redditur, quemadmodum ex oppoſito, (vt inquit Poeta) rebus nox abſtulit atra colorẽ, quoniã in tenebris deliteſcit naturæ decor.

Ambroſius Catharinus in hunc locum

locum affirmat lucem primo die creatam, fuiſſe lucem Solis perfectam, æque, vt nunc eſt. Exiſtimat enim ipſe primo die factum eſſe ſolem cum ſuo orbe, & inſuper ſex aliorum Planetarũ orbes eodem die eſſe factos vna cũ primo mobili, quod putat ipſe nonũ eſſe cælum: neque enim ſol diem, & noctem motu proprio, ſed motu, raptuque primi mobilis circũactus efficit. Illo etiam primo die cenſet factam eſſe terram, vt ſua opacitate dies, noctesque conſtitueret, & breuiter, aerẽ, & ignem, atque totum mundum viſibilem eodem die creatum eſſe putat, excepto firmamẽto, ſeu octaua Sphęra, ſecundo die condita. Et ſi quis dicat Moſes quarto die, Solis, & Lunæ, omniumque ſiderum creationem commemorat. Reſpondet reuera Solem, reliquoſq; planetas prima die eſſe factos; ſed quia die quarto Stellæ inerrantes ſunt conditæ, per recapitulationẽ Moſes mentionem tunc fecit inſigniorum aſtrorum, vt ſimul oſtenderet, & omnibus numeris abſolutum cæli ornatum. Verum hæc Catharini opinio viris doctis minimè probatur, & figmento non abſimilis cenſetur.

Baſylius homil. 2. in Gen. vult, quòd lux primo die producta ſit ſine ſubiecto, eodem modo diffuſa, & ſparſa à Deo ſicut modo ſpargitur à Sole, vt dies diſtingueretur à nocte, & illuminaretur orbis, ita vt quemadmodũ Sol vniformiter difformiter lumen diffundit per integrum hemiſperiũ, atque ſub meridiano in quo eſt, cauſat illud intenſius, quàm in quacumque alia linea, vel puncto verſus Orientem, vel Occidentẽ. Ita Deus antequam eſſet Sol, per ſeipſum immediatè produxit lumen, dilatando illud vniformiter difformiter, ſicut dilataret Sol; & cauſando per illud diem, & noctem, ſicut Sol cauſaret. Cæterum hæc poſitio maximum inducit miraculum, & nunquam aliàs factũ, præterquàm in vnico Euchariſtię Sacramento: at in prima rerum conditione, inſtitutione, & diſpoſitione ad miracula confugere, præſertim cum illis minimè ſit opus, D. Auguſtino non placet, quapropter nec etiam placet opinio.

Gregorius Nazian. oratione de nouo die Dominico, & Theodoretus ſuper Gen. q. 14. & 16. docét primo die factam eſſe vniuerſam lucem ſplendidiſſimam, & quam ſimul confertam, quam nec hominum, nec animaliũ, viſus potuiſſet ſuſtinere, quam orbem quarto die, fuiſſe eam in Solem, & Lunã, cæteraque ſidera diſpertitam, ita vt animaliũ oculis eſſet accomodatior, & ad rerum ſublunarium generationem, & conſeruationẽ commodior, cenſent. D. Thomas 1. p. q. 67. art. 4. ad ſecundum, & q. 70. art. 1. Nic. de Lyra, & Hoſt. in priori expoſitione, quos ſecuti ſunt Angles in 2. diſt. 13. & Pererius in hunc locum cenſent, primam illam lucem non aliam fuiſſe, quam lucem Solis, ſed primo die, velut informem, & imperfectam eſſe factam; Quarto autem die fuiſſe abſolutam, & conſumatam: nam D. Thomas vult omnia à principio fuiſſe condita, & in ſuis formis ſubſtantialibus diſtincta: ergo tunc Sol erat per cuius motum fieret dies, & nox. In principio, namque creauit Deus cælũ, & nomine cæli intelligendum eſt vniuerſum corpus cęleſte, cũctos orbes complectens: ita vt in principio creauerit Deus, ſubſtantia

&

apud Dialecticos, & Metaphyſicos, quia ſolum habent eſſe per operationem intellectus; poſteriori modo fuſè, & hoc modo illud habet eſſe intentionale, quo anima tendit in alterum: & illud in quod tendit, hoc enim nomen intentionale ſignificare videtur, nempe quo in alterum tenditur: intentio namque ad actum animæ ſolummodo pertinet, tales ſunt ſpecies v. g. coloris, quæ præter eſſe reale, quod ſimpliciter habent, retinent quoque eſſe intentionale: quia mediantibus ſpeciebus illis anima in obiectum tendit .ſ. in colorem: color enim eſt, qui videtur medijs ſpeciebus.

Lumen eſt effectus lucis in corpore diaphano. Secundo obſer. eſt, quod lumē eſt effectus lucis in corpore diaphano, eſt ſpecies ſenſibilis, ſiue intentio ipſius lucis, quatenus intentio ſecundum Scotum, eſt non ſolum obiectum, in quod tendit potentia, verum etiam illud, propter quod potentia in obiectum fertur.

Ex his dico primo quod lux in corporibus luminoſis, non eſt forma ſubſtantialis: quia lux eſt per ſe ſenſibilis, & nulla forma ſubſtantialis poteſt ſenſu percipi, ex quo ſequitur quod cum lux, non ſit corpus, ſed forma, & non ſubſtantialis, erit neceſſario accidentalis: nam quicquid eſt, vel eſt ſubſtantia, vel accidens.

Dico ſecundo, quod lux primo modo eſt qualitas realis, & naturalis, non autem intentionalis: ratio eſt quia lumen denominat, v. g. aerem actum luminoſum, & producit naturales effectus: nam radijs ſolaribus calefiunt corpora, quod habentibus eſſe intentionale primo modo, nulla ratione conuenit: quoniam intenſiones, tranſmutationes naturales nō efficiūt.

Dico tertio quod lux ſecundo modo eſt etiam qualitas intentionalis; probatur: quia ſi lux ſiue lumen, eſſet obiectum ſenſibile tantum, & non ſpecies ſenſibilis, ſiue intentio, aut ratio ſentiendi, poſitum ſupra viſum non faceret viſionem: quia ſenſibile, (quod eſt tantum obiectum, & non ratio ſentiendi) poſitum ſupra ſenſum, non facit ſenſationem. Ex luce clarius eſt; lucem intentionem, & rationem eſſe viſionis colorū: nihil enim magis requiritur ad ſentiendum, quam immutatio organi, & color non poteſt immutare viſum, niſi actu illuminetur.

Ex his habemus lucem corporalem, qualis fuit illa primò die producta, non eſſe corpus, neque ſubſtantialem formam corporis, ſed qualitatem tantum naturalē, quam intentionalem corporis, atque adeo corporalem nominari; quia eſt quiddam inhærens in corpore.

Quæſt. 4. Lux primo die cōdita cuius corporis fuerit forma. Quæritur tertio cuius corporis fuerit qualitas lux illa primo die producta. Ratio dubitandi eſt: quia cum lux ſit qualitas, vt modo diximus, & non poſſit eſſe ſine ſubiecto, neceſſario de eius ſubiecto eſt inquirendum.

De hac re tres potiſſimum fuerunt ſententiæ. Prima eſt Baſilij hom 6. Hexam. dicentis lucem illam actu quidem, ante productū Solem quatuor die, non fuiſſe vllius corporis, ſed fuiſſe diuinitùs ſeruatam abſque ſubiecto, poſtea vero fuiſſe collocatam in Sole, cū is eſt productus die quarto. atque idem videtur ſenſiſſe Theodoretus q. 14. & 16. in Geneſim ait lucem primo die creatam, poſtea fuiſſe quarto die diſpertitam in magna, & parua luminaria. Quā ſententiam ſequitur Ludouicus

Molina

Molina de operibus ſex dierum, diſp. 7. quo ad hoc quod illis tribus diebus, non effecerit Deus lucem illam interuentu corporis luminoſi, quod produxerit, ſed per ſeipſum immediate. Quod probat primo quod (vt inquit) conſonat magis ſcripturæ ſacræ. Neque enim prima die dixit Deus fiat luminare, ſed dixit fiat lux, & facta eſt lux, quando vero quarto die fecit luminaria, dixit fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem, & infra, fecit Deus duo luminaria magna, & Stellas, & poſuit eas in firmamento cæli, vt luceant ſuper terram, & præeſſent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras. Et quia quarto die fecit luminaria, à quibus immediatè lux procedebat ipſiſmet luminaribus tribuit diuidere diem, ac noctem, & lucem, & tenebras. Prima autem die, ſibiipſi tribuit diuidere lucem, à tenebris, eo quod ab ipſomet immediatè lux illa prodiret.

Sed hanc ſententiam poſſumus refellere, quodam teſtimonio D. Auguſtini ſuper Gen. ad lit. c. 1. quo inquit Auguſtinus. Nunc quemadmodum Deus inſtituerit naturas rerum ſecundum ſcripturas eius conuenit quærere; non autem quod ipſe in eis, vel ex eis ad miraculum ſuæ omnipotentiæ velit operari, fuiſſet autem maximum miraculum lucem triduo illo præcedente conſeruare abſque ſubiecto.

Secunda ſententia eſt, fuiſſe illam lucem in quadam quaſi nubecula, quæ circum orbem, tunc, vt modo Sol, acta, diem efficiebat, lucens ſicut columna olim nubis lucebat Iſraelitico populo. Ita ſentit Beda in Hexam. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis p. 1. cap. 9. Mag. Sent. in 2. d. 13. *Mag. Sēt.*
Alex. de Ales, p. 2, q. 46. m. 5. art. *Alex. à*
2. & 3. D. Bonau. in 2. d. 13. dub. *Ales. D.*
2, circa litteram Magiſtri, & ple- *Bonau.*
rique alij ibidem.

Sed hanc ſententiam refellunt Thomiſtæ: quare ſuperuacanea fuiſſet illa nubecula ſaltem poſt creato Sole: neque enim eſt veriſimile, aut omnino eſſe deſijſſe, cum hoc non conueniat primæ productioni rerum, in qua nimirum res duraturæ ſecundum ſuas ſaltem ſpecies à Deo productæ ſunt: neque poteſt probari quod manſerit prope Solem, & multo minus, quod ex ea Sol formatus ſit, cum ille ſit incorruptibilis: atque adeo materia eius, nunquã fuerit ſub alia forma.

Cæterum his inſtantijs optime ſatisfacit Alex. vbi ſupra: nam nubes illa non deſijt eſſe, neque mãſit cum Sole, ſed de ea quarto die formatus fuit Sol, & alia aſtra, non quidem per mutationem ſubſtantialẽ, ſed per diuerſam illius materiæ condenſationem, atque figurationem, & vberioris, nobilioris, & efficacioris lucis acceſſionem; nec erat nubes illa eiuſdem rationis cum nubibus, quæ fiunt in aere: quia iſtæ ſunt de elementari materia; illa autem erat de materia cæleſti. Nam in principio quando creatum eſt cælum, & terra, ideſt cælum Empyreum, & materia prima, in terra, quæ erat omnium corporum mutabilium materia, continebatur per cõfuſionem perſpicuitas, & opacitas; poſtmodum vero cũ dictũ eſt, fiat lux, diuiſa eſt actualiter perſpicuitas ab opacitate, & tunc opacum, cum ceſſit ex parte terræ propter ſui reſiſtentiam, quia ſcilicet non erat peruium lu-

C 2 ci,

ci, proiecit umbram, perſpicuum vero, quod ceſſit in partem ſuperiorem,ſui giratione circa opacũ, fecit diem, & noctem.

Et ſi dicitur completius non cedit in minus completum, ſed illa lux completior erat luce Solis,ergo non ceſſit luci Solis, minor prob. ex Damaſ. dicente opera primæ, & ſeptimæ diei completiora eſſe operibus cæterorum dierum;ergo cum iſta lux, eſſet opus primæ diei, & Sol, quartæ diei, iſta lux nobilior, & perfectior erat Sole. Reſpondetur quod lux illa reuera facta eſt non diminuta, ſed perfecta, ſecundum quod competebat vſui, ad quem tunc erat,nec oportebat aliquam transmutationem fieri circam eam,ad hoc,vt ad illum vſum eſſet, ſcilicet ad conſeruationem, & declarationem: nam corpus illud, in quo erat lux iſta, duplicem habebat effectũ: ratione enim perſpicuitatis, quæ erat vniformis per totum habebat effectum conſeruandi res corporales inferiores;ratione vero lucis,quæ coadnata erat in aliqua parte illius corporis,habebat effectum declarandi, & multiplicandi; nam vt dicit D.Auguſtinus ſuper Ioan.& Ambr. in Hexam. lux habet virtutem declarandi ſe, & alia, & multiplicandi ſe, & alia. Sed propter vlteriorem vſum ſcilicet,vt eſſet cauſa perfecta generationis, & corruptionis in inferioribus competebat, vt ex ea fierent luminaria. Quapropter ſi conſideremus lucem iſtam, quo ad ſuum effectum,& Solem,quoad ſuum, circumſcripto .ſ. effectu illius lucis, quem in ſe includit Sol, dicimus, quòd effectus illius lucis, erat conſeruare res,& declarare, Solis autem effectus proprius eſt facere generationẽ, & corruptionem, quod enim ſeruat, & declarat hoc accipit ab iſta luce;ſecundum ergo hanc comparationem, nobilior eſt effectus lucis, quàm Solis: quia nobilius eſt conſeruare,& declarare, quam generare, & corrumpere. Si vero conſideretur Sol, ſecundum quod in ſe includit effectum illum lucis, & cum iſto ſuperaddit aliũ, Sol eſt perfectior luce,& quo ad hoc materialis eſt illa lux reſpectu Solis; & idem dicẽdum eſt de alijs planetis.

Tertia ſententia eſt D. Dionyſij,c.4.de Diuinis nominibus,quã ſequitur D.Thom.1.p.q.67.art.4. lucem illam omnino fuiſſe lucem Solis informem tamen, & imperfectam, acceſſiſſe autem ei poſtea quarta die perfectionem quamdam, ratione cuius ipſe etiam Sol illo quarto die factus eſſe dicitur, ſecundum illam videlicet lucis ſuæ perfectionem,quę tunc ei acceſſit.

Arbitratur enim D.Thomas Solem ſecundum ſubſtantiam ſuam cum reliquis cæleſtibus corporibus ante primum diem, per opus creationis,ſine luce tamen conditum eſſe.deinde autem primo die accenſa eſt in Sole lux,ſed imperfecta tamen, & adhuc quodãmodo informis: nam caruit vi quadam vltima,ad efficiendos determinatos effectus. Nondum enim habuit tunc Sol proprium ſuum motum ab Occidente in Orientẽ, per quẽ efficit dies,& noctes inęquales,& tempora anni diuerſa, ſcilicet,Ver,Aeſtatem,Autumnũ, Hiemem, & quo etiam mediante vim habet ſua luce determinandi hos,aut illos effectus; ſed tantum habuit tunc motum, quo rapitur à primo mobili ab Oriente in Occiden- *Sol & cætera aſtra ante primum diẽ cõdita ſũt*

cidentem, per quem ſolum motũ fecit illo primo triduo dies, & noctes æquales. Quarto autem die factus eſt ei motus proprius, & fortè ei tunc attributus fuit angelus proprius motor; atque adeo tunc primo habuit vim illam vltimam, & determinatam efficiẽdi varietates temporũ, & peculiares effectus, hæc eſt ſententia D.Tho. quæ eſt valde probabilis.

Cæterum quia lux, quãuis ſpectata prima inſtitutione vocabuli, lucem corporalem ſignificet, tamen ſi ſpectetur vſus loquentiũ, qui omne illud, quod quouis modo reddit aliquid cognoſcibile, per quãcumque cognitionem, aut etiam ex ſe propriè eſt cognoſcibile, lucem appellat, dicitur etiã de rebus ſpiritualibus, iuxta ſententiam D.Dionyſ. de Diuinis nominibus, c.4. qui vocabulum lucis recenſet inter nomina Dei intelligibilia, quæ Deo propriè conueniunt, & D.Aug. lib.4. ſuper Gen. ad lit. c.28. dicentis lucem in ſpiritualibus non figurate, ſed proprie dici, neque enim Chriſtus, dicitur lux quomodo lapis. Ideo cũ bifariam ſumatur lux, nimirum pro luce corporali, & ſpirituali, dicto de corporali luce, de ſpirituali modo ſermo habendus eſt: prout ſcilicet Angeli lux appellantur & primo.

Quæritur. An angeli creati fuerint ante mundum corporeum. Hoc nomen angelus licet à Theologis, imo, & à ſanctis Patribus vſurpatum ſit ad deſignandam naturam, & ſubſtantiam ſpiritualem creaturarum, tamen re vera non eſt naturæ nomen, ſed officij, ſi nominis Etymologiam attendamus; Eſt autem iſta vox angelus Græcum nomen idem ſignificans, ſicut nuncius, vt docet D. Ambroſ. in 1. c. ad Hebræos, exponens illud; Qui facit angelos ſuos ſpiritus. Si naturæ nomen quæris (inquit Ambroſ. ſpiritus eſt, ſi nomen quæris officij, Angelus eſt, eadem fere verba habet D. Auguſtinus ſuper Pſal.103. ſer. 1. Vſurpatur etiam interdum hęc vox Angelus ad ſignificandos Dei miniſtros qui nobis eius voluntatem, & legem annunciant. Ita aduertit D. Ambroſ. hom. 2. in Apoc. & colligitur ex eo, quod Chriſtus Matth. 11. Ioannẽ Baptiſtam angelũ appellauit, eoquod fuit deſignatus præcurſor eius.

Angelus multipliciter in ſcripturis accipitur.

Antiqui Philoſophi creaturas ſpirituales non compellabant angelos ſed ſubſtantias ſeparatas, & intelligentias, vt patet 8.Phy. & 12.Metaph. Ita, & nos in hac quæſtione angelos accipimus pro ſubſtantijs ſpiritualibus, nempe à materia ſeparatis, quas reperiri in rerum natura, nedum eſt veritas fidei, ſed etiam ratione naturali oſtẽdi poteſt, vt patet ex Ariſt. 11. Metaph. & 8. Phyſic. eſſe etiam à Deo in tempore productas veritas eſt fidei; ſed id quod videtur controuerſum, eſt, an ſimul cum hoc mundo creatæ ſint, an vero ante iſtum mundum ſenſibilem.

De qua re fuit multorũ Patrũ, tã Græcorum, quã Latinorum ſententiã angelos ante mundum viſibilẽ, & corporeũ à Deo fuiſſe productos. Ita ex patribus Græcis ſentit Orig. ho.4. in Iſayam in princ. (quãuis in proœmio librorũ Periarchon in fine, exiſtimet rẽ eſſe dubiã) Baſil. ho.1. in Gen. ante mediũ, & hom.2. in illa verba. Terra erat inanis & vacua. Nazianz oratione panegyrica in Natale Domini, quæ eſt 38. ante medium §. ſic nimirum, & ſequenti, quem ſequitur Nicetas ibidem. Præterea

Digitized by Google

idem Nicetas in orat. 39. Nazian. quæ eſt in ſancta lumina, in illa verba, at vero nobis, & idem Nazianz. orat. 42. quæ eſt ſecunda in Paſcha §. quoniam autem, vbi repetit, quæ dixerat oratione illa 28. ſententiam vero Nazianz. veriorem exiſtimat Damaſ. lib. 2. de fide cap. 3.

Ex Latinis verò hoc idem docuerunt Hilarius lib. 12. de Trinit. poſt medium. Ambroſ. in præfatione Pſal. 1. & lib. 1. Hexam. cap. 5. poſt medium; Hierony. in Epiſtola ad Titum in magnis Commentarijs, qui habentur in 6. Tomo in illa verba cap. 1. Quã promiſit non mendax Deus. Caſſianus collat. 8. cap. 7. qui non ſolum exiſtimat hanc ſententiam eſſe veriorem; ſed etiam affirmat neminem fidelium de ea dubitare. Referri etiam ſolet in hanc opinionem Author libri de eccleſiaſticis dogmatibus apud Auguſtinum cap. 10. ibi tamen ſolum docet cum tenebræ adhuc ipſam aquam occultarent, quam Deus ex nihilo in terra creauerat, & ipſa aqua terram abſconderet, factos eſſe angelos, & omnes cæleſtes virtutes, vt bonitas Dei non eſſet otioſa, ſed haberet Deus in quibus per multa ante ſpatia bonitatem ſuam oſtenderet. Quibus verbis non ſignificat hic Author angelos fuiſſe creatos ante omnem corpoream creaturam, cum iam eſſet terra, & aqua, ſed productos fuiſſe ante lucem, cum adhuc tenebræ eſſent ſuper faciem abyſſi, & antequam terra luce ipſa viſibilis redderetur. Refertur etiam pro hac ſententia D. Auguſtinus in illud Pſalm. 89. Prius quam montes fierent, &c. id tamen ibi non docet. Demum allegari ſolet Chryſoſtomus hom. 22. in Gen. ſed eo loco ſolum docet angelum peccaſſe, prius quam formaretur primus noſter parens.

Huic ſententię fauere videntur Gregorius lib. 28. Moralium. cap. 7. in illud. Cum me laudarent aſtra matutina, &c. vbi inquit, Prima in tempore condita eſt natura rationabilium ſpirituum. Adde etiam Iſidorum lib. 1. de ſummo bono, cap. 12. ſententia 4. qui hoc ipſum ſentire videtur; imo etiam addit, Dæmonẽ prius creatum fuiſſe, quam bonos angelos, quod probat ex illo Iob 4. Ipſe (ſ. Behemoth) eſt principium viarum Dei; nomine autem Behemoth, multi Dæmonem intelligunt. Conſentit etiã Beda, libro quæſt. q. 9. qui verba Iſidori refert, ea tamen explicat in hunc modũ, vt Diabolus dicatur prius creatus, quam bonus angelus ordine ſecundum dignitatem naturę, non ſecundum durationem, in quem ſenſum ipſum etiam Bedam, Iſidorum, & Gregorium, interpretari poſſumus In eo, quod docent Angelum creatum fuiſſe ante mundum corporeum, vt intelligantur de ordine ſecundum dignitatem, non ſecundum durationem. à qua explicatione non abhorret ipſe Gregorius lib. 28. Moralium cap. 18. Cum de diabolo ait primum conditum fuiſſe; quia ipſum eminentiorem fecit Deus.

Fundamenta autem huius ſententiæ ſunt: quia (vt inquit Caſſianus) non eſſet credendum Deũ tot ſæculis ante creationem corporeæ creaturæ fuiſſe otioſum; ergo aſſerere debemus, Deum ſuã bonitatem communicaſſe ſpiritualibus creaturis, antequam corporeas creaturas produceret.

Item ſi Angeli creati eſſent cũ

mundo

mundo corporeo, creationis illorum mentionem aliquam feciſſe Moſes; atque nullam illorum mẽtionem facit, cum de creatione mundi corporei loquitur, ſignum igitur eſt, non fuiſſe cum mundo corporeo creatos.

Præterea, ſic arguit Caſſianus ex illo Iob cap. 38. Vbi eras quã do ponebam fundamenta terræ, &c. & paulo poſt, quando me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? quem locum ſecundum tranſlationem ſeptuaginta, ſic legit Caſſianus, quã do facta ſunt ſimul ſidera, laudauerunt me voce magna omnes boni angeli mei. Qui autem dicuntur intereſſe alicuius rei productioni, & ex illa factorem laudare, videntur fuiſſe ante rem illam, ergo angeli, qui aſtiterunt creationi aſtrorum, & Deum factorem ex illa laudauerunt, ipſorum aſtrorum creationem præceſſerunt.

Deinde Iob 40. legatur de Behemoth. Ipſe eſt principium viarum Dei, Per Behemoth autem intelligitur Diabolus ergo &c.

Poſtremo arguitur ex illo ad Titum 1. Quam (.ſ. beatam ſpem) promiſit Deus ante tempora ſæcularia, nam ſi talis promiſſio facta eſt ante tempora hæc ſæcularia; quæ ab initio mundi numerantur, (ætas enim mundi ſæculum dicitur) alicui creaturæ fieri debuit: nulla autem videtur eſſe quam angelus, ergo angelus creatus fuit ante hæc tempora ſæcularia.

Cęterum communis Scholaſticorum ſententia eſt cum Magiſtro in 2. d. 2. angelos creatos fuiſſe ſimul cum terra, & cælo Empyreo, atque adeo nec creationem angelorum fuiſſe priorem creatione mundi corporei, neque hanc fuiſſe priorem angelorum creatione. Quam ſententiam docuerunt Epiphanius lib. 2. contra hęreſes fere in principio, hære ſi 65. & Theodoretus q. 3. in Gen. Sixtus Senen. lib. 5. Bibliothecæ annot. 5. citat etiam Acacium Cęſarienſem Epiſcopum, & Diodorum Tharſenſem Epiſcopum.

Ex Latinis vero eamdem affirmarunt Auguſtinus 11. de Ciuit. cap. 6. & 9. Gregorius 32. Moralium cap. 9. & plerique alij. Quæ confirmatur primo authoritate Sophronij in ſua Epiſtola, quæ habetur in 6. Synodo act. 13. vbi ita legitur. De principio viſibilis mundi, & conſtitutione quæ facta eſt, confiteor, quod omnia, non tantum viſibilia, ſed & inuiſibilia, vnus Deus condidit, & infra. Omnia per vnigenitum filiũ, Pater in Spirituſancto fecit, quæ & ſapienti prouidentia continet, vt Deus ſuis operibus præſidens, principiumq́ue omnibus temporale conſtituens, ſenſibilia quidẽ fini temporali ſuppoſuit, intellectualia vero, & inuiſibilia hæc meliori dignitate dignatus eſt, & nullatenus quidem moriũtur, neque corrumpuntur, iuxta quod ſenſibilia defluunt, atque pertranſeunt. Hæc Sophronius.

Sed longe apertior eſt authoritas Concilij Later. 2. c. firmiter, de ſumma Trinit. & fide Chatholica, vbi Innocentius III. cum vniuerſa Synodo in hunc modum definit. Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod vnus ſolus, & verus Deus, vnum vniuerſorũ principium, creator omniũ inuiſibilium, & viſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotẽti virtute, ſimul ab initio temporis, vtramque de nihilo

condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, angelicam, videlicet, & mundanam,& deinde humanam,quaſi communem, ex ſpiritu, & corpore conſtitutam.

Secundo ratione confirmatur. Si angeli boni,& mali, ante mundum corporeum creati ſunt, aut multis ante ſeculis,aut paruo ante ſpatio creati ſunt, ſi multis ante ſeculis, vt expreſſe docuerunt Hierony. & Caſſianus, aut peccauerunt antequam fieret mundus corporeus, aut poſtquam factus eſt, primum dici non poteſt: quia ſtatim atque angelus peccauit, Michael, & Angeli eius præliabantur cum Lucifero in cælo, ex quo Lucifer, & angeli eius eiecti ſunt in infernum, vt eſt communis Patrum opinio. Chryſoſt. hom. 3. de verbis Iſaiæ poſt medium, & hom. 15. in Ioan. circa finem. Nazian. orat. 39. quæ eſt in ſancta lumina parum ab initio, Auguſtini in illud Pſal. 103. Draco iſte, quem formaſti, &c. Iſidori lib. 1. de ſummo bono, cap. 12. ſententia 7. Quod nonnulli confirmant ex illo Apoc. 12. Factum eſt prœlium magnum in cęlo,&c. & confirmatur: quia angelis peccantibus paratus fuit ignis æternus. Math. 25. Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & angelis eius, & 2. Petri cap. 2. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, &c. & Iudas in ſua Canonica de angelis peccantibus inquit eiſdem non pepercisse, ſed in iudicium magni diei vinculis ęternis ſub caligine reſeruaſſe, ergo ſtatim ac peccauerunt ignis æternus corporeus in inferno ipſis deſtinatus eſt, ac proinde non peccauerunt antequam corporea creatura condita eſſet. Neque peccauerũt poſt corporalem creaturam productam, ſi multis ante ſæculis creati ſunt: quia ex oppoſito ſequeretur per multa ſęcula angelos malos, in gratia Dei perſeueraſſe, id quod credibile non eſt: magis enim rationi conſentaneum uidetur viam angelorum breuiori ſpatio finiri, quam hominum, cum angeli promptiores ſint ſuapte natura in operatione, & electione, quam homines. Si autem dicatur angelos productos fuiſſe paulo ante corpoream creaturam, abſque fundamento id dicetur. Cur enim paulo ante crearentur, qui cum vniuerſo corporeo creari poſſent? vel qua ratione id ſuaderi poterit? probabilius igitur magiſque rationi conſentaneum videtur aſſerere angelos non ante creaturam corporeã, ſed ſimul duratione cum illa fuiſſe productos.

Ad fundaměta oppoſitę ſententiæ reſpondetur, & ad primum dicitur cum Theodoreto q. 3. in Gen. quod ſi ratio concluderet, probaret vtique angelos ab æterno productos fuiſſe à Deo ne per æternã durationě Deus eſſet otioſus: nam quommodocunque ſpiritus creaſſet ab initio, etiam ſi ante corpoream creaturam illos produxiſſet, ſequeretur per æternam durationem Deum otioſum fuiſſe; hoc autem nemo Catholicorũ exiſtimabit abſurdum, imo ſecundum fidem catholicam neceſſario confitendum, cum certum ſit, Deum nihil ab æterno creaſſe; futilis ergo, & inanis eſt hæc prima ratio Caſſiani; Deo enim nihil perfectionis aduenit, ex eo quod extra ſe aliquid operetur, vt inquit D. Auguſtinus lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 5. & è contra nihil deeſt

perfe-

perfectioni ex eo, quod nihil operetur, ac proinde parum refert per infinita ſęcula extra ſe nihil produxiſſe.

Ad ſecundum fundamentum D. Auguſtinus locis ſupra citatis, & Beda in Hexam. exiſtimant creationem angelorum non fuiſſe à Moſe pretermiſſam, ſed eam ſignificaſſe nobis nomine lucis. Hęc tamen ſententia communiter reijcitur, & merito quidem, cum ſcriptura Moſis ſit hiſtorica narratio, verba illius vſurpanda ſunt in communi, & vulgata ſignificatione, non in Metaphorica; quapropter, & Doctores, communiter per lucis nomē nō angelos, ſed lucem corporalem intelligunt; Auguſt. hoc ſenſu ſcripturam intellexit, vt defenderet vno die creata fuiſſe omnia, & dies qui hoc cap. numerantur, diſtingui tantum ſecundum lucem angelicæ intelligentiæ; quæ quidem opinio merito ab omnibus exploditur.

Alij vero putant prætermiſſam fuiſse à Moſe angelorū creationē; ne populus ille ad Idolatriam nimium propēſus, angelos tamquā Deos adoraret ita dixit Athanaſius in quæſt. ad Antiochum. q. 2. & Theodoret. q. 2. in Gen. quorum ſententia ea ratione mihi nō probatur: quia eadem ratione debuiſſet Moſes, nuſquam Angelorum mentionem facere, atqui ſæpius de ipſis loquitur in Gen. Exo. & alijs libris, ergo illa ratione creationem eorum non prætermiſſit.

Quare verius exiſtimo ideo Moſem creationis Angelorum nō meminiſſe: quia ſui inſtituti ratio id non poſtulabat, vt enim ſcribit Hierony. Epiſt. 109. ſolum voluit Moſes ordinem creationis rerum corporaliū deſcribere, aut vt quidam putant: quia populus ille rudis erat; aut quod verius eſt: quia ſolū in rebus corporeis creandis, fuit illa ſeries, & varietas dierum, quæ explicatione indigebat: Angelos autem fuiſſe à Deo productos ſatis conſtabat.

Ad tertium dico primo ſecundum noſtram vulgatam editionē, quę merito ab omnibus recipienda eſt vt authentica, nihil ex illo loco probari, noſtra autem vulgata ipſi contextui, & Hebraicę lectioni magis congruit. Secundo dico, quòd etſi admittamus lectionem ſeptuaginta, reſpondet optimè Theodoretus, eos, qui ex eo loco argumentantur, non rectè conſideraſſe, aſtra nō fuiſſe prima die creata, ſed quarta, vt in hoc cap. manifeſte conſtat, ac proinde potuiſſe Angelos aſtrorum creationi optimè adeſſe, etiam ſi ante creaturam omnem corpoream creati non fuiſſent. Adde etiam, quòd licet aſtra primo die facta fuiſsēt, non ineptè dici poſſet Angelos eorū creationi aſtitiſſe, & de ea Dominum, & factorem laudaſſe: nā & ipſi Angeli de ſua ipſorum creatione in ipſo primo momēto ſui, Deum laudauerunt eique gratias reddiderūt. Denique quo ad editionem vulgatam attinet, ab illis verbis. Cum me laudarent ſimul omnia aſtra matutina, diſtincta eſt interrogatio, Vnde ſuplendū, atque repetendum eſt. Vbi eras cum me laudarent ſimul omnia aſtra matutina, ideſt matutino tēpore ante lucem Solis apparerēt, quando adueniente iam die, iocundior eſt eorum aſpectus. Et iubilarent omnes filij Dei, ideſt omnes Angeli iuſti? Quaſi dicat, nuſquam tunc eras. Porrò laus illa aſtrorum metaphorica eſt, cōmunis

lucem intelligat Moſes naturam angelicam: nam ſi in muudi conditione angeli prætermiſſi non ſunt, vel cæli nomine, vbi dictum eſt. In principio creauit Deus cælum, & terram, vel potius nomine lucis de qua loquimur ſignificati ſunt. Non eſt autem dicendum angelos prætermiſſos: quia ſcriptum eſt requieuiſſe Deum die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, cum liber ipſe ita ſit exorſus. In principio fecit Deus cælum, & terram, ut ante cælum, & terram nihil aliud feciſſe uideatur.

Angeli quãdo creati ſint. Deinde cum omnia creando diſpoſita ſint, ut per ſex dies conſumata narrentur, quo modo Angeli non prætermitterentur, tamquã non eſſent in operibus Dei, ſi uel per cælum, uel per lucem non intelligerentur? Quis enim opinari audebit, poſt omnia iſta, quæ ſex diebus enumerata ſunt angelos factos? Nam huic ſcriptura reclamat Iob. 38. Vbi eras quando facta ſunt ſidera, & laudarent me voce magna angeli mei. Iam ergo erant angeli: quando facta ſunt ſidera: facta ſunt autem quarto die: neque die tertio factos eſſe dicendum eſt, cum eo die terra ab aquis diſcreta ſit, diſtinctas ſui generis ſpecies hæc duo elementa ſumpſerunt; Neque etiam die ſecundo, quia tunc firmamentum factum eſt inter aquas ſuperiores, & inferiores, in quo facta ſunt ſidera quarto die. Relinquitur igitur ſi ad iſtorum dierum opera referenda eſt, pertinere ad opus primæ diei, quo lux facta eſt. Natura itaque angelica creata fuit in principio, quando conditum fuit cęlum nã cũ dicitur. In principio creauit Deus cælum, & terram, per cælum intelligitur ſpiritualis natura adhuc informis, hoc eſt ſine gratia, & gloria, quæ formata fuit in lucis productione: formatio enim naturę ſpiritualis eſt per hoc, vt adhæreat uerbo Dei. Cæterum hæc expoſitio, & ſententia præſupponit angelos non fuiſſe conditos ante hunc mundum ſenſibilem, & primo fuiſſe informes, quo ad gratiam, quam formatos, quod & apud Patres, & apud Doctores ſcholaſticos non paruam continent controuerſiam, quæ à nobis ſtatim explicabitur.

Quæſt. 2. Secundo igitur per lucem intelligi poteſt, lux corporalis, & ſenſibilis, ſed qualiſnam fuerit hæc lux, nõ eſt omnium vna Doctorũ ſententia. Damaſ. lib. 2. de Fide cap. 7. videtur exiſtimaſſe lucem illam fuiſſe ignem. Sic enim inquit. Ignis vnus quattuor Elemẽtorum extitit, cæterorumque leuiſſimũ, & ociſſime ſurſum emicans, aduſtiuum, & illuminatiuũ, prima die à rerum opifice conditum. Inquit enim Diuina Scriptura. Et dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux: neque enim aliud ignis eſt, quàm lux, vt quidam aiunt. Sed hãc expoſitionem Damaſcenus non approbat, vt rectè exponit eum ibi Clithoueus. *Quid ſit lux prima die creata.*

Ideo per lucem intelligit Damaſ. pulchritudinem, & ornatũ omnium rerum viſibilium, non quidem intrinſecum, quandoquidem, nec floribus, nec rebus opacis ineſt, ſed extrinſecum: quia eum ſuperfuſum rebus expandit lumen, ornatus omnium, & decor ſpectabilis redditur, quemadmodum ex oppoſito, (vt inquit Poeta) rebus nox abſtulit atra colorẽ, quoniã in tenebris deliteſcit naturæ decor.

Ambroſius Catharinus in hunc locum

locum affirmat lucem primo die creatam, fuiſſe lucem Solis perfectam, æque, vt nunc eſt. Exiſtimat enim ipſe primo die factum eſſe ſolem cum ſuo orbe, & inſuper ſex aliorum Planetarũ orbes eodem die eſſe factos vna cũ primo mobili, quod putat ipſe nonũ eſſe cælum: neque enim ſol diem, & noctem motu proprio, ſed motu, raptuque primi mobilis circũactus efficit. Illo etiam primo die cenſet factam eſſe terram, vt ſua opacitate dies, noctesque conſtitueret, & breuiter, aerẽ, & ignem, atque totum mundum viſibilem eodem die creatum eſſe putat, excepto firmamẽto, ſeu octaua Sphera, ſecundo die condita. Et ſi quis dicat Moſes quarto die, Solis, & Lunæ, omniumque ſiderum creationem commemorat. Reſpondet reuera Solem, reliquoſq; planetas prima die eſſe factos; ſed quia die quarto Stellæ inerrantes ſunt conditæ, per recapitulationẽ Moſes mentionem tunc fecit inſigniorum aſtrorum, vt ſimul oſtenderet, & omnibus numeris abſolutum cæli ornatum. Verum hæc Catharini opinio viris doctis minimè probatur, & figmento non abſimilis cenſetur.

Baſylius homil. 2. in Gen. vult, quòd lux primo die producta ſit ſine ſubiecto, eodem modo diffuſa, & ſparſa à Deo ſicut modo ſpargitur à Sole, vt dies diſtingueretur à nocte, & illuminaretur orbis, ita vt quemadmodũ Sol vniformiter difformiter lumen diffundit per integrum hemiſperiũ, atque ſub meridiano in quo eſt, cauſat illud intenſius, quàm in quacumque alia linea, vel puncto verſus Orientem, vel Occidentẽ. Ita Deus antequam eſſet Sol, per ſeipſum immediatè produxit lumen, dilatando illud vniformiter difformiter, ſicut dilataret Sol; & cauſando per illud diem, & noctem, ſicut Sol cauſaret. Cæterum hæc poſitio maximum inducit miraculum, & nunquam aliàs factũ, præterquàm in vnico Euchariſtię Sacramento: at in prima rerum conditione, inſtitutione, & diſpoſitione ad miracula confugere, præſertim cum illis minimè ſit opus, D. Auguſtino non placet, quapropter nec etiam placet opinio.

Gregorius Nazian. oratione de nouo die Dominico, & Theodoretus ſuper Gen. q. 14. & 16. docẽt primo die factam eſſe vniuerſam lucem ſplendidiſſimam, & quam ſimul confertam, quam nec hominum, nec animaliũ, viſus potuiſſet ſuſtinere, quam orbem quarto die, fuiſſe eam in Solem, & Lunã, cæteraque ſidera diſpertitam, ita vt animaliũ oculis eſſet accomodatior, & ad rerum ſublunarium generationem, & conſeruationẽ commodior, cenſent. D. Thomas 1. p. q. 67. art. 4. ad ſecundum, & q. 70. art. 1. Nic. de Lyra, & Hoſt. in priori expoſitione, quos ſecuti ſunt Angles in 2. diſt. 13. & Pererius in hunc locum cenſent, primam illam lucem non aliam fuiſſe, quam lucem Solis, ſed primo die, velut informem, & imperfectam eſſe factam; Quarto autem die fuiſſe abſolutam, & conſumatam: nam D. Thomas vult omnia à principio fuiſſe condita, & in ſuis formis ſubſtantialibus diſtincta: ergo tunc Sol erat per cuius motum fieret dies, & nox. In principio, namque creauit Deus cælũ, & nomine cæli intelligendum eſt vniuerſum corpus cęleſte, cũctos orbes complectens: ita vt in principio creauerit Deus, ſubſtantia

& numerum omnium cælorum, ſine luce tamen motu, & diſtinctione ſiderum. Primo autem die tribuit orbi Solis lucem imperfectam tamen, & incompletam vſque ad quartam diem, in qua data eſt ei ſpecialis, & determinata virtus ad particulares effectus, ſecundum quod videmus alios effectus habere radium Solis, & alios radium Lunæ, atque ita de alijs.

Quibus addit Pererius, quarto die acceſſiſſe Soli, eam, quam poſtea habuit magnitudinem. Non enim primo die globus Solis vſquequaque accenſus eſt, ſed aliquatenus tantum. Quarto autem die totus eſt ſplendidiſſima luce completus, peculiares item vires, & virtutes, maiorem quoque copiam luminis habuit.

Motus in cælo eſt duplex.

Et ſi quæratur, quam igitur ob cauſã dicũtur Sol, Luna, & Aſtra, quarto die facta. Reſpõdetur Angles, quòd in cælo duplex eſt motus. Vnus toti cælo communis, qui cauſat diem, & noctem; alter vero proprius per Zodiacum; & quantum ad primum motum (inquit) quòd ſol primo die factus eſt, vt dies à nocte diſtingueretur: nam hic dicitur: Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux, & vidit Deus lucem, quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem, factumque eſt veſpere, & mane dies vnus. Quantum vero ad ſecundum motum dicitur Sol factus, quantum ad diuerſitatem dierum, menſium, & annorũ. Ita enim ſubditur in hoc cap. Fiãt luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem, & ſint inſigna, & tempora, & dies, & annos. Cæterum hæc ſententia exactius infra examinabitur.

Beda. Auguſt. ſent.

Beda in ſuo Hexam. quem ſecuti ſunt Magiſter ſent. lib. 2. diſt. 13. Alexãd. de Ales, 2. p. q. 46. m. 5. art. 1. D. Bona. in 2. d. 13. in dubijs circa literam, & art. 1. q. 2. Nic. de Lyra, & Toſtatus in ſecunda explicatione arbitratur primam illã lucem, non fuiſſe Solem, ſed corpus quoddã lucidũ ad ſimilitudinẽ denſæ, lucentisq; nubis in ſuperiori parte mundi: in ea .ſ. in qua poſtea poſitus eſt Sol, & luſtrabat in circuitu, imperfectiori tamen modo, quam ipſe Sol, verum illa nubes lucida non fuit eiuſdem rationis cum nubibus, quæ fiunt in aere, quia illa erat de materia cæleſti, iſtæ autem ſunt de materia elementari, de qua nube quarto die formatus fuit Sol; non quidẽ per mutationem ſubſtantialem, ſed per diuerſam illius materiæ condenſationem, atque figurationem, & vberioris, nobilioris, ac efficacioris lucis acceſſione, vt magis infra à nobis explicabitur.

Alexand. D. Bonau. Nic. de Lyra, et Toſt.

Dicendum eſt ergo, hanc lucẽ fuiſſe corporalem, vt ſentiunt D. Dionyſius 4. c. de diuinis nominibus, vbi de hac luce loquens ait Ipſa eſt illa lux, quæ prima diſtinxit dierum noſtrorum Trinitatẽ. Baſilius hom. 1. Hexam. Chryſoſt. hom. 2. in Gen. Ambr. lib. 1. Hexam. c. 9. & alij expoſitores in hunc locum Gen. Alex. de Ales, & D. Thom. locis citatis, & omnes Scholaſtici in 2. d. 13. neque ad hanc ſententiam confirmandã deſunt probabiles rationes. Nam hæc ſententiam magis propriè interpretatur narrationem hiſtoricam Moſis, eſtque magis cõſentanea textui. Nam diem, qui per illam lucem extitit, proprie dies ſenſibilis fuit, ergo etiam illa lux fuit ſenſibilis. Præterea hanc ſententiam probat, & confirmat eccleſiæ authoritas, quæ in hymno veſpe-

veſperarum diei dominicæ canit: Lucis creator optime lucē dierū proferens, primordijs lucis nouæ mundi parans originem. Neque firmum eſt argumentum, quo D. Auguſtinus lib. 4. ſuper Gen. c. 22. & aliàs probat, non fuiſſe illam lucem corporalem, quia videlicet, nondum fuit creatum cælum corporale, cum firmamentum ſit productum ſecunda die, falsū enim eſt vt vidimus ſupra loquentes de cælo Empyreo.

Queſt. 3. *Manichæorum ſententia de eſſentia lucis.* Queritur ſecundò qualis fuerit illa lux, an ſ. fuerit aliquod corpus, vel forma ſubſtantialis corporis, vel accidentalis. De hac re quatuor ſunt ſententiæ. Prima dicit lucem eſſe per ſe corpus quoddam, quæ videtur fuiſſe ſententia Manichæorum, qui inter quædā elementa, quæ ipſi commiſcebāt, vnum dicebant eſſe lucē. Aiebant enim in Regno boni Principis eſſe quinque elementa, aerem, lucem, ignem, aquam, ventum, vt patet ex D. Auguſtino libro contra Epiſtolam fundamenti, c. 32. & hæreſi 46. Vnde fingebant Solem, & Lunam eſſe duas naues, quę partes lucis purgatas inuehūt in Regnum patris. Cæterum hæc ſententia eſt omnino improbabilis, vt apertiſſimis rationibus oſtēdunt D. Thom. 1. p. q. 67. art. 2. & D. Bonauentura in 2. d. 13. artic. 2. q. 1.

Secunda ſententia eſt lucem eſſe formam ſubſtantialem eius corporis, in quo eſt naturaliter, licet ſit accidens in corpore, cui ab extrinſeco communicatur, ita docet D. Bonau. loco ſupra citato q. 2. & fortè etiam Theodoretus q. 7. in Gen. cum ait lucem ſubſtantiam eſſe, & ſubſiſtere, & cum occiderit rurſus oriri, & cum abierit, reuerti, quamquam inſpecto toto loco Theodoreti dici poteſt eum accepiſſe ibi lumen, pro ipſo corpore luminoſo, quomodo etiā D. Thomas loco citato ad primū, & D. Bonau. q. 1. interpretantur D. Auguſtinum lib. 3. de lib. arb. cap. 5. vbi ait lumen in corporibus tenere primum locum.

D. Thom. Scotus Richardus. Sed cuiuſcumque ſit hæc opinio falſa eſt, vt rectè oſtendunt, D. Thom. loco citato, & Doct. ſubt. in 2. d. 13. q. vnica, art. 1. & Rich. eadem d. art. 1. q. 3. primo quia ſubſtantialis forma non eſt per ſe ſenſibilis, vt patet ex Ariſt. lib. 3. de anima, t. 26. vbi dicit. Quodquod eſt eſſe obiectum intellectus; lux autem per ſe ipſa ſentitur. *Lux nō eſt ſubſtātialis forma.* Secundo quia quod eſt accidens in vno corpore non poteſt eſſe forma ſubſtantialis, dicente Ariſt. 1. Phyſ. t. 27. Quod vere eſt, nulli accidit: ſed lux aeris, quæ ſpecie non differt, à quauis alia luce corporali, vt ad ſenſum patet, eſt accidens in aere, cum citra eius corruptionem ab eo noctu abſit, ergo in nullo corpore eſt forma ſubſtantialis.

Tertia ſententia eſt. Lucem eſſe qualitatem partim realem, & partim intētionalem, hoc eſt emi nenti quodam modo ob ſuam perfectionē, eo quod eſt qualitas primi corporis eſſe qualitatem ſimul naturalem, & intentionalem, hāc ſententiam dicit Caiet. eſſe D. Thomæ.

Quarta ſententia eſt lucem eſſe quidem qualitatem, ſed ſolum habere eſſe intentionale, & hæc eſt ſententia Doc. ſubt. Pro cuius explicatione obſeruādū eſt quòd habere eſſe intentionale bifariam ſumitur, priori modo preſſe, prout diſtinguitur contra ens reale, quomodo habent eſſe ſecundæ intentiones, vt genus, & ſpecies *Habere eſſe intētionale bifariam ſumitur.*

C apud

apud Dialecticos, & Metaphyſicos, quia ſolum habent eſſe per operationem intellectus; poſteriori modo fusè, & hoc modo illud habet eſſe intentionale, quo anima tendit in alterum: & illud in quod tendit, hoc enim nomen intentionale ſignificare videtur, nempe quo in alterum tenditur: intentio namque ad actum animæ ſolummodo pertinet, tales ſunt ſpecies v. g. coloris, quæ præter eſſe reale, quod ſimpliciter habent, retinent quoque eſſe intentionale: quia mediantibus ſpeciebus illis anima in obiectum tendit .ſ. in colorem: color enim eſt, qui videtur medijs ſpeciebus.

Lumen eſt effectus lucis in corpore diaphano.

Secundo obſer. eſt, quod lumē eſt effectus lucis in corpore diaphano, eſt ſpecies ſenſibilis, ſiue intentio ipſius lucis, quatenus intentio ſecundum Scotum, eſt non ſolum obiectum, in quod tendit potentia, verum etiam illud, propter quod potentia in obiectum fertur.

Ex his dico primo quod lux in corporibus luminoſis, non eſt forma ſubſtantialis: quia lux eſt per ſe ſenſibilis, & nulla forma ſubſtantialis poteſt ſenſu percipi, ex quo ſequitur quod cum lux, non ſit corpus, ſed forma, & non ſubſtantialis, erit neceſſario accidentalis: nam quicquid eſt, vel eſt ſubſtantia, vel accidens.

Dico ſecundo, quod lux primo modo eſt qualitas realis, & naturalis, non autem intentionalis: ratio eſt quia lumen denominat, v. g. aerem actum luminoſum, & producit naturales effectus: nam radijs ſolaribus calefiunt corpora, quod habentibus eſſe intentionale primo modo, nulla ratione conuenit: quoniam intenſiones, tranſmutationes naturales nō efficiūt.

Dico tertio quod lux ſecundo modo eſt etiam qualitas intentionalis; probatur: quia ſi lux ſiue lumen, eſſet obiectum ſenſibile tantum, & non ſpecies ſenſibilis, ſiue intentio, aut ratio ſentiendi, poſitum ſupra viſum non faceret viſionem: quia ſenſibile, (quod eſt tantum obiectum, & non ratio ſentiendi) poſitum ſupra ſenſum, non facit ſenſationem. Ex luce clarius eſt, lucem intentionem, & rationem eſſe viſionis colorũ: nihil enim magis requiritur ad ſentiendum, quam immutatio organi, & color non poteſt immutare viſum, niſi actu illuminetur.

Ex his habemus lucem corporalem, qualis fuit illa primo die producta, non eſſe corpus, neque ſubſtantialem formam corporis, ſed qualitatem tantum naturalē, quam intentionalem corporis, atque adeo corporalem nominari; quia eſt quiddam inhærens in corpore.

Quæſt. 4. Lux primo die cõdita cuius corporis fuerit forma.

Quæritur tertio cuius corporis fuerit qualitas lux illa primo die producta. Ratio dubitandi eſt: quia cum lux ſit qualitas, vt modo diximus, & non poſſit eſſe ſine ſubiecto, neceſſario de eius ſubiecto eſt inquirendum.

De hac re tres potiſſimum fuerunt ſententiæ. Prima eſt Baſilij hom 6.Hexam. dicentis lucem illam actu quidem, ante productũ Solem quarto die, non fuiſſe vllius corporis, ſed fuiſſe diuinitus ſeruatam abſque ſubiecto, poſtea vero fuiſſe collocatam in Sole, cũ is eſt productus die quarto. atque idem videtur ſenſiſſe Theodoretus q. 14. & 16. in Geneſim ait lucem primo die creatam, poſtea fuiſſe quarto die diſpertitam in magna, & parua luminaria. Quã ſententiam ſequitur Ludouicus

Molina

Digitized by Google

Molina de operibus ſex dierum disp. 7. quo ad hoc quod illis tribus diebus, non effecerit Deus lucem illam interuentu corporis luminoſi, quod produxerit, ſed per ſeipſum immediate. Quod probat primo quod (vt inquit) conſonat magis ſcripturæ ſacræ. Neque enim prima die dixit Deus fiat luminare, ſed dixit fiat lux, & facta eſt lux, quando vero quarto die fecit luminaria, dixit fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem, & infra, fecit Deus duo luminaria magna, & Stellas, & poſuit eas in firmamento cæli, vt luceant ſuper terram, & præeſſent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras. Et quia quarto die fecit luminaria, à quibus immediatè lux procedebat ipſiſmet luminaribus tribuit diuidere diem, ac noctem, & lucem, & tenebras. Prima autem die, ſibiipſi tribuit diuidere lucem, à tenebris, eo quod ab ipſomet immediatè lux illa prodiret.

Sed hanc ſententiam poſſumus refellere, quodam teſtimonio D. Auguſtini ſuper Gen. ad lit. c. 1. quo inquit Auguſtinus. Nunc quemadmodum Deus inſtituerit naturas rerum ſecundum ſcripturas eius conuenit quærere; non autem quod ipſe in eis, vel ex eis ad miraculum ſuæ omnipotentiæ velit operari, fuiſſet autem maximum miraculum lucem triduo illo præcedente conſeruare abſque ſubiecto.

Secunda ſententia eſt, fuiſſe illam lucem in quadam quaſi nubecula, quæ circum orbem, tunc, vt modo Sol, acta, diem efficiebat, lucens ſicut columna olim nubis lucebat Iſraelitico populo. Ita ſentit Beda in Hexam. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis p. 1. cap. 9. Mag. Sent. in 2. d. 13. Alex. de Ales, p. 2, q. 46. m. 5. art. 2. & 3. D. Bonau. in 2. d. 13. dub. 2, circa litteram Magiſtri, & plerique alij ibidem.

Mag. Sēt. Alex. de Ales. D. Bonau.

Sed hanc ſententiam refellunt Thomiſtæ; quare ſuperuacanea fuiſſet illa nubecula ſaltem poſt creato Sole: neque enim eſt veriſimile, aut omnino eſſe deſijſſe, cum hoc non conueniat primæ productioni rerum, in qua nimirum res duraturæ ſecundum ſuas ſaltem ſpecies à Deo productæ ſunt: neque poteſt probari quod manſerit prope Solem, & multo minus, quod ex ea Sol formatus ſit, cum ille ſit incorruptibilis; atque adeo materia eius, nunquā fuerit ſub alia forma.

Cæterum his inſtantijs optime ſatisfacit Alex. vbi ſupra: nam nubes illa non deſijt eſſe, neque mā ſit cum Sole, ſed de ea quarto die formatus fuit Sol, & alia aſtra, non quidem per mutationem ſubſtantialē, ſed per diuerſam illius materiæ condenſationem, atque figurationem, & vberioris, nobilioris, & efficacioris lucis acceſſionem; nec erat nubes illa eiuſdem rationis cum nubibus, quæ fiunt in aere: quia iſtæ ſunt de elementari materia; illa autem erat de materia cæleſti. Nam in principio quando creatum eſt cælum, & terra, ideſt cælum Empyreum, & materia prima, in terra, quæ erat omnium corporum mutabilium materia, continebatur per cōfuſionem perſpicuitas, & opacitas; poſtmodum vero cū dictū eſt, fiat lux, diuiſa eſt actualiter perſpicuitas ab opacitate, & tunc opacum, cum ceſſit ex parte terræ propter ſui reſiſtentiam, quia ſcilicet non erat peruium luci,

Digitized by Google

ci, proiecit umbram, perſpicuum vero, quod ceſſit in partem ſuperiorem, ſui giratione circa opacũ, fecit diem, & noctem.

Et ſi dicitur completius non cedit in minus completum, ſed illa lux completior erat luce Solis, ergo non ceſſit luci Solis, minor prob. ex Damaſ. dicente opera primæ, & ſeptimæ diei completiora eſſe operibus cæterorum dierum; ergo cum iſta lux, eſſet opus primæ diei, & Sol, quartæ diei, iſta lux nobilior, & perfectior erat Sole. Reſpondetur quod lux illa reuera facta eſt non diminuta, ſed perfecta, ſecundum quod competebat vſui, ad quem tunc erat, nec oportebat aliquam tranſmutationem fieri circam eam, ad hoc, vt ad illum vſum eſſet, ſcilicet ad conſeruationem, & declarationem: nam corpus illud, in quo erat lux iſta, duplicem habebat effectũ: ratione enim perſpicuitatis, quæ erat vniformis per totum habebat effectum conſeruandi res corporales inferiores; ratione vero lucis, quæ coadnata erat in aliqua parte illius corporis, habebat effectum declarandi, & multiplicandi; nam vt dicit D. Auguſtinus ſuper Ioan. & Ambr. in Hexam. lux habet virtutem declarandi ſe, & alia, & multiplicandi ſe, & alia. Sed propter vlteriorem vſum ſcilicet, vt eſſet cauſa perfecta generationis, & corruptionis in inferioribus competebat, vt ex ea fierent luminaria. Quapropter ſi conſideremus lucem iſtam, quo ad ſuum effectum, & Solem, quoad ſuum, circumſcripto ſ. effectu illius lucis, quem in ſe includit Sol, dicimus, quòd effectus illius lucis, erat conſeruare res, & declarare, Solis autem effectus proprius eſt facere generationẽ, & corruptionem, quod enim ſeruat, & declarat hoc accipit ab iſta luce; ſecundum ergo hanc comparationem, nobilior eſt effectus lucis, quàm Solis: quia nobilius eſt conſeruare, & declarare, quam generare, & corrumpere. Si vero conſideretur Sol, ſecundum quod in ſe includit effectum illum lucis, & cum iſto ſuperaddit aliũ, Sol eſt perfectior luce, & quo ad hoc materialis eſt illa lux reſpectu Solis; & idem dicẽdum eſt de alijs planetis.

Tertia ſententia eſt D. Dionyſij, c.4. de Diuinis nominibus, quã ſequitur D.Thom. 1.p.q.67.art.4. lucem illam omnino fuiſſe lucem Solis informem tamen, & imperfectam, acceſſiſſe autem ei poſtea quarta die perfectionem quamdam, ratione cuius ipſe etiam Sol illo quarto die factus eſſe dicitur, ſecundum illam videlicet lucis ſuæ perfectionem, quę tunc ei acceſſit.

Sol & cætera aſtra ante primum diẽ cõdita ſũt.

Arbitratur enim D.Thomas Solem ſecundum ſubſtantiam ſuam cum reliquis cæleſtibus corporibus ante primum diem, per opus creationis, ſine luce tamen conditum eſſe, deinde autem primo die accenſa eſt in Sole lux, ſed imperfecta tamen, & adhuc quodãmodo informis: nam caruit vi quadam vltima, ad efficiendos determinatos effectus. Nondum enim habuit tunc Sol proprium ſuum motum ab Occidente in Orientẽ, per quẽ efficit dies, & noctes inęquales, & tempora anni diuerſa, ſcilicet, Ver, Aeſtatem, Autumnũ, Hiemem, & quo etiam mediante vim habet ſua luce determinandi hos, aut illos effectus; ſed tantum habuit tunc motum, quo rapitur à primo mobili ab Oriente in Oc-

ciden-

Digitized by Google

cidentem, per quem ſolum motũ fecit illo primo triduo dies, & noctes æquales. Quarto autem die factus eſt ei motus proprius, & fortè ei tunc attributus fuit angelus proprius motor; atque adeo tunc primo habuit vim illam vltimam, & determinatam efficiẽdi varietates temporũ, & peculiares effectus, hæc eſt ſententia D.Tho. quæ eſt valde probabilis.

Cæterum quia lux, quãuis ſpectata prima inſtitutione vocabuli, lucem corporalem ſignificet, tamen ſi ſpectetur vſus loquentiũ, qui omne illud, quod quouis modo reddit aliquid cognoſcibile, per quãcumque cognitionem, aut etiam ex ſe propriè eſt cognoſcibile, lucem appellat, dicitur etiã de rebus ſpiritualibus, iuxta ſententiam D.Dionyſ. de Diuinis nominibus, c.4. qui vocabulum lucis recenſet inter nomina Dei intelligibilia, quæ Deo propriè conueniunt, & D.Aug. lib.4. ſuper Gen. ad lit. c.28. dicentis lucem in ſpiritualibus non figurate, ſed proprie dici, neque enim Chriſtus, dicitur lux quomodo lapis. Ideo cũ bifariam ſumatur lux, nimirum pro luce corporali, & ſpirituali, dicto de corporali luce, de ſpirituali modo ſermo habendus eſt: prout ſcilicet Angeli lux appellantur & primo.

Quæritur. An angeli creati fuerint ante mundum corporeum. Hoc nomen angelus licet à Theologis, imo, & à ſanctis Patribus vſurpatum ſit ad deſignandam naturam, & ſubſtantiam ſpiritualem creaturarum, tamen re vera non eſt naturæ nomen, ſed officij, ſi nominis Etymologiam attendamus; Eſt autem iſta vox angelus Græcum nomen idem ſignificans, ſicut nuncius, vt docet D. Ambroſ. in 1. c. ad Hebræos, exponens illud; Qui facit angelos ſuos ſpiritus. Si naturæ nomen quæris (inquit Ambroſ. ſpiritus eſt, ſi nomen quæris officij, Angelus eſt, eadem fere verba habet D. Auguſtinus ſuper Pſal.103. ſer. 1. Vſurpatur etiam interdum hęc vox Angelus ad ſignificandos Dei miniſtros qui nobis eius voluntatem, & legem annunciant. Ita aduertit D. Ambroſ. hom. 2. in Apoc. & colligitur ex eo, quod Chriſtus Matth. 11. Ioannẽ Baptiſtam angelũ appellauit, eoquod fuit deſignatus præcurſor eius.

Angelus multipliciter in ſcripturis accipitur.

Antiqui Philoſophi creaturas ſpirituales non compellabant angelos ſed ſubſtantias ſeparatas, & intelligentias, vt patet 8.Phy. & 12.Metaph. Ita, & nos in hac quæſtione angelos accipimus pro ſubſtantijs ſpiritualibus, nempe à materia ſeparatis, quas reperiri in rerum natura, nedum eſt veritas fidei, ſed etiam ratione naturali oſtẽdi poteſt, vt patet ex Ariſt. 11. Metaph. & 8. Phyſic. eſſe etiam à Deo in tempore productas veritas eſt fidei; ſed id quod videtur controuerſum, eſt, an ſimul cum hoc mundo creatæ ſint, an vero ante iſtum mundum ſenſibilem.

De qua re fuit multorũ Patrũ, tã Græcorum, quã Latinorum ſententiã angelos ante mundum viſibilẽ, & corporeũ à Deo fuiſſe productos. Ita ex patribus Græcis ſentit Orig. ho.4. in Iſayam in princ. (quãuis in proœmio librorũ Periarchon in fine, exiſtimet rẽ eſſe dubiã) Baſil. ho.1. in Gen. ante mediũ, & hom. 2. in illa verba. Terra erat inanis & vacua. Nazianz oratione panegyrica in Natale Domini, quæ eſt 38. ante medium §. ſic nimirum, & ſequenti, quem ſequitur Nicetas ibidem. Præterea

Digitized by Google

idem Nicetas in orat. 39. Nazian. quæ eſt in ſancta lumina, in illa verba, at vero nobis, & idem Nazianz. orat. 42. quæ eſt ſecunda in Paſcha §. quoniam autem, vbi repetit, quæ dixerat oratione illa 28. ſententiam vero Nazianz. veriorem exiſtimat Damaſ. lib. 2. de fide cap. 3.

Ex Latinis verò hoc idem docuerunt Hilarius lib. 12. de Trinit. poſt medium. Ambroſ. in præfatione Pſal. 1. & lib. 1. Hexam. cap. 5. poſt medium; Hieron. in Epiſtola ad Titum in magnis Commentarijs, qui habetur in 6. Tomo in illa verba cap. 1. Quã promiſit non mendax Deus. Caſſianus collat. 8. cap. 7. qui non ſolum exiſtimat hanc ſententiam eſſe veriorem; ſed etiam affirmat neminem fidelium de eà dubitare. Referri etiam ſolet in hanc opinionem Author libri de eccleſiaſticis dogmatibus apud Auguſtinum cap. 10. ibi tamen ſolum docet cum tenebræ adhuc ipſam aquam occultarẽt, quam Deus ex nihilo in terrà creauerat, & ipſa aqua terràm abſconderet, factos eſſe angelos, & omnes cæleſtes virtutes, vt bonitas Dei non eſſet otioſa, ſed haberet Deus in quibus per multa ante ſpatia bonitatem ſuam oſtenderet. Quibus verbis non ſignificat hic Author angelos fuiſſe creatos ante omnem corpoream creaturam, cùm iam eſſet terra, & aqua, ſed productos fuiſſe ante lucem, cum adhuc tenebræ eſſent ſuper faciem abyſſi, & antequàm terrà luce ipſa viſibilis redderetur. Refertur etiam pro hac ſententia D. Auguſtinus in illud Pſalm. 89. Prius quam montes fierent, &c. id tamen ibi non docet. Demum allegari ſolet Chryſoſtomus hom. 22. in Gen. ſed eo loco ſolum docet angelum peccaſſe, prius quam formaretur primus noſter parens.

Huic ſententię fauere videntur Gregorius lib. 28. Moralium. cap. 7. in illud. Cum me laudarent aſtra matutina, &c. vbi inquit, Prima in tempore condita eſt natura rationabilium ſpirituum. Adde etiam Iſidorum lib. 1. de ſummo bono, cap. 12. ſententia 4 qui hoc ipſum ſentire videtur; imo etiam addit, Dęmonẽ prius creatum fuiſſe, quam bonos angelos, quod probat ex illo Iob 4. Ipſe (ſ. Behemoth) eſt principium viarum Dei; nomine autem Behemoth, multi Dęmonem intelligunt. Conſentit etiã Beda, libro quæſt. q. 9. qui verba Iſidori refert, ea tamen explicat in hunc modũ, vt Diabolus dicatur prius creatus, quàm bonus angelus ordine ſecundum dignitatem naturę, non ſecundum durationem, in quem ſenſum ipſum etiam Bedam, Iſidorum, & Gregorium, interpretari poſſumus in eo, quod docent Angelum creatum fuiſſe ante mundum corporeum, vt intelligantur de ordine ſecundum dignitatem, non ſecundum durationem. à qua explicatione non abhorret ipſe Gregorius lib. 28. Moralium cap. 18. Cum de diabolo ait primum conditum fuiſſe, quia ipſum eminentiorem fecit Deus.

Fundamenta autem huius ſententiæ ſunt: quia (vt inquit Caſſianus) non eſſet credendum Deũ tot ſæculis ante creationem corporeæ creaturæ fuiſſe otioſum, ergo aſſerere debemus, Deum ſuã bonitatem communicaſſe ſpiritualibus creaturis, antequam corporeas creaturas produceret.

Item ſi Angeli creati eſſent cũ mundo

mundo corporeo, creationis illorum mentionem aliquam feciſſe Moſes; atque nullam illorum mẽtionem facit, cum de creatione mundi corporei loquitur, ſignum igitur eſt, non fuiſſe cum mundo corporeo creatos.

Præterea, ſic arguit Caſſianus ex illo Iob cap. 38. Vbi eras quãdo ponebam fundamenta terræ, &c. & paulo poſt, quando me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? quem locum ſecundum translationem ſeptuaginta, ſic legit Caſſianus, quãdo facta ſunt ſimul ſidera, laudauerunt me voce magna omnes boni angeli mei. Qui autem dicuntur intereſſe alicuius rei productioni, & ex illa factorem laudare, videntur fuiſſe ante rem illam, ergo angeli, qui aſtiterunt creationi aſtrorum, & Deum factorem ex illa laudauerunt, ipſorum aſtrorum creationem præceſſerunt.

Deinde Iob 40. legatur de Behemoth. Ipſe eſt principium viarum Dei, Per Behemoth autem intelligitur Diabolus ergo &c.

Poſtremo arguitur ex illo ad Titum 1. Quam (.ſ. beatam ſpem) promiſit Deus ante tempora ſæcularia, nam ſi talis promiſſio facta eſt ante tempora hæc ſæcularia; quæ ab initio mundi numerantur, (ætas enim mundi ſæculum dicitur) alicui creaturæ fieri debuit: nulla autem videtur eſſe quam angelus, ergo angelus creatus fuit ante hæc tempora ſæcularia.

Cęterum communis Scholaſticorum ſententia eſt cum Magiſtro in 2. d. 2. angelos creatos fuiſſe ſimul cum terra, & cælo Empyreo, atque adeo nec creationem angelorum fuiſſe priorem creatione mundi corporei, neque hanc fuiſſe priorem angelorum creatione. Quam ſententiam docent Epiphanius lib. 2. contra hęreſes fere in principio, hæreſi 65. & Theodoretus q. 3. in Gen. Sixtus Senen. lib. 5. Bibliothecæ annot. 5. citat etiam Acacium Cęſarienſem Epiſcopum, & Diodorum Tharſenſem Epiſcopum.

Ex Latinis vero eamdem affirmarunt Auguſtinus 11. de Ciuit. cap. 6. & 9. Gregorius 32. Moralium cap. 9. & plerique alij. Quæ confirmatur primo authoritate Sophronij in ſua Epiſtola, quæ habetur in 6. Synodo act. 13. vbi ita legitur. De principio viſibilis mundi, & conſtitutione quæ facta eſt, confiteor, quod omnia, non tantum viſibilia, ſed & inuiſibilia, vnus Deus condidit, & infra. Omnia per vnigenitum filiũ, Pater in Spirituſancto fecit, quæ & ſapienti prouidentia continet, vt Deus ſuis operibus præſidens, principiumq́ue omnibus temporale conſtituens, ſenſibilia quidẽ fini temporali ſuppoſuit, intellectualia vero, & inuiſibilia hæc meliori dignitate dignatus eſt, & nullatenus quidem moriũtur, neque corrumpuntur, iuxta quod ſenſibilia defluunt, atque pertranſeunt. Hæc Sophronius.

Sed longe apertior eſt authoritas Concilij Later. 2. c. firmiter, de ſumma Trinit. & fide Chatholica, vbi Innocentius III. cum vniuerſa Synodo in hunc modum definit. Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod vnus ſolus, & verus Deus, vnum vniuerſorũ principium, creator omniũ inuiſibilium, & viſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotẽti virtute, ſimul ab initio temporis, vtramque de nihilo

Digitized by Google

condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, angelicam, videlicet, & mundanam, & deinde humanam, quaſi communem, ex ſpiritu, & corpore conſtitutam.

Secundo ratione confirmatur. Si angeli boni, & mali, ante mundum corporeum creati ſunt, aut multis ante ſeculis, aut paruo ante ſpatio creati ſunt, ſi multis ante ſeculis, vt expreſſe docuerunt Hierony. & Caſſianus, aut peccauerunt antequam fieret mundus corporeus, aut poſtquam factus eſt, primum dici non poteſt: quia ſtatim atque angelus peccauit, Michael, & Angeli eius præliabantur cum Lucifero in cælo, ex quo Lucifer, & angeli eius eiecti ſunt in infernum, vt eſt communis Patrum opinio. Chryſoſt. hom. 3. de verbis Iſaiæ poſt medium, & hom. 15. in Ioan. circa finem. Nazian. orat. 39. quæ eſt in ſancta lumina parum ab initio, Auguſtini in illud Pſal. 103. Draco iſte, quem formaſti, &c. Iſidori lib. 1. de ſummo bono, cap. 12. ſententia 7. Quod nonnulli confirmant ex illo Apoc. 12. Factum eſt prœlium magnum in cęlo, &c. & confirmatur: quia angelis peccantibus paratus fuit ignis æternus. Math. 25. Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & angelis eius, & 2. Petri cap. 2. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, &c. & Iudas in ſua Canonica de angelis peccantibus inquit eiſdem non pepercisse, ſed in iudicium magni diei vinculis ęternis ſub caligine reſeruaſſe, ergo ſtatim ac peccauerunt ignis æternus corporeus in inferno ipſis deſtinatus eſt, ac proinde non peccauerunt antequam corporea creatura condita eſſet. Neque peccauerũt poſt corporalem creaturam productam, ſi multis ante ſæculis creati ſunt: quia ex oppoſito ſequeretur per multa ſęcula angelos malos, in gratia Dei perſeueraſſe, id quod credibile non eſt: magis enim rationi conſentaneum uidetur viam angelorum breuiori ſpatio finiri, quam hominum, cum angeli promptiores ſint ſuapte natura in operatione, & electione, quam homines. Si autem dicatur angelos productos fuiſſe paulo ante corpoream creaturam, abſque fundamento id dicetur. Cur enim paulo ante crearentur, qui cum vniuerſo corporeo creari poſſent? vel qua ratione id ſuaderi poterit? probabilius igitur magiſque rationi conſentaneum videtur aſſerere angelos non ante creaturam corporeã, ſed ſimul duratione cum illa fuiſſe productos.

Ad fundaméta oppoſitę ſententiæ reſpondetur, & ad primum dicitur cum Theodoreto q. 3. in Gen. quod ſi ratio concluderet, probaret vtique angelos ab æterno productos fuiſſe à Deo ne per æternã duratione͂ Deus eſſet otioſus: nam quommodocunque ſpiritus creaſſet ab initio, etiam ſi ante corpoream creaturam illos produxiſſet, ſequeretur per æternam durationem Deum otioſum fuiſſe; hoc autem nemo Catholicorũ exiſtimabit abſurdum, imo ſecundum fidem catholicam neceſſario confitendum, cum certum ſit, Deum nihil ab æterno creaſſe; futilis ergo, & inanis eſt hæc prima ratio Caſſiani, Deo enim nihil perfectionis aduenit, ex eo quod extra ſe aliquid operetur, vt inquit D. Auguſtinus lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 5. & è contra nihil deeſt perfe-

Digitized by Google

perfectioni ex eo, quod nihil operetur, ac proinde parum refert per infinita ſęcula extra ſe nihil produxiſſe.

Ad ſecundum fundamentum. D. Auguſtinus locis ſupra citatis, & Beda in Hexam. exiſtimant creationem angelorum non fuiſſe à Moſe prętermiſſam, ſed eam ſignificaſſe nobis nomine lucis. Hęc tamen ſententia communiter reijcitur, & merito quidem, cum ſcriptura Moſis ſit hiſtorica narratio, verba illius vſurpanda ſunt in communi, & vulgata ſignificatione, non in Metaphorica; quapropter, & Doctores, communiter per lucis nomē nō angelos, ſed lucem corporalem intelligunt; Auguſt. hoc ſenſu ſcripturam intellexit, vt defenderet vno die creata fuiſſe omnia, & dies qui hoc cap. numerantur, diſtingui tantum ſecundum lucem angelicæ intelligentiæ; quæ quidem opinio merito ab omnibus exploditur.

Alij vero putant prætermiſſam fuiſse à Moſe angelorū creationē; ne populus ille ad Idolatriam nimium propēſus, angelos tamquā Deos adoraret ita dixit Athanaſius in quæſt. ad Antiochum. q. 2. & Theodoret. q. 2. in Gen. quorum ſententia ea ratione mihi nō probatur: quia eadem ratione debuiſſet Moſes, nuſquam Angelorum mentionem facere, atqui ſæpius de ipſis loquitur in Gen. Exo. & alijs libris, ergo illa ratione creationem eorum non prætermiſſit.

Quare verius exiſtimo ideo Moſem creationis Angelorum nō meminiſſe: quia ſui inſtituti ratio id non poſtulabat, vt enim ſcribit Hierony. Epiſt. 109. ſolum voluit Moſes ordinem creationis rerum corporaliū deſcribere, aut vt quidam putant: quia populus ille rudis erat; aut quod verius eſt: quia ſolū in rebus corporeis creandis, fuit illa ſeries, & varietas dierum, quæ explicatione indigebat: Angelos autem fuiſſe à Deo productos ſatis conſtabat.

Ad tertium dico primo ſecundum noſtram vulgatam editionē, quę merito ab omnibus recipienda eſt vt authentica, nihil ex illo loco probari, noſtra autem vulgata ipſi contextui, & Hebraicę lectioni magis congruit. Secundo dico, quòd etſi admittamus lectionem ſeptuaginta, reſpondet optimè Theodoretus, eos, qui ex eo loco argumentantur, non rectè conſideraſſe, aſtra nō fuiſſe prima die creata, ſed quarta, vt in hoc cap. manifeſte conſtat, ac proinde potuiſſe Angelos aſtrorum creationi optimè adeſſe, etiam ſi ante creaturam omnem corpoream creati non fuiſſent. Adde etiam, quòd licet aſtra primo die facta fuiſsēt, non ineptè dici poſſet Angelos eorū creationi aſtitiſſe, & de ea Dominum, & factorem laudaſſe: nā & ipſi Angeli de ſua ipſorum creatione in ipſo primo momēto ſui, Deum laudauerunt eique gratias reddiderūt. Denique quo ad editionem vulgatam attinet, ab illis verbis. Cum me laudarent ſimul omnia aſtra matutina, diſtincta eſt interrogatio, Vnde ſuplendū, atque repetendum eſt. Vbi eras cum me laudarent ſimul omnia aſtra matutina, ideſt matutino tēpore ante lucem Solis apparerēt, quando adueniente iam die, iocundior eſt eorum aſpectus. Et iubilarent omnes filij Dei, ideſt omnes Angeli iuſti? Quaſi dicat, nuſquam tunc eras. Porrò laus illa aſtrorum metaphorica eſt, cōmunis

nis omnibus creaturis cognitione carentibus, eo modo quo de cælis dicitur. Cæli enarrant gloriã Dei, &c. & ſæpe in Pſal. creaturæ omnes ad laudem Dei inuitantur. Ex illis autem verbis nequaquã colligitur Angelos ante mundũ corporeum fuiſſe factos.

Ad quartum dico, quòd per Behemoth litteraliter intelligitur Elephas, aut aliud animal terreſtre ex genere Draconum, vt nonnulli arbitrantur; ſicut Leuiathan ſignificat, aut cete maris, aut genus aliquod piſcis. De illo autem animali, vt rectè exponit Eugubinus, rectè dicitur principium viarum Dei, hoc eſt, operum Dei, & adinuentionum ipſius; non quia ordine durationis reliqua Dei opera antecedat, vt manifeſtè cõſtat: ſed quia vaſtitate corporis, magnitudine, & fortitudine reliquis brutis animantibus antecellit.

Si autem de Dęmone intelligatur, quod tantum per figuram accipiendum eſt, eo modo intelligi debet de ordine non durationis, ſed dignitatis, vt cõſtat ex Beda, & Iſidoro locis citatis, quorũ ſententiam indicauit Gregor. lib. 32. Moralium, cap. 18. aliàs 24. Quod vero in eodem cap. 40. Iob dicitur Ecce Behemoth, quem feci tecũ, non denotat Behemoth ſimul duratione cum Iob, aut cum homine fuiſſe productum, ſed particula, tecum, idẽ ſignificat quod pariter, nempe collectionem rerum.

Ad vltimum dico, quòd verbũ illud promiſit, non ſignificat promiſſionem aliquam verbo factam ſed æternã Dei prędeſtinationẽ, vt notant Chryſoſt. & Anſelmus in eum locum, & Auguſtinus 12. de Ciuit. cap. 16. Qua vero ratione dicat Paulus ante tẽpora ſęcularia, nõ eſt hic locus explicandi; poſſumus tamen dicere D. Paulũ per tempora ſęcularia intellexiſſe tempora plurium ſęculorum, ſęculum enim eſt periodus durationis cuiuſcumque rei, vnde ſenſus illorum verborum eſt. Quam promiſerat (Patribus videlicet teſtamenti veteris, ac legis naturæ) ante multa ſæcula, ſeu ante periodos durationis, ac vitæ multorũ hominum, vel poteſt exponi. Quã promiſerat, ideſt in ſemetipſo dare ſtatuerat, ac pdeſtinauerat, ante tẽpora ſæcularia, ideſt ex æternitate: itaque Paulus per tempora ſæcularia intellexit omne tempus, & ideo dixit ante tempora ſęcularia, ac ſi diceret ante ſęculũ. Tota enim temporis congeries, ſæculum dicitur.

Quæritur ſecundo. An Angelos eſſe creatos vna cum hoc mundo corporeo, & ſenſibili ſit dogma fidei, ita quod oppoſitum aſſerere ſit error in fide. Et ratio dubitandi eſt ex verbis Concilij Later. 2. in quæſt. præcedenti relatis.

Aſſerere Angelos creatos ante mundũ ſenſibilem an ſit hæreſis.

De hac re triplex eſt ſententia, prima affirmat eſſe errorem cõtra fidem, aſſerere angelos productos eſſe ante hunc mundum ſenſibilem, ex eo quod oppoſitam ſententiam exiſtimant definitam eſſe in Concilio Lateranenſi, ita ſentit Ferrara contra gentes. cap. 83. circa finem, cui conſentiunt Cano, & Soto Maior. Quocirca exiſtimat Ferrar. prædictam ſententiam ſine labe hęreſis defendi nõ poſſe poſt hanc Concilij definitionem.

Secunda ſententia eorũ eſt qui affirmant angelos creatos ante hunc mundum ſenſibilem, non eſſe errorem in fide, eſſe tamen ſententiam temerariam, quippe quæ non ſatis conſentit doctrinæ Ec-

cleſiæ,

Digitized by Google

cleſiæ, & teſtimonijs ſcripturæ ſacræ, ita ſentit Bannes, 1. p. q. 61. art. 3. & Molina. Primum probat Bannes: quoniam olim illa ſententia recepta fuit à multis ſãctis patribus præſertim Græcis, vt vidimus in ſuperiori quęſtione, ergo non eſt credendum aduerſus tot ſanctos patres illam ſententiam eſſe errorem apertum, neque eſt credibile Concilium Latera. definijſſe ex intẽtione ſẽtẽtiã, tot, tantiſque patribus contrariã præſertim cum in ſcriptura ſacra non reperiatur ſolidum fundamentũ pro illa ſẽtẽtia: Secundum probat: quia omnes Theologi nullo excepto in 2. d. 2. grauiſſimos patres ſecuti, oppoſitam ſententiam aſſeueranter docent, & præter ſãctos in præcedenti q. citatos, legito Hugonem in præfatione lib. 3. de Sacramentis, & prænotationibus ad Gen. Vide etiam alia patrum teſtimonia in Aloyſio Lippomano in Catena ſuper Gen. in illa verba: In principio creauit Deus cælum, & terram. Prætcrea illud teſtimonium Eccleſiaſt. 18. Qui uiuit in æternum creauit omnia ſimul, vrget pro ea ſententia; & tandem definitio citata ex Concilio Lateran. omnino rem hanc confirmat.

Tertia ſententia docet, opinionem Nazian. Hilarij, & cæterorũ patrum, nec in ſcriptura, nec ab eccleſia damnatam vnquam fuiſſe, atque adeo non ſolum non eſſe erroneam in fide, ſed nec etiam temeritatis nomine cenſendam eſſe.

Et quidem hactenus non damnatam eſſe ſententiam Nazian. docet D. Thom. 1. p. q. 61. art. 3. qui etiam agnouit definitionem Concilij Lateran. Interpretatur enim opuſ. 23. definitionem illius Concilij, & tamen loco citato expreſſe dicit, non eſſe errorem illã ſententiam: & in illo opuſculo, nihil meminit de hac definitione, quam certe non prætermiſiſſet ſi intelligeret Cõcilium ex intentione definire hanc ſententiã. D. Thomam ſequuntur Caiet. in Commentario illius art. & Sixtus Sen. loco inferius allegando.

Quod autem neque ex ſcriptura colligi poſſit erroneam eſſe Nazian. ſententiam, patet: quia tria teſtimonia ſunt, quæ videntur contra Nazian. poſſe allegari. ea tamen nihil probant; Primum teſtimonium eſt in hoc cap. In principio creauit Deus cælum, & terram. Dicit enim in principio hoc eſt ante reliquã omnia: quia ante quam cælum, & terra crearentur, nihil factum erat.

Verum certum non eſt illud in principio ſignificare principium ordinis cõparatione omniũ creaturarum, ſed aliqui cenſent (vt uidimus ſupra) ſignificare initium temporis, quod in motu corporeo conſiſtit. ac ſi dicat initio tẽporis creauit Deus cælum, & terrã; aut ſi denotat anteceſſionem durationis, non accipi ſimpliciter reſpectu omnium creaturarum vniuerſim, ſed reſpectu corporaliũ, quarum expreſſe fit mẽtio in hoc cap.

Secũdum teſtimonium eſt Eccleſiaſt. 18. Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul. Hic vero locus ſi alicuius momẽti eſt, vt contra Nazian. demonſtret Angelos fuiſſe conditos cum creatura corporea, & non antea, probat etiam omnia corpora elementorum, & viuentium ſimul duratione creata fuiſſe, vt voluit D. Auguſtinus, cuius ſententia in hac re ab omnibus ſimul reijcit; quare omnes

nes habent hunc locum interpretari, vt non probet omnia corpora, nec Angelos cum corporibus omnibus, ſimul duratione productos. Varie autem illud teſtimonium Doctores intelligunt, Gregorius 32. lib. Moralium cap. 9. aliàs 10. explicans illud Iob 40. Behemoth, quem feci tecum, illã particulam ſimul refert, non ad corpora, & ſpiritualia, ſed ad ea, quæ poſtea per propagationem facta ſunt, illa enim ſimul in ſuã cauſa facta eſſe dicuntur; Aſtra enim deinde de cælo facta ſunt, viuẽtia vero ex aquis, & ex terra, vt patebit in hoc cap. quam interpretationem ſecutus eſt S. Thom. 1. p. q. 74. art. 2. ad ſecundum.

Secundo poteſt hic locus interpretari, vt dicantur omnia ſimul creata; quia breuiſſimo tempore producta fuerunt, qua ratione dicitur infra; Hæ ſunt generationes cæli, & terræ, quando creatæ ſunt in die, qua fecit Deus cælum, & terram, vbi particula, in die, ponitur pro in diebus, propter breue temporis interuallum.

Tertio dici poteſt quòd particula, ſimul, non referatur ad durationem temporis, nec denotet codẽ tempore omnia fuiſſe à Deo producta, ſed ſignificet id, quod pariter, quo pacto ſignificat tantũ rerum collectionem, ita vt ſit ſenſus. Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul, hoc eſt, pariter omnia creauit, nulla re præter ipſum excepta, iuxta id, quod dicitur Pſal. 13. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, & Pſal. 48 Simul inſipiens, & ſtultus peribunt.

Poſtremo poſſumus eumdem locum interpretari, cũ Rup. lib. 2. in Gen. cap. 28. hoc modo: creauit omnes res ſimul, non in proprijs ipſarum naturis, ſed in ſuamet ſapientia, vt deinde illas omnes extra produceret. Quia Deus prius habuit in mente ſua omnia, quæ facturus erat, quã illa extra ſeipſum produceret.

Tertium teſtimonium contra ſententiam Nazian. poſſet eſſe illud ad Hebræos, id eſt omnes (ſcilicet Angeli) ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, &c. Quo vtitur Theodoretus locò ſupra citato, vt probet Angelos fuiſſe eodem temporis momento cũ mundo viſibili productos; nam ſi antea producti fuiſſent, non eſsẽt adminiſtratorij ſpiritus miſſi in miniſterium corporalis creaturæ, quia fuiſſent antequam eſſet corporalis creatura, cui poſſent miniſtrare.

Verum teſtimonium hoc infirmũ eſt; nam, quamuis Angeli conſtituti fuerint adminiſtratorij ſpiritus noſtræ ſalutis, poſtquam homo conditus fuit, tamen non neceſſe fuit hoc miniſteriũ ſemper illis fuiſſe demandatum, præſertim cum hoc Angelo non conueniat natura ſua, ſed munere, & officio, nec hominis gratia conditus fuerit, ſed tantum poſtquam conditus fuit ad hoc miniſterium fuerit deputatus, ex quibus colligere licet, nullum eſſe ſcripturæ teſtimoniũ, quo poſſint partes prædictæ ſentẽtiæ conuinci: id quod Epiphanius, qui oppoſitam ſentẽtiam ſecutus eſt, notauit cum dixit, nuſquam ſcripturam clare indicare tempus creationis Angelorum.

Quare huic ſentẽtiæ velut probabiliori adhæreo. Præſertim cũ D. Auguſtinus qui opinatur duratione ſimul cum corporea creatura Angelos fuiſſe creatos fatetur rem hanc eſſe incertam, lib. de Incar-

Incarnatione Verbi, cap. 6. Si tamen hic liber eſt Auguſtini, & in lib. imperfecto ſuper Gen. cap. 3. dicit coniecturis impenetrabile eſſe; lib. autem 11. de Ciuit. c. 32. de illorum Patrum agens opinione, qui dixerunt per multa ſæcula ante corpoream creaturam Angelos conditos fuiſſe, tamdem concludit in hæc verba. Proinde, vt volet vnuſquiſque accipiat, quod ita profundum eſt, vt ad exercitationem legentium, à fidei regula non aberrantes plures poſſit generare ſententias, dum tamen Angelos ſanctos Deo non coæternos nemo ambigat. Theodoretus etiam, qui cum D. Auguſtino ſenſit fuiſſe productos Angelos ſimul duratione cum corporea creatura, q. 3. in Gen. ſubiungit. Conceſſo Angelos habuiſſe initiũ, ſi quis dixerit ante fuiſſe, non offenderet verbum pietatis. Denique Hugo de S. Victore; qui eamdem cũ his Patribus ſequitur opinionem, de ea inquit. Sed non interim magis approbamus, quod dictum eſt pro captu intelligentiæ noſtræ, ſalua reuerentia ſecretorũ, in quibus nihil temere aſſerendum eſt.

Neque Lateranenſe Cõcilium, oppoſitum definiuit, vt graues Theologi noſtri temporis cũ Caiet. & Sixto Sen. lib. 5. Bibliothecę annot. 5. non immerito arbitrantur: nam non tam verba ipſa Cõcilij quam mens illius attendẽda eſt. Mens autem Concilij fuit errorem Origenis damnare, qui dicebat Deum à principio ſolũ creaturas ſpirituales feciſſe, poſtea vero quibuſdam illarum peccantibus, corpora creaſſe, vt in illa tãquam in ergaſtulum, eas immitteret, & ibi puniret, & hac occaſione, omnem creaturam corpoream creaſſe; quæ ſecundum ſe bona nõ eſt, nec aliàs, niſi ex occaſione prędicta crearetur. Hunc autem errorẽ damnatum fuiſſe in Cõcilio expreſſe affirmat S. Thom. in præcitato opuſ. ante medium, ex quo infert Caiet. hoc modo: Quamuis Decretalis illa, vtrumque verbis ſuis complectatur, & quod tã ſpiritualis creatura, quam corporea, vnaquæque per ſe, & non occaſione alterius producta fuerit à Deo; & quòd ſimul duratione in initio temporis, corporea cum ſpirituali condita fuerit, tamen illud prius tantum, vt certum contra Origenem definit. Obiter autem indicauit Cõcilium ſimul vtramque creaturam cõditam eſſe: quoniam ita ponit communior, & verior ſententia. Quod autẽ in Concilijs ita obiter aſſeritur; non propterea definitur, quaſi certum ex fide, ſed id, quod ex inſtituto decernitur cõtra aliquos contrarios errores.

Et ſi dicatur, ꝙ error ille Origenis iam dudum erat ab Eccleſia damnatus, ergo non fuit iterũ in Concilio illo aliquid cõtra Origenem definitum. Tum quia Cõcilium illud non fuit congregatũ contra errores Origenis: ſed contra Ioachimum Abbatem, & Almericum male de Trinitate ſentientes: Dicimus, quòd etſi Concilium illud non fuerit congregatum contra errores Origenis, ſed Ioachimi, & Almerici, potuit tamen obiter damnari error Origenis, cum multa etiam alia definiãtur, in cap. 2. illius Concilij, vbi ponitur Symbolum fidei, antequã in 2. cap. error Ioachimi, & Almerici damnetur: In primo enim capite multa de Sacramentis præmittuntur, ad quorum definitionem Concilium congregatum nõ fuerat. Potuit igitur Concilium,

&

& errorem Origenis obiter damnare, vt integrum fidei Symbolũ præmitteret. Et quamuis error ille Origenis damnatus fuerit, in Cõcilio V. Conſtantinopolitano, cuius canones refert Nicephorus lib. 17. Hiſtor. cap. 27. nihil obeſt, quo minus iterũ in prædicto Concilio Lateranenſi damnaretur: Nã & in Concilio Trid. ſeſſ. 6. in 1. 2. & 3. Canone confutantur aliqua Pelagij dogmata iam diu in Concilijs Mileuitano, & Africanis damnata.

Poſſemus etiam dicere mentẽ, & verba Concilij, non fuiſſe definire angelos ſimul duratione cum creatura corporea cõditos fuiſſe: nam particula, ſimul, quæ hoc ſignificare videtur, non ſemper refertur ad durationem, ſed interdũ ſignificat idem, quod pariter, vt ſupra diximus: quod ex eo patet, quòd conſulto dixit Concilium. Simul ab initio tẽporis vtramque de nihilo condidit creaturam, & non dixit ſimul tempore, vt definiret vtramque pariter creaturam habuiſſe ſuę durationis principiũ, quamuis non ſimul eodem temporis puncto; nec temporis initiũ à Concilio vſurpatur pro initio illius, quod communiter tempus appellamus, quod eſt in motu corporis cæleſtis, quodque pro menſura aliorum motuum, & durationum nobis eſt, ſed ſumpſit pro initio cuiuſcumque durationis, etiã permanentis, qualis eſt duratio ſubſtantiæ Angeli, qua ratione, etiam ſi nulla creatura corporea creata eſſet, poſſemus dicere, Angelum non ab æterno, ſed initio durationis conditum fuiſſe, ſi poſt non eſſe creatus eſſet, perinde igitur eſt creari ab initio temporis, & nõ ab æterno creari; Hoc autẽ definire neceſſarium videbatur, vt articulus creationis exactè explicaretur.

Quæritur tertio. An fuerint Angeli creati in cælo Empyreo: Ratio dubitandi eſt, quoniam D. Auguſtinus lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 17. refert quoſdam aſſeruiſſe Dæmones ex alio genere Angelorum, quam beatos ſpiritus fuiſſe, eoſque in hoc mundo inferiori fuiſſe creatos, cap. autem 19. ait ſe non audere hæc duo genera angelorum aſſerere, cum id ex Scripturis colligi non poſſit.

Rupertus lib. 1. in Gen. cap. 11. de loco creationis Angelorum ita ſcribit. Non magis Angeli facti ſunt in cęlo, quam homo plaſmatus in Paradiſo eſt, ſicut ſcriptum eſt, &c. Ita nimirum, & Angeli extra Paradiſum conditi, & in cælum tranſlati non natura, ſed gratia cælum inhabitãt, quo loco hic Auctor exiſtimat, Adamum quidem creatum fuiſſe extra Paradiſum, & deinde in Paradiſum tranſlatum; atque eodem modo angelos extra cælum, deinde omnes per gratiam in cælum tranſlatos; atque inde Luciferum peccato ſuo cecidiſſe.

D. Thomas 1. p. q. 61. artic. 4 ad ſecundum, indicat ſatis probabiliter dici poſſe, non omnes angelos fuiſſe creatos in cęlo Empyreo, ſed quod illi Angeli, qui deputati ſunt motioni orbium cæleſtium, creati ſunt vnuſquiſque in orbe illo cuius motioni deputabatur, & præterea illi, qui præficiebantur huic naturæ elementari gubernãdæ, & diſponendæ creati ſunt intra ipſam elementalem naturam.

Cæterum communis eſt Scholaſticorum ſententia, cum Magiſtro in 2. d. 2. Angelos in cælo Empyreo fuiſse creatos, quam acceperunt ex Beda, & Strabone in Gen.

cap. 1.

Digitized by Google

cap. 1. & Hugone de ſancto Victore in ſumma ſententiarum, tractatu ſecundo, cap. 1. Eam quoque tradidit Gloſſa ordinaria in priora verba huius capitis; Quorum opinio confirmari ſolet ex eo, quod Lucifer, & Angeli eius de cælo ceciderunt, iuxta illud Lucę 10. Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem, quem locum intelligunt de caſu dæmonis de cælo, quando primo peccauit. Origenes lib. 1. Perlarchon cap. 5. Ambroſ. lib. de Fuga ſeculi cap. 7. ante medium. Chryſoſt. hom. 10. de pęnitentia, ante medium. Gregorius 23. Moralium cap. 4. aliàs 7. Theodoretus lib. 5. hæreticarũ fabularum cap. de Diabolo. Proſper lib. de Dimidio temporis c. 3. Bernardus ſermone 2. ad fratres, & Theophylactus in eum locum.

Secundo confirmari ſolet eadẽ ſententia Scholaſticorum ex illo Apoc. 12. vbi deſcribitur proelium Michaelis cum Dracone in cælo; ex quo inferunt nonnulli. Luciferum de cælo cecidiſſe per peccatum, ac proinde ibi ante peccatũ fuiſſe, ex quo etiam non ſine probabili coniectura colligitur ibidẽ primo creatum fuiſſe.

Angeli in cælo Empyreo omnes creati sũt.

Dicendum eſt ergo Scholaſticorum ſententiam aſſerentium angelos creatos fuiſſe in cælo Empyreo probabiliorem eſſe, quamuis nullum firmum habeat ſcripturæ teſtimonium, ex quo ea certo colligere poſſimus. Quod autem probabilior ſit, ex eo probari poteſt, quia ſicut homo in terra creatus fuit, ita etiam conueniens videbatur Angelum in cælo creari, cum enim ſimul cum mundo corporeo ſint conditi, neque ſtatim à principio Deus orbes mobiles creauerit, fit, vt in cęlo Empyreo ſint cõditi; quod nomine cæli intelligitur dum dicitur. In principio creauit Deus cælum, & terram, & confirmari poteſt ex illo ad Coloſ. 1.

In ipſo condita ſunt vniuerſa, in cælo; & in terra, ſiue Throni, ſiue Dominationes, &c. Eſſe autẽ duo genera angelorum, & dæmones extra cælum, angelos vero in cælo fuiſſe productos, abſque vllo firmo fundamento illi dixerũt; quorum meminit D. Auguſtinus loco citato. Porro angelos primũ extra cælum eſſe productos, deinde in cælum per gratiam tranſlatos, ſicut autumat Rupertus, non minus ſine ratione firmatur. Angeli etiam, qui orbes cæleſtes, & qui huic elementari materiæ præſident, in cęlo etiam Empyreo sũt conditi vna cum cæteris angelis, inde vero deſcenderunt ad mouẽdum orbes ſibi commiſſos, cum primum orbes conditi ſunt, & moueri cęperunt. Et forte deſcenſus ille, & deputatio angelorum ad mouendos orbes, fuit poſt finitã angelorum viam, atque adeo poſt peccatum quorumdam, & beatitudinem reliquorum; Quod ſi fuit ante finitam eorũ viam, eos Deus ſua prouidentia deputauit, quos præuidit pro ſua libertate non lapſuros. Reſtat igitur vt in ipſo cælo, tamquam in natiuo, & proprio ſolo, fuerint producti, & cum cæteri cęli pręter Empyreũ mouerẽtur; in cælo Empyreo tanquam in quieto loco creati fuerint.

Secundum, ſcilicet quod hæc ſententia nullum habet in ſcriptura firmum teſtimoniũ, patet: quia primum illud ex Lucæ. 10. Videbam Satanam &c. etiam ſi intelligeretur de primo caſu Diaboli, ſolum probaret angelos omnes in cęlo Empyreo fuiſſe, antequã peccarent, hinc autem non ſequitur ibi etiam primo creatos fuiſſe:

nam

nam dicere poſſet aliquis cum Ruperto, ex cælo quidem cecidiſſe: non quia illic creati, ſed quia eo per gratiam tranſlati eſſent, & poſtea ex ſtatu gratiæ, & ex illo cælo cecidiſſent; Vel dici poſſet cũ Theophilacto, Chriſtum illis verbis ſignificare voluiſſe, Luciferum poſtquam è cælo cecidit, nullam deinceps habere fortitudinem, quaſi diceret Chriſtus. Ne miremini, quod Dæmonia vobis ſubijciantur; nam ex quo Lucifer de cælo cecidit, nullam habet fortitudinem. Deinde Idem Theophilactus, & Enthimius explicãt de cælo, hoc eſt, de dignitate, quam in mundo habebat ante Chriſti incarnationem obſidens corpora hominum, & ab eis adoratus vt Deus, cui expoſitioni fauere videtur Baſilius hom. 9. vbi nomine cæli intelligit aerem, quem dicit eſſe locum Principatus Dæmonis, qui dominabatur in mundo.

Vel tertio dici poteſt cum Ianſenio cap. 80. Concordiæ Euang. quòd diſcipulis ex prædicatione redeuntibus, & dicentibus ſe etiã Dæmones eiecisſe ĩ nomine Chriſti, ipſe Chriſtus reſponderit hoc modo. Videbam Satanam ſicut fulgur de cęlo cadentem, hoc eſt, ne puteris vos rem mihi nouã referre: nam, & ego cum miſi vos cum poteſtate, certo ſciebam omnes Satanæ vires ruituras, imò vero cũ Dæmonia eijciebatis, ego videbam Satanam ſine vlla mora cadentem, ſicut fulgur de cælo cadere ſolet, & verbum illud imperfecti temporis, videbam, hunc ſenſum non obſcure indicat, coniungi autem debẽt voces hoc modo. Videbam Satanam cadentẽ, ſicut fulgur de cælo, quare vox illde cælo non debet coniungi cũ illis Satanam cadentem, ex illo igitur loco non ſatis probatur Luciferum de cælo Empireo, ſed ab obſeſſis corporibus cecidiſſe, ſicut fulgur ex medio aere cadere ſolet.

Deinde locus ille Apoc. 12. vbi prœliũ Michaelis deſcribitur cũ Dracone, ſi de primo caſu Luciferi intelligatur, ſolum probat angelos malos in cælo fuiſse antequã peccarent, & inde per peccatum cecidiſſe, hinc autem nõ licet colligere angelos in cælo Empireo fuiſse creatos, vt paulo ante notaui. Cæterum ſi ſenſum ſanctorum Patrum ſequamur, neque inde probari poteſt prœlium angelorũ in cælo fuiſse. Ambroſ. n. in eum locum per Michaelem, quẽ vidit Ioan. prœliatem cum Dracone intelligit Chriſtum, & per angelos Chriſti Apoſtolos: pugnauit igitur Chriſtus, & Apoſtoli eius contra Dæmonem, & angelos ipſius, quia Dæmones excitarũt Iudęos, contra Chriſtũ putantes per mortem ſe victuros Chriſtũ, & morte Chriſti victi ſunt.

Alij autem putant non vidiſſe Ioannem primum prœlium Michaelis cum Lucifero, quando malis angelis ſuperbientibus reſtitit Michael illis verbis. Quis vt Deus? ſed prœlium Michaelis cũ Dæmone pro animabus iuſtis per ſecretam inſpirationem, dicitur autem factum in cælo, hoc eſt in Eccleſia. Sic interpretatur hunc locum Auctor Commẽt. in Apoc. apud Auguſt. in 9. Tomo homil. 9. Beda, Anſelmus, Primaſius, Rupertus, Arethas. D. Tom. Dionyſius Cartuſ. Gangeius in eum locũ Apoc. & Richar. de S. Victore lib. 4. in Apoc. 2. cap. Quare rectè ſubiungitur in eodem cap. gratiarum actio, qua angeli ſibi mutuo gra-

Digitized by Google

gratulabantur de victoria his ver
bis. Nunc facta eſt virtus, & re-
gnum Dei noſtri, & poteſtas Chri
ſti eius: quia proiectus eſt accuſa-
tor fratrum noſtrorum, qui accu-
ſabat illos ante coſpectum Dei
die, ac nocte, &c. ex quibus con-
ſtat per fratres intelligi ibi homi-
nes, qui à Dęmone accuſabantur,
& ipſi fortiter reſiſtebant, vſque
ad ſanguinis effuſionem, & mor-
tem, aut vt exponunt Anſelmus
Occumenius, & Gloſſa, & Scho-
laſtici, non dilexerunt animas
ſuas, hoc eſt, animalem vitã vſq;
ad mortem, hoc eſt, vt animæ peri
rent, ſed ne perirent animę, vitam
animalẽ perdere non dubitarunt;
quod de angelis dici non potuit,
ex quo patet, quòd iuxta commu-
nem ſententiam Patrum non poſ-
ſumus ex hoc loco colligere ange
los à cælo cecidiſſe per peccatum
nedum in cælo creatos eſſe.

Quæritur quarto. Vtrum An-
geli ſint creati in gratia. Intelli-
gitur quæſtio de gratia gratum fa
ciente, quæ nos iuſtos facit, &
Deo charos, & gratos reddit. De
qua re omiſſa opinione eorũ, qui
cenſent angelos malos in primo
momento ſuę creationis peccaſſe;
Inter eos, qui docent angelos non
peccaſſe ab initio, circa propoſi-
tam quæſtionem duæ ſunt oppo-
ſitæ ſententiæ. Prior eſt non fuiſ-
ſe angelos in iuſtitia, & ſanctita-
te apud Deum, ſed in pura natura
creatos. Ita ſentit Hugo de ſancto
Victore lib. 1. de *Sacramentis* p.
5. cap. 29. & in Summa ſententia-
rum tract. 2. cap. 2. & Rupertus
lib. 1. in Gen. cap. 14. 15. & 16.
Nam quamuis dicat angelos crea
tos eſſe innocentes, hoc eſt ſine
peccato, addit tamen, non ſtatim
habuiſſe dilectionem Dei, immo
de malis aſſerit, nunquam eam ha
buiſſe. Refertur quoque in hanc
ſententiam Magiſter in 4. d. 4. &
clarius d. 5. cap. 2. vbi aſſerit non
fuiſſe creatos angelos in conuer-
ſione ad Deum, ſed in potẽtia rã-
tum, vt conuerti poſſent, & cap. 4.
& 6. affirmat, datam illis fuiſſe gra
tiam cooperantem, vt ad Deum
cõuerterentur, quia perſtiterũt ſi
ne peccato per liberum arbitriũ:
malis autem nunquam fuiſſe con
ceſſam: quia per peccatum ea ca-
rere meruerunt.

Conſentiunt cum Magiſtro An
tiſiodotenſis lib. 2. Summæ tract.
1. cap. 1. Alex. de Ales, 2. p. q. 19.
m. 2. D. Bonau. in 2. d. 4. art. 1. q.
2. Ægidius q. 1. art. 4. Rich. eadem
d. art. 2. q. 2. Baſſolus q. 1. artic. 3.
Henric. quol. 4. q. 10. & Marſilius
in 2. q. 4. art. 1. Con. 1. m. ſecundo,
probatione illius.

Et probatur hæc ſententia pri-
mo authoritatibus, deinde ratio-
nibus. Prima authoritas eſt Ioan.
Papæ in cap. Viſis litteris 16. q. 2.
vbi de Diabolo inquit. Dolet
enim ſatis, & erubeſcit charitatẽ,
quam in cælo nequiuit habere,
homines conſtantes ex lutea na-
tura, tenore in terris, atque homi-
nes in terris habent charitatem,
qua iuſtificantur apud Deum, er-
go illam Diabolus in cælo non ha
buit; cumque probabilior ſenten-
tia ſit, omnes angelos in prima ſui
conditione eodem modo fuiſſe
creatos, idẽ de bonis angelis pro
eo inſtanti primo dicendum eſt.
Secundo D. Auguſtinus lib. 11. de
Gen. ad litt. cap. 3. de Demone do
cet, nunquam beatæ, & angelicæ
vitæ dulcedinem guſtaſſe, quam
non vtique acceptam faſtidiuit,
ſed nolendo accipere deſeruit, &
amiſit, cumque beatitudinis no-
mine eo loco denotet Auguſtinus
beatitudinem viæ, quam habent

D pię,

pie,& iuſte viuentes, plane ſentit Angelum malum nũquam in gratia fuiſse, præſertim quia exiſtimare videtur malos angelos ſtatim atque creati fuerunt cecidiſſe. Tertio Gregorius lib. 32. Moralium cap. 18. aliàs 25. explicans illud Ezechielis. Tu ſignaculum ſimilitudinis Dei,&c. idẽ docet. Quarto deniq; ex Scriptura idem probatur: nam Iob 4. vbi vulgata habet? Et in angelis ſuis reperit prauitatem; Hæbraicus textus dicit. Et in angelis ſuis non poſuit laudem, vel lucem, lucis autem nomine ſignificari videtur gratia,& iuſtitia apud Deum, cumque eadem ratio ſit bonorum, & malorum quo ad primam ipſorum conditionem, ſequitur etiam eos, qui perſeuerauerunt non fuiſſe in gratia creatos. 16

Deinde ratione eadem opinio ſuadetur. Primo, quia primus Parens non fuit creatus in gratia, ergo nec angelus: cum enim homo inferiorem locũ teneat inter creaturas rationales,& maiores ſtimulos habeat ad malum, deberet potius in gratia creari, vt contra maiora incitamenta maiora quoque à Deo haberet remedia. Porro autem primum parentem, non fuiſſe in gratia creatum probant, Ægidius, Thomas ab Argent. & alij; qui hac vtuntur ratione, ex D. Auguſtino lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 12. Secundo, ſi angelus malus fuiſſet in gratia creatus, non cecidiſſet eo modo, quo cecidit: quia vt ait D. Auguſtinus lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 28. Superbia tumidus, & propriæ poteſtatis delectatione corruptus, beatæ, atque angelicæ vitæ dulcedinem non guſtauit. Si autem Dæmon in gratia conditus eſſet, optime noſſet ſe eſſe in gratia,& illam eſſe ſibi neceſſarium medium ad beatitudinem conſequendam, ac proinde non ſuperbiret, corruptus delectatione propriæ poteſtatis. Tertio ſi angeli fuiſſẽt in gratia creati, in eodem momento quo creati ſunt, vitam æternam promeriti fuiſsent, quare ſtatim poſt primum meritũ vitam ęternam fuiſsent conſequuti, ſicut mali angeli poſt primum peccatum condemnati fuerunt.

Poſterior, & contraria ſententia eſt Angelos omnes, tã malos, quã bonos in gratia, iuſtitia,& ſãctitate apud Deum fuiſse creatos; quam quidem ſentẽtiam ex Scholaſticis plane ſequitur. D. Thom. Caiet. & recentiores Thomiſtę Alber. 2. p. ſummæ tract. 4. q. 18. Scotus in 2. d. 4. Durandus d. 4. q. 2. Greg. q. 1. art. 3. Conc. 1. Maior q. 1. Holcot in 2. q. 3. Iodocus Clicthoueus lib. 6. in Ioan. cap. 6. qui eſt inter Cõmentarios Cyrilli in Ioan.

Ex patribus Græcis docent hãc ſentẽtiã Baſilius in illud Pſal. 32. Et ſpiritus oris eius omnis virtus eorum,&c. Damaſ. lib. 2. de Fide, cap. 4. Anaſtaſius in quæſtionibus ſacræ Scripturæ, q. 61. in Tomo 6. Bibliothecæ Patrum. Theodoretus lib. de cultu, quem citat idem Anaſtaſius in lib. 5. hæreticarum fabularum cap. de Diabolo,& Dęmonibus, vbi docet angelos ab eo ſtatu in quo conditi fuerũt excidiſse, nec in illo permanſiſſe iuxta illud Ioan. 8. In veritate non ſtetit.

Ex Latinis vero patribus multi pro hac ſententia referri poſsent. Præcęteris autem Auguſt. lib. 11. Gen. ad lit.& lib. 11. de Ciui. Dei, cap. 13.& 15. lib. etiam 12. c. 9. poſt medium.

Item in lib. de Correptione, & gratia, vbi aſserit omnes Angelos, & Dæmones fuiſse conditos in

beati-

Digitized by Google

beatitudine huius vitæ, quæ conſiſtit in ſanctitate, & Iuſtitia operum apud Deum Hieronymus in priora verba Oſeæ c.4. Gregorius lib.32. Moralium, cap.18 aliàs 25. circa finem, explicans illud Ezechielis 28. In medio lapidũ ignitorum perfectus ambulaſti; hanc opinionem expreſſit his verbis, Quia inter Angelorum corda charitatis igne ſuccenſa clarus gloria conditionis extitit, & loquitur de Lucifero, quem prædictis verbis plane teſtatur conditum fuiſse charitate glorioſũ. Proſper lib.1. de Vita Contemplatiua cap.3. Iſidorus lib.1. Sententiarum, ſeu de Summo Bono, cap.12. ſentẽtia 7. & tandem Anſelmus in lib. de Caſu Diaboli, cap.4.17.& 27.

Quare hæc ſententia probabilior cum ſit, amplectenda eſt, quã duabus explico Concluſionibus.

Angeli tã boni, quã mali ĩ gratia creati fuerunt.

Prima Concluſio Angelis tam bonis, quam malis Diuina voluntas ante peccatum gratiam iuſtificantem, & charitatẽ, à qua mali libere defecerunt conceſſit. Hanc Concl. omnes ſancti Patres & Doctores confitentur: quoniam expreſsè ex ſacra Scriptura colligitur, & ab omnibus eſt neceſsario amplectenda. Quemadmodum Conciliũ Trident. præcipit ſeſs.4. dicens: Nemo contra vnanimem cõſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat. Sunt autẽ loca inter alia, ex quibus apertiſſimè Concluſio infertur, quæ ſequuntur.

Nam Iſaiæ 14. legitur. Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris. Cui ſimile eſt teſtimonium Lucæ 10. Videbam Satanam, ſicut fulgur de cælo cadentem. Vnde colligitur Luciferum cecidiſsé ab eo ſtatu, in quo conditus fuerat, & amiſiſse dona ſupernaturalia; quibus à Deo fuerat illuſtratus, vt conſtat Ioan.8. dicente Chriſto Domino: Et in veritate non ſtetit. Tum etiam probatur Ezechielis 18. Tu ſignaculũ ſimilitudinis, &c. vſque polluiſti ſanctificationẽ tuam. Vnde apertiſſimè infertur, angelũ ante peccatum habuiſse sãctificationem, quam perdidit per peccatum, licet naturalia integra permanſerint. Greſsus autem, quibus perfectus in hoc loco ambulaſse dicitur, ſunt intellectus, & voluntatis, quæ fidei, & ſupernaturalis ſapientiæ lumine fuerunt illuminatæ, & charitatis igne inflammatę, iuxta illud Pſal.103. Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem. Lege D. Dionyſ. cap.4. de Diuinis nominibus. Hanc Concluſionem docent D. Baſilius explicans illud Pſalm.32. Verbo Domini cæli firmati ſunt. Damaſ. lib.2. de Fide, c.3. D. Hieronym. in Comm. Oſeæ, capit.4. D. Bernardus multis in locis, & B. Iſidorus lib. de Summo Bono. Et confirmatur ratione: nam ſi primi parentes habuerunt ante peccatum, gratiam iuſtificantem, quã per peccatum amiſerunt, vt Concilium Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato Originali docet, habuerunt quoque & angeli, ante peccatum, gratiam, & charitatẽ, vt habet Conc. non enim videtur rationi conſentaneum, negare angelis ante peccatum, quod hominibus fuerat conceſſum.

Secunda Concluſio Angeli omnes in primo inſtanti ſuæ creationis habuerunt gratiam. Hæc cõcluſio in primis eſt D. Auguſtini 11. de Ciuit. Dei cap.9. vbi expreſſe docet Angelos creatos fuiſse cum voluntate recta, & amore caſto, ſimulque Deum condendo

naturam, largitum fuiſſe gratiã. quam ſententiam ſequuntur patres ſupra relati. Et confirmatur ratione: quia ſicut res corporales à principio fuerunt productæ cũ rationibus ſeminalibus ad producendos effectus naturales, iuxta illud, quod infra in hoc cap. dicitur. Ecce dedi vobis, &c. quæ habent, in ſemetipſis ſementem generis ſui, ſimiliter in ſupernaturalibus Theologandum eſt, & affirmãdum in angelis beatitudinem productam fuiſſe ſecundum rationem ſeminalem, ideſt ſecundum gratiam, quæ à D. Petro 1. Petri 1. ſemen nominatur. Nam renati (inquit) non ex ſemine corruptibili, &c. & 1. Ioan. 3. Semen ipſius, &c. Ita enim ſe habet gratia ad effectũ gratiæ, ſeu meritoriũ, ſicut ratio ſeminalis ad effectũ naturalem, & D. Aug. 3. ſuper Gen. ad litt. dicens primo informiter eſſe naturam angelicam creatam, intelligendus eſt per comparationem ad plenam gratiæ perfectionem, ſeu gloriæ viſionem. Verum de hoc fuſius in 2. Sẽt. Doct. ſubt. in noſtris Commentarijs.

Ad primum oppoſitæ ſententiæ dicendum eſt, ſenſum illorũ verborũ eſſe; nequiuiſſe illã habere, poſtquam illam amiſit: quia non eſt ei datus locus pœnitentiæ. Vel certè nequiuiſſe habere charitatẽ conſũmatam, & perſeuerãtem, vſque ad terminum viæ, quam homines in terra tenent. Vel dicas, quòd in alijs codicibus non habetur illud verbũ (nequiuit) præteriti tẽporis, ſed verbum, (nequit) quod eſt præſentis; atque ita verũ eſt, Dæmonem non poſſe nũc habere charitatem: quia omni gratiæ auxilio deſtitutus eſt. Vel ſi verbum (nequiuit) ponatur in præterito, impotentiam hanc Dæmonis intelligere debemus cõſequẽtem, ad retinendam ſ. habitã charitatem, ita vt verbũ (habere) non ſignificet vtcumque conſequi, ſed retinere, quod ſemel habitum eſt.

Ad ſecundum dicẽdum eſt, D. Auguſtinum aliquibus in locis circa hanc difficultatem dubiũ manſiſſe, atque adeo varia de hac re docuit.

Ad tertium dico, quòd D. Gregorius intelligitur de gratia, & charitate conſũmata: nam cum hic Doctor in eodem cap. planè dicat, Angelos omnes in charitate creatos, cum poſtea dicit, Dæmones habuiſſe foramina præparata, vt cum alijs charitate connecterentur, intelligi debet de conſũmata, & ideo dixit Dæmonẽ fuiſſe quidem capacem charitatis, quam ſignificat aurum, & hoc eſt habuiſſe foramina præparata, ſed noluiſſe hoc auro charitatis impleri, vt perpetuo cum alijs angelis connecteretur; repleri autem charitatis auro, eſt in charitate confirmari, vt iã deinceps ab alijs ſeperari non poſſet, quod ſolum conceditur beatis. Concepit itaq; D. Gregorius Luciferum inſtar lapidis precioſi, in quo foramina quædam ſint facta, quibus filum auri inferatur, & aſſuatur veſtimẽto vna cum alijs precioſis lapidibus; huiuſmodi autem filum auri, quo Lucifer vna cum alijs angelis iuſtis foret inſerendus, erãt bona opera meritoria, & charitas perſeuerans vſque ad terminum viæ: huius charitatis ait Gregor. Luciferum fuiſſe capacem, & hãc non habuiſſe, & ideo foramina illius fuiſſe vacua hac charitate.

Ad quartum dico, quòd noſtra vulgara, cui tamquam Regulæ ſtãdum eſt, ita habet: Et in angelis ſuis reperit prauitatem, ex quibus verbis.

verbis probari non poteſt angelos malos nõ fuiſſe creatos in gratia.

Ad primam rationem reſpondeo, primum parentem fuiſſe in gratia conditum, vt infra in 2. c. probabimus. Quare mirum eſſe non debet, ſi dicamus, angelum, etiam in gratia fuiſſe creatũ. Neq; D. Auguſt. loco allegato in prima ratione dixit beatiorem eſſe iuſtũ hominem in hoc ſtatu, quam primum parentem in Paradiſo, quo ad ſpem futuræ vitæ, vt falſo referunt auctores prioris ſententię, ſed dixit hoc modo; Quantum itaque pertinet ad dilectionẽ præſentis boni, beatior erat primus homo in Paradiſo, quam quilibet iuſtus in hac infirmitate mortali; Quantum autem ad ſpem futuri boni, beatior quilibet in quibuslibet cruciatibus corporis, cui non opinione, ſed certa veritate manifeſtum eſt, ſine fine ſe habiturum omni moleſtia carentem ſocietatem Angelorum, in participatione ſummi Dei, quam erat ille homo ſui caſus incertus in magna illa felicitate Paradiſi. hæc D. Aug. Quibus verbis non cõparat quẽcumque iuſtum cum primo parẽte; quia primus parens nõ habuerit gratiam, quam diu fuit in paradiſo: ſed eos ſolum comparat, quod ſpectat ad certitudinem de futura perſeuerantia in bono, & in felicitate. Neque etiam aſſerit, hominem iuſtum in hac vita eſſe certum de ſua perſeuerantia, de qua non fuit Adamus, ſed eos iuſtos huius ſtatus eſſe beatiores, qui etiam ſi in cruciatibus ſint, reuelatione tamen didicerunt, & certi ſunt de futura ſua perſeuerantia; nec enim tam curat Aug. eo loco de ſtatu delectabili, & iucundo omni carenti moleſtia, quã de iuſtitia, & de certitudine perſeuerantiæ in ea ad conſtituendũ hominem beatum.

Ad ſecundam rationem dico, quamquam angelus fuit creatus in gratia, non cognouiſſe euidenter ſtatum ſuum: quia myſteria gratiæ non ſunt ei euidenter nota, habuiſſe tamen certiſſimam notitiam illius: aut ſi habuit euidẽtiam, qua euidenter cognoſcere poſset actum charitatis, quo Deũ proſequebatur, tamen cum nõ habuerit charitatem, & dilectionẽ Dei, ex clara ipſius viſione, nõ ita firmus erat in charitate, vt ab ea dimoueri non poſset amore contrario: quia efficacius illi poterat repræſentari propria excellentia, eo quod per fidem reuelabatur diuina bonitas, quæ ipſum ad charitatem mouebat, ſola autem charitas orta ex viſione clara bonitatis Dei, quæ ſic apparet ſub omni ratione boni, etiam in exercitio ipſo ab amore contrario ſuperari non poteſt.

Ad tertiam rationẽ, quare poſt primum meritum, non ſtatim Dæmones nõ acceperunt gloriæ beatitudinem, dico pro nũc breuiter: quia præmium nõ datur niſi poſt vltimum inſtans vię; ſed de hoc in ſecũdo in loco ſupra citato. ſ. d. 4. & 5.

Quæritur quinto. Quare Deus opus ſuum à luce incępit. Reſpondetur, quòd ſi per lucem intelligatur angelica natura, iuxta opinionẽ D. Auguſtini, rectè à luce incępit, quia nobilior eſt creatura. Baſilius inquit rectè à luce incępit opus ſuum; quia lux eſt principium manifeſtandi ſe, & alia: Tum quia dies, & nox diſtinguũtur per lucem, quæ eſt quoddam poſitiuum, & per tenebras, quæ important priuationem lucis; atque adeo opus diſtinctionis incępit

Alex. de Ales p. 2. q. 46. in 1. artic. 1. & D. Th. 1 p. q. 67. artic. 4. & Nic. de Lyra & Toſta. vbi ſupra.

Deus opus ſuũ conuenienter incœpit à luce.

pit à luce, & hoc conuenienter; primo, quia eſt qualitas communis in qua corpora cæleſtia conueniunt, cum inferioribus, vtpote cum igne, & cum aliquibus corporibus mixtis, quæ lucida ſunt, & quia rerum diſtinctio accipitur ſecundum qualitates, & proprietates accidentales, ideo conuenienter inchoatur à luce, quæ eſt qualitas communis, ſicut in generatione inchoatio fit à communioribus formis. Secundo quia diſtinctio non apparet niſi per manifeſtationem, omnia autem per lucem manifeſtantur, atque adeo à luce diſtinctio incipit. Tertio quia dies ſine luce eſſe nequit; lux ergo debuit prima die produci.

Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris, &c.

VIde hic quanta verborum humilitas. Quid ait? Num priuſquam fieret lux neſciebat quod bona, & poſtquam producta fuit oculus primo oſtendit opifici pulchritudinem, & bonitatem lucis productæ? Et quis, cui cor eſt, tale quiddam diceret? Nam ſi homo, qui aliquid per artem operatur, prius quam fabricet, quod vult facere, & prius quam formet, ſcit vſum eius quod elaborare ſtatuit, quanto magis omnium opifex, qui verbo omnia ex nihilo, vt eſſent, produxit; ſciebat antequam lucem faceret, quod eſſet bona? Quare ergo hac dictione vſus eſt? Dimittit ſe, vt iuxta humanã conſuetudinem, hæc omnia loquitur Beatus ille Propheta, & quemadmodum homines, cum magnum aliquod, magno ſtudio elaborauerint, & finem laboris ſuis impoſuerint, tunc tamdem quid fecerint probant, & opus laudibus extollunt, ita & diuina ſcriptura ſolet, & nunc cum ſe ad noſtram aurium infirmitatem, dimiſit, & dixit, & vidit Deus lucem, quod eſſet bona.

Quibus verbis non oſtenditur eluxiſſe Deo inſolitum bonum, ſed placuiſſe perfectum, quemadmodum artifex, quod videt intus in arte, hoc fieri probat in opere, & hoc eſt perfectum, quod artifici ſuo placet, atque adeo hæc verba non docent Deum infirmum, ſed noſtræ infirmitati blandiuntur. *Aug. li. 1. de Gen. cõtra Manichæos.*

Et vidit Deus lucem, &c. id eſt, demonſtrauit Deus lucem eſſe bonam, per effectus, quos ei facere conceſſit, Deus autem non vidit tunc nouiter, quod lux eſſet bona: quia ab æterno cognouerat, qualis futura eſſet. Vel vidit Deus lucem eſſe bonam: quia tũc talis erat, qualis ei placere poſſet. *Toſtatus in hunc locum.*

Et diuiſit lucẽ à tenebris. Poſtquam effulſit lux illa intelligibilis Sole antiquior, ceſſerũt aduerſæ tenebræ, Deo eas dirimente, cui perſpicuæ ſunt contrarietates rerum, & natiua quædam certamina. Ne igitur perpetuis laborarent ſeditionibus, neuè bellum pulſa pace præualeret confuſo in mundo ordine, nõ ſolum ſeparauit lucem à tenebris, verum & terminum in medijs ſpatijs poſuit, quibus vtrumque arceatur ab extremitatibus alterius, alioquin propter vicinitatẽ inductura erãt confuſionem contentionibus mutuis de principatu; termini, autẽ ſunt veſpere, & mane, quorum alterum prænunciat aduentum Solis orituri, ſenſim tenebras ſubmouens. Veſper autem Occidentem Solem ſubſequitur; facta autem luce *Philo de opificio mũdi.*

luce, & ſuccedẽtibus tenebris,fixiſq; in medio terminis, veſpera, & mane,neceſſariò temporis menſura facta eſt, quem diem nominauit opifex, eumq; non primũ, ſed vnum propter ſingularitatem mundi intelligibilis habentis naturam vnitatis.

Chryſoſt. hom. 3. in Gen.

Quid eſt diſtinxit? vnicuique locum proprium diſtribuit, congruumque tempus definierit: nã ab initio cuique ſuos terminos diſtribuit,quos perpetuo abſque impedimento cuſtodiret; Id quòd cuilibet,qui mediocriter ſapit cõtueri licet; quomodo ex eo tempore,vſque ad hoc præſens, neq; lux terminos ſuos tranſgreſſa ſit, neque tenebræ ſuum ordinẽ prætetierint,confuſione,& deordinatione quadam introducta.

Theodor. q. 10. in Gen.

Diuiſit non ſolum qualitate, ſed & locorum diſtantia, diffundendo lucem in ſuperiori parte, inferiori, in tenebris remanente.

Aug. ſuper Gene. ad lit in Imperfecto.

Non enim exiſtimandum eſt, lucem factam confuſam vnà cum tenebris,& ob hoc poſtea ſeparatione indigeret: ſed eo ipſo, quo lux facta eſt,etiam diuiſio inter lucem,& tenebras eſt conſequuta. Deus ergo diuiſit inter lucem, & tenebras: quia lucem fecit,cuius abſentia,tenebrę vocantur,intereſt autem inter lucẽ, & tenebras: ſicut inter veſtimentum,& nuditatem,aut plenum, & inane,& ſimilia. Vel diuiſit, hoc eſt,naturã iſtarum talem effecit, vt commiſceri non poſſint, oppoſitæq; ſint perinde,atque contraria:nam maximo interuallo eas ſeiunxit.

Baſil. ho. 2. in Gen.

Eucherius in Gen.

Significat autem diuiſio lucis à tenebris ſeparationem bonorũ angelorum à malis:& quia ex his quoſdam præſciebat caſuros per incommutabilitatem præſcientię ſuæ diuiſit inter bonos,& malos. Vel diuiſio ita lucis, & tenebrarũ terribile Dei iudiciũ, ſuper Diabolum eſſe factum inſinuat, de quo Pſalmiſta,Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi, ex tunc ira tua. Quaſi diceret. Quis tibi reſiſtere poteſt,cum ex quo tibi, quis reſiſtit,ex tunc exardeſcat ira tua:nã ex quo Diabolus reſiſtit, ideſt reſiſtere voluit tibi, tu iratus es, & reſiſtere non potuit. Cecidit .n. Angelus, & factus eſt Diabolus. Hoc terribile iudicium per diuiſionem inſinuatur lucis, & tenebrarum. Quæ enim ſunt iſtæ tenebræ, niſi omnes angeli Satanæ cum eodem ſuo Principe? Has itaque tenebras Deus, lucemque diuiſit: quia malos angelos à bonis ſeparauit. Cæterum iuxta litteralem ſenſum, diuiſio iſta facta eſt per motum Solis, iuxta D.Tomæ,& Chatarini ſententiam,vel per motum illius nubeculæ,iuxta Alex.& D.Bonau.explicationem: nam ſicut modo,quando Sol mouetur ſuper vnum Hemiſpheriũ fiunt tenebræ in oppoſito hemiſpherio, propter opacitatẽ terræ, quæ eſt in medio, ita & in mundi initio dicendum eſt.Quapropter, iſtud verbum,diuiſit,nõ Deo,ſed luci attribui debet, quandoquidẽ lux formaliter diſtinguitur à tenebris,cum tenebræ ſint lucis priuatio,neque opus eſt,vt ab agente extrinſeco, nempè à Deo, cauſetur diſtinctio inter lucem,& tenebras. eſt ergo ſenſus, quòd lux creata diuiſit inter lucem, & tenebras,ideſt inter diem,& noctẽ: quia motu Solis, ſeu illius nubeculæ diſtinguebatur dies à nocte, vel tempus lucis,& tempus tenebrarum, quod idem eſt.

Augu. lib. 11. de Ciuit. c. 19. & Ruper. lib. 1. de operibus Trin. c. 13

Nic. de Lyra in priori expoſitione, & Toſt. in 2. explicatione.

Sed cur non dicuntur tenebræ factæ, ſicut diſtinctæ? quoniam tenebræ nihil ſunt aliud, quã lu-

Auguſ. de Gen. cõtra Manich.

cis abſentia: atque adeo fieri nequit,cum factio entis ſit poſitiui: diſtinctio tamen facta eſt inter lucem,& tenebras,quemadmodum nos clamando facimus vocem: ſilentium autem non ſonando facimus;quia ceſſatio vocis ſilentiū eſt; diſtinguimus tamen ſenſu inter vocem, & ſilentium, & illud vocamus vocem,& illud ſilentiū: quemadmodum igitur rectè dicimur facere ſilentiū, ſic rectè multis Scripturarum locis Deus dicitur facere tenebras, quam lucem quibus vult temporibus, & locis, non dat, vel detrahit.

Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem.

Auguſt. ſuper Geneſ. ad litt. in Imperfecto.

CVm,& lux nomen ſit alicuius rei,ac etiam dies,rurſus & tenebræ, & nox vtrumque ſit nomen: poſſet quis quærere, an luci nomen impoſitum ſit dies: an vero diei impoſitum ſit nomen, lux: quoniam hæc duo vtique,ſcilicet nox,& dies,quantum ad res ſignificādas articulata voce enunciantur,& nomina ſunt. Nam indifferenter dici cōuersè poſſet vocauit Deus diem lucem, & vocauit noctem tenebras. Hoc etiam modo de alijs duobus quæri poteſt: an tenebris impoſitum eſt nomen nox,vel nocti impoſitum ſit nomen tenebrę? Et quidem vt ſcriptura deſcribit, manifeſtū eſt lucis nomen dictum eſſe diem, & tenebrarum nomen dictum eſſe noctem. Quia cum diceret:Deus fecit lucem, & diuiſit inter lucē, & tenebras: nondum de vocabulis agebatur, poſtea adhibita ſunt vocabula,dies,& nox; & cum illa ſine dubio vocabula ſint lux,& tenebrę,res aliquas ſignificantia,ſicut dies,& nox. Hoc itaque modo accipiendum eſt: quia enunciari aliter non poſſet res,quæ nomen accipit: niſi aliquo nomine. Vel dici poteſt, quòd hac appellatione voluit Deus diſtinctionē anotare: nam nō omnis lux dies: neque omnes tenebræ nox: ſed lux, & tenebrę certis inter ſe vicibus ordinatæ, atque diſtinctæ diei, & noctis nominibus appellantur: omne quippe vocabulum ad diſtinctionem valet. Vnde etiā nomen,eo quòd rem notat,appellatum eſt,quaſi notamē, eo quod notet, ideſt diſtinguat, & doctrināter ad diſcernendum adiuuet.

Fortaſſe ergo ipſum diuiſiſſe inter lucem, & tenebras, hoc eſt vocaſſe lucem diem, & tenebras noctē, vt hoc ſit ordinaſſe, quod vocaſſe:adeoque iſta vocabula ſignificare nobis volunt, quam lucem dixerit,& quas tenebras, tāquam diceret: Fecit Deus lucem, & diuiſit inter lucē,& tenebras, lucem autem dico, diem,& tenebras dico noctem: ne aliquā aliā lucē intelligens,quæ non ſit dies, & ne aliquas alias tenebras, quæ non ſint nox. Nam ſi omnis lux dies poſſet intelligi,& omnes tenebræ noctis nomine cenſerētur, fortaſſe non opus eſſet dicere: Et vocauit Deus lucem diem, & tenebras noctem.

Toſt. in 2. expoſitione.

Deus quinque rebus impoſuit nomina.

Appellauitque lucem diem, id eſt tempus lucis vocauit diē. In creatione rerum Adam poſuit nomen omnibus rebus ſecundum ſapientiam à Deo ſibi datam. Deus autem poſuit nomen quinque rebus, ſcilicet diei,& nocti,mari, & terræ,& homini. & tenebras noctem, ideſt, tempus tenebrarum vocauit noctem.

Dicitur autem Deus appellaſſe lucem diem, & tenebras noctem, lin-

Auguſt. in Gen. cõtra Manich. Molina de operib. ſex dierum Diſp 9.

lingua Hebræa in qua hæc ſcripta ſunt: quoniam Deus ipſe auctor, inſtitutorque fuiſſe videtur eius linguæ: eamque mentibus primorum parentum inſpiraſſe, & vna, cum ſcientia aliarum rerum infudiſſe. Neque enim Deus, aut angelus in perſona Dei, potuit habere ſermonem externum cũ primis parentibus ſtatim vbi creati ſunt, ita vt ſe inuicem intelligerẽt, vt Scriptura eos habuiſſe narrat, niſi Deus primus parentibus inſpiraret, eoſq; doceret linguã, in qua tunc loquebantur, hæc autem iuxta communem ſententiã fuit lingua Hebræa, in qua Scriptura veteris teſtamenti ſcripta fuit. Eſt itaque ſenſus: Vocauit, ideſt vocari fecit, quia ſic diſtinxit omnia, & ordinauit, vt & diſcerni poſſent, & nomina acciperẽ.

Iunilius in Gen. & Augu. vbi ſup.

Vnde hæc appellatio lingua minimè facta fuit: quia apud Deum purus intellectus eſt ſine ſtrepitu linguæ: ſed appellauit, ideſt appellari fecit. Sic enim dicimus iſte paterfamilias ædificauit domum, ideſt ædificari fecit.

Quæſt. 5.

Verum quia hic primo fit mentio de diebus creationis, breuiter explicandum eſt, an illi dies fuerint veri naturales dies 24. horarum, vel omnia fuerint ſimul in vno momento condita. De quare ſunt duæ opiniones extremæ. Prima eſt Philonis Hebræi, & D. Auguſtini altera vero communis aliorum ſanctorum Patrum, & interpretum libri Geneſis.

Philo Hebræus, & D. Auguſtinus cenſuerunt Deum omnia ſimul condidiſſe; diuiſo tamen modo in explicãdo illos ſex dies Moſis procedunt. Nam Pilo lib. 1. allegoriarũ Sacrę Legis enarrans illud, quod infra habetur cap. 2. Cõpleuit Deus die ſeptimo, &c. (inquit. Ruſticanæ ſimplicitatis eſt putare ſex diebus, aut vtique certo tempore mundum conditum: quia totus mundus viciſſitudo eſt dierum, ac noctium, quam Solis motus ſuper terram, ſub terraque manentis neceſſario conficit. Sol autem pars cęli cenſetur, vt fatendum ſit tempus poſterius mundo eſſe, quippe quod mundi eſt effectus: nam cæli motus indicauit naturam temporis. Ergo cum audis compleuit ſexta die opera, intelligere non debes de diebus aliquot, ſed de ſenario perfecto numero, quia primus inter partes æquales diuiditur, dimidiam tertiam, & ſextam, & ex æquilateris duobus conſtat bis tribus, binarius quidem, & ternarius excedũt iuxta corporis æqualitatem, alter materiæ imago, quæ diuiditur ſecaturque tamquam mortalis; alter vero ſolidi corporis, quod iuxta triplicem dimenſionẽ poteſt diuidi, quin, & organicorum animalium motibus cognatus eſt: ſic enim organicum corpus natũ eſt, vt ſuopte ingenio, moueri queat, prorſum, retrorſum, ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorumuè; vult igitur indicare Propheta, tũ mortalia, tum corruptibilia genera ex proprijs conſtituiſſe numeris; mortalia, vt dixi, ſenario metiens, beata vero, & felicia ſeptenario. Cum igitur Moſes ait Deũ ſex diebus abſoluiſſe fabricã, non eſt id ad interualla dierum referendum teſte Philone, ſed intelligendum eſt illo dierum numero ſignificari mundi perfectionem, quæ per numeri ſenarij perfectionem deſignatur, ſententiæ Philonis explicationẽ diffuſam videat lector in D. Auguſtino lib. 4. ſuper Gen. ad lit. cap. 2.

Mundus non fuit conditus per ſpatiũ ſex dierũ naturaliũ iuxta Philonis placitum.

D.Au-

Digitized by Google

Opinio D. Auguſ. de ſex dieb. creationis

D. Auguſtinus opinatur omnia, quæ in hoc capitulo facta narrantur ſex diebus, fuiſſe ſimul condita in vno, & eodem momento noſtri temporis, vel æui, & vltra dixit, quod illi dies, qui numerantur in productione rerum non debent diſtingui à nobis pro diebus materialibus, ſed pro diſtincto ordine, quē habent res cognitæ in principio creatæ ad cognitionem angelicam, & vt ſe explicet, (lib. 4. ſuper Gen. à cap. 22. vſque in finem, & lib. 5. & 11. de Ciuit. c. 7. & alibi,) aduertit, quod cum lux proprie in ſpiritualibus reperitur, & rurſus apud nos lucis illiuſtratio eſt dies, idcirco angelica cognitio dies merito nuncupatur, non quidem materialis, ſed ſpiritualis dies. Cum itaque Deus fiat lux arbitratur nomine lucis intelligi cognitionem angelorum, qua & ſe ipſos, & cætera, vel in Verbo, vel in proprio genere cognouerunt. Eſt autem duplex cognitio angeli, quædam matutina in verbo, alia veſpertina in rerum natura, ideſt in genere proprio, & in vtraque ſupponitur cognitio, & dies; quia ſemper fit relatio creaturæ ad ipſum facientem, & præponitur ab angelo cognitio, quæ eſt in verbo, cognitioni, quę eſt in genere proprio; & ideo dicit Auguſtinus, quod angeli craturā in ipſo creatore ſic ſciunt, vt illi ſciētiæ, præponant ſcientiam quæ eſt in verbo, ſi autem præponerent cognitioni, quę eſt in verbo, illā, quæ eſt in proprio genere, tunc eſſet ibi nox, ideſt peccatum, ſed illa nox non eſſet à Deo, ſed ab angelo; non ſic autem eſt, atque adeo non fit ibi mentio de noctis factura.

Cognitio Angeli eſt duplex ſ. matutina & veſpertina.

Dies ergo ille, quem fecit Deus primitus, eſt cognitio angelorum præsētata omnibus operibus Dei, hoc ordine præſentiæ, quo ordine ſcientiæ; & cum dicitur factum eſt veſpere, & mane; Veſpere dicitur cognitio creaturę in proprio genere: quæ dicitur veſpertina: quia ſicut veſpera declinat ad occaſum, vel ad tenebras, ita hæc cognitio declinat ad non eſſe, ideſt ad creaturam, quæ de nihilo eſt. Mane autem dicitur cognitio matutina, qua angeli cognouerūt ea, quæ ſibgulis diebus narrantur facta. Adeo quod ſecundum D. Auguſtinum lux illa fuit irradiatio ſuper intellectum angeli; ad cognoſcendum, vel in verbo, & ſic dicitur mane, vel in genere proprio, & ſic dicitur veſpere, iſtæ autem irradiationes diſtinguuntur ſecundum operata. In opere enim diſtinctionis erat triplex diſtinctio, lucis à tenebris, aquarū ſuperiorum, ab inferioribus: & inferiorum ab arida, atque ita tria operata. Similiter in ornatu erant tria: ornatus cæli vel aeris, ornatus aquæ, & ornatus terræ: atque ita alij tres dies. Vnus autem determinatur ſecundum conſeruationem rerum factarum: nō enim ſolum oportet producere, ſed & conſeruare.

Diſtinctionem autem ſex dierū ſic intelligēdam eſſe exiſtimat D. Auguſtinus, quod Angelus prius naturaliter cognouit creaturam in verbo; Secondo in genere proprio, & ibi non ſiſtēs redijt in verbum, laudans ipſum in opere ſuo, & in iſto iterum vidit rationem, ideſt ideam ſequētis creaturæ naturaliter: Ita quod quando dixit Deus, fiat lux, vidit Angelus ſe in verbo æterno, & tunc factum eſt mane, deinde vidit ſe in proprio genere, & tunc factum eſt veſpere, & mane dies vnus: quia non

ſiſtens

ſiſtens in ſui cognitione, exſurrexit in laudem Dei, qui vidit ſecũdam creaturam: itaque iſta viſio erat terminus præcedentis diei, inquantum ex cognitione primæ creaturæ in verbo, ſurrexit in cognitionem verbi, & principium ſequentis diei, inquantum vidit illam creaturã, in genere proprio, & ita diſtinguit D. Auguſt. ſingulos dies, vſque ad ſeptimum, cuius erat mane vltimæ creaturæ in verbo, & nõ ſequebatur veſpere. Ampliorem explicationem ſentẽtiæ D. Auguſtini videat Lector in Lycheto in 2. Sentẽ. d. 3. q. 9. & in Ioan. Arboreo, lib. 1. Theoſophiæ, cap. 1.

Hanc D. Auguſtini ſententiam ſequutus eſt Procopius Gazeus in Gen. qui aſſerit Moſem in deſcribendo mundi opificium, ſex dierum diſtinctionem poſuiſſe docẽdi gratia, ob tarditatẽ videlicet, & ruditatem Iudæorum, quibus hæc ſcribebat, qui ea, quæ Deus ſimul fecerat ob tantam eorum multitudinem, atque varietatem ſimul, & indiſcretè capere, & cõprehendere, vt erant anguſtiſſimis ingenijs, nequaquam potuiſſent.

Accedit huic ſententiæ Caiet. affirmans ſex illos dies eſſe quidẽ dies naturales 24. horarum, vt habet communis Doctorum ſententia: verum omnes eſſe vnum, & eũdem diem, ſexies repetitũ per comparationem ad illa, quæ ſex illis diebus producta dicũtur; ita ſcilicet, vt per comparationem ad ea, quæ prima die Deus condidit dicatur dies primus; Per comparationem vero ad ea, quæ dicuntur producta ſecunda die, dicatur dies ſecundus, & ita conſequenter: ait namque propter ſanctificationem dici ſeptimæ in memoriam beneficij creationis in lege pręcipiendam, vnum, & eumdem diem in ordine ad ſex alios gradus rerum ſe ſe conſequentes appellari ſex dies cũ tamen ſit vnus, & idem. Et addit Caiet. omnia, quæ illis ſex diebus facta narrantur, ſiue corpora ſimplicia ſint, ſiue mixta, non ſolum fuiſſe producta in eodem die naturali, ſed etiã in primo inſtanti illius diei, atque adeo ſimul.

Canus in Commẽtarijs manuſcriptis in 1. par. D. Tho. vt referũt Bannes in 1. par. D. Thomæ q. 74. artic. 2. & Molina de operibus ſex dierum, Diſp. 1. conſentit Caietano; dicit tamen Deum produxiſſe omnia ſimul non ſolum in eadem die, ſed etiam in eodẽ pũcto temporis, totum hunc mundũ, quo ad omnia corpora ſimplicia, ex quibus cõſtat, atque vt modo ſunt: mixta verò, produxiſſe poſterius tempore, eo quòd ea ex corporibus ſimplicibus conflauerit. Credit tamen probabile eſſe, quod Deus produxerit mixta in eodem die, in quo mũdum creauit, paulo tamen poſt mũdi creationẽ. Et ad id quod hic dicitur, ꝙ Deus ſex diebus creauit mundum, dicit Moſem hoc in loco eſſe locutum abſoluta pro cõditionali locutione, quaſi ſenſus ſit: Si Deus ſua opera feciſſet ſucceſſiuè, mundumque ſucceſſiuè perfeciſſet, eo modo, quo homines ſua opera efficere conſueuerunt, feciſſet illa, ſex diebus naturalibus, eo ordine, quo ibi facta eſſe memorantur.

Confirmat autem hunc modũ dicendi Margiſter Cano ex eo, ꝙ locutio abſoluta pro conditionali inuenitur in Sacris Literis. v. g. Lucæ cap. 21. Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non tran-

tranſibunt. Ac ſi diceret, Etiam ſi tranſiret Cælum,& terra,nõ tamen verborum meorum veritas deficiet. Item Pſalm.101.dicitur de Cælis. Ipſi peribunt,tu autem permanebis, hoc eſt,etiam ſi cæli pereant, anni tui nunquam deficient. Imò etiam Ariſt. hoc modo loquendi vtitur lib. 2. de cælo cap. 1. vbi ait, quod motus primi mobilis incępit ab Oriente. Cum autem Ariſtot.mundum æternum eſſe opinatus fuerit, neceſſe eſt, quod neque motus incęperit;quapropter locutio illius conditionalis eſt, ac ſi diceret: Si motus inciperet, proculdubio ab Oriente inciperet. Similiter lib.4.Phyſ. dicit,quod nunc fluens facit tempus,vt Mathematici dicunt quòd punctus fluens facit lineam, quæ locutiones cõditionales sũt, aliàs alienæ eſſent à veritate,neque .n. nunc fluit, neque punctus mouetur,vt lineam faciat,ſed imaginamur tale eſſe tempus,ac ſi flueret nunc,& talem eſſe lineam, atque ſi ex ductu puncti efficeretur.

Alij ſex illorum dierum talem rationem proferunt. Aiunt .n. propterea ſex dierum mētionem fieri: quia diebus ſex illa opera manifeſtata ſunt hominibus.Frequens enim eſt in Sacris Litteris, vt tunc aliquid fieri dicatur, cum manifeſtatur. exēplũ eſt Matth. vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo,& in terra,ideſt,Nunc manifeſtatur talis mihi data poteſtas: iuxta quē ſenſum Gloſſa ordinaria,deſumpta ex D.Auguſtino,& gloſſa interlinealis explicat illud Exod. cap.2. Ego indurabo cor Pharaonis, hoc eſt ſignis, & portentis, duriſſimiſque plagis, quibus non emollietur Pharao, oſtendam,quam duro corde ſit affectus. Aliam intelligentiam tribuit Auguſt. Magiſter Sent. in 2. d. 15. videlicet quod ideo Moſes diuiſim per diuerſos dies refert opera dei: quia non poterant ſimul ab homine dici,neque percipi, quamuis ſimul à Deo potuerint perfici. Hactenus de prima opinione dierum Creationis.

Altera ſententia eſt Deum non niſi per interualla,& ſucceſſionem temporis mundum condidiſſe,nēpe cælos, & elementa ante primũ diem, res autem alias per ſex illos dies, ſicut à Moſe narratur,hæc ſētentia,vt eſt communior,ita etiam probabilior, ſic ſentit Baſilius,Ambroſius, Chryſoſtomus, Strabus, Beda, & alij in hunc locum Gen. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis ſuper Gen. Gregorius lib. 32. Motalium cap. 10. Rupertus lib.1.de operibus Trinitatis c.37. Item Magiſter Sent.in 2. d. 12. & d.15. vbi affirmat hanc ſententiā magis approbari ab Eccleſia Catholica, & ibidem plerique Theologi. Non enim tantum intendit facere Deus, quantum poteſt, ſicut,nec tãtum communicare creaturæ, quantum poteſt recipere.Vnde cum poſſit dare beatitudinem abſque meritis, vult tamen, quod mereamur, ita cum poſſet omnia ſimul creare, maluit tamen materiam ſub quadam informatione, & imperfectione facere, vt ex ſua imperfectione, quaſi materia ad Deum clamaret, vt ipſam perficeret: & hoc idem voluit per ſenarium dierum differre,vt in perfectione numeri ſimul oſtenderetur perfectio vniuerſi.

Sed quod iudicium de his ſentētijs faciendum eſt? Inter tot grauiſſimorum doctorum ſententias interponere termerarium videtur præſertim cum D.Thom.in 1.p.q. 74.art.2.expoſita vtraque opinione, nol-

ne, noluerit ſuffragium dare, neq; iudicium facere, & quæ probabilior ſit decernere, licet magis ad ſecundam videatur inclinare, q. vero 4. de potentia Dei, artic. 2. dicit opinionē Auguſtini eſſe ſubtiliorem, & commodiorem ad liberãdam Scripturam ab irriſione infidelium, licet contraria ſit planior, & litteræ Moſis conuenientior D.Bonau. in 2.diſtinct.12.q.2. dicit, quòd opinio D. Auguſtini eſt multum rationabilis, & valde ſubtilis, contraria vero magis litteræ Moſis conſentaneæ. His itaque explicatis opinionibus,

Queſt. 6. Quæritur, primo, de hoc quod dicitur, factum eſt veſpere, & mane dies vnus: nam iuxta expoſitionem D. Auguſtini non videtur, hoc poſſe ſtare: nam videtur quod mane deberet præordinari veſpere, quia nobilius eſt, nobilior eſt enim cognitio in verbo, cognitione in propria natura, & ita prior eſt natura, vel dignitate. Itē prius naturaliter cōgnuit angelus in verbo, quàm in propria natura, ergo in proprio genere mane præordinari debet veſperi. *Alex. de Ales 2. p. q.49.m.2.*

Reſpondetur, quòd D. Auguſt. accipit ibi mane, propriè pro cognitione Angeli, quæ eſt de re facienda inquantum huiuſmodi, & quia non cognouit ſe faciendum, ideo propriè non habuit cognitionem matutinā de ſe, ſed de alijs; Veſpere autem intelligit D. Auguſtinus per cognitionem de re facta in proprio genere, & hanc bene habuit angelus de ſe: quia ergo angelus prius cognouit ſe factū, quam cætera facienda prius dico ſecundum naturam: ideo veſpere ibi præordinatur mane: Vnde duplex eſt ibi modus ordinãdi, vnus quo ad cognita, & ſic ordinatur veſpere, ante mane, vt dictum eſt: alter, quo ad modos cognoſcēdi, & ſic deberet præordinari mane, ſecundum quod probat obiectio prima. *Angelus non cognouit ſe faciendum.*

Ad ſecundum dicitur, quod re vera angelus cognouit ſe in verbo, ſed non eo modo, quo accipitur in propoſito: quia non cognouit, nec cognoſcere ſe potuit faciendum, ſed ſe iam exiſtentem.

Queſt. 7. Quęritur ſecundo, iuxta ſecundam opinionē, quomodo illa lux diem, & noctem diſtinctè fecerit toto illo triduo, ante Solis productionē? D. Baſilius hom. 2. in Gen. & Damaſ. lib. 2. de Fide, cap. 7. cenſent id eſſe factum non per motū ipſius lucis in orbem circum terram, ſicut nunc fit per motum Solis, ſed per emiſſionem, & contractionem radiorum, non quidem naturali vi, & facultate illius lucis, ſed Dei omnipotentia. Sed hanc ſententiam impugnat D. Auguſtinus lib. 1. ſuper Gen. ad lit. c. 11. vbi ſic ait. Non eſt primam illam lucem eſſe extinctam, vt nocturnę tenebræ ſuccederēt, & rurſus accenſam, vt mane fieret, antequā hoc ſolis officio gereretur, quod à quarto die cępiſſe fieri eadem Scriptura teſtatur. *Lux primo die condita, quō diē, & noctē diſtincta faciebat.*

Beda verò in Gen. quem ſequūtur D. Bona. in 2. d. 13. artic. 1. q. 2. Nic. de Lira, & Toſtatus in Gen. in ſecunda expoſitione, & qui tenent lucem illam fuiſſe nubē quãdam longe, lateque lucentem, cenſent illam nubem in illo triduo circumactam fuiſſe vel Dei voluntate, vel angeli miniſterio, circa eundem illam, & indigeſtam maſſam terræ, & aquæ, vel vt alijs placet circa materiam corpoream informem, quæ ſua craſſitudine, & denſitate medium mundi locum obſidens idonea erat ad opacandū, & obſcurandum, ex quo facta eſt

illius

illius tridui noctium & dierũ diſtinctio.

Qui verò opinantur lucem illã non fuiſſe aliam, quam Solis, qui proprium motũ nondum habens, ſolo primi cæli raptu, ab ortu voluebatur ad occaſum, 24. horis vniuerſum orbem circumluſtrans, vt D.Thom. 1.p.q.64.art.4.ad ſecunda. Nicol. de Lyra, & Toſt. in priori expoſitione, ac etiam Pererius in hunc locum, dicunt quòd dies, noctesq; omninò æquales, & vniformes faciebat, atque adeo lux illa diem, & noctẽ, mane, & veſperam efficiebat, non ſecus, quàm nunc facere videmus.

Quæſt. 8. Quæritur tertio. In quo cæli loco lux illa fuerit, cum primum apparuit, num in Oriente, an potius in meridie, vel in occaſu. Sanctus Bonauentura in 2. Sent. duas in ducit opiniones, quarum alteram dicit eſſe Bedæ, qui dicit, quòd lux illa facta eſt in meridie; & rationẽ huius aſſignat duplicem, vnam, quia lux illa primo faciebat veſpere, & poſtea mane, ſicut dicit Scriptura, ergo videtur quod prius tẽderet ad occaſum, quàm rediret ad ortum. Alia ratio eſt: quia Dei perfecta ſunt opera, & ideo diem, & lucem fecit in ſua plenitudine, atque ita in meridie: & ſi dicatur, quòd à principio diei vſq; ad mane non ſunt 24. horæ, reſpõdetur, quòd ſex horæ huius diei præceſſerant ſucceſſione tẽporis pertrãſeunte, propter ipſius materiæ mutabilitatem, & poſtmodum ſexta hora, quæ eſt in numero perfecta, facta eſt lux, quę eſt corpus perfectũ in ſua natura, in plena, & perfecta irradiatione, vtpotè in meridie, & cum eſſet tũc tempus ęquinoctiale, vſque ad occaſum fuere ſex horæ, & poſtmodum vſque ad ortum ſequentis diei fuerunt 12. & ſex præceſſerant ante formationem lucis poſt creationem cæli, & terræ, & ita factus eſt dies naturalis perfectus, & integer.

Lux primo die creata in quo loco cõdita fuerit.

Verum ſi hæc opinio fuit Bedæ, in ea tamen non ſtetit, ſiquidem in Hexameron apertè ſignificat creatam fuiſſe lucem in Oriente, & feciſſe integrum diem artificialem, 12. horarum, & naturalẽ 24.

Alteram opinionem attribuit D. Bona. Hugoni de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis, dicenti, quod non fuit mora temporis intericcta inter creationẽ, & diſtinctionem, hoc eſt breuiſſimum interceſſit tempus, atq; adeo ſtatim poſt cæli, & terræ creationem, hoc eſt poſt breuiſſimum tempus produxit Deus lucem, quæ producta fuit in Oriente, & ſua reuolutione perfecta tendendo ab eodem puncto in idem, fecit diem naturalẽ, & hoc videtur ſatis probabile, qđ ibi cęperit lux illa in primo die, vbi cõditus eſt Sol in die quarto, creditur enim Sol quarto die conditus fuiſſe in Oriente, non in Meridie, & Luna in Occidẽte; & hãc ſententiam ſequuntur D. Bonauẽ. in 2.d.13.ar.1.q.2.ad vltimũ, Toſtatus in Gen. & Molina de operibus ſex dierum, Diſp. 7.

Et factum eſt veſpere, & mane dies vnus.

Dvbitationem habet, quod Moſes definiẽdo primum diem, prius nominat veſpere, quàm mane cum re vera mane antecedat veſpere.

Catharinus opinatur Solem, ita eſſe creatum à Deo, vt lucere cęperit in altero hemiſpherio, quod huic noſtro eſt oppoſitum; nam in hoc noſtro, & factus eſt primus homo, & poſt eius peccatum primo habi-

Primus dies quomodo habuit prius veſpere q̃ mane.

habitauit genus humanum, & Hebræi ad quos hunc librum ſcripſit Moſes, quare comparatione huius noſtri hemiſperij, prius Sol fecit noctem quam diem.

Et addit Catharinus, quod hæc ſua ſententia cum diuinis officijs apertiſſime conuenit: nam ſabbato in veſpere iam cadente, incipit dies Domini celebrari, vt ſignificetur tunc incœpiſſe diem Domini ſolemnem: ob eam cauſam fuit mã datum in Scripturis, vt feſtorum ſolenmitates à veſpere inciperẽt. Nec iſtud magno vacat myſterio: quoniam ſic in nobis fit, & ita fieri debemus intelligere; Ante quam enim facie ad faciem noſtrum verum Solem videre poſſimus, oportet prius præcedere vigilias veſpertinas, & ambulare quaſi in nocte per fidem, & ſic expectare perpetuam clariſſimi, atque ſplendidiſſimi feſti lucem. i. quãdo apparebi Chriſtus, gloria, & vita noſtra. Sed non deſunt pleriqne ex hominibus qui feſtum priuſquam vigilias celebrare volunt, cõtenti bonis huius ſæculi, deſperantes de futuris, cõtra diuini ordinis præſcripta. Hoc igitur illis merito eueniet, vt æterno feſto priuati, in ſempiternis vigibijs torqueantur. Quare hoc mihi videtur in cauſa fuiſſe cur prius memoratum fuerit veſpere quam mane. Ita Catharinus; cæterùm quicquid ſit de allegorica congruentia, quod ad litteralem ſenſum hæc explicatio Catharini ſimilis eſt figmento. Nulla enim ratio afferri poteſt, cur in alio hemiſphcrio potius, quam in hoc noſtro, Sol lucere cœperit, quin multo probabilius eſt, ita eſſe factum, vt primum colluſtraret terram in qua homo erat primum habitaturus.

Hebræi (teſte D. Hieronymo ſuper 2. c. Ionæ) intelligunt noctẽ, quæ incipit à veſpere, & terminatur in die ſequenti, & per mane intelligunt diem artificialem, quę incipit in ipſo mane, & terminatur in veſpere ſequenti, atque ita dicunt quod dies naturalis incipit à principio primæ noctis, & terminatur in principio noctis ſequentis, quod patet ex eo quod in principio rerum tenebræ quæ à Deo nox vocantur, præceſſerunt lucem in ordine temporis: nã poſt quam dixit: Tenebræ erant, &c. conſequẽter dixit: fiat lux; ex quo videtur quod nox naturaliter debet præcedere diem in comparatione dierum; & hoc etiam confirmant ex eo, quod legitur Exodi: à veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra. Sed hæc vera ſunt de die legali, quo ad feſtorum celebrationem: ſecus autem eſt de die naturali, de quo hic eſt ſermo. Nam apud Hebræos fuit olim in vſu triplex genus dierum, dies ſcilicet Legalis, à veſpera ad veſperam; dies naturalis, ab ortu ſolis vſque ad ortum; & dies vſualis, à media nocte ad mediam noctem.

Hugo, lib. 1. de Sacramentis p. 1. cap. 9. & Magiſter Sent. lib. 2. d. 13. & D. Bonauentura in 2. d. 13. q. 2. ad vltimum dicunt, quod mane dicit finem præcedẽtis noctis, & ex hoc dicit quamdam obſcuritatem, propter hoc, qui non tantum dicit diei initium, imo dicit noctis conſummationẽ; & quia in prima lucis formatione non præceſſerat nox, ſed ſtatim lux incœpit ſecundum ſuam totam poteſtatem illuminare; ideo dicitur dies illa cœpiſſe à plena luce, adeo enim ibi, vbi cœpit lucebat, ſicut ſi eſſet meridies, ideo non dicitur feciſſe

mane.

Digitized by Google

mane: quia non præceſſerat nox, ſed prius veſpere, quod eſt finis diei, & poſtmodum mane, quod eſt finis noctis, quia prius fecit diem, & poſtmodum noctem, cũ itaque primus dies non habuerit auroram, & mane, ideo illius diei prius fuit veſpere, & poſterius mane. Sed contra hoc facit quod Moſes enumerando reliquos dies, ſimiliter loquitur, vt in hoc primo, dicens: factum eſt veſpere, & mane dies ſecundus, & tertius, &c. non igitur illud ſingulare, & proprium fuit primæ diei.

Qui tenent lucem illam creatã fuiſſe in meridie, vt Beda in Hexam. Alex. de Ales; p.2.q.48.m.1. D.Bonauẽtura, & Ægidius vbi ſupra, cum iuxta hanc ſententiam dies illa non habuerit mane, ſed veſpere tãtum: (Incępit enim moueri à meridie ad veſperam) ob hanc cauſam dicunt dixiſſe Moſem, prius factum eſt veſpere, & mane. Sed quidem dicent de ſequentibus diebus, cum ſemper eadem vtatur locutione?

Toſtatus in Geneſ. quem ſequitur Molina, de operibus ſex dierũ, Diſput.7. duobus modis explicat hunc locum; Primo dicit, quod materia corporum, & omniũ corporeorũ, cælum Empyreum, & angeli cum toto tẽpore fuerunt creata, per duodecim horas ante lucis creationem, quę faciunt vnam de noctibus, quæ ſunt tempore æquinoctiali; & lux poſtea creata circuiuit in duodecim horis medietatem cæli, ſcilicet, vſque ad punctum oppoſitum occaſum, & fuit vna dies artificialis, & tunc ex duobus his completa fuit vna dies naturalis, & ob hoc Moſes ponit prius veſpere quam mane.

Vult itaque Abulẽſis in hac prima explicatione, quod Deus produxerit lucẽ primæ diei poſt duodecim horas à creatione mundi, & produxit eam in puncto orientis comparatione Paleſtinæ, ita vt in puncto creationis illius, incępit eſſe mane in Paleſtina; ac ſi tũc ei oriretur Sol, eaque ratione primus dies naturalis in Paleſtina fuit 24. horarum duodecim. Tenebrarum, ſeu noctis à pũcto creationis mũdi, vſque ad productionem lucis, & aliarum 12. diei artificialis, à puncto creationis, vſque ad occaſum eiuſdem lucis cõparatione Paleſtinæ. Iuxta hunc ergo ſenſum, nomine veſpere, in prima die intellexit Moſes, tempus illud tenebrarum, ſeu noctis: nomine verò mane, intellexit diẽ artificialem ab ortu lucis, vſque ad occaſum. Cæterum, huic explicationi illud obijci poteſt, qđ ſaltem ante productionem lucis, non fuit tempus in hoc mundo, ergo non fuit pars, quæ integraret diem naturalem, quandoquidem dies tempus quoddam eſt, atque adeo id quod diẽ integrare debet tempus quoddam eſſe debet: Reſpondet Toſtatus, quòd non ſolum motus, verum etiam quies, tempore menſuratur, tantaque eſt quietis duratio, quanta eſſet duratio motus, cuius eſt priuatio, 4. Phyſ. atque adeo ſtatim ac corpora cæleſtia, ſeu mobilia eſſe cęperunt in rerum natura, cępit eſſe tempus, vel verum, ſi fuit motus aliquis corporum; vel imaginarium, non quocũque modo, ſed habens fundamentum in re, hoc eſt, quod tunc eſſet, ſi eſſet is motus, cuius dicitur actu priuatio, quæ ita nata eſt, quo ad durationem, quatenus quo ad duratio nem eſſet motus ipſe, cuius eſt priuatio. Dies ergo primus iuxta hanc ſententiam integratus fuit tem-

tempore vero, & imaginario.

Verũ enimuero, Toſtatus valde abutitur vocabulo, Veſpere, pro nocte; cum in Scriptura veſpere nõ ſignificet ſimpliciter tenebras, & obſcuritatem noctis, ſed imminutũ lumen Solis ad occaſum vergẽtis, hoc eſt, tres extremas horas diei artificialis, vel crepuſculũ inter Solis occaſum, & tenebras noctis; quod patet ex voce Hebræa, Veſpere enim Hebraicè dicitur Heber à verbo, Harab, quod propriè ſignificat ligare, quaſi veſpera ſit ligamen diei, ac noctis, ſicut mane Hebræi vocant, Boiques, à verbo, Bachar, ideſt diſcernere, vel quærere, eo quòd mane incipiat res diſcerni. Addas, quòd illæ tenebræ nõ poterant propriè nox appellari: nam ſicut dies propriè loquendo eſt latio lucis ſuper terram, ſic & nox eſt occultatio talis lucis ſub terra, quod non competit tenebris illis.

Altera Abulenſis explicatio eſt talis, ſcilicet quod principium huius diei, eſt à creatione lucis, & ſic fuit primo mane, ideſt dies artificialis, dum lucida nubecula tranſiuit totum hemiſphærium in quo creata fuit, tranſiens à pũcto oriẽtis, in quo creata fuit, vſq; ad punctum oppoſitum occaſus; & iſte tranſitus fecit diem artificialem; deinde ſubintrante luce, punctum occaſus fuit veſpere, ſiue nox, vſque dum rediret ad locum in quo creata fuit, & à quo incœpit moueri, & iſto modo mane præceſſit veſpere: ponitur tamen primum veſpere, quam mane: quia in quocunque horizonte lucere cœpit, illa lux creata aſcendere cœpit ſuper illum horizontem, & poſtquã aſcendiſſet ad meridianum, occidens ad punctum horizontis occultata eſt, circumeundo rurſus, & ſic primo egit diem, quam noctẽ, ſcilicet vt videatur, quòd veſpere eſt pars diei naturalis: quia de tẽpore lucis non eſt dubium, ſed de tempore tenebrarum: Si ergo primo poneretur mane, crederetur, quòd veſpere, quod ſequebatur, non pertinebat ad diem, cum autem præponitur, non eſt dubium quin ad diem pertineat, cum dies, ſcilicet mane, qui eſt pars indubitata diei, poſtponatur.

Poſtremò, iuxta ſententiam D. Chryſoſt. hom. 3. 4. & 5. in Gen. Auguſt. lib. 1. de Geneſi, cõtra Manichæos, & lib. Imperfecto de Gen. ad lit. Baſilij in Hexamer. Hug. in annot. in Geneſ. c. 10. Nicol. de Lira, in hunc locum, & Burg. in addit. in primum cap. Geneſ. ſic poteſt hic locus explicari; quòd Moſes loquatur de die naturali, qui eſt 24. horarum, prout communiter omnes exponunt; dies autem naturalis complectitur diem artificialem, & noctem, & ideo dicit: Factum eſt veſpere, & mane, dies vnus. In veſpere enim completur dies artificialis, qui eſt prima pars diei naturalis; & in mane diei ſequentis completur nox, quæ eſt ſecunda pars diei naturalis, & ideo præponit veſpere ipſi mane, vt oſtendat completionem diei naturalis exprimendo terminos diei artificialis, & noctis, quæ ſunt partes integrantes diem naturalẽ; res enim denominatur à termino ad quem, non à termino à quo, vt patet primo Phyſ. & ideo dies artificialis debet denominari à veſpera, in quam terminatur, & nox denominari à mane, in quo terminatur: atque adeo per hoc quod dicitur: Factum eſt veſpere, intelligendus eſt dies artificialis, cuius terminus ad quem, eſt veſpere, ſiue nox; & conſequenter cum dicitur:

tur:& mane,intelligenda eſt nox, cuius terminus ad quē, eſt mane, atque ita prima pars diei naturalis eſt dies artificialis,& ſecunda nox ſequens.

Quaeſt.9. Sed quæritur cur Moſes hunc diem in quo facta eſt lux, appellauit diem vnum,& nō primum: cū deinceps commemorādo reliquos ſex dies, appellauit diem ſecūdū, tertium, & quartum, & ſic deinceps, vſque ad ſeptimum? Non dixit primus inquit Origenes, hom. prima in Geneſ.quia tempus nondum erat antequam eſſet mūdus: tempus autem eſſe incœpit ex cōſequentibus diebus, ſecunda nāque dies,tertia,& quarta. Et reliquæ omnes, tempus incipiunt deſignare. Vel vt dicit Baſilius in Hexam.ſub finē, ita locutus fuit Moſes,vt oſtenderet quantū eſſet ſpatium vnius diei naturalis, nempè quantum comprehendit ſimul diē artificialem,& noctem,vel fortaſſe dictus eſt vnus, & non primus, quia is dies poſtea nominandus eſſet Dominicus,& in eo efficienda eſſet,quę à fidelibus expectatur reſurrectio mortuorum, & futuræ conſumatæ felicitatis noſtræ adeptio, in qua vnus erit perpetuus dies.

Moſes cur non dixit: Factū eſt veſpere, & mane dies primus, ſed vnus.

Vel dicendum eſt, ſecundū Toſtatum in Geneſ. poſteriori expoſitione, & Molinam de operibus ſex dierum,Diſput.9. & Pererium in hunc locum, quòd hæc locutio Hebraiſmus eſt: Hebraica enim phraſi accipitur vnus, pro primo, vt patet Daniel.9.Vno (inquit) anno Darij Regis, hoc eſt, primo, vt ipſe mox declarat: Sicut etiam dicitur in Euangelio. Vna Sabbatorùm, ideſt, prima Sabbatorum, hoc eſt, prima die poſt Sabbatū, quæ eſt dies Dominicā.& Apoc.6. Cum aperuiſſet agnus ſigillū vnū, ideſt primum. Ita hic; Factum eſt veſpere, & mane dies vnus, ideſt Primus,& hæc expoſitio eſt magis litteralis.

Opus Secundæ diei.

Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita. Vocauitque Deus firmamentum cælum: & factum eſt veſpere & mane, dies ſecūdus.

Firmamentum Hebraicæ appellatum eſt,Raqiah, quæ vox propriè ſignificat extenſionem,à verbo, Racah, quod eſt expandere,ſeu extendere. Græcè autem vocatum eſt firmamentum, στερέωμα, hoc eſt, ſolidum, & firmum. Vnde ex varia huiuſce nominis acceptione, diuerſa fuit Interpretum huius loci ſententia, quid Moſes per nomen Firmamenti intelligeret.

Quid per firmamentum intelligat Moſes.

Origenes hom. 1. in Geneſ. Philo lib.1. de opificio mundi, Baſilius in Hexam.Chryſoſt.hom.4.in Geneſ.Theodoretus, q.11. in Geneſ. & Beda in Hexam. per Firmamentum intelligunt corporeum cælū. Ita nāmque ſcribit Origenes.Cum iam antea Deus feciſſet cælum; nunc firmamentum facit, fecit .n. cælum prius,de quo dicit:Cælum mihi ſedes eſt,poſt illud autem firmamētum fecit, ideſt, corporeum cælum, omne enim corpus eſt firmum ſine dubio, & ſolidum, hoc autem cælum aliqui dicunt eſſe cælum Sidereum.

Dama-

Digitized by Google

Damaſcenus lib. 2 de Fide, c. 6. Iunilius, Beda, Strabus, & Gloſſa Ordinaria, dicũt, q̃d Moſes per Firmamentũ intellexit cælũ Sidereũ, de quo poſtea dicitur: Poſuit Deus eã, ſ. luminaria, in Firmamento. Catharinus, per Firmamentum interpretatus eſt octauam Sphærã, quam ſic credidit appellatã, q̃d in ea Stellæ inerrantes fixæ firmęque ſint, nec varijs motibus moueãtur.

Alij dicunt, quod per Firmamẽtum intellexit Moſes, totum illud ſpatium, quod expanſum, & diffuſum eſt circum terram, vſque ad aſtra, ſ. quatenus oculorum acies vſquequaque extendi poteſt; huius ſpatij ſupremam partem tenẽt cæli, & aſtra, imam partem elementum ignis, & aeris. Procuius explicatione ſupponunt duo.

Primum, quod Firmamẽtum ex D. Auguſtino in Imperfecto de Geneſ. ad litteram, intelligitur, vt dictum eſt, machina ætheria, & ſuperior, atque adeo Moſes aliquando loquitur de Firmamento ratione ſupremæ partis; vt cum dicit ſidera eſſe poſita in Firmamento. Interdum ratione inferioris, vt cũ ait, aues volare in Firmamento; & Firmamentum diuidere aquas ſuperiores, ab inferioribus. Præterea, luminaria, & Stellæ, quæ ſunt in diſtinctis orbibus, dicuntur poſita in Firmamento, vt patet infra; ſed iſta omnia ſidera, & luminaria, ſunt in diuerſis corporibus collocata, vt patet ẽt de planetis; Omnes ergò cęleſtes orbes, vbi iſta collocãtur, debẽt vocari Firmamẽtũ.

Item, quod aer vocatur Firmamentum, patet: nam vbi nos legimus: producant aquæ volutile ſuper terram, ſub Firmamento cæli: alia littera, & Septuaginta legunt: in Firmamento cæli; & in Hebræo dicitur: ſuper facies firmamẽti. Conſtat autẽ, aues volare in aere, ergò firmamẽtũ vocatur aer.

Secundo ſupponitur, quòd etiã aer ſolet vocari cælum, vt patet Pſal. 8. Volucres cæli, & piſces maris. Qui operit cælum nubibus; & infra, c. 7. Cataractæ cæli apertæ ſunt; & Ierem. 8. Miluus in cælo cognouit tempus ſuum. Eſt itaque firmamentum ſpatium expanſum inter cælum, & terram. Hanc opinionem D. Auguſt. lib. 2. ſuper Geneſ. ad litt. c. 4. iam ante ipſum ab alijs proditam, probat, & laudat, licet eã non teneat D. Tho. 1. par. quæſtio. 68. artic. 1. Durandus in 2. quæſt. 14. Pererius in hunc locum, & Bannes, 1. par quæſt. 68. artic. 1. qui multos alios citat, eam defendunt. Quam videtur etiam probaſſe D. Hieronymum Epiſt. 83. ad Oceanum. Et ſi dicatur, nomen hoc Latinum firmamentum, atq; præſta vox, στερέωμα, non poteſt aeri, qui eſt corpus admodum tenue, & inſtabile, perpetuaque iactatum agitatione, adaptari. Reſpondent huius opinionis authores, quod firmamẽtum non appellatur, quia ſit corpus firmiſſimum: ſed quia eſt interſtitium, & terminus interiectus inter aquas ſuperiores, & inferiores, terminus inquã firmiſſimus, & immutabilis; ſemper enim id natura fert, vt ſuperiores aquę generentur in ſuperiori parte aeris, indeque defluãt in terrã: inferiores autẽ aquæ ſub aerẽ locũ habẽt. Quæ reſpõſio deſumitur ex D. Au. lib. 2. ſuper Gen. ad litt. cap. 10. vbi ad hunc modũ ſcribit. Nec nomen firmamenti cogit, vt ſtare cælum putemus, firmamentum enim nõ propter ſtationem, ſed propter firmitatẽ, aut propter intranſgreſſibilem terminum, ſuperiorum, & inferiorum aquarum intelligere licet. Et ſi ite-

iterum dicatur: Moſes, paulo inferius, vbi opus quartæ diei tradit, Solem, & Lunam, omniaque aſtra in firmamēto eſſe poſita affirmat: verum non eſſe Solem, & Lunam, & aſtra, in eo ſpatio, quòd aer obtinet, & implet, manifeſtum eſt, ergo, &c. Dicunt, quòd dicitur in firmamento cæli: more Hebraico, pro eo, quod eſt cælum, vel quod ſupra in hoc ſecundo die appellatum eſt cælum, adeò, quod eſt ſenſus, quod aſtra poſita ſunt in firmamento cæli, ſecũdum partem eius ſuperiorem; vel, quia per ipſum firmamentũ, ideſt, aerem, ſint hominũ oculis expoſita, & ſpectabilia.

Alij dicunt, quod per firmamētum intellexit Moſes, totam magnitudinem, vel molem cæleſtem, continens octo orbes, ſcilicet cælum Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, atque Lunæ, & iſti octo cæli vocantur hoc vno nomine Firmamentum, & hæc opinio eſt Origenis, Philonis, Chryſoſt. Theodoreti, Baſilij, Bedæ, Strabonis, Gloſſæ ordin. Damaſ. & D. Auguſtini in locis ſupra citatis; Quam ſecuti ſunt Magiſter Sent. in 2.d.13. Nicol. de Lira, Toſtatus in hunc locum, Burgen. in addit. ad 1. cap. Geneſ. & Molina, de operibus ſex dierum, Diſput. 2. Et addit Molina; nomine Firmamenti intelligi, aggregatum ex omnibus orbibus ab octaua Sphera incluſiuè, vſque ad orbē Lunæ, vna cum igne, & aere; & hæc opinio probabilior mihi videtur. Vnde pro ampliori explicatione

Quæſt. 1. Firmamētum an ſit creatũ, vel de materia productum.

Quæritur primo. An firmamentum ſit creatũ, vel de materia productum. Pro ſolutione huius difficultatis obſeruandum eſt, quòd Moſes (prout diximus ſupra) quãdo dixit: In principio creauit Deus cælum, & terram, quòd per cælum poteſt intelligi, vel natura angelica, & per terrã materia prima omnium corporum, & informis: Vel per cælum, & terram ſimul, poteſt intelligi, materia prima, ex qua conſtant omnia corpora, ſed primo, & principaliter cælum, & terra; Vel tertio per cælum poteſt intelligi omne cæleſte corpus cũ ſua forma ſubſtantiali: adeo, quod Deus ab initio creauit omnia corpora cæleſtia in ſuis formis ſubſtantialibus diſtincta, licet in aliquibus formis accidentalibus informia, & per terram, ipſam terram, &c. Vel quarto & poſtremo, per cælum poteſt intelligi, cælum Empyreum tantum, & per terram materia prima, de qua deinceps corpora omnia formata ſunt, & quomodocumque accipiatur cælum, & terra, in primis verbis huius capitis, manifeſtum eſt, quod Firmamentum formatum ſecundo die, non fuit conditum de nihilo.

Pererius, qui Firmamentum dicit eſſe ſpatium illud totum, quod expanſum, & diffuſum eſt circum terram vſque ad aſtra, dicit, totum illud ſpatium, quod inter terram, & cælũ Lunæ interfuſum eſt, fuiſſe plenũ materia quadam aquea, & nubiloſa, qualis eſſe ſolet aer proximè ſuperfuſus terræ, cum eſt multis, denſisq; vaporibus, & craſſis nubibus obductus, atque cõfertus, quod probat illud Eccleſ. 24. Ego feci in cælis vt oriretur lumē indeficiens, & ſicut nebula texi omnem terram. Et per illud Iob 38. Quis cõcluſit oſtijs mare, quando erumpebat, quaſi de vulua procedens, cum ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerē? Materia autem nubiloſa, & vaporoſa facillimè, & ocijſſimè in aerē vertitur, atque adeo ex parte illius

lius materiæ nebuloſæ, & leuiori: Secundo die factum eſt firmamentum, quod ipſe aerem eſſe dicit, vna cum igne ſolius Dei infinita vi, & poteſtate: Ex reliqua vero materiæ parte nebuloſo, craſſiori, frigidiori, & grauiori, circum terra ſubſedente, Tertio die formata fuit aqua, hoc eſt, fuit magis denſata, & ad propriam elemẽti aquæ conditionem reducta, atque à terra fuit ſeparata: &, ne eam rurſus operiret, in præparatũ ſibi locum congregata.

Et ſi teneatur, omnia elementa ſimul cum omnibus cælis eſſe facta ſecundum ſubſtantiam, dicunt hanc opinionem tuentes, aerẽ factum eſſe medium quemdam terminum diuidentem aquas ſuperiores, nẽpe pluuiales, à terreſtribus, & eſſe factum locum naturalem generationis eiuſmodi aquarum ſublimium, ita, vt hoc die facta ſit diſtinctio elementi aquæ, in aquas aereas, & terreſtres: Tertio autem die facta eſt aliquatenus diſtinctio aquæ à terra: Secundo ergo die factus eſt aer non ſimpliciter, ſed vt rationem haberet firmamenti, & munus diuidendi aquas ab aquis.

Qui vero dicunt firmamentum eſſe omne corpus cæleſte ſidereũ, vt Clemen. Roma. lib. 1. Recognit. prope medium. Theodoret. q. 11. ſuper Geneſ. Gennadius, Seuerianus in Catena, Beda in Hexamer. Hugo lib. annor. in Geneſ. capit. 6. Magiſter Sẽt. in 2. d. 14. & Molina, de operibus ſex dierum, Diſput. 2. docent firmamẽtum eſſe factum ex aqua, & ij ſunt, qui per cælum in initio conditum, intelligunt cælum Empireum tãtum. Nam cum interſtitium, quod firmamentum hodie occupat, non fuerit vacuũ à principio creationis cæli, & terræ, vſque ad ſecundum diem, in quo factum eſt firmamentum, nec detur aliud corpus, quod in eo ſpatio fuerit, præter aquas, quas Scriptura à principio vna cum cælo, & terra commemorat factas, colligitur profecto in eo ſpatio fuiſſe aquas, ex eiſque fabricatum fuiſſe firmamentum, id eſt orbes omnes cæleſtes, ignemque, & aerem: neque enim dicendum eſt, aquas, quæ ibi erant, reductas fuiſſe in nihilum, de nihiloque creatum fuiſſe ſecunda die firmamentum: tum quia, qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul, quæ per creationẽ præſsè ſumptam producta ſunt: tum, quia communis eſt Doctorum ſententia, Deum nihil eorum, quæ ſimul condidit, redegiſſe vnquam in nihilum: tum denique, quia rationi nõ eſt conſentaneũ, vt Deus à principio repleret ſpatium illud aquis, quas ſtatim ſecunda die redigeret in nihilum, vt de nihilo etiam produceret firmamentum.

Qui autem dicunt, quòd firmamentũ accipitur pro octaua Sphæra, & ſeptem Sphæris Planetarum, vt Nicol. de Lira, & Toſt. in priori expoſitione: & quod per cælum in initio conditum, intelliguntur omnia corpora cæleſtia in ſuis formis ſubſtantialibus diſtincta, dicunt, quòd ſecunda non fuit factum firmamentum, quantum ad formam ſubſtantialem: quia ſic factũ fuit in principio: ſed intelligitur factũ ſecundum aliquam qualitatem ipſius firmamenti: quæ autem ſit illa qualitas in textu non exprimitur. Ideo dicit Rab. Salom. quòd eſt ſoliditas, de qua dicitur Iob 37. Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi, quaſi ære fundati ſunt, & propter hoc ipsũ cælum vocatum eſt Firmamentum.

Alij dicunt, quòd iſta qualitas eſt quædam virtus ad influendum ſuper elementa, ad ipſorum cõſeruationem, & gubernationẽ. Quod autẽ in Scriptura Sacra aliqua res fieri dicatur, quando acquirit aliquam accidentalem diſpoſitionẽ, probat idẽ Rab. Salom. per illud, quod habetur Deut. 21. de muliere gentili captiua apud Hebræum virum: de qua dicitur, quòd ſi voluerit habere eam vxorem, radet cęſariem ſuam, & circumcidet vngues ſuós, ſecundum translationẽ noſtram; ſed textus Hebręus legit, & faciet vngues ſuos. Ex quo patet manifeſtè ꝙ fieri vnguium, ibi accipitur pro diſpoſitione accidentali ipſorum. Patet etiam in tranſlatione noſtra. Daniel. 4. vbi dixit Nabuchodonoſor. Nonne hæc eſt Babylon, Ciuitas magna, quam ædificaui? & tamen certum eſt, ꝙ ille eam non ædificauit: quia multi Reges fuerunt ante eum in Babylone: ſed tantum eam ampliauit, & fortificauit, ideo dicitur eam feciſſe. Similiter Iſaiæ 65. dicitur: Ego creo cælos nouos, &c. quia ſcilicet poſt diem Iudicij nouum ſtatum habebunt. Et in Leuit. ſępè habetur. Faciet vnum vitulum pro peccato.

Si autem teneatur, quòd per cælum in initio conditum intelligatur tantum cælum Empireum, & per terram, materia prima informis, vel cum aliqua forma corporeitatis imperfecta, de qua poſtea formata ſunt omnia corpora, etiam cæleſtia: dicit Alex. de Ales, quem ſecuti ſunt Nicol. de Lira, & Toſt. in poſteriori explicatione, ꝙ Firmamentum hac ſecunda die factum fuit, quantum ad formam ſubſtantialem, quia de vna parte materiæ prius productæ ſub forma communi, factũ eſt firmamentum, ſecundum formam ſpecificã cæli Siderei; in qua productione intelliguntur etiam producti orbes ſeptem Planetarum, qui ſub nomine Firmamenti comprehenduntur.

Qui autem ſequuntur expoſitionem Diui Chryſoſtomi hom. 1. in Geneſ. exponentis illa verba: In principio creauit Deus, &c. ꝙ in his verbis pręmittatur ſumariè, & compendioſè totum opus Diuinum circa creationem, diſtinctionem, & ornatum mundi in omnibus ſex diebus primis ſucceſſiuè factum, ſicut ſi quis diceret: talis artifex ædificauit hanc domum, & poſtea ſubdatur: primo fecit fundamentum: ſecundo erexit parietem: tertio ſupra poſuit tectũ, & huiuſmodi. Secũdum quam expoſitionem, cũ dicitur Deũ creaſſe cælum, & terram, intelliguntur omnia cæleſtia, & terrena eſſe à Deo creata, quæ in proceſſu ſex dierum creata fuere, & producta, ita quod per cælum intelligantur omnia cęleſtia, & per terrã omnia generabilia, & corruptibilia. Quam opinionem videtur etiam probaſſe Baſilius in Hexam. explicans illa verba. In principio creauit Deus cælum, & terram, dum dicit ex duobus, quæ extrema ſũt totius, exiſtentiam ænigmaticè ſignificat. Qui inquam hanc Diui Chryſoſt. opinionem ſequuntur, vt Burgenſis in addit. ad 1. cap Geneſ. dicunt, quòd ſecunda die firmamẽtum fuit productum de nihilo: nam quoniã primo die mentionem fecerat de Primo mobili, nunc autem in ſecundo die de Firmamento, in quo ſidera fuerunt poſita, mentionem facit, oſtendẽs quòd hoc Firmamentum, id eſt cęlum Sydereum, quod diuiditur in octauam Sphęram, quæ eſt Stellarum

rum fixarum, & ſeptem Planetarum orbes, fuit productum de nihilo in ſua propria ſpecie per creationem. Nam dicitur: Fiat Firmamentum, non exprimendo aliquid de quo tale Firmamentum fieret; ſi enim de Abyſſo, vel aliqua parte eius, Firmamentũ fuiſſet formatũ, dixiſſet vtique: Fiat Abyſſus, vel fiat de Abyſſo Firmamentum, ſic vt dixit de herbis, & plantis, quæ de terra fuerunt producta. Et idem eſt dicendum de reptilibus, & volucribus; ex quo ſequitur, quod illa vbi non exprimitur materia, ſed ſolũ dicitur, fiat, non debent intelligi ex materia præiacente, ſed in ſua ſpecie totaliter ex nihilo per creationem produci.

Quæſt. 2. *Firmamẽtũ cur cælum ſit appellatum.* Quæritur. Secundo. Cur Firmamentum appellatum ſit cælum? Reſpondet Alex. de Ales, 2. p. q. 49. m. 6. art. 4. Quoniam ſicut ſuperius, per cælum, & terram, quæ ſunt magis ſenſibilia, voluit manuducere intellectum noſtrum, ad inſenſibilia, & non tantum ad alia ſenſibilia: ita nunc cum vocat firmamentum cælum hoc nõ eſt, vt excludatur intentio cæli ab Empireo, ſed vt oſtendat, quod hoc eſt illud cælum de ſuperioribus, quod primo apparet nobis: vtrumque autem, ſ. empireum, & aqueum, eſt nobis inuiſibile, vnde eſt iſtud poteſt dici cælum, quod cælat nobis ſuperiores cælos.

Vel vt dicit Toſtatus in ſecunda explicatione huius loci, Firmamentum appellatur cælum: quia licet Firmamentum comprehendat octo illos orbes, tamen quia populus rudis non iudicat plures eſſe cælos ſed vnum, in quo ſunt Sol, Luna, & cætera aſtra, ideo appellauit firmamentum hoc nomine cælum.

Quæſt. 3. *Aquæ quæ ſunt ſupra Firmamentum, quid ſint.* Quæritur Tertio. Quid intellexit Moſes per aquas ſuperiores, & inferiores? quales ſint quia aquæ quæ dicuntur eſſe ſupra Firmamentum, eſt difficillimum explicatu. Cæterum, cum duæ ſint de Firmamento principes opiniones, nempe, vel quod Firmamentum ſit cælum ſidereum, ſcilicet octaua ſphæra cum ſeptem Planetarum orbibus: Vel ſpatium aereũ circum terrã diffuſum, & vſque ad ſidera expanſum, videbimus nos primo, quid per aquas ſuperiores intelligant primæ opinionis authores; deinde, quid ſint aquæ iſtæ ſuperiores, iuxta ſecundam opinionem.

Origenes, (vt referunt Epiphanius in Epiſtola, ad Ioan. Hieroſolymitanum eſt Hieronymus in Epiſtola ad Pamachium) hom. 1. in Geneſ. per aquas ſuperiores interpretatus eſt beatos angelos, quos etiam à Dauide, nomine aquarũ ſignificari ait, cum dixit: Et aquæ, quæ ſuper cælos ſunt, &c. Per aquas verò inferiores, malos angelos, è cælo in hunc turbulentũ, & caliginoſum aerem deturbatos. Verum hanc expoſitionem tamquam erroneam explodunt Epiphanius, & Hieronymus, locis ſupra citatis, & Baſilius hom. 3. ſuper Geneſ. Hac itaque opinione reiecta: Primæ opinionis ſtationi in duas eunt ſententias.

Aliqui enim vt Philo, & Ioſephus, arbitrantur veras, & naturales eſſe aquas ſuper cælum ſiderum, quas enim Moſes proprio nomine, ac ſimpliciter appellauit aquas, proculdubio veras aquas eſſe arbitrandum eſt, & In primis Iuſtinus Martyr inquit, q. 59. ad Ortodoxum. Terga cæli aquas eſſe tecta, iuxta illud: qui tegis aquis ſuperiora eius. Ambroſius autem

Digitized by Google

tem lib. 2. Hexam. cap. 2. quod veræ aquæ ſint ſuper cælum, duo ponit indicia, & argumenta, alterum quod nonunquã ingẽs aquæ vis de cælo repente magno impetu deſcendens in tantos imbres reſoluitur, vt flumina, & lacus repente compleantur, & vel ipſa exundent maria. Alterũ quod frequenter Solẽ cernamus quaſi madidum, & rorantẽ. B. Auguſt. lib. 2. ſuper Geneſ. ad litt. c. 5. & lib. Imperfecto, cap. 8. & lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. vlt. inquit: Quomodo autem, & quales aquæ ibi ſint, eſſe eas ibi minimè dubitamus: maior eſt quippe Scripturæ huius authoritas, quam omnis humani ingenij capacitas. Beda verò in Hexam. inquit: Non eſſe minus facilè omnipotenti Deo, tenere aquas ſuper cælum Sidereum, ſiue liquidas, ſiue modo Cryſtallino congelatas, atq; concretas, quã (quod facit quotidie) tenere aquas in ſublimi aere ſuſpenſas, vnde tantus fit imbrium defluxus, quod loco miraculi prædicat Iob de Deo, capit. 26. Qui ligat aquas in nubibus ſuis; vt non erumpant pariter deorſum: Ipſe enim eſt, qui vndas rubri maris, atque Iordanis in ſublimi erectas, & murorum ſimililitudine firmatas fecit conſiſtere. Hanc eamdem ſententiam docẽt Chryſoſt. hom. 4. in Geneſ. Theodoretus, q. 11. in Geneſ. Hilarius in illud Pſalm. 235. Qui fecit cælos in intellectu. Gennadius, & Seuerianus, in Geneſ. Rupert. Abb. de Operibus Trinit. lib. 1. cap. 24. & 25. Rich. in 2. diſt. 13. art. 1. q. 1. & Molina, de Operibus ſex dierũ, Diſp. 10.

Et ſi dicatur, quòd aquæ elemẽtares ſuaptè natura corrumpi poſſunt, & cum attinguntur radijs Solaribus, & aliorum aſtrorum, & cęlorum influxibus corrumpuntur de facto, ergò, cum incredibile ſit, ſuper cælos dari generationes, & corruptiones, non videtur, quod aquæ quæ ſunt ſuper cælos, ſint elementares, & eiuſdem ſpeciei, cum inferioribus. Dicitur quòd non ſequitur, quòd corrumperentur, tum ob loci qualitatem conſeruantem, tum propter qualitatem quã Deus eis aquis impreſſit, qua ſuper ipſarum naturã corrumpi nequeant, quemadmodum damnatorum corpora, etiam inter inferni flammas non corrumpentur; Vel poſſet addi, quod aquæ eo in loco non habent cõtrarium, quod ſaltem in eas agere poſſit, cum multi orbes cæleſtes medient inter eas, & ignem, omnis autem corruptio fit à contrario, in contrarium.

Et ſi iterum dicatur, quòd fruſtra eſſent ibi tales aquæ, quippè, quæ ad nullum finem deſeruirẽt, & Deus fruſtra nihil efficit; Dicitur, quòd nõ ſunt ibi fruſtra: quia licet ignoremus finem, aut fines, ad quos Deus eo in loco eas collocauerit, non carent propterea optimo fine, ac ordine; at melius eſt ignorantiam noſtram, in re adeo à ſenſibus noſtris remota profiteri, quam ridiculos, friuoloſque fines confingere: Non enim poſſumus omnia Diuinæ prouidentiæ conſilia in hac vita rimari, præſertim in rebus, adeo à ſenſibus noſtris ſeparatis.

Et ſi dicatur poſtremò, quòd locus naturalis aquarum, eſt infra orbem Lunæ ſuper terram, ergo ſi eſſet ſuper cælos, eſſent extra ſuũ naturalem locum, atque adeò grauitarent, & violentiam ſuſtinerẽt. Dicitur primo, quòd non minus eſt illis naturale exiſtere ſuper Firmamentum in loco, in quo modo

ſunt,

ſunt, quam exiſtere ſuper terram, cum nullum abſurdum ſit, grauitatem aquæ ad vtrumque locum indifferẽter inclinare naturaliter. Secundo, eſto, quòd ibi ſint extra ſuum locum naturalem, negandũ eſt tamen, eas ibi grauare, eſſeque in eo loco violenter, ſed ſolũ præter, ac ſupra ipſarum naturam: nullum namque elementum grauat, aut leuat, niſi infrà orbem Lunæ collocetur extra ſuum locum naturalem. Certè, ſi Deus crearet lapidem extra cælum, non magis in vnam partem, quam in aliã illius ſpacij penderet, ſicut ſi ante mundum vniuerſum eum crearet.

Altera ſententia eorum, qui Firmamentum eſſe dicunt cælum Sidereum, eſt, per aquas ſuperiores intelligẽdum eſſe nonum cælum, quod Cryſtallinum, & Primum mobile appellatur, quod ideo à Moſe nomine aquarum appellatũ fuit: quia magnam cum aqua ſimilitudinem, & conuenientiã habeat. Aqua enim elementaris tres habet proprietates: habet enim perſpicuitatem, frigiditaté, & grauitatem: Quantum ad naturam perſpicuitatis, aquæ ſuperiores, & inferiores cõueniunt, eo quod habent naturam receptiuã luminis, & quodammodo retẽtiuam, ſicut experimento patet in aliquibus lapidibus, qui de nocte non videntur per ſe, niſi ponantur in aqua, quemadmodum dicuntur probari Rubini, qui per ſe non lucent de nocte. Quantum autem ad naturam grauitatis, ſimpliciter differunt: nam aquæ ſuperiores nullo modo ſunt graues, nec appetunt deorſum; ſed quantum ad naturã frigiditatis partim conueniunt, partim differunt, conueniunt in hoc: quia vtræque ſunt frigidæ effectiuè; differunt autem in hoc, quod inferiores ſunt frigidæ formaliter, ſuperiores verò minimè: Cum ergo dicitur: Fiat Firmamẽtum in medio aquarũ, & diuidat aquas ab aquis, ideſt, inter cælum Cryſtallinum, quod vocatur nomine aquarum, ob rationem dictam, & aquas inferiores, quæ ſunt aquæ elementares, vel omnia elemẽta, quæ tunc vocabantur aqua. Ita docent. Iunilius ſiue Beda, in hunc locum, Magiſter Senté. in 2.d.14. Alex. de Ales, 2.p.q.50.m.1. D. Bonau. in 2.d.14.art.1.q.1. Rich. eadem d. artic. 1. q.1. & 2. Ægidius, p.2. Hexam.c.14. Durand. in 2. d. 14.q.1. Nicol. de Lira, Toſtatus in Geneſ. & Burgenſ. in addit. ad primum cap. Geneſis.

Aqua elementaris tres habet proprietates.

Appellatur autem Primum mobile cælum Cryſtallinum, à ſimilitudine cryſtalli, quia cryſtallus de niuibus facta eſt, & lucida eſt, ſic cælum cryſtallinum de aquis gelidis, & denſis factum eſt, & hoc cælum eſt magis lucidæ ſubſtantiæ, & denſioris, quam alij. Ideo viſibile eſt, & dicitur vltima ſuperficies rerum viſibilium, infra ipſũ ſunt aſtra fixa, & erratica viſibilia, non tamẽ orbes: quia rari ſũt, & lucem congregatam nõ habẽt: Sola ergò Stella in quolibet eorũ viſibilis eſt. In cryſtallino autem ipſum cælum videtur, & nullam Stellam habet, ſed vniforme eſt, & videtur coloris eſſe azurrini; quia in noctibus ſerenis, nullis nubibus obuiantibus, videmus illud in colore azurino declinãte ad nigrum, vel obſcurum, propter multitudinem lucis aggregatæ, & multum diſtantis.

Primum mobile qua ratione cryſtallinum appelletur.

Hoc cælum multis temporibus incognitum extitit, ſcilicet vſque ad tempora Ptolomei, qui illud inuenit eſſe neceſſarium, propter probationem proprij motus octa-

uæ Spheræ, quæ in centum annis mouetur vno gradu ab Occidente, contra Orientem, & complebit curſum ſuum in anno magno, ſcilicet in triginta ſex millibus annorum: quam tamen octauam Sphęram moueri videmus ab Oriente in Occidens, diurno motu, qui motus oportet, quod ſit in ea, propter motum alterius Sphęræ circumdátis eam, & eam motu ſuo reuoluentis. Cum ergò ſupra Sphæram Stellarum fixarum non ſit niſi cælum Empireum, quod ſecundum omnes immobile eſt, concedendú eſt, quod Sphæra reuoluẽs per motum ſuum Sphæram Stellarum fixarum ab Oriente in Occidens, ſit cælum Cryſtallinum. Quod etiam cognitum fuit ab Auic. 9. lib. ſuæ Metaph. cap. 3. vbi ſupra Sphęram ſtellatam dicit eſſe, ſphæram aliã, quam vocat corpus vltimum, & dicit illud moueri, quod de cęlo Empireo nequit intelligi, intelligitur ergo de cælo Cryſtallino.

Cæli Cryſtallinum multis téporibus incognitum extitit.

Qui autẽ opinantur Firmamentum nihil aliud eſſe, quam ſpatiũ aereum, quod circum terram vſquequaque diffuſum eſt, & vſque ad Sidera expanſum: dicũt aquas, quæ ſunt ſuper Firmamentum, nõ eſſe alias, quã quæ in ſublimi aere, (quam mediam regionis aerẽ vocant Philoſophi) generãtur. Illuc .n. vapores ex terra, & aquis potentia Solis elati, denſantur, & coguntur in nubes, ex quibus imbres generati, tam largè, & cómodè ad irrigandum, & fecundandũ terram defluunt, tanta nonnunquam copia, & impetu, vt videantur illic eſſe ingentes Lacus, & Flumina, quin etiam Maria. Ita docent ex D. Thoma 1. par. quęſt. 68. art. 1. Durandus, in 2. diſt. 14. q. 1. Bannes, 1. par. quæſt. 68. artic. 2. & Pererius in hunc locum.

Quæritur quarto. Propter quid poſuit Deus aquas ſuper Firmamẽtum? Qui tenent quod Firmamentum eſt ſpatium aereum, & quòd aquæ ſuperiores ſunt aquæ, quę in media regione aeris generantur], dicunt, quòd poſitæ ſunt aquæ ſuperiores ad irrigandam, & fecundandam terram.

Quæſt. 4. Deus cur poſuit aquas ſuper Firmamentum.

Qui vero per Firmamentum intelligunt cælum Sidereum, & per aquas intelligunt aquas naturales eiuſdem ſpeciei cum iſtis inferioribus, dicũt, quòd duplici de cauſa poſuit Deus aquas;ſupra Firmamentum: Prima eſt ad immẽſum tot, tantorumq́ue ſiderum ardorẽ ſua refrigeratione mitigandum, & temperandum, ne penitus omnia conſumerentur. Altera, vt earum pondere dorſum cæli vergat ac prematur deorſum, ne crebro, ac violento ventorum impulſum concuſſum, huc illucque agitetur. Ita Iuſtinus Martyr, q. 93. ad Orthodoxum.

Alij dicunt, quòd cum Deus infinitam propè vim ignei ardoris propter multiplices, & ad plurima neceſſarios eius vſus in cęlo, & infra cælum multifariam ſparſiſſet, eſſetq́ue ſuaptè natura ignis voraciſſimus, ſuiq́ue fecundiſſimus, ac minimis mirè creſcens initijs, ne ob eam cauſam Vniuerſi ſalus, atque incolumitas periclitaretur, ex aduerſo maximam ei infra, ſupraq́ue cælum vim aquatũ oppoſuit, vt;earum refrigeratione, tantus ignium ardor temperatus, non ſolum non obeſſet mũdo, ſed etiam prodeſſet plurimum: ita docẽt Baſilius hom. 3. ſuper Geneſ. Theodoretus, quæſtione 11. in Geneſ. Gennadius, & Seuerianus, citati in Catena.

Alij exiſtimant aquas ſupra cælum eſſe à Deo poſitas, vt earum ingen-

ſingenti copia è cælis præcipitata, in terris, generale totius orbis diluuium, quod Dei voluntate, ac decreto aliquando erat futurum, effici poſſet. Ita Beda inquit, quibuſdam fuiſſe viſum: verum ſibi probabilius videri ait, eas aquas ad refrigerationem, & temperationem ardoris ſiderum fuiſſe comparatas.

Quidam verò dicunt, non fruſtra quidem collocaſſe Deũ aquas ſupra Firmamẽtum, licet nos ſub orbes Lunæ exiſtente, in tãta caligine, & rerum ignorantia poſiti, ſinem ignoremus, ad quem Deus eas ſupra cælos reliquerit; quemadmodum multa ſunt etiam in iſtis inferioribus, quæ quotidie experimur, quorum tamen nõ valemus ſufficientem reddere rationem; imò, quæ vix, aut ne vix quidem crederemus, niſi illa experiremur. Quod ſi Deus noſtrum intellectum eueheret, vt tantiſper cerneremus finem, ad quem eo in loco poſitæ ſunt, ſanè inſipientiã noſtram irrideremus. Ita docent Rupert. Abb. de operibus Trinit. lib. 1. cap. 24. & Molina, de operibus ſex dierum Diſp. 10. Qui autem per Firmamentum accipiunt cælum ſidereum, & per aquas cælum Cryſtallinum, dicunt, quod ideo ponitur cælum Cryſtallinũ, vt res per alios cælos genitæ, conſeruentur in eſſe. Nam alia corpora cæleſtia ſunt principia generationis, & corruptionis, ſecundum diuerſitates motuum; Illud verò ſecundum conformitatem motus ſui, facit conſeruationem rerum in eſſe. Corpora enim citra cælũ ſtellatum, contrarietatem habẽt; ſed vnum contrarium corruptiuũ eſt alterius, ergo omnia huiuſmodi ſecundum qualitatem ſunt actiua, & paſſiua, & per conſequens nullum eorum eſt vniformiter horum ſaluatiuum. Item, neque Stellatum: quia in eo eſt diuerſitas ſtellarum, quæ ſecundum diuerſitatem radiorum magis ſunt vnius rei conſeruatiuæ, quam alterius, atque adeo cælum ſtellatũ non eſt vniformiter cõſeruatiuũ, ac proinde oportet aliud eſſe, quod vniformiter omnia conſeruet. Hoc autem non eſt Empireũ. quia hoc eſt Angelis, & glorificatis deputatum corporibus, & non ad actionem: quia nullum habet motum. Ergo aqueum cælum cũ habet motum vniformem, efficit in inferioribus vniformitatem; Item motus diurnus eſt, qui res conſeruat in eſſe qui motus neceſſariò eſt alicuius corporis, & non niſi vniformis in toto, & partibus, cuiuſmodi non eſt cælum Stellatum. Erit ergo cælum aqueum: Eſt namque quædam inter cælos continuitas, vnde cum ipſum continuè moueatur, mouet cælum proximum, & illud vlterius proximum, atque ita facit, quæ poſſibilia erant ad motum, actu moueri, atque adeo conſeruatiuum eſt rerum in eſſe. Ita ſcribit Alex. de Ales, 2. p. q. 50. m. 4.

Litterã autem iuxta hanc ſentẽtiam ita explicant Nicol. de Lira, & Toſt. in ſecunda expoſitione: Dixit quoque Deus; Fiat firmamẽtum, ideſt, omnes orbes cæleſtes, poſt cælum Cryſtallinum, vſque ad vltimum, ideſt cælum Lunæ, in medio aquarum, ideſt, inter cælum Cryſtallinum, quod nomine aquarum nuncupatur, & aquas inferiores, quæ ſunt aquæ elementares, vel omnia elementa, quæ tunc aquæ dicebantur, propter habilitatem ad faciendum ex illa materia aliquid; ſicut aqua magnæ paſſibilitatis eſt apta; vt ex ea

Digitized by Google

per aliquam condenſationem aliquid fiat, & manſerunt iſtæ aquæ informes, vſque ad tertium diem, in quo omnibus elementis formæ datæ fuerunt. Et fecit Deus Firmamentum, diuiſitque aquas, quę erant ſub Firmamẽto, ab his, quæ erant ſuper Firmamentum, ideſt, materiam, ex qua ſunt elementa, quæ vocatur aqua, à cælo Cryſtallino, quod erat ſuper octo orbes, qui vocantur Firmamentum. Et vocauit Deus Firmamentum cælum, à cælando, ideſt cooperiendo, quia omnia cælat, & tegit; Vel dicitur cælum, quaſi celatũ, ideſt, depictum varijs ſtellis fulgentibus. Et factum eſt veſpere, & mane dies ſecundus. Non eſt intelligendum quod Deus per totum diem in faciendo quodlibet iſtorum opus moratus ſit, ſed faciebat ſubito quodlibet, & per totũ diem conſeruabat factum, & deinde dies in quo fiebat illud opus denominabatur ab opere.

Queſt. 5. Quæritur Quinto, quare non benedixit Deus operibus diei ſecũdæ ſicut in alijs diebus? D. Hieronymus Epiſtola 50. ad Pamachium, & in Principio Commentarij in Aggæum, & lib. 1. aduerſus Iouinianum. Rabanus, ſeu Beda, in hunc locum, & Magiſter Sent. in 2. d. 14. dicunt, quod eſt, quia numerus binarius, qui conuenit ſecundæ diei, infamis eſt, cũ primus recedat ab vnitate. Sed hæc reſponſio ridicula eſt: quia tunc magis infames eſſent omnes numeri ſequentes cum magis ab vnitate recedant. Item iſte numerus laudatur in Scriptura. Lucæ cap. 10. vbi dicitur quod deſtinauit Dominus Diſcipulos ſuos binos ante faciem ſuam. Et Matthæi 22. quod in duobus mandatis vniuerſa Lex pendet, & prophetæ, & D. Gregorius inquit, quod per binarium dominus deſignauit charitatem, quæ eſt excellentiſſima virtus, & forma virtutum.

Deus quare non benedixit operibus diei ſecũdæ.

Alij dicũt, quod cauſa eſt: quia angeli in illa die ceciderunt per peccatum. Sed hoc falſum eſt, & ex Scripturis authoritatem nõ habet, & ideo eadem facilitate contemnitur, qua probatur: maximè, quia communiter dicunt Doctores, quod inter angelorum creationem, & eorum lapſum fuit modica morula temporis. Secundum autem iſtam reſponſionem inter fuiſſet ad minus ſpacium vnius diei naturalis: quia ſecundũ omnes, angeli fuerunt creati à principio. Item eſto, quod in ſecunda die cecidiſſent, hoc non tolleret, quin Deus benediceret creaturas ſuas, niſi dicatur, quod Deus de caſu angeli iratus, in die illa benedicere noluit, ſed hoc abſit: quia in Deo talia ponere nefandum eſt.

Nicol. de Lira, & Toſtatus in Geneſ. & Franciſcus Valeſius De Sacra Philoſophia, cap. 1. dicunt, quod non approbauit Deus, nec benedixit die ſecundo, facta: quia benedictio datur rei completæ; in ſecundo autem die licet cæli creati fuerint, vel potius de materia creati facti: quia tamen memorantur aquæ cæleſtes diuiſæ ab elementalibus, & elementales nõ fuerunt diſtinctę, vel formatæ vſque ad diem tertium; Ideo opus illo die incœptum, non fuit conſummatum, vſque ad ſequentem diem, in quo opus vtriuſque diei, cum benedictione, vel approbatione benedictum eſt, licet in tertia die ponantur duæ approbationes, tamen ſecundo refertur ad aliud opus, ſ. ad productionem arborum: ideo in prima approbatio

ne de

ne de congregatione aquarum, ſimul benedicentur cæli, qui vocantur aqua.

Vel poteſt dici, vt dicit Molina, de Operibus ſex dierum, Diſp. 10. quia bonum idem eſt, quod perfectum: Deus autem non produxit ſecunda die Firmamẽtum perfectum, vtpotè, cui luminaria, quę quarta die erant producenda, deerant; idcirco non dixiſſe Scripturam de eo: Vidit Deus quod eſſet bonum, propter eamdem rationẽ de cælo, terra, & aquis, dum terra erat inanis, & vacua & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi; non dixit Scriptura: Vidit Deus, quòd eſſent bona, vt dixit de luce, cui nulla perfectio deerat, quæ ei foret addenda; & dicet de Operibus dierum ſequentium.

In omnibus operibus Dei cõſideratur triplex eſſe.

Poſſet etiam dici, iuxta ſententiam D. Auguſt. lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 8. explicatam ab Alexan. de Ales, 2. par. quæſt. 50. m. 6. art. 2. quòd in omnibus operibus Dei intelligitur triplex eſſe, ſcilicet eſſe in Deo, tamquam in principio; eſſe in proprio genere; & eſſe ad ipſum Deum tamquam ad finem; & in hoc notatur rei perfectio. Sed duplex eſt eſſe ad ipſum, inquantum eſt finis: nempè, vt in ſe ſit ad ipſum, vt ad finem; & vt rationalis creatura ſe, & alia referat ad Deum, tamquam ad finem; & hæc appellatur perfectio ſecunda. Hoc autem manifeſtatur ex verbo illo tripliciter replicato, ſcilicet fiat, factum eſt, & fecit, in quo triplex eſſe rerum denotatur; ſcilicet in verbo; in cognitione angelica in qua cognoſcebantur; & in proprio genere. Nam inquit D. Auguſtinus loco citato. Conditio cæli prius erat in Verbo Dei ſecũdum genitam ſapientiam; deinde facta eſt in creatura ſpirituali, hoc eſt in cognitione angelorum, ſecundum creatam in illis ſapientiam; poſtremò factum eſt cælum, vt eſſet etiam ipſum creatura in genere proprio; adeo quòd cælũ primo habuit eſſe in verbo, in quo faciendum intus ante omne tẽpus præuidit quicquid foras ex tẽpore Deus fecit. Secundo, habuit eſſe in angelorum cognitione: nam viderunt angeli in Verbo cælum formandum. Poſtremò, fuit cælum in eſſe reali cõditum; & quod dictum eſt de cælo, & Firmamento, dicendũ eſt de cæteris rebus creatis, pręterquàm de angelis, ſcilicet vt prius eſſent in Deo; deinde in ſui ipſorum cognitione de faciendo; & poſtremo, in genere proprio: nam non poterant angeli ſe creandos cognoſcere, antequam crearẽtur, ſicut cæteras creaturas prius condendas cognouerunt, quam conderentur; & licet in tertio, & ſequentibus diebus, non legatur. Fiat, Factum eſt, & Fecit: eſt tamen ibi æquipollens. v. g. in tertio die, Dixit Deus: Cõgregentur aquæ, & factum eſt, & congregatæ ſunt aquæ, atque adeo eſſe in verbo, & eſſe in proprio genere, eſt commune omnibus creaturis; eſſe autem in angelorum cognitione, conuenit tantum creaturis corporalibus.

Cum ergo in omnibus creaturis triplex ſit eſſe, vt diximus, ſcilicet in Deo, tamquam in principio; in proprio genere; & eſſe ad ipſum, in quantum eſt finis, & hoc, vel in ſe, & ex ſui natura, quemadmodum ſunt craturæ merè corporales, & hęc appellatur perfectio prima; Vel quia refert ſe, & alia in Deum tamquã finem, vt ſunt creaturæ rationales, & hæc dicitur perfectio ſecunda, vt oſtenderet, ꝙ hæc perfectio ſecunda, non fuit

in

in natura angelica, quo ad omnes angelos, & hoc propter opera eorum, quæ fuerunt in ſecunda die Ideo non dixit Scriptura: Vidit Deus quia bonum eſt, ſed vt oſtenderet, quod nõ defecit prima perfectio, prout res in ſe refertur ad Deum tamquam ad finem, dictum eſt: Et fecit Deus. Vnde inquit Hugo lib de Sacramentis, par. 1. fortaſſe, quia binarius ſignum eſt diuiſionis: quia primus ab vnitate recedit, non ſunt laudata opera ſecunda; non quia bona non eſſẽt, ſed quia malorum ſignum eſſent. Cęterum, hęc explicatio potius eſt allegorica, quam litteralis.

Opus Tertiæ Diei.

Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum.

Terra in ſuo primo ſtatu duplicem habebat difformitatem: alteram, quia erat inanis, ſeu inuiſibilis, eoquòd erat aquis cooperta. Alteram, quia erat vacua, ſiue incompoſita carẽs decore, quem tunc habet ex plantis, quibus tãquam veſtibus exornatur, & decoratur. Hęc autem duplex difformitos fuit à terra hoc die tertio ſublata: prima cum dicitur. Congregentur aquæ in locum vnum, vt appareat arida: altera, cum ſubditu. Germinet terra herbam virentem, &c.

Primo itaque dicitur: Congregentur aquæ, &c. Vniuerſa enim aqua (vt inquit Philo in libro de Opificio mundi) in totam terram diffuſa erat, omneſq́ue eius partes penetrauerat, quemadmodũ ſpongia humorem combibit, vt ceu palus quædam cęnoſa, ex vtroq; elemento macerato confunderetur, & quodammodo fermentaretur, in vnam indiſcretam, informemq́ue naturam, adeo iubet Deus quicquid aquarum ſalſum erat, ac proinde offecturum fertilitati ſatorum, ac arborum collectum in vnum confluere, ex omnibus terræ foraminibus, tum aridã emergere dulci humore in ea relicto ad eius perpetuitatem: humor .n. hic moderatus pro glutine eſt iungendis partibus diſtantibus: quo fit etiam ne omninò exſiccata terra infrugifera, & ſterilis reddatur, vtque tamquam mater, nõ ſolum alterum alimenti genus, cibũ ſed vtrumque, ceu natis ſuis, cibũ, & potum præbeat, quapropter venis mãmarum ſimilibus exundauit, quæ per cauernas editæ fluuios, fonteſq́ue profunderent.

Congregentur aquæ &c. In his verbis inquit D. Chryſoſt. hom. 3. in Geneſ. vide Lector ordinem, & conſequentiam optimam: quia dixerat in principio: Terra erat inuiſibilis, & inculta, & quòd tenebris, & aquis obtegebatur, & deinde iuſſit die ſecundo quod eſſet Firmamentum, quod aquarum ſeparationem faceret, vocauitq́ue Firmamentum cælum. Nunc præcipit aquis, quæ ſub cælo, hoc eſt ſub Firmamento erant, vt in vnã congregationem conueniant, & faciant apparere locum aridæ.

Cæterum ſi totum auis plenum erat, quomodo inquit D. Auguſt. de Geneſ. cõtra Manichæos, c. 12. poterant aquę congregari in vnũ? Verum iam ſuperius dictum eſt, nomine aquarum, materiam illã appellatam, ſuper quam ferebatur ſpiritus Domini, vnde erat Deus omnia formaturus. Nunc vero cum dicitur: Congregentur aquę

quæ

quæ sũt ſub cælo in cõgregationẽ vnam, hic dicitur, vt materia illa corporalis formetur in eam ſpeciem, quam habent aquæ iſtæ viſibiles: ipſa enim congregatio in vnum, ipſa eſt aquarum iſtarũ for matio, quã videmus, & tangimus: omnis enim forma ad vnitatis regulam cogitur, vis ipſa formæ commendatur nomine vnitatis, hoc eſt enim verè formari, in vnũ aliquid redigi: quoniam ſummè vnũ eſt omnis formæ principium. Et quod dicitur, appareat arida; quid aliud dici intelligendum eſt, niſi vt illa materia accipiat viſibilem formam, quam nunc habet terra iſta quam videmus, & tangimus. Superius ergo, quod nominabatur terra inuiſibilis, & incompoſita, materię confuſio, & obſcuritas nominabatur; Et quod nominabatur aqua, ſuper quam ferebatur Spiritusſanctus, eadem rurſus materia nominabatur; nũc verò terra iſta, & aqua formãtur ex illa materia, quæ ipſis nominibus appellabatur, antequam formas iſtas, quas nunc videmus, acciperet. Ita Aug. loco citato, & lib. Imperfecto ſuper Geneſ. ad litt. cap. 10. & lib. 2. cap. 11. & contra aduerſarium Legis, & Prophetarum lib. 1. cap. 13.

Quæritur primo. Cur ſicut in præcedentibus diebus dictum eſt, Fiat Lux, & fiat firmamentum in hoc tertio die, verbũ, Fiat, non ponitur. Reſpondet Alex. de Ales, 2. p. q. 51. m. 1. Quod hoc factum eſt forte, quia terra facta fuit prius, & aquæ ſimiliter. Cum dicitur Creauit Deus cælum, & terram, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, quod ſi ita eſt, cum cælum tunc dicatur factum, non oportebat dicere: Fiat Firmamẽtum; Vel dicendum eſt ſecundum D. Aug. quòd non fuit ſimile de aquis, & terra, ſicut de luce, & Firmamento; Cũ enim factio ad ſpeciẽ pertineat, lux autem, & Firmamentũ ſpeciem habebãt valde diſtinctã, atque diſtantem à materia informi, rectè voluit hoc per verbum (Fiat) demonſtrari: Aqua autem, & terra licet ſpeciem receperunt in hoc tertio die, tamen, quia maximè accedunt ad materiam informem, quæ prius dicta fuit nomine terræ, vel aquarum, ideo voluit ſub aliquo modo loquendi eorum facturã deſignare, dicendo: Congregentur aquæ vt notaretur, quod prius erant in confuſione, & tunc diſtinguebantur. Vnde hoc tertio die creauit Deus terram, & aquas cæteraque elementa, ex informi illa materia, quę in principio appellata fuit nomine terrę, & aquę, quod apparet per huiuſmodi verba. Congregentur aquæ in locum vnum, vt appareat arida. Ita docent D. Auguſt. lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 13. & lib. 1. de Gen. contra Manichæos, c. 12. & lib. 1. de Gen. in Imperfecto, c. 10. Magiſter Sẽt. in 2. diſt. 24. Hugo lib. 1. de Sacramentis, D. Bonau. in 2. d. 14. par. 2. in dubijs circa lit. dub. 1. Nicol. de Lira, & Toſt. in Geneſ.

Deus tertia die creauit terram, & cætera elementa.

Cuius ſententiæ poſſunt huiuſmodi aſſignari rationes. Nam motus ad ſitum non eſt niſi rei completæ, & habentis formam, atque adeo aquas in vnum locum congregari, non fuit aliud, quam ipſi elemento aquę dare ſpeciem vnã, & ſimul inclinationem ad locum ſpeciei debitum, & ſecũdum exigentiam formæ, & inclinationis ad ſitum dare locum congruum. Et quia locus aquæ eſt eſſe immediatè circum terram, dum aqua congregatur, ab elementis ſuperioribus, ſcilicet aere, & igne, ſeparatur, & proinde in aquarum cõgrega-

gregatione tangitur etiam aliorũ elementorum diſtinctio. Rurſus quia aquæ ſunt natæ circumdare terram, ſi ex omni parte terrã circumirent, terra ad habitandũ nobis, & animalibus apta non eſſet, ideo ſic diſtinxit, vt in ſuperiori ſuperficie, arida appareret. Rurſus, ſi aqua eſſet omnino à terra ſeparata, non eſſet terra ad generãdum apta; atque ita Deus ſic areſecit terræ ſuperficiem, vt tamẽ ipſius radicem aqua impleret, & per decurſum fluuiorũ, etiam irrigaret. Et propter hoc tria dicit Moſes.

Primo propter elemẽtorum diſtinctionem dicit: Congregentur aquæ in locum vnum.

Secundo propter ſuperficiei terræ denudationem, dicit: Et appareat arida.

Tertio propter irrigationem, quam ab aquis ſuſcipit, vt germinare poſſit, ſubiungit. Vocauit aridam terram, congregationesque aquarum appellauit maria.

Hanc ſententiam ſequi videtur Baſilius homil.4. in Hexam. & Ambroſ. qui dicunt, quod ex illo tempore currit aqua, fontes labuntur in fluuios, lacus deferuntur in maria, ipſa ſe aqua procedit, vrget, & ſequitur; Vnus eſt ductus, vnum corpus, adeo quòd volunt iſti Patres Dei præcepto hoc tertio die inditam eſſe aquis naturam, vim, & propenſionem ad decliuia, & ima loca defluendi; verum cũ huiuſmodi inclinatio ſit aquæ naturalis, neceſſe eſt eam ſimul atque creata eſt aqua, ei fuiſſe ingeneratam, atque adeo quoad ſubſtantialem formam, atque ſpecificã hoc tertio die terra, & aqua producta fuere, prout dicit Diuus Auguſtinus.

Quæritur ſecundo. Cum aquæ eſſent per totũ, ſi totam prius terram occupauerant aquæ, ille ſcilicet quæ detractæ ſunt, vt terra nudaretur, in quam partem congregatæ ſunt? Si enim erat aliquid terræ nudum, quo congregarẽtur, iam apparebat arida, nec totam abyſſum occupabat, ſi autem totũ texerant, quis erat locus, quo colligerentur, vt terræ ariditas appareret.

Reſpondetur primo iuxta ſententiam D. Auguſt. lib.1. de Gen. contra Manichæos, cap.12. & lib. Imperfecto, cap.10. & lib.1. de Geneſ. ad lit. cap.13. & contra aduerſarium Legis, & Prophetarum, lib.5. capit.13. & Alexand. Alenſ. 2.par. quęſt.51.

In primo quòd per aquam non intelligitur aqua elementalis, ſed materia prima informis, de qua tertia die formata fuerunt elementa, ſecundum eam ſpeciem quam modo habent, vt dictum eſt ſupra; atque adeo non oportet dicere, quòd terra eſſet primo cooperta aquis, & poſtea in vnum locũ congregatæ, ſed, quòd in tali congregatione fuerunt productæ.

Secũdo reſpondet Diuus Thomas, prima par. quæſtio.69. art.1. ad ſecundum, vbi ponit triplicem modum dicendi, quem accepit à Diuo Auguſtino lib. 1. ſuper Geneſ. ad litt. cap.12.

Primus modus dicẽdi eſt, quod aquæ in maiorem altitudinẽ ſunt eleuatæ in loco vbi ſunt congregatæ, & ſic reliquerunt terram diſcoopertam, & aerem, quem ex illo loco expulerunt in locum, vbi antea erant occupantes terrã, atque ita modo aer circumdat terram, pro ea parte, quæ antea aquis tegebatur.

Cæte-

Mare an ſit altius terra.

Cæterum hæc reſponſio graue, & arduam habet quæſtionem, an mare, quæ eſt congregatio aquarū tertia die facta à Deo, ſit altius, quam terra: Partem affirmatiuā tuetur Baſilius hom.4. in Hexam. S. Thom. Catharinus, & Dionyſius Cartuſianus in Geneſ. Partē verò negatiuā ſequuntur Chryſoſt. hom.9. ad populum Antiochenum, & multis alijs in locis. Strabus lib. 17. D.Hierony. in illud Pſal.32. Congregans ſicut in vtre aquas maris, & in illud 135. Qui firmauit terram ſuper aquas. Damaſ. li.2.de fide,c.9.& 10 Caiet. & Pererius in Gen. & Molina de operib. ſex dierū Diſp. 11. Et certe vt Caiet. inquit, ſi quis dubitat terrā, quæ apparet extra aquas eſſe ſuperiorē aquis, nō tā eget ratione, quā applicatione ad ſenſū. Cernimus.n.motū aquę ſēper fieri in decliuiorē locū, flumina autē per terrā, decurrūt in mare, quod ſi altius eſſet, quā terra, profectò in ea, vt in locū decliuiorē, & humiliorē neceſſario deflueret: nā dicere mare à potētia Dei teneri, ne defluat in terrā ineptam eſt, & pueriliſ in ſcitiæ ponere ſine cauſa, tātū, & tā perpetuū miraculū; certe ſine magno miraculo nō poteſt aqua, quæ ſuapte natura grauior eſt aere, atque fluxa, & labilis, ita conſiſtere, vt partes eius ſublimiores terra, ad eam non delabantur, ſicut poſſunt partes terræ ſupra aerem eminentes conſiſtere, videlicet per partium eius firmitatem, & inter ſe ſolidam connexionem.

Hoc item demonſtrat quotidiana experientia. Si enim mare altiuſ eſſet terra, pari ventorum, aut remigium vi, & impulſu, eadem nauis multo velocius ferretur ad portum, ſeu litus tendens, quam ex portu, aut litore diſcedens: Diſcedens enim ex litore aſcēderet, & in arduum, & accliue obtinēs, difficiliorem haberet progreſsū; contra vero accedens ad litus, tāquam per lubricam decliuitatem deſcendens, magna velocitate, & impetu deferretur. Quia quo magis nauis ex portu diſcederet, eo melius ab ijs, qui ſunt in portu, vel litore cerneretur, vtpote, quę magis, ac magis ſemper in altiorem locum aſcenderet, quod tamen contra euenit.

Hæc incommoda, vt declinaret Burgenſis in addit. ad 1. cap. Geneſ. inquit, quod elementum aquæ à principio cooperiebat totā terrā, & quod centrum eius erat idem cum centro terræ; poſtea vero tertia die, vt terra maneret diſcooperta, diuina ſapientia ſic diſpoſuit, vt elemētum aquæ ſeruādo ſuam rotunditatem naturalē, haberet diuerſum centrum à centro terræ, adeo quod congregatio aquarum omnium in vnum locū, nihil aliud eſt, quam inclinatio ad centrum ipſius aquæ, ſicut omnes partes terræ, vbicumque ſint inclinantur in centrum ipſius terræ, & apparitio ipſius aridæ non prouenit aliunde: niſi quia Deus toti elemento aquæ alium locum deputauit, quam antea haberet. Addit etiam Burgenſis, terrā eſſe eleuatiorem aqua ex eo, quod terra, & aqua faciunt duas Sphæras, quo ad aliquam partem ſe interſecantes, & ideo dicit, quod illa pars terræ, quæ proxima eſt Sphæræ aquæ, eſt eleuatior, quam ipſa ripa maris: at vero ipſum mare, quia ſeruat ſuam rotunditatem, & naturam Sphæricam, quo plus à terra diſtat, plus in altum eleuatur, atque ita remanet altius terra, & propter hoc inquit, non con-

Digitized by Google

uertitur operire terram,quia partes terræ proximæ mari, ſunt prominentiores ipſo mari.

Canus citatus à Molina, & à Dominico Bannes, abſolutè aſſerit, aquas maris eſſe eleuatiores terra diſcooperta, & non deſcendere ad operiendam terram,quia naturale eſt aquę conficere figurā circularem, vt patet in guttis herbarum, vnde ſicut in herbis pars ſuperior aquæ, non deſcendit,vt conſeruet figuram circularem, licet ſit grauis,ita in mare, vt conſeruet figuram circularem, non deſcendit.

Et hæc videtur ſententia D.Auguſtini lib.1.ſuper Geneſ. ad litt. cap.12.vbi inter alios modos quos indicat potuiſſe congregationem illam aquarum fieri, primus eſt ſi aqua dicatur aſcendiſſe,quibuſdā in locis in maiorem quamdam altitudinem ſuper terram,atque ita alia loca terræ nuda reliquerit, ſicut fit (inquit) cum ad ventilandum in aerea meſſis trita, ſurrigitur,& congeſta in aggerem nudat locum, quem diffuſa contexerat, & D.Thom.1.p.q.*69*. art.1. ad ſecundum hanc ſententiam probabilem exiſtimat. Sed D. Auguſtinus id non putat probabile.Et certe, quod ea explicatio ſupponit, nempe mare eſſe altius, quam terra,vt etiam ſentit ibi D.Thomas. Baſilius, Hom. 4. Hexam. & Ambroſius,lib. 3. Hexam. cap.2.& 3. & nonnulli alij, atque etiam eſſe terra maius,id inquam,non eſt exploratum: imo falſum eſſe putauit D. Auguſtinus loco citato, & probat Caiet.in hunc locum. Geneſ. Pererius, & Chriſtophorus Clauius in cap.1. Sphæræ Ioan.de Sacroboſco,& alij:nam aquæ defluunt à terra in mare, tanquam in locum aliquantum inferiorem, iuxta illud Pſal. 106. Qui deſcendunt mare in nauibus.Et Pſal.27. Ipſe ſuper maria fundauit eum,ſ. orbem terræ.Neque obſtat,quod nauigantes cum terræ appropinquant videntur ſibi deſcendere id enim fit,non quia mare, à portu diſtans ſit altius,(tunc enim nauis a portu recedens cæteris paribus progrederetur tardius, quam ad portum accedens, quod eſt cōtra experientiam) ſed propter maris rotunditatem, quam pulchrè demonſtrat Clauius vbi ſupra,efficit enim vnum globum cum terra, vt idem Clauius oſtendit, & Pererius etiam contra Paulū Burgenſem in hunc locum Geneſis.

Catharinus,qui & ipſe arbitratur mare magis eleuatum eſſe à terra diſcooperta, addit aliam rationem,quam etiam adducit Canus,ſ. quod in aqua eſt duplex appetitus, alter particularis ad ſui conſeruationem,& hic eſt deſcendere,alter ad bonū vniuerſi,cuius ratione aqua maris non deſcēdit, ne deſtruat ea,quæ gignuntur,ſuper terram, quemadmodum etiā alia elementa, feruntur motibus contra naturam ſuam particularem,ne detur vacuum, Deus namque (inquit Catharinus) contra particularem aquæ naturam propter vniuerſalius bonum, dedit illi legem,& terminum poſuit, quē non eſſet tranſgreſſura,& ne conuerteretur (vt ait Propheta) operire terram. Quod ex multis Sacræ Scripturæ locis accipitur: nā Pſal.103.legimus. Qui legem poſuit aquis, & mari ne tranſirent fines ſuos. Et Dominus ipſe ad Iob,vt rem hanc omni admiratione dignam conſideraret,dicebat. Qui concluſit oſtijs mare, quando erumpebat,quaſi de vulua procedens,cum ponerem nubem veſtimentum

Aquā duplicem habet appetitum.

ſtimentum eius, & caligine illud, quaſi pannis infantiæ obuoluerẽ? Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi. Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Et apud Ieremiam. Me ergo non timebis (ait Dominus) & à facie mea non pauebis? Qui poſuit arenam terminum mari, pręceptum ſempiternum, quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt, & non intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud, &c. Quibus verbis aperte oſtenditur, illam eſſe maris, & aquarum naturam, fluctuandi, & conuertendi ſe ſuper terram, alia tamen lege addita, & quaſi præcepto quodam fuiſſe ab ipſo Deo compreſſam; Vnde reſpectu diuerſæ acceptionis, & naturale, & innaturale eſt aquis, ſic eſſe, & ſic manere, quomodo manent non operientes terram. Naturale quidem ſecundum naturam vniuerſi, hoc ipſum exigentem. innaturale autem, ſecundum propriam ipſius elementi naturam. Non tamen conceditur, id eſſe violentum, quod ſupra particularem naturam eſt illis additum; Non eſt enim Dei (vt D. Dionyſius egregie docet) rerum violare naturas, ſed ſua prudentia ita temperare, vt quod vniuerſalium bonum conducit, partes ſibi vendicet ſuperiores, & illud potius naturale vocetur. Nã ipſe ſemper, quod vniuerſalitati congruegentius eſt, illud magis curat; qua in re ſummoperè commendatur eius ſapientia, & bonitas cui debet omnis natura cedere.

Cæterum, potiſſimum huius opinionis fundamentum, eſt aquã eſſe longe maiorem, quam eſt terra, quod falſum eſſe; & contra potius terram, eſſe multo maiorẽ aqua, & manifeſtis, firmiſſimiſq; rationibus oſtendeit Alexander Piccolomineus in libro, quem ſermone Italico edidit de quantitate terræ, & aquæ, Idemque breuiter, ſed acutè, & doctè demonſtrauit Iulius Scaliger in opere Exotericarum exercitationum cõtra Cardanum, Exercitatione 38. quibus authoribus indicatis, ne in tractãdis rebus alienis ſimus longiores, quam eſſe volumus, eorum argumenta conſulto omittimus, & ab impugnatione huius opinionis ſuperſedemus, & lectorem ad replicas contra Burgenſem ad primum caput Geneſis, & ad Pererium, & Molinam remittimus.

Secunda reſponſio, quam tangit D. Thomas, eſt, quam aſſignat D. Auguſtinus lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 12. lib. 1. de Gen. contra Manichæos, cap. 12. & lib. 1. contra Aduerſarium Legis, & Prophetarum, cap. 13. vbi ita ſcribit: Aqua in aereos vapores tenuata, rareſcit, & nebuloſa caligine multum occupat ſpatij, eximium verò ſi congregata denſetur, nec iam leuis volitat, ſed grauis fluctuat. Quid ergo mirum, ſi rara terram texerat, ſpiſſata nudauit. Cui ſententiæ ſubſcribit Iunilius, ſeu Beda in Geneſ. vbi reſpondens ad quæſtionem inquit. Poteſt non abſurde credi, maiores primarias fuiſſe aquas, quæ velut nebula terram tegerent, congregatione autem eſſe ſpiſſatas, quæ datis ſibi locis capi poſſent, appareret arida in reliquis. Quæ ſententia haud diſplicet Nicolao de Lira. Toſtato, & Pererio, in hunc locum, & Molinæ De Operibus ſex dierum Diſp. 11.

Tertia reſponſio eſt Deum Opt. Max. à principio creaſſe terrã rotundam, ſine montibus, & tumulis, quos nunc habet, creaſſeque illam elementum purum, & vſque ad tertium diem, vndique coopertam fuiſſe aquis, vt elementorum natura poſtulat, quod ſatis apertè Moſes ſignificauit. Tertia autem die, quoniam finis ad quem hic mundus conditus erat, id exigebat, ſegregaſſe aquas in locũ vnũ, vt appareret terra, eſſetque aquis diſcooperta, id vero in hunc modum effecit, eleuauit terram quibuſdam ex partibus, ita vt emineret ſuper aquas, manerentque vacuitates maximè inter terrã hinc, & inde, varijs in locis eleuatam, & tunc naturali motu defluxerunt aquæ ad cauitates interceptas. Hæc reſponſio eſt D. Auguſt. locis ſupra citatis, & præſertim contra aduerſarium Legis, & Prophetarũ vbi ſic ſcribit. Quid ſi etiam Diuino nutu in magnos ſinus terra ſubſedit, atque ita, quicquid naturæ humidæ per totũ eius iacebat, in partes concauas confluens, receſſit à cęteris, & quod operiebat, aperuit congregata in humiliora ſuccumbentia, qua mare circumflueret, & interflueret, atq; altiora deſerens, qua orbis emineret. Cui ſubſcribit Iunilius, ſeu Beda his verbis. Si quis verò quæſierit, vbi congregatæ ſint aquæ, quę omnes terræ partes ad cælum vſque operuerant. Sciat fieri potuiſſe, vt terra ipſa longè, lateque iuſſu creatoris ſubſidens, alias partes præberet cõcauas, quibus cõfluentes aquæ reciperentur, vt appareret arida, ex his partibus vnde humor abſcederet. Eamdem ſententiam ſequuti ſunt Rupert. Abbas, lib. 1. de Operibus Trinit. cap. 34. Hugo lib. 1. de Sacramentis, par. 1. cap. 6. & 21. Nicol. de Lira, Toſta. & Pererius vbi ſupra, Molina loco citato, & Franciſcus Valeſius de Sacra Philoſophia, cap. 1.

Dicendum eſt ergo, ex his duabus reſponſionibus poſtremis, quę ſunt probabiliores, aquam prius habuiſſe denſitatem ſibi naturaliter conuenientem, ſicut habuit ſitum, & figuram: hoc autem tertio die fuiſſe magis denſatam maxima ex parte, atque ita in minori loco contineri potuiſſe. Facit huic opinioni fidem ipſum mare, quod eſt elementum aquæ quod dẽſius, & craſſius eſt, quam alia quælibet aqua: ita quòd denſitas, quam habet aqua naturaliter generata, vt fontiũ, fluminũ, imbrium, ea eſt, quæ naturaliter cõuenit aquæ quę minor eſt denſitate maris: ſicque cõdenſatione facta recepta eſt in concauitatibus terræ, atque illæ ſunt duæ cauſæ partiales ſiccitatis terræ, vt vult Diuus Auguſtinus vbi ſupra. *Aqua tertio die fuit condenſata, vt appareret arida.*

Illud quoque reſponderi poſſet (inquit Pererius) quòd licet aqua prius maior fuerit ſuper terra, ſecundum extenſionem, & circumferentiam, erat autem multo minor ſecundum altitudinẽ, vel profunditatem: nam altitudo terrę à centro ad ſuperficiem, erat multo maior, quam altitudo aquæ à ſuperficie terræ vſque ad extimam eius ſuperficiem. Veriſimile enim eſt Deum tantum aquæ creaſſe, & extendiſſe ſuper terram, quantum poſtea in terræ receptaculis commodè poſſet contineri. Cæterum, prior ſententia ſecurior, & probabilior eſt: nam elementum aquæ ſecundum ſe eſt tam grande (vt docet Caiet.) vt linea ducta à centro terræ ad ſuperficiẽ terræ: quia elementum tantò grandius, quanto ſuperius.

Hanc

Hanc autem D. Auguſtini ſententiam, videtur mihi mirificè declaraſſe Dauid in Pſal. 103. Nam aquã fuiſſe à principio vſquequaque ſuperfuſam terræ, demõſtrauit his verbis. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius, ſuper montes ſtabunt aquæ: hoc eſt, Initio terra fuit velut amicta, & operta aquis, tantæ altitudinis, vt montium quorumlibet ſublimitatem excedere poſſent. Tunc illius præcepti Diuini, quo dictum eſt: Congregentur aquæ in locum vnum, incredibilem vim, & efficaciã, exprimens, ſubdit: Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Mox ſubiungit: qua ratione Deus tantæ molis aquæ capacem locum, & receptaculũ comparauerit, vbi velut quodam carcere incluſæ aquæ coarcerētur, ne iterum vniuerſam terram obruerent, & operirent. Aſcendent (inquit) montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis, terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram. Simile eſt quod tradit Ariſt. 1. lib. Meteorum, vnũ corpus globoſum cõflari, ex aqua, & terra, & in ipſius terræ concauitatibus vniuerſum elementum aquæ contineri.

Quæſt. 3. Aqua cuius virtute ſint in vnum locum cõgregata.

Quæritur Tertio. Cuius virtute aquæ congregatæ ſint in vnum locum. Caiet. ſuper Gen. exiſtimauit, quòd terra nunquam realiter fuit aquis cooperta, ſed tantum prius natura: ita quod ad congregationem aquarum non præceſſit aliquis motus Localis, aut cõdenſationis, ſed quòd Deus effecit effectum horum motuum, ſcilicet ipſam congregationem ſine ipſis motibus; & quando dicitur, quòd iſti motus cauſarunt congregationem aquarum, intelligendum eſt eo modo, quo dicimus immutabilitatem Dei eſſe rationem æternitatis: quia ſi hæc cauſaretur, cauſaretur ab illa. Ita dicimus iſtos motus cauſaſſe congregationem aquarum: quia ſi congregatio nõ fuiſſet facta à principio, fieret per iſtos motus: & poteſt hæc ſententia probari: quia terra poſtea debuit diſcooperiri aquis, nihilque prodeſſet eam antea aquis tegere. Cæterum, hæc ſententia Caietani, eſt contra D. Auguſtinũ in Quæſt. noui, & ver. Teſt. q. 106. & D. Baſilium hom. 2. 3. & 4. in Geneſ. Chryſoſt. Iunilium, Bedam, Rupert. & D. Thom. de potentia, quæſtio. 4. artic. 11. ad 17. Qui omnes expreſsè docent, verè, & realiter, terram fuiſſe aquis vndequaque coopertam: & propterea prius dicebatur, quòd terra erat inuiſibilis, & incompoſita. Verum, & ipſe Caiet. in Pſal. 103. videtur ſe retractaſſe.

Abulẽſis in hunc locum Geneſ. opinatur terram exſiccatam eſſe à vento quodam vehementer torrefaciente quem tunc Deus immiſit, & Moſes indicauit ſupra, cum dixit: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas: Simili enim ratione exſiccata eſt terra poſt Diluuium, vt traditur infra, cap. 8. & inſuper fundũ maris rubri, per quod tranſiturus erat populus Hebræus, eodem modo deſiccatũ eſſe ſcriptũ eſt Exodi cap. 14. illis verbis. Cum extendiſſet Moſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccũ, diuiſaque eſt aqua.

Verum incredibile videtur eſſe poſſe ventum aliquem talem, ac tantum, vt omnem terræ faciem altiſſimè madefactã, oblimatamque tam breui tempore, vel vt verius dicam puncto temporis, adeo

valeat exſiccare, vt potẽs fiat plã-tas,& animalia procreandi.

Auguſtinus Egubinus opinatus eſt ſegregationem illam aquarũ, & exſiccationem terræ, non ſingulari omnipotentia Dei ſubito eſſe factam, ſed naturali poteſtate Solis tunc ardentiſſimi, & ad attenuandum, ſiccandumq́ue potiſſimi, adeo quod eius actiuitas non impedita ad aquas ita peruenit, vt eius ardentiſſima flamma, concoxerit,& diminuerit aquas. Cæterum, hæc opinio præterquàm qđ tamquam erronea reſpuitur à Burgenſe in additione 1. cap. Geneſ. riſum moueret Philoſophis Solem fuiſſe in exordio mundi valentiorem ad operandum, atque ardentiorem, quibus in cõfeſſo eſt, vim, & facultatem Solis, quòd ipſe ſit incorruptibilis,& impaſſibilis, nulla ex parte remitti, ac minui, vel intendi,& augeri poſſe.

Aqua virtute Dei in vnũ locũ congregata ſunt. Dicendum eſt ergo, ſegregationem hanc factam fuiſſe Dei omnipotentis virtute, vt Scriptura multis in locis teſtatur: vt Pſal.32. vbi dicitur: Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum, congregans ſicut in vtre aquas maris;& Pſal.113. Terminũ poſuiſti, quem non trãſgredientur,&c. & in lib. Iob dicitur: Quis concluſit oſtijs mare, &c. & cap.26. In fortitudine illius repẽte maria congregata ſunt, vbi iſta congregatio tribuitur ſoli fortitudini Dei,& non alteri cauſæ:& ſimiliter dicitur fieri repente, quod de tanta mole aquæ Sol repente perficere non poterat.

Queſt.4.

Aquas omnes in vnũ locum congregatas eſſe, quō ſit verũ. Quæritur Quarto. Quomodo verum ſit, omnes aquas in vnum locum eſſe cõgregatas, cum diuerſa ſint maria: nam & Oceanũ mare dicimus,& Tyrrenũ, & Adriaticum,& Indicũ; & ad hoc reſpondeDeri poteſt ſecundum D.Ambroſ. lib.3.Hexam.cap.3.illud, in vnum locum non ſignificare aliud, quã locum ſeparatum à terra habitabili, hoc eſt aquas in ſuum quemq́ue locum confluxiſſe. Nam, & Oceanum mare dicimus, & Tyrrenum,& Adriaticum, & Indicũ, vna congregatio aquarum eſt, ſed diuerſi ſinus maris, meritoque in diuerſis locis diuerſa ſunt nomina: quia vocabula aquis ex regionum vocabulis adhæſerunt: ita eſt collectio, quę dicitur mare,& multæ collectiones, quæ maria pro regionibus vocantur: ſicut multæ ſunt terræ, vt Italia, Gallia, Hiſpania, Africa, Thracia, quæ regionũ appellantur vocabulis, & tamen vna eſt terra. Ita dicuntur pro locorum appellationibus maria, & vnum eſt mare.

D.Baſilius homil.4. Hexam. Illud, quod dicitur; aquas eſſe congregatas in vnum locum, non putat de qualibet aquarum congregatione eſſe dicendum, ſed tantũ de maxima, quæ appellatur mare. Conſtat autem maria omnia eſſe coniuncta cum Oceano; ideoq́ue habere vnum locum, omnes enim aquæ vt dicit Philoſophus, in vnũ tendunt, ideſt in mare maximum: ſaltem per meatus occultos: ſicut enim aliorum elementorũ eſt ſuus cuique locus, ſic aquæ, & hunc eſſe, in quo eſt mare, vel Oceanus, & quemadmodum propter vſus, & commoditates hominum, multæ partes, & aeris, & ignis, à ſuo elemento ſeparatæ, extra locum eius in varijs terrę locis continentur, nec hoc tamen obſtat, quo minus hęc elementa vnum habere proprium, & naturalem locum veriſſimè dicantur: ita quoque de aquis ſentire conuenit; quę ſententia, ante Baſilium fuit etiam

Ari-

Ariſtot. lib. 2. Meteororum.

Iunilius, ſeu Beda in Geneſ. quem ſecutus eſt D.Thom. 1. p. q.*69*. art.1.ad tertium dictum Moſis de aquis in vnum locum congregatis pertinere ait ad omnes aquas vbicumque locorum ſint, licet diuerſos alueos, atque origines habere videantur; Sic enim inquit. Bene autem cum multa conſtet eſſe maria, in locum tamen vnũ congregatis dicit aquas, quia videlicet cuncta hæc iugi vnda, atque continua, oceano, ac mari iunguntur magno. Sed etſi qui lacus in ſemetipſos videntur eſſe circumſcripti, & hos fetunt occultis quibuſdam perforatis cauernis in mare ſuos euoluere meatus; Nam foſſores puteorum hæc probant, & quia tellus per inuiſibiles venas aquis repleta eſt manantibus, & quia trahunt ex mari principium, & in ipſum tamdem reuertuntur, veluti apertè docet Salomon in Eccleſiaſte, c.1. Hactenus Beda.

Fontes, & flumina quomodo ſecũdũ Ariſtotelẽ generentur.

Cæterum, hæc Bedæ ſententia grauem habet aduerſarium Ariſt. lib.2.Meteororum, vbi ponit aliũ fontium, atque fluminum generationis modum: inquit enim ex aere intra terræ poros illapſo, ibique per frigus condenſato, in aquæ guttas, ex quarum confluxu, per occultos ad hoc à natura paratos canalium meatus fontibus datur principium, ex quibus deinde etiam flumina oriuntur, nonnũquam magna admodum, ac veluti maria quædam ex magnis potiſſimum montibus, ſicut ex paruis montibus paruos videmus oriri fontes, & flumina modica. Cuius contrarium dixit Sapiens, inquiens omnia flumina mare intrare, & mare non redundare, & quod ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterũ fluant. Quibus verbis indicare videtur ſapientiſſimus Salomon, flumina à mari ortum habere, ait enim ipſa redire vnde exeunt, redeunt autem ad mare, igitur à mari exeunt.

Verum ex Græca, atque Hebraica lectione facili negocio hanc cõtradictionẽ tollit Olimpiodorus in Eccleſiaſtem, ex Græca namque lectione, & antiqua editione Latina, pro fluminibus torrentes legimus; vnde, & D. Hieronymus in Commentarijs iuxta moralem ſenſum hoc dictum accomodans hominibus, ſignanter notat dici torrentes, non flumina, eo quod citò intercidant. De Torrentibus autem, quod à mari ortum habeant, rurſumque eò redeant ſecundum Phyſicam rationem, ita intelligitur: quoniam à mari per virtutem Solis eleuantur vapores aquei, qui condenſati, in nubes, atque in aquam conuerſi, pluendo in terram decidunt, torrenteſque efficiunt, qui cõgregantur ex pluuijs, atque ita rurſum in mare redeunt, vt aquæ cæterorum fluminum.

Ex originali autem Hebræo ſic verti poteſt: Ad locum, quo pergunt flumina, reuertuntur, vt fluant, non eſt enim in Hebræo particula (iterum) quod ſi vniuerſaliter intelligatur, hunc habebit ſenſum, cum pręcedenti continuatum. Omnia flumina intrant mare, ipſum tamen non redundat, & omnia hæc flumina, ſic reuertuntur, vel currunt ad locum, quo pergunt, ideſt ad mare, propter hoc vt ampliùs fluant; Niſi enim eſſet Pelagus, quod fluminum aquas fluentes in ſe abſorberet, non poſsẽt perpetuo fluere flumina: ſiſterentur enim aquæ, nec

poſſent ſuum ſeruare fluxum, & iam creſcerent tantum extra alueos ad implendum terram, non autem fluerent; Ad hoc igitur pergunt, id eſt ad immenſum pelagũ, in quo abſorbentur continuo aduenientes aquę vt habeant ſuum fluxum flumina.

Nec obſtat, niſi quod dicitur (reuertuntur,) quo verbo videtur ſignificari regreſſus ad id, vnde exierant. Verbum (reuertuntur) accipitur loco verbi (proficiſcuntur) & eo maximè, quia ad locum ſuum natiuum, qui eſt elementũ aquæ, dicuntur reuerti: nam dicimus, cum ſpiritus hominis ad cælum vadit, ipſum reuerti in locũ ſuum, cum tamen nunquam illic fuerit: ſed quia illic eſt ipſi locus deputatus, ad quem inhabitandũ eſt creatus. Item filij exulum parentum in exilio nati, dicuntur redire in terram ſuam, etſi nunquã in ea fuerint, eo quòd ad natiuũ locum pergunt. Ita dici poſſunt omnes aquæ reuerti in mare, eo quòd ille locus ſit natiuus aquæ. Tum quia vt diximus, illud (iterum,) Hebræa lectio non habet, ſed tantum, vt fluant. Tum etiam, quia poteſt illud (iterũ) accipi nõ admodum impropriè, pro (amplius) Vel adhuc, vt ſit ſenſus, vt adhuc fluant, vel amplius fluant, id eſt in ſuo fluxu maneant: non enim hoc loco particula (iterum) tam interruptionem, quam continuationem ſignificat.

Poſſet autem dici, cautè admodum locutum eſſe Eccleſiaſten: nam priori loco locutus eſt vniuerſaliter, dicens: Omnia flumina intrant mare, & mare non redundat, habent enim hoc indubitatam veritatem, neque apud illos Philoſophorum eſt ambiguitas: non enim difficultas verſatur inter Philoſophos, quo vadant, ſed vnde oriantur flumina. Verũ in eo, quod ſtatim ſubſequitur. Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant illic, non vniuerſaliter enunciauit, nec dixit omnia flumina illuc reuerti, vt iterum fluant. Ad cuius veritatem cum pro particulari indefinita illa enunciatio accipiatur, ſufficit aliqua flumina ex mari habere initium, id quod prædictæ opinioni non repugnat. Quantum ergo ad fluminum generationem, quædam à mari per occultos meatus ſubterraneos, à ſagaciſſima natura, & eius directore Deo, ad hoc præparatos ſuam habent originem, iuxta Sapientis ſententiam. Alia verò iuxta Ariſt. aliter generantur, & ex mari, nec immediatè, nec mediatè procedũt; adeo quod iuxta Bedæ expoſitionem: aquæ omnes congregatæ ſunt in vnum locum, non ſimpliciter, vt ex ratione dubitandi cõſtat: quia ſcilicet ſunt multæ aquę diſcontinuæ vt patet in fluminibus, & fontibus, &c. ſed reſpectu terræ ſiccæ: quia omnes aquæ mũdi, videntur inter ſe per quoſdam meatus terræ ſubterraneos, continuari, prout explicatum eſt.

Vt appareat arida.

NOn dixit inquit D. Baſilius hom. 4. Hexam. vt appareat terra, ſed arida: ne rurſus ipſam inextructam, & incompoſitam oſtendat luto refertam, atque nõdum aquis immixtam, propria forma facultateque recepta, & ne ſimul telluris exſiccandæ Soli nos cauſam tribuamus, terræ ſiccitatem ortu ſolis vetuſtiorem opifex fecit.

Et ſa-

Et factum eſt ita, & vocauit Deus aridam terram.

QVomodo arida apparuit? ſicut præceperat Dominus (inquit Chryſoſt. hom. 5. in Gen.) & opus ſubſequutum eſt. Hoc enim peculare Dei eſt; vt ſecundum voluntatem ſuam facturas ſuas moderetur. Et congregata eſt, inquit, aqua, quæ ſub cælo in congregationes ſuas, & apparuit arida, quemadmodum de luce dictũ eſt, quod cum eſſent vndequaque tenebræ, iuſſerit produci lucem, & ſeparationem fecerit lucis, & tenebrarũ, & hanc tribuerit diei, iſtas verò nocti. Similiter dictum eſt, quod cum produxiſſet firmamentum, aquarum alias ſuperiore locum occupare, alias autem ſub firmamento eſſe iuſſerit, ita & nunc illas ipſas aquas, quæ ſub firmamento, in vnam congregationem iuſſit coire, vt appareat arida, & poſtea eodem modo ſuum illi nomen impoſitũ, ſicut de luce, & tenebris dictum eſt. Congregare enim aquæ (ait) quæ ſub cælo in congregationes ſuas, & aparuit arida, & vocauit Deus aridam terram.

Arida quo modo appellata ſit terra.

Sed nonne, & in principio terra nomen ſuum habuit? cum dictũ ſit. In principio creauit Deus cælum, & terram. Ita eſſe inquit D. Auguſtinus lib. 1. ſuper Geneſ. cap. 13. & lib. 2. cap. 2. at per terrã de qua primo fiebat mentio, intelligitur materia prima. Nunc autẽ intelligitur ipſum elementum terræ. Vel poteſt dici ſecundum Baſilium hom. 4. in Hexam. & Toſtatum in hunc locum, quod primo nominabatur terra ſecundum naturam ſuam, nunc autem nominatur, ex ſua principali proprietate, quæ eſt ſiccitas: Vnde dicitur, quod vocauit aridam terram.

Vel dicatur cum D. Ambroſio lib. 3. Hexam. c. 6. arida expreſſio eſt naturæ terræ; Terra autem appellatio ſimplex negotij, quę in ſe habet proprietatem: ſicut animal generis ſignificatio eſt, rationale proprium eſt homini, ita & terra poteſt communiter dici, vel ſcatens aquis, vel ſine aqua. Vel poſtremo dicatur, vt dicunt Iunilius vel Beda in hunc locũ, quod prius ad diſtinctionem aquarum totam hanc ſolidiorem partem appellauit terram, cum diceret. In principio creauit Deus cælum, & terrã; At nunc poſtquam formari mundus iam incipit, & aquis ſuum in locum recedentibus, terræ facies apparere, ad diſtinctionem partis eius, quę adhuc aquis pręmebatur, cętera portio quã aridã eſſe dicebat, terræ nomen accepit, inde dicta Latinè, quod animantium pedibus teratur.

Et hoc eſt quod dicit Rabbi Moſes, quòd vbicumque dicitur, vocauit, ſignificatur æquiuocatio nominis, vnde prius dictũ eſt, quod vocauit lucẽ diem, propter hoc, quod etiam dies vocatur ſpatium 24. horarum, ſecundũ quod ibidem dicitur; Factum eſt veſpere, & manè dies vnus. Similiter, quod firmamentum ideſt aerem vocauit cælum: quia etiam calũ dicitur, quod eſt primo creatum, ita dicitur in propoſito, quod aridam, ideſt illam partem quæ eſt diſcooperta aquis, vocauit terrã, prout diſtinguitur contra mare, quamuis communi nomine terra vocetur, ſiue ſit aquis cooperta, ſiue diſcooperta. Intelligitur autẽ vbique per hoc, quod dicitur, vocauit, ideſt, dedit naturam, vel proprieta-

Verbum hoc. Vocauit; nominis æquiuocationẽ ſignificat.

proprietatem, vt poſſit ſic vocari. Quotieſcumque ergo dicitur vocauit Deus, ſignum eſt vnam, & eamdem vocem, aliter atque aliter accipi; Nam cum ſuperius dictum eſt: Fiat lux, diximus lucem capi, vel pro Sole, vel pro illa lucida nube: ideo cum inferius ait: Et uocauit lucē diem, & tenebras noctem, oſtendit aliter accipi debere lucem, & diem, nempe pro ea temporis parte, quando lucet Sol, & aliter capi tenebras, quam ſuperius quando dixit: Et tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi, quia ibi ſignificant obſcuritatē materiæ primæ. Item cum ſuperius per cęlum ſit ſignificatū Empyreum, volens eodem nomine vocare Firmamentum, dixit: Et vocauit Firmamentum cælum; vt intelligeret de alio cælo eſſe ſermonē, ſimili de cauſa: quoniā terrę nomine ſignificata eſt ab initio illa materia prima; nunc ſignificationis variationem declarare volens dixit. Et vocauit aridam terram, & congregationem aquarū appellauit maria; vt & hic per aquas etiam aliud, quam ſuperius ſignificari oſtendat, cum dixit. Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas; Et iterum: Diuiſit aquas ab aquis. Ita D. Thomas, 1.p.q. 67. art. 1. ad ſecundum licet non ita clarè, & diſtinctè.

Poſſet etiam dici iuxta illam regulam de anticipatione, qua multa quę poſtmodum contingunt dicuntur, vel narrantur ante facta, quòd in principio vocata eſt à Moſe ſub nomine iſto terra, antequā à deo illi tale nomen imponeretur: quia ſciebat Moſes tempore, quo ſcripſit ſic vocari, licet tale nomen fuerit inditum poſt creationem eius, quam tunc referebat, ſicut in alijs multis rebus videmus contigiſſe, vocantur enim nomine, quod poſtea illis imponitur: quia tempore, quo liber ſacer ſcribebatur, iam illud nomen erat commune v.g. tempore Noe, aliqua animalia, vocantur mūda, aliqua immunda: nō quia tunc talia erant, ſed quia tempore Moſis ſic appellata ſunt. Item Gen. 31. Imponitur nomen Galaad. & Gen. 21. cuidam Puteo, imponitur nomen Berſabe, ſed antequam imponatur illi hoc nomen, eodē nomine appellatur, atque ita de multis alijs exemplis, quæ paſſim occurrunt in Scriptura.

Congregationesque aquarum appellauit maria.

ET ecce quod & aquæ nomen ſuum ſortitæ ſunt: Nam quemadmodum, inquit D. Chryſoſt. optimus artifex arte ſua vas aliquod facturus, non antea illi nomen imponit, donec abſoluat, ita, & miſericors Dominus, nomima elementis non àntea imponit, donec ea in propria loca ſuo præcepto ponat; Igitur poſtquam terra nomen ſuum accepit, & ad propriam formam peruenit, etiam aquę congregatæ proprio vocabulo nominatæ ſunt. Vocauit enim ait congregationes aquarum maria, videlicet proxima ſui parte.

Nam & apud Hebræos, vt docent D. Auguſtinus lib. 1. de Geneſ. contra Manichæos. cap. 12. Iunilius, vel Beda. Nicol. de Lira, & Toſtatus in hunc locum; cūctas aquarum congregationes, ſiue ſalſas, ſiue dulces, appellari dicuntur maria, vt Mare Tiberiadis, mare Galilæę, & tamen ſunt ſtagna, quia idem quod vocatur in Euangelio mare Genezareth,

vocatur

vocatur alio in loco Euangelij ſtagnum Genezareth. Et aquarum congregationes appellauit maria: quia prius propter continuationem, quæ in terris fiunt in locum vnum eas dixit congregatas; nunc,& eorum congregationes pluraliter nominat,& hęc appellat maria, pluraliter dicit propter videlicet multifidos earumdem ſinus, qui diuerſa pro regionum vocabulis, & ipſi nomina ſortiuntur.

Et vidit Deus,quod eſſet bonum,& ait: Germinet terra herbam virentem, &c.

NEc dum terra inquit Beda, germinabat,necdum,vel ipſa quicquam, vel animantia viua produxerunt,& tantum videre dicitur Deus,quod eſſet bonum cedentibus aquis,apparuiſſe aridã, quia videlicet æquus æſtimator vniuerſitatis præuidens, quæ futura erant,quaſi perfecta,iam laudabat, quæ adhuc in primi operis exordio ſunt, nec mirum apud quem rerum perfectio non conſumatione operis,ſed ſuæ eſt prædeſtinatione volũtatis. Patet etiã manifeſta bonitas, ſeu vtilitas huius ſegregationis aquarum,ne totam occupent terram,propter animalium terreſtrium conſeruationem, ac terræ fruges, & fructus. Patet etiam hãc fuiſſe cauſam ſeparationis aquarum, quam Deus fecit, ne terra impediretur, quo minus ſuos fructus proferre poſſet,atque adeo dicit ſtatim; Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignũ pomiferum faciens fructum, iuxta genus ſuum, cuius ſemen ſit in ſemetipſo ſuper terram.

Quibus verbis terram ornare aggreſſus, iubet (inquit Philo de Opificio mundi) eã proferre herbas, & ſpicas, & omnigena olera producere: tum prata feno virentia,& quicquid ceſſurum erat,pecoribus in pabulum,aut in cibum hominibus, eodem iuſſu, & arborum ſpecies omnes ſunt editæ, nulla omiſſa, vel mitium, vel ſilueſtrium, eaque omnia fructibus ſuis abundabat in ipſo ſtatim ortu; ſecusque hodie, nunc autem ſingula gignuntur ſuis vicibus, non ſimul omnia: Quis enim neſcit primam eſſe ſementẽ,& plantationem; tum ſequi incrementa ſatorum, plantarumque deorſum radices, ſeu fundamenta demittentium ſurſum autem altas ſtirpes attollentium? Deinde frondes, foliaque germinant, poſtremo fructus profertur,ac ne is quidem perfectus, ſed varias ſubinde facies recipiens, & nunc formam mutans,nunc magnitudinẽ. At in prima huius vniuerſitatis generatione Deus omnium ſtirpium ſiluã, è terra produxit perfectam fructibus non inchoatis, ſed maturis refertã ſine dilatione, inuitantem ad fruẽdum affutura mox animalia. Terra vero ad illius iuſſum, tamquam dudũ prægnans,& parturiens, parit omnes ſatorum, arborum,atque fructuum inenarrabiles ſpecies, qui quidem fructus non ſolum in alimoniam facti ſunt animantibus, verum etiam in hoc præparati,vt in perpetuum propagaretur ſimilium generatio,quippe qui continebunt ſeminariã vim obſcuris, & incertis rationibus inſitã, quæ ſe tandem proferret ſtatis temporum circuitibus.

Illud autem annotandum eſt, quam Hebræi ſic legunt. Herbificet terra herbam, quæ ſeminifi-

cet

cet ſemen, lignum fructiferũ fructum faciens, &c. quod aduerſum ſenſum nihil refert, ſed ſolus idiotiſſimus Hebraicus oſtẽditur, qui voces habet ſecundæ ſignificationis. Illud autem Hebraiſmi (herbificet) non propriè herbam ſignificat, ſed generaliter quodcumq; frondoſum, & viride. Qđ vero ſequitur: Herbam virentem, & Lignum fructiferum, vtrumq; ſignificat, ideſt verè herbam, & arbores.

Et factum eſt ita, & protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam, &c.

IVſſit Dominus de ambobus, ſcilicet de herbis, & arboribus, vt ſtatim germinarentur à terra, ac prodirent, & quia ſic iuſſit, ita factum eſt, quod etiam declarans ſpeciatim ait. Et protulit terra. i. germinauit, ac prodire fecit. Quo in loco obſeruandum eſt, inquit D. Chryſoſtomus homil. 5. in Geneſ. quomodo verbo Domini omnia facta ſunt ſuper terram. Non enim erat homo, qui operaretur, nõ aratrũ, non boum cooperatio, non aliud eiuſmodi ſtudium, ſed ſolum audiuit præceptum, & ſtatim quod ſuum erat fecit. Ex quo diſcimus, quod etiam nunc, neq; cura, neque labor agricolarum, neque aliæ in colendis agris ærũnæ fructuum nobis prouẽtus concedunt, ſed præ his omnibus verbum Dei, quod ab initio ad terrã factum eſt. Ita etiam nobis ordinem factorum narrat, vt compeſcat nugacitates, & deliramenta eorum, qui vanitates ſuorum figmentorum commentantur, & dicere audent, quòd Solis operatione ad fructuum prouentum opus ſit. Sunt, & alij, qui hæc aſtris aliquibus aſcribere nitũtur. Propterea docet nos Spiritusſanctus, qđ ante formationem horum elemẽtorum, ſermoni, & præcepto Dei obtemperans tellus, omnia ſemina ediderit, nullo alio ad cooperationem opus habens; ſatis enim ſufficiebat ei pro omnibus verbũ illud Dei, quod dicebat: Germinet terra herbam virentem, &c.

Quod ſi dixerint, qđ Solis vtilitas etiam aliquid operatur, vt fructus matureſcant, neque ego (inquit Chryſoſt. hom. 6.) cõtradico: nam ſicut de agricola dicunt, qđ cooperatur vna cum terra: non ideo tribuo vniuerſum agricolæ, etiam ſi ſexcenties ſuum agat officium: niſi enim is, qui ſuo mandato ab initio terram ad faciẽdos fructus idoneam fecit, ad eã quoque mouere vellet, nihil proficerent labores. Similiter dico, quòd etſi, cum labore ruſtici conſpiret Solis, & Lunæ operatio, & cæli tẽperies, neque ſic vtilitas aliqua erit, niſi supernè illos dextera Domini adiuuerit. Volente igitur manu hæc valida, etiam elementa plurimum conferunt.

Quæritur primo. Quomodo produxerit terra herbam virentẽ, & plantas, & arbores, an actiuè quoq; vel ſolum paſſiuè, ſicut ſubiectum, videlicet, ex quo actiuè produxerit ſolus Deus. Caiet. in hunc locum, & Burgenſis ſecuti Auguſtinum dicentem terrã cauſaliter hæc produxiſſe, cẽſent terram concurriſſe efficienter ad primam herbarum, atque plantarum productionem, ita videlicet, vt Deus mediantè terra, tãquã cauſa media efficiẽte, eas produxerit. *Terra an effectiue vel materialiter tantũ produxerit herbas, et plantas.*

Con-

Contraria tamen ſententia, tertiam, videlicet concurriſſe ſolum paſſiuè, materiam ſubminiſtrando, Deumque ſe ſolo plantas efficienter produxiſſe, amplexanda eſt cum D. Thom. 1. par. quæſt. 70. art. 1. Abulenſi in hunc locū Geneſ. & Pererio: Tum, quia illa prima rerum conditione, nō quid ſupernaturaliter fieri potuerit, ſed quid cōuenienter naturis rerum factum fuerit, conuenit quærere, vt ait D. Auguſtinus lib. 2. ſuper Geneſ. ad litr. cap. 1. Tum, quia ſimiliter, nunc dicitur terra producere, & germinare arbores, & plantas; neque tamen in ipſa eſt vis ad id actiua, ſed in ſemine, qđ ipſa fouet, ſiue illud in radice, ſiue in fructu, ſiue in cortice ſtirpis ſit: nihil enim hoc intereſt, vt ait D. Thom. loco citato, artic. 2. Ita quod paſſiuus dumtaxat terræ concurſus indicatur illis verbis: Producat terra herbam virētem: nam ſine miraculo terra non poterat per ſuam virtutem in inſtāti producere plantas; at vt docet Caiet. & nos dicemus infra, plātæ inſtantaneè fuerunt productæ, ergo, &c. Præterea, infra c. 2. productio plantarū, ſoli Deo tribuitur, ſicut & productio cæli, nam dicitur: In die, qua produxit Deus cælum, & terram, & omne virgultum agri, &c. Et rurſus: Plantauerat autem Dominus Paradiſum voluptatis; produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue; Quod ſecundum veriorem explicationem dicitur per recapitulationē, vt repetatur productio omnium arborum tertia die facta. At propter ſimilem modum loquendi, diximus ſuprà, Deū ſine cauſa media diſcooperuiſſe terram, & per ſe ſolum congregaſſe maria, ergò idem dicendum eſt hic.

Auguſtinus ergò, docens terrā cauſaliter protuliſſe plātas, eſt intelligendus in genere cauſæ materialis. Ita explicat Matthias Doring. in Replica ad additionē Burgenſis, Geneſ. 1. Nicol. de Lira, & Abulenſis ibidem, quia etiā ſequuntur noſtram ſententiam.

Quæſt. 5. Terra cur prius ſit ornata quā Firmamētum.

Quæritur ſecundo, An ordinatè hoc factum ſit, & videtur quod non. Si enim Firmamentū prius factum eſt, quàm terra, debuit prius ornari, quam terra, ergo, &c.

Reſpondetur à D. Bonau. in 2. diſt. 14. par. 2. dub. 2. circa litterā, quod Scriptura ordinatè exprimit Deus ordinatiſſimè fecit, dū eodē die quo terra producta eſt, ex ea herbas, & ligna prodire fecit. Tum propter erroris remotionem, vt dicūt Baſilius, atque Chryſoſtomus, ne crederetur, quod Sol eſſet cauſa principalis terræ naſcentium, ſicut dicit Philoſophus, quod terra eſt Mater plantarum, & Sol Pater. Tum, quia plantæ, & herbæ ſunt quaſi connaturales terræ, dum ei ſunt radicitus affixæ, trahendo ex ipſa fomentum, & originem; non ſic autem eſt in ornatibus aliorū trium.

Quæſt. 6.

Quæritur tertio, Cur iſte ornatus terræ nō pertineat ad ſeparatum diem, ſicut eſt de animantibus formatis de terra?

Terræ ornatus non pertinet ad ſpecialem diem.

Reſpondetur ex ſententia Diui Auguſtini lib. 2. in Geneſ. ad litt. cap. 12. & lib. Imperfecto, cap. 12. quam refert, & explicat Alexand. de Ales, 2. p. quæſt. 51. Mēbro 2. quod terræ ornatus non ad alium peculiarem diem pertinet, ſicut animantium productio: quia naturam propinquam terræ habent, & ei infixa, & commixta ſunt magis,

gis, quàm animãtia, quæ licet terreſtria ſint, non ſunt tamen terræ, ſicut herbæ commixta, & infixa, vt experientia ipſa docet. Sed cõtra obijcitur per ornatum factũ quarto die: nam Sol, Luna, & Sidera, facta ſunt in quarto die, & pertinent ad ornatum Firmamẽti, & fixa ſunt in Firmamento, ſicut dicunt Philoſophi, ergò per hanc rationem deberent in ſecundo die cum Firmamento computari: ſed non computantur, ergo non eſt hæc ratio, propter quam arbores, & herbæ ſub vno die, cum terra computantur.

Poteſt dici primo, iuxta ſententiam illorum, qui dicunt Sidera habere proprium motum; quam opinionem refert D. Auguſt. vel ſi fixa ſint in ſuo orbe; ſicut dicit Philoſophus diſtinguendum eſt, inter fixum, & fixum, eſt enim quoddam fixum, quod oritur ex illo, cui eſt infixum, & eſt aliud fixum, quod factũ eſt in illo, cuius eſt ornatus; Primò modo dicitur de herbis, & arboribus; Secundo modo dicitur de Sideribus; Vnde de prima dicitur: Germinet terra, &c. Secundo vero dicitur: Fiant luminaria in Firmamento cæli, &c. Fixum ergo quod oritur ex terra, de qua dicit Philoſophus, quod eſt Mater herbarum, computatur in eodem die cum illis aliud verò fixum non computatur.

Fixum eſt duplex.

Sed contra adhuc, cum mineralia corpora ſint ex terra, & terræ affixa ita bene ſicut ligna, cur Moſes eorum non meminit, enumerando ea, quæ virtute diuina producuntur ex terra? Reſpondent Alexand. de Ales loco citato; D. Thom. 1. par. quæſt. 69. artic. 1. ad tertium, & D. Bonau. vbi ſupra quia ratio eſt: quia mineralia, prout recedunt à natura terræ, latent ſub terra, ideo non curauit Scriptura ea ſpecialiter exprimere; Vel ratio eſt (inquit Alexand.) quia fortè metalla, & lapides pretioſi, per operationem ſuperiorum corporum habentium efficaciam in terra, poſtmodum in ipſa terrà prodierunt; Vel dici poteſt (inquit Pererius in Geneſ.) quod ratio eſt: quia iſtarum rerum generatio, cùm intra terræ viſcera fiat, eſt vulgo occulta, & ignota; nec differentia earum rerum à terra, & lapidibus eſt cuilibet manifeſta. Deinde, quia non efficiunt diuerſum genus, & gradum ipſius eſſe naturalis, diuerſum, inquam, ab elementis. Quattuor enim ſunt gradus ipſius eſſe naturalis, ſcilicet eſſe corporeũ, eſſe viuens, eſſe ſentiens, & eſſe intelligens. Cæterum, huiuſmodi corporum effectionem, ſicut & cæterorum omnium, à Deo eſſe, cum alibi, tũ in libro Iob apertè docet Scriptura.

Moſes cur mineraliũ non meminerit.

Gradus eſſe quattuor ſunt numero.

Quæritur Quarto, Vtrum tunc terra germinauerit tribulos, & ſpinas? Si enim tunc non produxit, videtur quod poſt peccatum terra fuit fecundior, & nouam recepiſſe potentiam ad producendum talia. Si verò tunc produxit, videtur Scriptura inſufficiens: quia nõ exprimit, vel etiã ſibimet contrariari, dum dicit infra, illa in pœnam hominis generari.

Quæſt. 7. Terra an produxerit tertio die ſpinas & tribulos, & in fructuoſas arbores.

Dicitur primo iuxta ſententiã Diui Auguſtini lib. 1. de Geneſ. contra Manichæos, relatam ab Alex. de Ales, 2. par. quæſt. 51. m. tertio. Quod terra per peccatum hominis maledicta fuit, vt ſpinas pareret, non vt ipſa pœnas ſentiret, quæ ſine ſenſu eſt, ſed vt peccati humani crimen ſemper hominibus ante oculos poneret; quo admo-

admonerentur aliquando à peccatis auerti, & ad Dei præcepta conuerti. Herbæ autem venenoſæ ad pœnam, vel ad exercitium mortalium creatæ ſunt, & hoc totum propter peccatum, quia mortales poſt peccatum facti ſumus. Per infructuoſas verò arbores inſultatur hominibus, vt intelligãt, quam ſit eis erubeſcendum, ſine bonis operibus in agro Dei eſſe, hoc eſt, in Eccleſia, & timeant, ne deſerat illos Deus, ſeu & ipſi in agris ſuis infructuoſas arbores deferunt, nec aliquam culturam eis adhibent. Ante peccatum ergò hominis, non eſt ſcriptum, quod terra protulerit, niſi herbam pabuli, & ligna fructuoſa, poſt peccatum verò videmus horrida, & infructuoſa de terra naſci, credo propter eam cauſam, quam diximus.

Dicitur, ergo iuxta hanc ſentẽtiam, quam ſecuti ſunt etiam Iunilius, vel Beda in Geneſ. Rabanus, & Ruper. Abb. de Operibus Trinit. lib. 1. capit. 36. quòd ante reatum hominis, nihil noxiũ terra protulit, & nullam herbam venenatam, & nullam arborem ſterilem, cum manifeſtè dicatur infra, quòd omnis herba, & vniuerſa ligna, data ſunt hominibus, & volatilibus terræ, omnibusq; animãtibus in eſcam, patet: quia nec ipſe aues raptu infirmorum alitũ viuebant; nec lupus explorando moliebatur inſidias circum ouilia, nec ſerpenti puluis panis eius erat, ſed vniuerſa concorditer, herbis virentibus, ac fructibus arborum veſcebantur, adeo, quòd ſicut mulierum conceptus ſunt multiplicati propter peccata, ita propter peccatum terra protulit multas herbas, & plãtas nociuas, & infructuoſas.

Vel dici poteſt ſecundum Baſilium hom. 5. Hexam. Ambroſ. lib. 3. Hexam. cap. 9. & 11. & Damaſc. lib. 2. de Fide, cap. 10. quod tertia die venenoſæ, & infructuoſæ plãtæ productæ fuere, tum ne earum pulchritudo vniuerſo deeſſet: tũ etiã, quia, quæ hominibus venenoſæ ſunt, alijs rebus proſunt, & vtiliſſimę ſunt multis animalium, quæ ſunt propter hominẽ. Quippè videre licet, pingueſcere ſæpè cicuta barbigeras pecudes, q̃ homini eſt noxiũ virus & fatale venenum, vt ait Lucretius lib. 5. Imò quædam earum cum alijs cõmixta, ad hominum morbos pellẽdos conducunt, ſedãdisque doloribus inſeruiunt, multæque aliæ ex illis percipiuntur vtilitates. Spinæ tamen, & tribuli (inquit D. Damaſ. lib. 2. de Fide, cap. 25.) ante peccatum non fuerunt producti, imò roſa fuit producta ſine ſpinis, quę poſt peccatũ hominis in eius pœnã roſæ adnatæ fuerunt. Sed quis credat roſam ante peccatum factam eſſe abſque ſpinis? Deus enim tales condidit res quales ſunt ſecundum naturam ſuam; nec peccatum Adæ mutauit proprietates rerum, atque conditiones; cũ nec ea quidem, quæ verè ſunt ſecundum naturam hominis, peccatum eius quidquam variauerit; roſam verò naſci inter ſpinas naturalem roſæ conſtitutionem, atque generationem conſequitur.

Dicendum eſt ergò, cum B. Auguſtino lib. 3. ſuper Geneſ. ad litt. cap. 18. quem ſequuti ſunt. Alex. de Ales. D. Thom. & D Bonau. locis ſuprà citatis, Pererius in Geneſ. ac Molina de Operibus ſex dierum, Diſp. 13. quòd herbæ venenoſæ, atque infructuoſæ, inſuper ſpinæ, & tribuli, tertio die productæ ſunt, pro eo, quòd perfecta

fecta

fecta fecunditas data eſt terræ, & nulla herba eſt tam vilis, quæ nõ ſit alicuius vtilitatis, & virtutis, atque adeo cum alijs virentibus herbis, & lignis fructiferis intelligẽdum eſt iſta produci, & Scriptura ſub illorum generalitate comprehendit. Quare ante peccatum Adæ, erant ſpinæ, & tribuli, & herbæ homini noxiæ, & lethales; verum nõ fuiſſent in pœnam ei, ſi non peccaſſet, & terram quam ipſe victus cauſa coluiſſet, nihil infructuoſum, nedum perniciοſum ei protuliſſet. Cum ergo dicitur, quòd generata ſunt hæc in pœnam peccati; Dicendũ eſt cum D. Auguſtino vbi ſuprà, quòd ſpinas, & tribulos generati vbi ſeminatur frumẽtum, hoc eſt in pœnam peccati, & ex maledictione terræ, quæ cum colitur vt det fructum vnde homo ſuſtentetur, potius producit vnde homo crucietur. Quod autem in locis multis generentur ſpinæ & tribuli, hoc non eſt pœna, ſed naturam. Sed de hoc magis infrà, cap. 3.

Quaeſt. 8 Quæritur Quinto. An omnia virentia producta ſint hac tertia die? & videtur quòd non: quia non omnia virentia habent ſemẽ, vt patet in ſalice, gramine, menta, croco, allio, arundine, vlmis, populis, &c. ergò vel inſufficienter enumerantur, quæ naſcũturè terra, vel malè dicitur, quod illa debeant producere ſemen. Reſpondet D. Baſilius hom. 5. Hexamer. quòd illa, quæ non videntur habere ſemina, habent aliquid loco ſeminis, ſcilicet in ipſis radicibus vim quamdam propagatiuam, vt patet in arundine, & alijs rebus, & ideo, quando dicitur: Ferẽtem ſemen, intelligitur, vel aliud loco ſeminis. Secundo dicit Baſilius, quòd Scriptura eorum tãtum facit mentionem, quæ natura ſunt præſtabiliora, cætera ſub præſtãtioribus includens, & quia plãtæ, & herbæ, quæ habent ſemen, ſunt perfectiores, illarum ſolum meminit Scriptura, alijs ſubintellectis.

Virentia omnia tertia die fuerunt producta.

Tertio reſpondet Rupertus Abbas, lib. 1. de Trinit. & eius operibus, capit. 36. quòd cum dicitur: Producat terra lignum pomiferum, & afferens ſemen, illa coniũctio (&) ſumitur diuiſiuè, vt ſit ſenſus. Producat terra lignum pomiferum, & etiam lignum afferens ſemen. Verum prior locus Scripturæ non videtur hoc admittere: nam ſic legitur lignum pomiferum afferens fructum, cuius ſemen ſit in ſemetipſo, vbi illa dictio (cuius) refertur reſtrictè pro arbore pomifera. Poteſt quoque dici cum Gloſſa Ordinaria, deſumpta ex D. Auguſtino lib. 3. de Geneſ. ad litt. cap. 18. quod fructus nomine, vtilitas deſignatur, eo quod omniũ, quæ terra alit, aliquę ſunt vtilitates, manifeſtæ, vel occultæ.

Quæritur Sexto, Vtrum Plantę productæ fuerint tertia die actu, an tantum virtute, adeo, quod Deus dederit virtutem terræ germinandi plantas, non tamen, quòd ipſe tunc produxerit eas perfectas? *Quaeſt. 9* Beatus Auguſtinus lib. 5. ſuper Geneſ. ad litt. cap. 4. & 5. & lib. 8. capit. 3. arbitratur hoc præcepto Dei non eſſe plantas actu productas ex terra, ſed tantummodo cauſaliter, affirmatque Deũ tunc inſeruiſſe terris naturalem vim, & poteſtatem generandi, offerendique omnes plantarum ſpecies; nam infrà cap. 2. ait Moſes, Deum hoc tertio die produxiſſe omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priuſquam germinaret; quare

Digitized by Google

quare prius quam plantę actu oriſentur ex terra, Moſes teſtificatur eas in terra eſſe factas, nēpè, cauſaliter tantum, atque virtualiter; hoc enim tertio die, terra naturalem potentiam ex ſe proferendi omnia ſtirpium genera à Deo accepit.

Verum valde dura eſt interpretatio hæc D. Auguſtini: videturq; verba Moſis diſtorquere, qui diſertè aperteque narrat, hoc tertio die, & iuſiſſe Deum, vt terra proferret omnia herbarum, & arborum genera, & ſtatim protuliſſe terram diuinis mandatis obtemperando. Protulit, inquit, terra herbam virentem, & facientem ſemen, &c. Et ſanè, Moſes de creatione plantarum ſimiliter loquitur, vt de creatione lucis, Firmamenti, aſtrorum, & animaliū; nec poteſt negari in paradiſo fuiſſe perfectas arbores, cum id apertè, c.2. tradat Moſes; Et ad illa verba quę citat Auguſtinus ex cap.2. antequam orirentur in terra, dicitur, quod illa ſignificant primam illam productionem plantarum, non fuiſſe naturalem, nec vſitato ordine, modoque aliarum productionum eſſe factam. Senſus igitur eſt, antequā in terra oriretur herba, videlicet, modo naturali, vt nunc oritur, in illa prima productione, producta eſt quodā ſingulari modo à Deo. Vel dicatur, quòd Moſes his verbis non ſignificat, nihil omnino plantarū fuiſſe tunc à Deo factum actu, ſed ſolum in potentia, antequam quidquam actu fieret; ſed ſignificat omnes plantas, & herbas, quo ad ſpecies ſuas, fuiſſe tunc in aliquibus earū indiuiduis, actu factas, antequam deinceps quoque ſucceſſu temporis per virtutem ſeminalem alia ex alijs propagarētur.

Dicendum eſt; ergò cū D. Ambroſio, l b.3. Hexam. cap.8. quem ſequuti ſunt Iunilius, ſeu Beda, in Geneſ. Pererius in hunc locū, Molina de Operibus ſex dierum, Diſput. 12. & omnes expoſitores, D. Thom. 1. par. quæſt. 69. art. 2. Plantas productas fuiſſe in ſuo eſſe perfecto tertio die, vt Scriptura affirmat. Cum enim prima ſpecierum productio, non ad naturā, ſed ad naturæ authorem ſpectet, cuius eſt proprium cōferre primo eſſe ſpeciebus in aliquo, aut aliquibus earum indiuiduis: Dei autem perfecta ſint opera, ſanè quādo Deus produxit plantas, quo ad magnitudinem, quam vnaquæq; ſuaptè natura poſtulat, ad quam multæ earum non niſi multo tempore per naturales cauſas perueniſſent, atque hęc plantarum productio eſt, quæ tertia die narratur facta.

Plantæ in ſuo eſſe perfecto tertio die productæ fuerunt.

Quod magis perſpicuū erit, ſi eorum verborum Moſis antequā orirentur in terra, alia tranſlatio attendatur. Nam vbi noſtra tranſlatio legit. Iſtæ ſunt generationes cæli, & terræ, &c. Et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbā regionis, antequam germinaret: non enim pluerat Deus ſuper terram, & homo non erat, qui operaretur in ea; alia littera, vbi nos legimus: Antequā oriretur, legit ante erit eius; atq; ita habetur in Hebręo, quo ſignificatur, quod produxit illa, antequam eſſent cauſæ, quibus potuiſſet naturaliter verè dici, quod erit; atq; ita produxit illa omnem herbam, ante quàm herbæ cauſæ eſſent coaptatæ ad conſimiles herbas producēdas. Quod explicatur magis illis verbis. Non enim pluerat Dominus ſuper terram, &c. Nam (vt deducit Hugo

de Sancto Victore) vt opere naturæ producerentur arbores, requirebatur, & influxus, pluuiaque cæleſtis, & operatio, agriculturaque hominum. Excludens autẽ Scriptura vtrumque dicens: Non .n. pluerat Dominus ſuper terram, & homo non erat, qui operaretur terram, ſignificat nõ modo ex naturali virtute terræ hæc produci, ſed ex Dei omnipotentia.

Quæſt.11

Mundus quo anni tempore fuerit conditus.

Quæritur Septimo. Quo tempore anni mundus fuerit conditus? De hac re duę sũt famoſę opiniones, vt opinionẽ Gerardi Mercatoris omittam, qui in ſua Chronologia exiſtimauit mundũ fuiſſe conditum menſe Iulio, ſole ſignum Leonis peragente. Motus ex eo, quòd initium anni tempore Noe, fuit circa menſem Iuliũ, & eo tempore fuit etiam initium mundi; Credibile enim eſt priſcos illos homines vſque ad Noe, ſolitos inchoare annum ab eo tẽpore, quo per traditionem maiorum ſuorum ab Adamo vſq; ductam, nouerant mundum fuiſſe conditum. Valde enim congruebat, vt idem tẽpus anni eſſet principium, quod mundi fuerat exordium.

Deductio autem Gerardi, talis eſt, ex cap. 8. Geneſ. colligitur, menſe vndecimo columbã fuiſſe reuerſam ad Archam, cum ramo oliuæ virẽtibus folijs, erat igitur id tempus Vernum, quo ſolent vireſcere, & germinare arbores, & quidem mẽſe Maij, in quo (vt ait Plinius lib. 16. cap. 25.) germinare ſolent vites, & oliuæ ſub climate Romano, quod idem eſt clima montis Gordij Armeniæ in quo requieuit Archa. Si autem menſis Maius fuit tunc anni vndecimus, Iunius fuit vltimus, atque ita initium anni erat tunc menſe Iulio, ac proinde, tunc quoque fuit initium mundi; ſiquidem credibile eſt, illis temporibus ante diluuiũ, non aliter fuiſſe cõputatos annos, quam fuerunt ipſo mundi initio. Hac inquam opinione omiſſa, quã paucis credo probatam iri, duæ ſunt (vt dixi) de hac re opiniones præcipuè. Quarum altera non ab Aſtrologis tantum, & poetis eſt accepta, ſed ferè om̃ium eſt Scriptorũ Eccleſiaſticorũ, atque Theologorum firmata conſenſu; mundũ, ſcilicet verno tempore eſſe conditum. Ita docent Euſebius in omnimoda hiſtoria, Athanaſius, q. 17. ad Anthiochum, Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 14. Gregor. Nazian. orat. in nouam Dominicam, Ambroſ. lib. 1. Hexam. cap. 4. Theodor. quæſtio. 72. in Exo. Leo Papa Serm. de Paſſione Domini. Iſidorus lib. 1. Etymol. c. de Temporibus. Damaſ. lib. 2. de Fide, c. 7. Strabus, & Rabanus, ſuper 12. c. Exod. Iunilius in Geneſ. Beda, de Temporum Ratione c. 28. & lib. de augmentis Lunæ. Magiſter Hiſtoriæ Scolaſt. in Hiſtor. lib. Gen. Magiſter Sẽtent. in 2. diſtinct. 14. Molina, de Operibus ſex dierum, Diſputat. 14. Bannes, & Valentia, 1. par. quæſt. 69. artic. 2. & pleriq; alij, cũ quibus vt Liranus ad c. 1. Geneſ. refert, nonnulli ex Hebręis conſentiunt.

Fundamenta iſtius ſentẽtiæ ſunt, quia Vernum tempus, eſt totius anni pulcherrimum, ameniſſimũ, rerum omnium, præſertim autem viuentium generationi, ac creationi, & conſeruationi aptiſſimũ; eſt namque temperatè calidum, & humidum, quæ ſunt duæ qualitates generationi, ac vitæ tã ſtirpium, quàm animantium valde congruentes; tum quia viget ſignũ Arietis, quod appellãt Aſtrologi

logi maſculinum, fecũdum, propitium, atque beneficũ, maximèque rerum primordijs opportunum. Tum etiam, quia germinãte tunc terra, vireſcẽtibus herbis, floreſcentibus arboribus, & quaſi reuiuiſcentibus animãtibus, mũdus quodammodo renaſcens, eodem ſe tẽpore primum à Deo eſſe conditum non obſcurè declarat. Contra verò Autumnus, cum ſit frigidus, & ſiccus, magis corruptioni, quàm generationi rerum eſt conueniens, Ideoque tunc decidunt folia, cunctaque virore, vigoreque ſuo priuata paulatim flacceſcunt, & ad interitum ferũtur. Cum ergò Dei perfecta ſint opera, credendum eſt, produxiſſe mundum, in initio præcipue partis anni, Sole exiſtente in principio Arietis, atq; adeo in ęquinoctio Verno.

Adde, quòd ſicut Deus mẽſem Martium, tamquam omnium accomodatiſſimum, elegit, vt filios Iſrael de terra Aegypti educeret, vt carnem in vtero Virginis aſſumeret, vt morte ſua ſacratiſſima mundum redimeret, glorioſaque ſua reſurrectione illum exhilararet: ſic etiam eum videtur elegiſſe, vt in eo mundum ædificaret, præſertim cum ob duas rationes præcedentes, ratio id efflagitaret. Et eo vel maximè, quod valdè credibile eſt, Primum Adam, & ſecundum qui eſt Chriſtus Dominus, eodem tempore eſſe formatos, eodemque cõditum mundũ, & à Chriſto reparatum, conſtat autem ſecundum Adam, hoc eſt Chriſtum, verno tempore conceptum eſſe, eodemq; per mortem ſuam mundum reſtauraſſe.

His accedit in Synodo Palęſtina de mandato Victoris Papę cõgregata à Theophilo Cæſarienſi Epiſcopo, conſenſu omnium pronunciatum eſſe, mũdum in ęquinoctio verno fuiſſe conditum: Eius Concilij meminit Beda, in 1. lib. de ſex ætatibus mundi, & fuſius in Epiſtola de Paſchatis celebratione.

Altera autem ſententia, quam docent Philo de Opificio mundi, Ioſephus lib. 1. antiquitatum, Hieronym. ſuper primum caput Ezechielis, Rabbi Aeliezer, Nicol. de Lira in Gen. cap. 1. & 7. & Exodi 12. Toſtatus in Geneſ. cap. 1. & 7. & Exodi 12. Ioannes Picus Mirand. lib. 7. aduerſus Aſtrologos, cap. 6. & Pererius in Geneſ. opinãtur mundi exordium fuiſſe in Autumno, vt primus mẽſis ab orbe condito fuerit, prima Luna, æquinoctio Autumnali propior, qui menſis ab Hebræis, Chaldaico vocabulo dictus eſt Thiſri: q̃ vox Chaldaicè ſignificat initium, vt vel ipſo nomine menſis hic, eſſe initium anni exiſtimari debere ſatis probare videatur.

Hæc opinio licet multitudine, ac grauitate authorũ inferior ſit, quam prima, numero tamen, & pondere argumentorum videtur firmior, atque præſtantior. Et primo ſatis hoc indicauit Deus Exodi 12. cum propter memoriam ſingularis eius beneficij, quo Hebræos à ſeruitute Aegyptiorũ liberauerat, certa lege ſãciuit vt Niſan, qui cadit in Vernum tempus, primus anni menſis deinceps apud Hebræos haberetur, quo datur haud obſcurè intelligi, Niſan non fuiſſe Hebræis primum anni menſem: Quid enim attinebat nouo præcepto tam ſtrictè Iudæis imperare, quod ipſi ſua ſpõte perpetuo antea ſeruauerant?

Quod autem Niſan non fuerit Iudæis primus anni menſis, ſatis

Digitized by Google

apertè habetur ex primo lib. Iudaicarum antiquitatum Ioſephi, ita ſcribentis. Contigit vaſtitas diluuij anno ætatis Noe ſexcenteſimo, menſe ſecundo, qui Dius à Macedonibus vocatur, ab Hebræis Marſona; ne qui partim Octobri reſpondet, & partim Nouembri: ſic enim Aegyptij diſtinxerunt annum, Moſes autem Niſan, qui eſt Xanthicus Macedonibus, menſem primum in ſuis Faſtis ordinauit, quod per hunc Hebræos ex Aegypto eduxiſſet, eũdem, & omnium, quæ ad rem Diuinam pertinent, exordium fecit: alioqui, quod ad nundinas rerum venalium, reliquamque diſpenſationem anni attinet, nihil de priſtino ritu Innouauit. Hæc Ioſephus. Ex quibus verbis, dico, quæ quam maximè faciũt ad propoſitum noſtrum, dignoſcuntur. Alterum quòd Diluuiũ incœpit menſe ſecundo anni, hoc eſt medio Autumno; Alterum verò, Hebræos prius quam ab Aegypto egredereutur, annum ab Autumno inchoare conſueuiſſe: cuius conſuetudinis ab Adamo, vſque ad Moſen perpetuò conſeruatæ, non aliam fuiſſe originem, & cauſam exiſtimandum eſt, quã quòd tempore Autumni mundum incœpiſce priſcis illis hominibus perſuaſum eſſet.

Præterea. Exodi 23. iubentur Hebræi ſolemnitatem Tabernaculorum, quæ agebatur menſe ſeptimo, hoc eſt in Autumno, celebrare in exitu anni: ſic enim ibi legimus. Solemnitatem quoque ages in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro. Et Exo. 34. iubet Deus eamdem ſolemnitatem agi, quando redeunte anni tempore, cuncta cõdũtur, ex quibus duobus Scripturæ locis, ſatis liquet, in Autũno, fuiſſe anni exitum, ac reditũ; quare etiam potiſſimum eo tempore factus eſt mundus.

Ad hæc autumnum eſſe finem anni præcedentis, ſi ſpectemus ordinẽ naturæ, & generationis rerũ naturalium, patet, vel iudicio ſenſuum. Tunc enim decerpuntur fructus ex arboribus, decidunt folia, demeſſæ ſegetes, frugeſque conduntur, colliguntur vuæ, vinumque ex eis expreſſum aſſeruatur. Eſſe autem Autumnum etiã ſequentis anni principium, manifeſtum eſt, cum eo tẽpore ſeminatio fiat, & terra mãdata ſibi ſemina concipiens, hiſque grauidata procreet radices, quod ſanè quadã ratione reſpondet conceptionis & generationi animalium in vtero, quocirca Autumni tẽpus conceptioni & generationi rerũ conuenit, ob idque primordijs mundi magis eſt idoneum; tẽpus autem veris magis reſpõdet adoleſcentiæ, & iuuentuti ipſius mundi.

Poſtremò, mundum in Autũno eſſe factum, vel hoc vno argumento concludi poteſt, quòd in exordio mundi, vt alia, ſic etiam arbores in ſtatu perfecto productæ ſunt, hoc eſt, cum fructibus iã maturis, perfectiſq; & ad comedendum idoneis, talibus enim in cibum animantium, & hominum protinus opus erat; non enim hominibus ante diluuium, ex victu carnium, ſed herbarum dumtaxat, & fructuum, victus fuit; & hoc apertè docet Sacra Scriptura, non ſolum quia tradit die tertio iubente domino terram produxiſſe lignum pomiferũ faciens fructum iuxta genus ſuum: ſed etiam, quia docet Deum primis hominibus recẽs creatis dixiſſe:

Ecce

Digitized by Google

Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ. Et rurſus, præcepit homini dicens: Ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem &c. Eua quoque ſerpenti reſpondit; De fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo veſcimur, de fructu vero ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus. Et parum infrà inquit Moſes: Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcêdum, & pulchrũ oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit. Quid plura? Dei perfecta ſunt opera, præſertim autem, quę ab eo immediatè, & miraculosè ſunt, arbores autem tum demum perfectæ cenſentur, cum fructus maturos, & ad eſum idoneos habent; quod ſi in exordio mundi arbores maturos habebant fructus, profecto nõ Verno, ſed Autumno tempore mundum factũ eſſe credendum eſt, maturatio .n. fructuum, non Vere fit, ſed in Autumno.

Cæterum, cũ in Scriptura clarè haud pateat, quo menſe creatus ſit mundus, vt doctè adnorauit Burgenſis in additione prima ad 12. cap. Exodi, ſine fidei periculo vtraque opinio ſuſtineri poteſt. Non enim ex hoc quod aliquando in Scriptura dicitur aliquis menſis primus, putandũ eſt illum fuiſſe ſimpliciter primum, quo mundus incępit.

Anni duo eſſe principia indicat Scriptura. Ex Scriptura enim (vt Burgẽſ. aduertit) duo eſſe principia anni comprobatur. Primum eſt menſis Martij; ſiue Aprilis, qui apud Hebræos vocabatur Niſan, qui ſecundũ Liram Aggei 2. & Gloſſam Eccleſ. 45. ex eo quod correſpondebat Lunationi incipienti in Martio, quæ ſępè extenditur ad Aprilem, interdum menſis ille correſpondebat Aprili, & ab iſto menſe computabantur ſolemnitates: nã in menſe tertio ab iſto primo fiebat feſtum Hebdomadarum, & in menſe ſeptimo feſtũ Tabularum, vt patet Exo. 23. & 34. Similiter ieiunium quarti, & quinti menſis computatur ab eadem Lunatione, vt patet ex Hieronymo in Zachariæ, capit. 8. Ab eodem etiam principio computabantur magna facta, vt Gen. 7. vbi dicitur annò 600. vitæ Noè menſe ſecundo, addit Gloſſa interlinearis, qui à Latinis Maius dicitur. Et 3 Reg. 6. dicitur: Factũ eſt igitur 480. annò egreſſionis filiorũ Iſrael de terra Aegypti, mẽſe Zio, ipſe eſt mẽſis ſecũdus, cõputando ſcilicet hunc menſem ab illo primo de quo dicebamus.

Secundum principium eſt in menſe Septembri, & ab iſto principio computabantur negotia, & anni, qui pertinebant ad Sabbata terræ, vt patet Leuit. 25. Cum hac eadem doctrina concordat Ambroſ. lib. de Noe, c. 17. & Lira Aggei primo, in fine. Abulenſis verò Geneſ. 7. abſolutè affirmat Septembrem eſſe primum menſem, Martium verò dici primum; quia ex tunc cęperunt Iudæi numerare ſuos mẽſes, & annos propter illum euentum notabilem, qui illis contigit propter liberationem ex Aegypto. Sic etiam Græci annos ſuos cœperunt numerare ex factis Alexandri, vt pa ter 1. Machab. & poſſumus adducere aliud exemplum: nam Ezechielis primo dicitur: Et factum eſt in trigeſimo anno, ille autem

annus computabatur trigeſimus, ſecundum Hieronymum à duo de vigeſimo anno Ioſię Regis Iuda, quando inuentus eſt liber Deuteronomij in templo, vſque ad quintum annum captiuitatis Iechoniæ. Ex his patet, quomodo ex nulla computatione Scripturæ poſſumus certo ſcire, quis menſis abſolutè ſit primus in ordine ad creationis initium.

Ideo argumenta pro vtraque ſententia non ſunt adeo firma, quin facili negotio ſolui poſſint.

Et primo ad argumẽtum Mercatoris reſpondetur, multa obſtare, quo minus poſſit aliquid ex eo loco colligi de tempore, quo mũdus incœpit, primo quòd incertũ eſt, an vndecimus ille mẽſis fuerit menſis vndecimus Anni Solaris, ſecundum communem computationem; an verò vndecimus ab initio diluuij, vel certè vndecimus anni ſexcenteſimi ætatis Noe, vt quidam probabiliter exiſtimant, & poteſt colligi ex eo, quod illo capite dicitur: Anno ſexcẽteſimoprimo menſe primo exſiccatam fuiſſe terrã, & poſtea in fine capitis noni dicitur vixiſſe Noe, poſt diluuium trecentis quinquaginta annis, & impletos eſſe omnes dies eius, nongentorũ quinquaginta annorum, & mortuum eſſe. Vnde colligitur ipſum ſub finem diluuij ingreſſum fuiſſe annum ætatis ſexcenteſimum primum, ac proinde, annũ illum præcedentem in cuius menſe vndecimo imminutis iam aquis columba tulit ramum oliuæ, fuiſſe annum ſexcenteſimum ætatis Noe.

Secundo obſtat, quia eſt quòd mẽſis ille fuiſſet vndecimus Anni Solaris, incertum eſt tamen, quis nam menſis ille fuerit, an .ſ Maius, vel Iunius, vel Iulius, vel Auguſtus, vel aliquis alius, Vernus, aut Autumnalis, aut Hyemalis: atque adeo quonam menſe fuerint tunc computatum initiũ anni. Neque legimus veniſſe columbam, cum ramo oliuæ germinante, vt inde colligamus tunc germinaſſe, hoc eſt menſe Maio, ſed legimus veniſſe columbã cũ ramo oliuæ virentibus folijs; folia autem oliuæ toto anno virẽt, vt notat Plinius lib. 16. capit. 20. atq; ita potuerunt ſub aquis etiã virentia conſeruari, tam etſi poſtea exſiccata terra, magis illorũ viror nituerit ad radios Solis.

Tertio obſtat, quoniam incertum eſt, eſto quòd vndecimus ille menſis fuiſſet Mẽſis Maius, an tunc anni initium computaretur, quia mundus menſe Iulio incœperit, vel propter alias potius cauſas, quæ variæ admodum potuerunt eſſe, vt reſpondendo ad argumenta ſecundæ ſententiæ apparebit.

Ad argumenta primæ ſententiæ dico. Verum eſſe Vernũ tempus eſſe pulcherrimum, amæniſſimũ, &c. atque adeo magis correſpondet, annis adoleſcẽtiæ, aut iuuentuti quam natiuitati, & ob eamdem cauſam, quoniam ſecundus Adam mundus reformauit, non in infantili, ſed in iuuenili ætate; optimè congruit, vt Verno tempore mundum repararerit, quod iuuenili ætati reſpondet. Cæterum, huiuſmodi congruentiæ rationibus aliàs haud improbabilius, minimè præiudicare poſſunt.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpondetur, & ad Primum dicitur, incertiſſimum eſſe, quade cauſa ante legem initium anni fuerit computatum à Septembri,

bri, fortè enim id fiebat, vt notat Burgen. Exo. 12. propter annum Iubilæi, in quo terræ reuertebantur ad priſtinos dominos; ea .n. ratione oportebat, vt annus ad eũ effectum finiretur, collectis fructibus, & meſſe iam facta, & annus ſequens ſtatim inciperet, vt agri in antiquorum dominorum poteſtate iam poſiti, coli poſſent. Contractus etiam, & tunc celebrabantur, & hodie multis in regionibus, ita celebrantur, vt mẽſe Septembri exitum & finem ſuũ ſortiantur, ſoluanturque pretia, eo quòd tunc homines collectis fructibus potentiores, tunc ſunt ad ſoluendum.

Quidam dicunt filios Iſrael dũ in Aegypto erant computaſſe annos ab æquinoctio Autumnali, non quod eo tempore fuiſſet mũdus cõditus, vel quod patres eorum, antequam terram Aegypti ingrederentur, eo modo annos computaſſent, ſed quod id erat apud Aegyptios in more poſitũ, retinuiſſeque, morem illum quo ad res profanas, computandumque Iubilæi annũ propter rationem paulo ante redditam. Atque adeo licet menſis Martius eſſet primus anni menſis ſimpliciter, quia tamẽ apud Aegyptios, aliosque Gentiles, alij habebantur priores: nam apud Aegyptios à principio quattuor menſibus annus cõputabatur, apud Arcades tribus mẽſibus durabat apud Arcanos ſex menſibus tendebatur. In Italia apud Latinos tredecim menſibus, apud Romanos decem menſibus, vt patet apud Solinum in Polyhiſt. cap. 1. de origine Vrbis Romæ, & tẽporibus, & de diebus intercalaribus, vt ergo has computationes euitarent Iſraelitæ, præcepit eis Dominus, vt ille menſis ſit eis principium menſium. Et optima quidem ratione: nam cum, vt dictum eſt, Iſraelitæ in Aegypto exiſtentes mores ſequerentur Aegyptiorũ, quantum ad anni computatio ẽ, & diuerſa Regna, & diuerſi populi diuerſa anni principia cõſtituerint. Ideo aptiſſimè, quando filij Iſrael egrediebantur in populum liberum: qui nunquam fuerat populus, quoniam ante deſcenſum in Aegyptum, nec populum, nec Ciuitatem conſtituerant, ibi autem, vel peregrini, vel ſerui fuerant, aptiſſimè Deus eis dat proprium ordinem, & initium anni, vt annus eorum incidiat à principio Veris.

Et per hoc patet etiam ad ſecũdum; Alia enim fuit cauſa cur in Septembri diceretur exitus anni, vt explicauimus.

Ad Tertium dico, quòd ea ratione: quia in Autumno collectio omnium fructuum abſolui ſolet, & quia exinde rurſus incipit annus nouus quaſi ſuum curſum in concipiendis parcendiſque fructibus poteſt Autumnus initium anni appellari, & fortè ob hanc cauſam Exo. 23. dicitur tunc exire annũ; & Exo. 34. dicitur etiam tunc redire; Atque adeo multis de cauſis fuit olim, vt diximus variata cõputatio anni; apud Romanos .n. computabatur à menſe Martio, vt patet ex appellatione Septẽbris, qui ita appellatur, quoniam ſit ſeptimus à Martio, poſtea vero à Ianuario, ſicut & modo fit.

Ad vltimum Catharinus Gen. primo docet, nullum eſſe incõueniens aſſerere, quod tunc terra, vtpotè fertiliſſima, bis fructum emitteret, & in Martio, & in Septembri: nam ſi hoc accidit in Inſula Taprobane, de qua Iſidorus

Digitized by Google

14. Etymol. & Solinus in Polihiſt. cap. de Taprobane dicunt, quòd bis in anno fructus emittit, nihil mirum, quod hoc, terræ tunc vberiori contigiſſet. Secundo, dicit idem Catharinus, non eſſe incõueniens, terram totum illud tempus expectaſse vſque ad ſecundã maturitatem, nempè à mẽſe Martio vſque ad Septembrem ſequẽtis anni: quia primo germinauerat, non ſecundum ordinem naturæ, ſed ex Diuino præcepto; Vel fortè dici poteſt, quòd anno ſequenti eodem menſe aliquot fructus protulerat terra, alios verò tempore Autumni; ſicut modò aliqui producuntur in Vere, vt amigdala, ceraſa, &c. aliqui in Autumno, & ſic non oportet terram, ſine fructibus totum illud tempus expectaſse. Poſſet etiam dici, credutu difficillimũ eſſe, Deũ produxiſſe plantas cum omnibus ſuis fructibus maturis, tametſi produxerit magnitudinis perfectæ: Quorſum namque in cibum duorum tantùm hominum, qui paulo poſt erant condendi, produxiſſet Deus non dicam omnes orbis plantas, ſed nec ſolius Paradiſi cum omnibus ſuis fructibus maturis? præſertim, cum ad huius mũdi decorem, & ad id, quod poſtulabat ipſarum rerum natura quas condebat, atque ad eorumdemmet hominum in poſterũ ſuſtentationem, longè plus inſeruirent, vt quaſdam produceret ſolis folijs, & floribus veſtitas, quaſdã ſolis folijs virẽtes, & alias fructibus onuſtas, partim immaturis, partim tendentibus ad maturitatẽ, partim iam maturis, prout natura cuiuſque ſpectata qualitate, & temperie regionis, poſtularet; & fortè Paradiſi regio talis, & tã temperata erat, vt in menſe Martio, natura poſtularet, vt fructus in ea eſſent iam maturi.

Quod autem ad diem attinet, in qua Deus mundum condidit; conuenit inter omnes illum fuiſſe diem Dominicum, quandoquidẽ dies ſeptimus ab eo fuit dies Sabbati, vt patet Exo. 20. Memẽto vt diem Sabbati ſanctifices, ſex diebus operaberis, ſeptimo autẽ die Sabbatum Domini eſt, non facies opus in eo. Sex enim diebus fecit Deus cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo. Ex quibus verbis colligunt Sancti Patres, mundum fabricatum fuiſſe die Dominica, quæ eſt ſeptima à Sabbato, & in qua etiam Chriſtus Dominus à mortuis reſurrexit, ita docet Leo I. Epiſtola 79. ad Dioſcorum Epiſcopum Alexãdrinum, & refertur d. 75. c. Quod die Dominico, & confirmat Hymnus ille D. Greg. qui in horis matutinis diei Dominicæ canitur. Primo dierum omnium, Quo mundus extat conditus; Vel quo reſurgens conditor, Nos victa morte liberat.

Mundus creatus fuit die Dominico.

Quæritur 8. A quo tempore mũdus incœpit. Eſt enim ratio dubitandi, An poſſimus certè cognoſcere, quot fuerint elapſi anni ab exordio mundi, vſque ad hodiernum diem, & videtur, quòd non: quia in initio primi capitis lib. Eccleſ. dicitur, arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies ſæculi, quis dinumerabit. Quibus verbis dupliciter ſignificatur annos mundi eſſe nobis incomprehenſibiles.

Mundus à quo tempore incœperit.

Primo, quia interrogatio illa, (Quis) ſæpènumero in Sacris litteris, vim habet negandi, itidemque valet, ac Nullus, vt in Cãtico Moſis.

Quis ſimilis tui in fortibus Domine?

mine? Exo. 15. & Pſal. 88. dicitur: Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem? & apud Iob 9. Quis reſtitit Deo, & pacē habuit? Secundo, quia trium rerum, quæ hic ponuntur videtur eſſe ęqualis ratio; nam ſicut arena maris, & guttæ pluuię, non poſſunt à nobis aliquo modo comprehendi, ita dies ſæculi non poſſunt à nobis numerari.

Nihilo minus tamen, his non obſtātibus, quamuis fuerint multæ opiniones, de vetuſtate, & antiquitate mundi, certo tenendum eſt, ab exordio mundi, nō plures, quàm quinque millia, & ſexcentos annos præterijſſe, in qua re vix dici poteſt, quātum fuerit errans, & cęca Gentilitas.

Aegyptij enim pluſquam centū annorum millia numerabant à principio mundi; Chaldæi verò pluſquam ſeptuaginta millia annorum conſtituebant; quæ omnia fabuloſa, & mendacia cum ſint, libenter prætermitto. Si quis autem voluerit ſcire, varias computationes annorum ab ortu mūdi, vſque ad Aduentum Chriſti Domini noſtri, legat Sixtum Senenſ. lib. 5. Bibliothecæ, qui numerat propè triginta ſupputationes annorum à principio mundi, vſque ad Aduentum Chriſti. Alij verò recenſent quinquaginta.

Diuerſitas computationis annorum mundi ex quattuor oritur cauſis.

Huius autē tantæ diuerſitatis in computatione iſta annorum mūdi, quattuor ſunt cauſæ. Prima magna varietas, & diſcrepantia annorum, qui fuerunt à principio mundi vſque ad Ortum Abrahæ: non enim ſatis conſtat, quot fuerint elapſi anni: nam in libris Hebræis, & Latinis, reperimus ab initio mundi, vſque ad ortum Abrahæ, fuiſſe elapſos mille nongētos quadraginta octo annos; ſed in libris Græcis Septuaginta Interpretum, tria millia trecentos, & quattuordecim annos inuenimus.

Secunda cauſa huius varietatis eſt: quia multi ſequuti Septuaginta Interpretes, & B. Lucam, interponunt generationem Caīnam, inter Arphaxar, & Sale, hoc eſt triginta annos, quam ob rē à Diluuio ad ortum Abrahæ numerāt trecentos, & viginti duos annos. Reliqui autem auctores, ſecuti Hebræos, & Latinos libros, in quibus generatio Cainam omittitur, numerant tantum ducentos, & nonaginta duos annos.

Tertia ratio huius perplexitatis eſt; quia non ſatis conſtat ratio quorumdam temporum apud omnes; v. g. Vtrum Abraham natus ſit ſeptuageſimo anno Thare; an verò natus fuerit centeſimo, & trigeſimonono Thare; quod alij auctores ex Scriptura colligunt. Ratio item temporum ab obitu Moſis, vſq; ad Dauid eſt incerta; Septuaginta enim anni captiuitatis Babylonicæ, vnde incœperint, & vnde finē habuerint, valde controuerſum eſt.

Vltima cauſa eſt: quia nō conſtat ex Scriptura, quot ſint anni elapſi à captiuitatis Babylonicæ fine, & populi Iſraelitici liberatione, vſque ad Aduentū Chriſti. Et ideo ex profanis auctoribus ſunt petendi; qui cùm ſint varij in hac re, & non omnes ſint æqua lis auctoritatis, & fidei, ideo eſt maxima varietas in computatione annorum. Communis tamen ſententia eſt, quę à nobis ſuperius dicta eſt.

Vnde ad auctoritatem Eccleſ. in contrarium adductam reſpondetur, quòd ille locus varias habet expoſitiones; quarum prior eſt,

eſt, quòd dies ſæculi non poſſunt ſciri ab homine, humana ratione; poſſunt tamen ſciri per reuelationem à Deo in Sacris Litteris expreſſam, & nobis traditam.

Secunda expoſitio eſt Nicol. de Lira qui ait annos mundi poſſe à nobis cognoſci ratione quadam probabili; & huius cauſa eſt, quia ſcriptores, tam ſacri, quam profani, variè deſcribunt annos, quibus aliquis vixit, aut regnauit.

Tertia expoſitio eſt aliorum, ꝙ Eccleſ. in illo loco nõ dicit annos ſæculi, quis dinumerauit? ſed dies ſęculi: quia ſcriptores, tam ſacri, quam profani, licet ſint diligẽtes in computandis annis hiſtoriæ, quam ſcribunt, de diebus autem paruam, aut nullam curã habent.

Vltima expoſitio omnium pręſtantiſſima, quòd in loco per dies ſęculi, non intelligit Eccleſiaſtes illos dies tranſactos ab ortu mundi, vſque ad noſtrum tempus, ſed etiam loquitur de futuris diebus, vſque ad finem mundi, & diem Iudicij, qui ſanè sũt à nobis prorſus incogniti.

Opus Quartæ diei.

Dixitque Deus fiant luminaria in Firmamento cæli, & diuidant diem, & noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos.

Opus ornatus quomodo differat ab opere diſtinctionis

HIc incipit opus ornatus; Vnde obſeruandum eſt, quòd hoc eſt diſcrimen inter opus ornatus ab opere diſtinctionis, quòd diſtinctionis opus pertinet ad rerũ formationem, reſpectu eorũ, quæ ſunt ſibi intrinſeca, aut immobiliter adhærentia; Opus autem ornatus reſpicit illa, quæ ſunt à rebus ipſis diſtincta. Diſtinctio autẽ manifeſtatur maximè per motum localem, per quem fit diſtinctorũ ſeparatio; atque adeo opus ornatus ea conſiderat, quæ præcipuis mundi partibus, ſcilicet in cælo, & elementis localiter mouentur.

Ornatus eſt triplex

Eſt autem triplex ornatus iuxta trium dierum diſtinctionem. Et primum eſt opus productionis luminarium, quæ in Firmamento mouẽtur, & die quarto facta sũt. Secundum ad piſcium, & auium productionem pertinet, quibus aer, & aqua, quæ ſunt elementa perſpicua exornantur, quæ fuerũt die quinto producta. Tertium eſt opus Sextæ diei, nempè productio animalium, reptiliũ, & greſſibilium, quibus terra ornatur.

Triplex Dei opus deſcribit Moſes.

Quapropter ex his, quæ dixit Scriptura infra, in diuinorũ operum recapitulatione, cum dixit: Igitur perfecti ſunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum; Triplex opus intelligi poteſt, ſcilicet opus creationis, per quod cælũ, & terra producta dicuntur, ſed informia: & opus diſtinctionis, per quod cælum, & terra ſunt perfecta, ſiue per formas ſubſtantiales materiæ omnio informi attributas, vt vult D. Auguſt. lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 11. ſiue quantum ad conuenientem decorem, & ordinem, vt alij ſancti dicunt: & his duobus operibus additur ornatus. Differt autem ornatus à perfectione: nã perfectio cæli, & terræ ad ea pertinere videntur, quæ cælo, & terræ ſunt intrinſeca: ornatus verò ad ea, quæ ſunt à cælo, & terra diſtincta. Quemadmodum homo per formas proprias, & partes perficitur, ornatur autem per veſtimenta, vel aliquid huiuſmodi.

Perfectio rerum differt ab earum ornatu.

Cæterum, diſtinctio diuerſorũ maxi-

maximè manifeſtatur Per motũ localem, quo ab inuicem ſeparan tur, atque adeo ad opus ornatus pertinet earum rerum productio, quæ in cælo, & terra motum habent. Et cum de Tribus in rerum creatione mentio fiat, ſcilicet de cælo, aqua, & terra. Et hæc tria per opus diſtinctionis trium dierum etiam formentur nimirum, Primo die cælum; Secundo die diſtinguũtur aquæ; & Tertio die fit diſtinctio maris, & aridæ. Ideo in opere ornatus, primo die, qni eſt quartus producuntur luminaria, quæ mouentur in cælo, ad ipſius cæli ornatum: Secundo die, qui eſt quintus, aues, & piſces ad ornatum medij elementi, qui habent motum in aere, & aqua, quæ pro vno accipiuntur: Tertio die, qui eſt ſextus, animalia producuntur, quæ motum habent in terra, ad ipſius ornatum. Pro ampliori tamen huius litteræ intelligentia.

Quæſt. 1. Quæ ſint luminaria quæ quarta die producta dicuntur.

Quæritur primo. Quæ ſint iſta luminaria, quæ hoc quarto die producta dicuntur. Si dicatur, quod ſunt Sol, & Luna, quia Scriptura infra explicat: Fecit Deus duo luminaria magna, &c. hoc non videtur verum: Tum, quia iſta non ſunt in Firmamento: Tum, quia Luna non eſt luminare magnum, cum iudicio ſapientũ multæ Stellæ ſint maiores: Tum, quia Luna non videtur eſſe luminare, ſed potius corpus opacum, dum ſui interpoſitione Solem faciat eclypſari. Huic difficultati ſatisfaciunt Alexand. de Ales, 2. parte quæſtio. 52. m. 1. D. Bonau. in 2. diſt. 14. par. 2. in dubijs circa litt. dub. 3. Nicol. de Lira, & Toſt. in hunc locum, dicentes, quod per luminaria intelliguntur hic Sol, & Luna eſſe in firmamento cæli, Quatenus firmamentum, dicit aggregationẽ omniũ orbium cæleſtium à concauitate orbis Lunæ vſque ad ipſum cælum ſtellatum incluſiuè. Cum enim Luna ſit in primo Orbe, & Sol in quarto, in firmamento eſſe dicuntur. Cæterum ſi firmamentum accipiatur pro octaua ſphæra, Sol, & Luna nõ ſunt in firmamento, ſed ſub firmamento: & hoc loquendi modo vtuntur Aſtrologi, dicentes Solẽ eſſe in Ariete, vel in Tauro, atque ita de Luna, & alijs Planetis, ideſt ſub Ariete, vel alio ſigno.

Luna quo dicatur luminare magnum.

Et ſignanter dixit Moſes in firmamento cæli, vt partem illã cæli deſignaret, quæ eſt ſupra cælum æthereum, ideſt in illa parte, quæ diuidit aquas inferiores, & ſuperiores. Vocatur autem Luna luminare magnũ in comparatione ad alia aſtra, non quantum ad rẽ, ſed quantum ad apparentiã: quia præter Solem, nullum corpus maius videtur, quàm Luna: licet ſecundum demonſtrationes Aſtrologicas, Luna ſit minor quolibet aſtro viſibili ad minus octo vicibus. Propinquitas tamen orbis eius ad nos in comparatione ad alios orbes, facit magnitudinem apparentiæ: Luminare autem nõ eſt ipſum lumen, ſed luminis receptiuum, atque adeo illud luminare cui Deus multum dedit de luce, maximè lucet, cui minus dedit, minus lucet. Luna autem ſatis apparet, quod per ſe nõ lucet: & ratio eſt: quia ad ſui complectionem modicum ſuſcepit de luce primo creata: at quia eſt aggregatum ex natura, quæ multũ eſt apta ad ſuſcipiendum lumen, cum ſit corpus magnum, & denſum, & nobis propinquum; hinc eſt, quod multum de lumine ſuſcipit, & multum refundit: quãdo-

ex

ex ea parte illuminatur, qua ſe nobis opponit, hoc autem eſt, quando eſt in perfecta diſtantia à Sole, ita quod Sol eſt in vno hemiſpherio, & Luna in alio: quando autem Luna eſt directè ſub Sole, illuminatur tantum in parte ſuperiori, & pars inferior remanet obſcura, & tunc ſuspendit radios Solares, & ecclipſatur Sol, & hæc eſt ratio, quare Scriptura appellet Lunam luminare magnum: nō quod luceat ex ſe, vel quod ſit maior, quam Stellæ; ſed quia magis nos illuminat, & per hæc patet ad obiecta.

Quæſt. 2 Luminaria ex qua materia condita ſint.

Quæritur ſecūdo: ex qua materia condita ſint hæc luminaria? (& loquor de materia ꝓpinqua.) Hæc difficultas nulla eſt apud D. Auguſtinū, qui, vt vidimus ſuprà, non ponit in Dei operibus, tēporis ſucceſſionem, atque adeo iuxta eius ſententiam, non oportet dicere materiam luminariū fuiſſe, ſub alia forma. Lege Aug. 4. lib. ſuper Geneſ. cap. 22. & 11. de Ciuit. Dei, cap. 9.

Dicendum eſt ergo, quòd circa luminaria cæli, vt docet D. Bonauent. in ſecundo loco citato, quidam ſingularem tenēt opinionē, dicentes, quòd corpora cæleſtia, ſunt ex quattuor elementis compoſita, prædominante in eis natura ignis, ſicut cęleſtis corporis, qđ dicunt eſſe naturæ igneæ prædominante inquam, non ſolum ſecūdum qualitatem, ſed etiam ſecundum quantitatem, & ſecundū quod in eis prædominatur magis illa natura, ſecundum hoc habēt loca, magis, vel minus ſuprema: & quoniam in Luna, quæ nobis proximior eſt, minimū dominatur natura ignea inter cætera luminaria, & plus reperitur in ipſis de natura luminis ſuſceptiua; hinc eſt quod Luna parum per ſe lucet, & ex præſentia Solis multū ſuſcipit luminis, adeò, vt mereatur dici luminare, & magnum luminare propter magnū hominis effectum quem habet in terris. Iuxta ergo hanc opinionem, dici poteſt, quod ſunt formata ex præiacenti materia, ſicut animalia, & plantæ.

Verum hæc ſententia eſt cōtra communem viam Philoſophi, & ſanctorum. Contra Philoſophum quidem: quia Philoſophus dicit, quòd mixta ex quattuor elementis ſunt corruptibilia: & ad hoc, quod ſit conueniens mixtio, oportet quod ibi ſit plus de natura grauium ſecundum quantitem, atque adeo luminaria cæli ſecundùm hanc opinionem eſſēt corruptibilia, & grauia. Quod ſi dicatur, quod ſublimata ſunt à natura corruptibilitatis, & grauitatis, ſicut corpora hominum glorioſa, hoc nihil eſt: quia nō quæritur hic, quid faciat Deus per gratiam, & gloriam, ſed qualia luminaria condita ſint per naturā. Eſt etiam contra cammunem ſententiam Sanctorum; quia ſi corpora illa ſunt mixta, nobili valde mixtione eſſent mixta, & ſi hoc, ergo nata eſſent perfici ab anima, ſicut ſint animalia, quod eſt cōtra D. Hieronym. de erroribus Originis, Damaſ. lib. 2. de Fide, capit. 6. & Auguſtin. lib. 1. Retractat. c. 5. in fine, & lib. de Immortalitate animæ, cap. 15.

Secunda opinio eſt, quòd luminaria, ſecundum Philoſ. 2. Cæli, tex. 41. & ſequentibus producta ſunt ex aggregatione lucis, vel ſuorum orbium; ſicut enim ſi calor diſperſus in vnū colligeretur, fieret intenſior, & fortior: ſic dū natura lucis in orbibus reperta,

virtute

virtute ſui opificis in vnum colligitur, fit intenſior, & luminare conſtituitur, & iuxta hoc luminare maius, & minus eſt, ſecundum quod maior, vel minor eſt in eo lucis aggregatio; & quoniam Luna inter corpora cæleſtia, eſt nobis magis propinqua, & eius orbis, hinc eſt, quòd tam ipſa, quam eius orbis minus participat de perfectione lucis: tamen quia multũ eſt naturæ lucis conformis, obiecta Soli multum illuminatur, & quia habet denſitatem in partibus, ideo radijs Solaribus peruia non eſt, & propterea radios, quos ſuſcipit, refundit ex ea parte qua Soli ſe obijcit, & cum ſit nobis propinqua multum, nos illuminat; & propter hoc ſcriptura Solem, & Lunam appellat luminaria magna.

Hæc opinio licet ſit ſatis probabilis, non videtur tamen omnino ſufficiens, ſic enim Luna eſt ex aggregatione, & denſitate partium ſui orbis luminoſa, licet non perueniat ad luminoſitatẽ Solis, videtur quòd de ſe deberet lucere, & non tantum ex luminis Solaris ſuſceptione: quod ad oculũ patet eſſe falſum, ſed quicquid ſit de huius opinionis veritate, reſponderent ita exiſtimantes, vt Molina de Operibus ſex dierum, Diſp. 15. & Franciſcus Valeſius de Sacra Philoſophia, capit. 1. quod fecit Deus luminaria de ſubſtantia firmamenti.

Poteſt dici Tertio, cum Alex. de Ales in 2. par. quæſtio. 52. m. 1. quem ſequuti ſunt D. Thom. 1. p. quæſt. 70. art. 1. Nicol. de Lira & Toſt. in 1. cap. Geneſ. in expoſitione priori, & Procopius Gazeus in hunc locum, quod iſtud fieri non intelligitur, quantum ad ſubſtantiam luminarium, nec quantũ ad lucem, quæ facta eſt primo die, quia tunc facta fuit lux Solis, vt ſupra dictũ eſt, & per conſequens aliorum luminarium, quę illuminatur à Sole, ſed intelligitur quo ad informationem quamdam huiuſmodi luminis, quod fuit informe aliquo modo, vſque ad quartum diem, in qua fuit formatum, quia tunc accepit à Deo virtutẽ influendi in hæc inferiora, quo ad varios eorum effectus. Senſibiliter enim percipitur, quòd radij diuerſorum luminarium cæli habent varios effectus, & diſtinctos circa hæc inferiora.

Vel Quarto dici poteſt (prout docet Nicol. de Lira in ſecunda explicatione) quod iſtud fieri luminarium, intelligitur, quantum ad ſuas formas ſubſtantiales ſpecificas, & ſecundum hanc expoſitionem Sol factus eſt ex illa nube lucida, quæ tribus diebus præcedentibus diurno motu fecit diẽ, & noctem, iuxta ſuperius explicatã.

Ceterum, quia tertia opinio videtur communior, & cæteris probabilior, ideo explicanda eſt magis; explicatur autem duobus modis; priori modo à D. Bonau. iuxta ſentẽtiam D. Baſilij, & Damaſ. dicentium, quod luminare, non tantum dicit lumẽ, ſed lucis vehiculum, & lucis vaſculũ, propter quod de Sole dicitur: Vas admirabile opus excelſi. Vnde ſicut lucerna, quæ dicitur vehiculũ lucis, habet in ſe duplicem naturam, ſcilicet lucis, quæ vehitur, & corporis, quod vehit: ſic voluerũt dicere de luminaribus cæli. Sic enim ſcribit D. Baſilius homil. 6. Hexam. Hoc Solare corpus, effectum eſt vehiculum illi primogenito lumini. Sicut enim aliud eſt ignis, aliud lucerna: ſic illi luci, vehi-

vehicula luminaria parata ſunt. Eadẽ fere dicit Damaſ. lib. 2. de fide, cap. 7. luminaribus illis primum clarum lumen conditor im poſuit, non vt impotens dare eis aliud lumen, ſed, vt non vacans il lud remaneret. Luminare eſt non ipſum lumen, ſed luminis receptiuum.

Secundum igitur Baſilium, & Damaſ. luminaria ſunt conſtituta ex illa prima luce quæ faciebat diem, & noctem, & ex ſui orbis natura, quadam aggregatione, di uina manu ad modum vaſis, & re ceptaculi lucis coadunatæ.

Secundo ſic exponitur à Pererio. Aſtra non ſunt aliud quã partes cæli denſiores, quæ lucẽ habẽt & tranſmittunt. Cæli autem in principio creati ſunt perfectij, ſecundum ſubſtantiam, numerum orbium, magnitudinem, figurã, & aliarum partium denſitatem, aliarumque raritatem; neceſſario efficiũtur aſtra ſecundum materiam ſuam; quæ non eſt alia, quã ſubſtantia cæli, & ſecuudum figuram, magnitudinem, & denſitatẽ, eſſe facta à principio. Quid ergo eis deerat? forma nempè, quę principaliter dat eſſe rei, & nomen: eſt autẽ aſtri forma ipſa lux, quæ hoc quarto die illis data eſt, Deo partes illas cæli denſiores, ſpiſſa luce complente. Datus eſt illis præterea proprius motus: nã alio motu cietur Luna, & alio Mercurius, itemque alia ſidera, ſiquidẽ ante hunc quartum diem, cæli nõ alio, quam vno primi cæli mo tu communiter mouebantur. Ter tio loco data eſt aſtris vis, & potentia varios effectus, atque mira biles producendi ex motu proprio, & luce cuiuſque aſtri prouenìens.

Et ſi dicatur, Primò die creata eſt lux Solis, etiam tunc cæli habebant partes quaſdam dẽſiores, quomodo igitur tunc Sol luce ſua, eas non illuſtrauit, atque ita fecit, vt eſſent aſtra. Reſpondet Pererius, lucem illam primi diei, fuiſſe admodum tenuem, & vt in quit Beda, ſimilem luci auroræ, ideoque non potuiſſe denſas illas cæli partes luce implendo formare aſtra.

Vel tertio poteſt ſic explicari, vt facta dicantur hæc luminaria quarto die, ſecundum quamdam vim tantum accidẽtalem, ad pro prios ſuos effectus, quæ eis acceſſit ex proprio motu, quem tunc acquiſiuerunt eo nimirum modo, quo ſupra ex ſententia D. Thomæ declarauimus factum fuiſſe Solẽ hoc quarto die, cum tamen, & ipſe, & alia corpora cæleſtia facta ſint, quo ad ſubſtantiam per opus creationis, ante primum diem, vt ex ſententia D. Thomæ ſupra explicauimus. Nam cum hæc aſtra ſint partes quædam denſiores cæleſtium corporum, ac proinde ipſa quoq; ſint corpora incorruptibilia, non potuerunt fieri ex aliqua prçexiſtente materia, quomo do factum eſt, quidquid eſt factũ per hos dies, ſed per ipſum primũ opus creationis.

Neque obſtat, quod dicitur Deus poſuiſſe hęc luminaria quar to iſto die in firmamento cæli; ſenſus enim non eſt, quod tunc ſe cundum ſubſtantiam ſint tibi pro ducta, & poſita, ſed quod tunc ex Dei voluntate cęperent ibi lucere, non quomodocumque, ſed cũ vi quadam ad proprios effectus ſuos, quam tunc per motum proprium acquiſiuerunt, & tamquã ſigna inæqualium dierum, ac diuerſorum tẽporum, quorum per proprium motum ſunt cauſæ; Et

hæc

hæc explicatio eſt ferè eadem cũ explicatione Pererij,& eſt eorum qui affirmant Solem, & cætera aſtra ſtatim à principio producta fuiſſe cum luce quam modo habent: quarta autem die accepiſſe ſolum virtutes varias influẽdi in hæc inferiora, atque quo ad id dumtaxat eſſe facta quarto die.

Cæterum, hæc opinio non placet: primo, quoniam ea data, dicẽdum eſſet, tenebras ſuper faciem abyſſi non præceſſiſſe productionem lucis, nec verè fuiſſe à principio productionis mundi. Dicendum etiam eſſet, firmamentũ non fuiſſe productum ſecunda die, quo ad ſuam ſubſtantiam, ſed ſtatim à principio; quæ cũ verbis Moſis apertiſſimè pugnant. Secundo, quoniam id non eſſet luminaria producta eſſe quarta die, vt luceant ſuper terram, & ſint in ſigna, & tempora, &c. quod tamẽ affirmat Scriptura, dũ tradit opus quartæ diei; ſed eſſet illis collatam eſſe virtutem influẽdi, quod ſanè eſt quidpiam longè diuerſũ. Quo fit, quod hæc opinio contorqueat Scripturam non ſolum in narratione operum primæ, & ſecundæ diei, ſed etiam quartæ. Tertio quia virtutes, quibus aſtra influunt in hæc inferiora, ſunt illis naturales, profluuntque ab ipſorum naturis, quare miraculum ſanè fuiſſet aſtra ante quartã diẽ fuiſſe producta, nec tamen habuiſſe ante eam diem vires, quas modo habent ad influendum in hæc inferiora. Cum ergo miracula affirmanda non ſint, ſine neceſſitate, & præſertim contra id, quod planus cõtextus Scripturæ ſonat, dicendum procul dubio eſt, aſtra omnia, quo ad ſuam ſubſtantiã producta fuiſſe quarta die.

Dicendum eſt ergò alterum ex his duobus, videlicet vel totam ſubſtãtiam aſtrorum productam fuiſſe ſecunda die, quando productum fuit firmamentum, & hoc iuxta ſententiam eorum, qui arbitrantur aſtra eiuſdem eſſe naturę, & ſpeciei, cum orbibus, quibus inſunt, nec eſſe aliud, quam partes denſiores eorumdem orbium, nõ ſecus, ac nodi in tabulis eiuſdem ſpeciei ſunt cum cæteris ipſarum partibus, ſolum ab illis differentes, quod ſint denſiores, quæ eſt cauſa, quod aſtra luceant, & radios vſque ad terram effundant, aliæ autem partes orbium minimè. Sed aſtra ſecundum eſſe aſtrorum, & luminarium quarto die eſſe producta: nam cum aſtrum, ſeu luminare cæli, nõ ſit aliud iuxta hanc ſententiam, quam pars cęli adeo denſa, vt radium poſſit ad nos emittere, vel quia illud habet à ſe, vel quia receptum à Sole, reflectit ad nos, ſanè Deus iuxta eamdem ſententiam, quarta die rarefaciendo partes alias cæli, & ab illis auferendo materiam forma cæli informatam, & multiplicando, & condẽſando eam in partibus, quæ nunc ſunt aſtra, eadem produxit ſecundum eſſe aſtrorũ, ac luminarium, nullam producendo de nouo formam, aut partem formæ ſubſtantialis, vel materiæ corrumpendo, vel in nihilum redigendo, ſed ſolum rarefaciẽdo quaſque partes, & condenſando alias.

Vel dicendum eſt, Deum quarta die ex materia ipſorummet cælorum produxiſſe aſtra, quo ad ipſorum ſubſtantiam, idque generatione ſupernaturali, qualem dicebamus ſupra fuiſſe illam, qua ſecunda die ex aquis cælos produxit, expellendo nimirum à partibus

bus quibuſdam cælorum, partiales formas ſubſtantiales, multiplicandoque ibi materiã p̃ rarefactionem aliarum, atque in eam inducẽdo formam aſtrorum; & hoc iuxta eorum ſententiam, qui aſtra omnia arbitrantur eſſe ſpecie diſtincta ab orbibus, in quibus reſidẽt. Quæ ſententia videtur probabilis: tum quia cæteræ cæleſtiũ orbium partes, non videntur eſſe lucidæ ſuapiè natura; nam cum adeo denſę ſint, vt à nobis videantur, certè ſi lucidæ eſſent, appareret earum lux & à nobis conſpiceretur, atque adeo cum lucidum ſuapte natura, ſpecie differat à re ſuaptè natura non lucida, profecto, probabile valde eſt, aſtra ſpecie diſtingui, à reliquis orbium cæleſtiũ partibus; Tum quia vis ad influendum non videtur eſſe in alijs orbium partibus, ſed ſolũ in aſtris, vt Luna eſt, quæ fluxũ, & refluxum maris facit, non vero aliæ orbis Lunaris partes, & Sol eſt qui adeo mirabiliter in ſublunaria influit, non vero aliæ quarti orbis partes, ergò, &c.

Quæritur tertio. Cum ſidera, & quia ſunt naturæ incorruptibilis, & quia cauſæ ſunt rerum omnium ſublunarium, ſint, tum ordine naturæ, tum præſtantia dignitatis, priora plantis, cur eas Deus poſt plantas condidit? Reſpondent Philo, De Opificio mũdi. Chriſoſt. hom.6. in Geneſ. Baſilius hom. 5. Hæx. Ambr. li.4. Hexã. cap.4. Theodoretus in Gen. & li. 3. Græcarũ affectionũ, atq; Beda in Hæxam. c. 1. ante ſolẽ, & ſidera creatã fuiſſe lucẽ, & ſtirpes; ne putarent homines, Solem eſſe primam, totamque cauſam lucis, atque ſtirpium, quod videãt nũc, & lucem manare à Sole, & generationẽ, & perfectionem ſtirpiũ, ex eius luce, motuque pendere, indeque anſam arriperent Idolatriæ.

Luminaria quare poſt plantas condita ſint.

Præuidebat enim Deus, futuros, qui viſa pulchritudine Solis, & Lunę, & reliquorum aſtrorum, æſtimatiſque tot, & tantis commoditatibus, quas ex illis perpetuo, & affatim capit humanum genus, eas ſtellas quaſi Deos colerent, & venerarentur. Quocirca in conditione mundi, ea prima omnium creare voluit, vt cum homines memoria repeterent, & cum animo ſuo reputarent, mundi primordia in quibus & lux, & ſtirpes fuerunt ante ſidera, intelligerent, quę nunc ab illis pendere videntur, ea multo maximè pẽdere à Deo, nec ſtellis propter commoda, quæ ab ipſis accipiũt ſed Deo, & honorem, cultumque adhibendum, & gratias eſſe agendas.

Secundo reſpondetur à D. Auguſtino lib.2. de Gen. ad lit. cap. 15. & Iunilio, ſeu Beda in Gen. quod quoniam viſibili mundo duo dies ſunt attributi, ſcilicet ſupremæ, & infimæ parti mundi (nam prima die creata fuit ſpiritualis creatura, ſignificata nomine lucis) viſibilibus, & mobilibus mundi partibus, quæ intra mundum creantur tres reliqui deputati ſunt, & quia cælum prius factum prius erat ornãdum, quarto die fiunt ſidera, quibus illuminetur inferior pars, ne eſſet habitantibus tenebroſa.

Deus cur ſidera ante animalia creauerit.

Sed cur Deus ſidera creauit ante animalia? Reſpondet Theodoretus, q. 16. in Geneſ. quia animalia habentia oculorum ſenſũ, excellentiam, & exuperantiam illius lucis primæ ſuſtinere non potuiſſent: poſtquam autem illa lux diſpertita eſt, in tot aſtra, quarto die fa-

die facta, tolerabilem oculis animantium ſplendorem reddidit, ſenſus autem ſtirpium omnis ſēſus expers eſt.

Vel dicentum eſt cum Alexandro de Ales, 2.p.q.51. quē ſequuti ſunt D.Thom.1.p.q.69.artic.2. D.Bonau.in 2.d.14.circa lit. Magiſtri Nicol.de Lira, & Toſt.in Geneſ.cap.1. quod tres poſteriores dies pertinent ad ornatum, & cōplementum mundi: quare ratio ordinis requirebat, vt primū omnium corporum mundi, quod eſt cælum, ante alia quarto hoc die compleretur, & ornaretur ſideribus.

Sed cur potiſſimum Deus quarto die, aſtra omnia creaſſe voluit? Ad declarandum inquit Philo de Opificio mundi, huius operis ſingularem præſtantiam, & dignitatem ſimbolo numeri quaternarij, cuius virtutes, & laudes, & alij ſubtiliter tractant, & ipſe Philo bene longa oratione proſequitur.

Queſt.4.

Deus cur ſidera, vel luminaria poſſuerit ī firmamento cæli.

Queritur quarto. Cur dixit Moſes, quod Deus poſuit luminaria in firmamento cæli? fortè quia fixa ſint in ſphæris? Et ratio dubitādi eſt, quia verba Moſis dubiam videntur poſſe habere ſententiā. Nam intelligi poteſt ſidera eſſe in cælo fixa, tamquam eius partes paulo dēſiores, & ſpiſſiores ei cohærentes, & continuatas, tales nimirum, quales in tabula quapiam ſunt nodi: ita vt ſidera per ſe proprijs motibus haud moueātur, ſed ſolius cæli, cuius ſunt partes. Poteſt ſecundo intelligi, ſidera eſt poſita in cælo, non vt ei cohærentia, & affixa, ſed quia iuſſu Dei per ipſum cælum motus ſuos peragant, tamquam per ſpatium ſibi à Deo determinatum, quod quæque ſuo curſu emetiri, & conficere debeant?

Circa hanc difficultatem fuit compluriū Scriptorum vetus opinio, ſtellas non eſſe hærentes, & affixas cælo, ſed per ſpatium cæleſte proprijs motibus circum agi, nec eſſe partes cæli, nec ſecus in cælo eſſe, quam ſint in terris animantes; piſces in aqua, & in aere volucres. Ita docent Iuſtinus Martyr, q.33. ad Ortodoxum, Origenes lib.5. contra Celſum, & lib.1. Periarchon, cap.7. Euſebius Emiſſenus, & Diodorus Tharſenſ. in hūc locum, Procopius Gazeus in Geneſ. c.1. & 7. Cæterū hanc opinionē nemo diſertius docet, quā Chryſoſtomus hom.6. & 13. in Geneſ. & hom. 12. ad Populum, is enim inquit: Abſit, vt cogitemus Deum affixiſſe cælo aſtra, cernimus autem ea moueri, & de vno loco in alterum transferri. Dicitur autem Deus ea poſuiſſe in firmamento, quia voluit, & iuſſit, vt eſſent in cælo, & per ipſum ſpatia ſua curſumq; cōficerent, ſicut infra dicitur, Deum poſuiſſe Adam in Paradiſo, hoc eſt, vt in paradiſo commoraretur, & habitaret; & ad populum Antiochenum, idem confirmat: ait enim cælum eſſe fixum, & immobile, Solē autem cum cæteris aſtris in ipſo quotidie circumuolui.

Philaſtrius Brixienſis cælū per ſe moueri, & eius motu vna moueri aſtra, non ſolum nō probat, ſed eam tamquam hæreſim in cathalogo hæreſeon, damnare non dubitat; ſcribit enim ad hūc ferè modum. Eſt hæreſis aſſerens ſtellas eſſe cælo infixas, cum certum ſit, eas de Theſauris, lociſque abſconditis, & à Deo diſpoſitis in veſperum iuſſu diuino repente procedere, ſtatiſque horis, ſuo lumine, & motu, miniſterium ſi-

H bi à

Digitized by Google

bi à Deo impoſitum agnoſcere, & exequi.

Diuus Auguſtinus libro. 2. de Gen. licet probè nouiſſet eiuſmodi opinionem à doctioribus Philoſophis, & Mathematicis ſinè dubitatione vlla reprobari, nō adeo tamen iudicauit improbabilem, & abſurdam, vt ea, ſi opus fuerit defendi non poſſit, ſic enim ſcribit: Si veritas Scripturæ cælum ſtare perſuaſerit impediri non circuitu ſiderum, nec hoc intelligere poſſimus, non eſt æſtimādū: quippe, & ab ipſis, qui hoc curioſiſſime, & accuratiſſime quæſierunt inuentum eſt, etiam cælo non moto, ſi ſola ſidera verterentur, fieri potuiſſe omnia, quæ in ipſis ſiderum conuerſionibus animaduerſa, atque comprehenſa ſunt.

Cæterum, hanc opinionem, quę fuit Stoicorum (vt docet Cicero lib. 2. de natura Deorum) acriter confutat Ariſt. 2. à textu 43. vſque ad 52. & poſt ipſum Alex. de Ales, 2. p. q. 52. m. 2. art. 4. & Scotus in 2. d. 14 q. 2. Nam qui oppoſitam ſententiam docent, neceſſe fuit eos ſentire, vel in cælo eſſe plurimum vacui, vel corpus cæleſte, ſcindi, rarefieri, & condenſari, vel cælum eſſe quoddam corpus fluxum, habile, atque facillime ſolidiori corpori cedens, ſimile nimirum, vel aquæ, vel aeris, quæ omnia, & rationi, & naturæ, & dignitati corporis cæleſtis, videntur valde opponi: nam ſi ſtella haberet propium motum localem, ita quod partem illā, in qua eſt relinqueret aliquando, & ad aliam partem moueretur, vel eo in loco, in quo prius fuit, aliquid ſibi ſuccederet, aut nihil; ſi nihil, daretur itaque vacuum, ſi aliquid aliud ſibi ſuccederet, corpus cæleſte eſſet rarefactibile, & condenſabile, vel poſſet ſcindi, & corpore ſcindente recedente, iterū continuari, vel ſi non ſcinderetur, eſſent duo corpora ſimul in eodem loco, vt corpus cæleſte ſolidiſſimum eſt, iuxta illud Iob. 37. vbi Scriptura docet, ſolidiſſimos, & tamquam ex aere conflatos eſſe cælos. Præterquam quod omne corpus rarefactibile, & denſabile corruptibile eſt, cælum autem incorruptibile omnes fatentur. Adde ꝙ corpus rarū eſt, quod plus habet de loco, & minus, de materia, è contra vero, corpus denſum minus de loco, & plus de materia atque adeo rarefactio, & condenſatio plus, vel minus de materia. habere atteſtantur, hæc autem illi corpori haud conuenire poſſunt, non eſt ergo illud corpus rarefactibile, aut denſabile.

Nec ſane fugiunt hæc incommoda, qui fingunt in cælo neſcio quos canales ſuum cuique ſtellæ, per quē ipſa moueatur, quos aiūt plenos eſſe quodam tenui corpore, & ad cedendum molli; ita vt, & locum cedat ſtellæ, quæ fertur per ipſum, nec quicquam tamen vacui relinquat: Nam reſpuit animus credere cælum eſſe tot canalibus pertuſum, & perforatum, & alieno corpori cæleſti naturæ diſſimillimo commixtum.

At quæret fortè quiſpiam; Cur ergo ſi cæli mouentur, Scriptura nunquam de cælorum motu, de aſtrorum autem ſæpènumero verba facit. Verū in promptu eſt reſpōſio, ſ. cælorum naturam, & motū ſenſus noſtros latere aſtra vero luce ſua, & perpetua conuerſione ſub aſpectum noſtrum cadere, quapropter Scripturam de cælorum motu nullam, de ſiderū autē conuerſionibus crebrā facere mētionem, vt patet poſt. 18. Eccle.

1. Lib. 9.

1. Iob. 9. & 38. Iſaiæ, 38. Ioſue, 10. & Eccleſiaſt. 48. Dicendum eſt ergò, quod Planetæ mouentur ad motum ſui orbis.

Planetæ mouentur ad motũ ſui orbis.

Sed dubium eſt, an aliqua luminaria præter motũ propriæ ſphæræ, moueãtur motu proprio. Huic dubitationi reſpondẽt D. Bonau. in 2. d. p. 2. art. 1. q. 2. Richard. eadem diſt. art. 3. q. 3. Scotus q. 2. & Durand. q. 3. quod ſtellarum quædam ſunt in octaua ſphæra, quæ dicuntur fixe, aliæ verò ſunt in inferioribus ſphæris, & dicuntur Planetæ, nec ſunt plures in eadem ſphæra; De primis dicendũ eſt, quod ſolo motu octauæ ſphæræ mouentur: quia fruſtra ponerentur plures motus, vbi ſufficit vnus, ſed omnia apparentia circa ſtellas fixas, optimè ſaluantur, ponendo eas dumtaxat moueri motu octauæ ſphæræ: quia ſtellæ fixæ ſemper eãdem elongationem, & approximationem ſeruant ad inuicem, quod optimè ſaluatur, ponendo eas tantum moueri motu ſuæ ſphæræ. De Planetis autẽ, quamquam Ariſt. dicat, quod motu ſui orbis dumtaxat mouentur, tamen verius ſenſerunt Aſtrologi, vt docet Doct. Subt. loco citato, aſſerentes ipſos moueri, ſecundum excentricos, & epiciclos.

Quæſt. 5. Quæritur quinto. Quot ſint numero cæli. Nam D. Chryſoſtomus hom. 4. in Geneſ. explicans illa verba: Fiat firmamentum, non dubitauit affirmare, qui multos cælos faciunt Diuinis Scripturis, & doctrinis Eccleſiaſticis aduerſari, ſuaque ipſorum commenta, & figmenta ſequi. Moſes enim tantummodo cælum tradidit, quod appellauit firmamentum: nam cũ ante dixiſſet: In principio creauit Deus cælum, & terram, nomine cæli, & terræ deſignare voluit totum mundum, cuius opificium ſummatim antepoſuit; Deinde verò, quemadmodum per partes à Deo ſit factum, diſtinctè, ac ſigillatim enarrauit. Et ſi interdum Scriptura vtitur nomine cæli, in numero plurali, veluti cum ait, Cæli cælorum, & rurſus: Aquæ omnes, quę ſuper cælos ſunt. In hac locutione ſeruat proprietatem linguæ Hebrææ, in qua nomen cæli caret numero ſingulari, ſicut apud Latinos, Athenæ, Venetiæ, Senæ, Piſæ, &c.

Sed quia ſententia Chryſoſtomi contraria videtur doctrinæ omnium Philoſophorũ, & Theologorum, propterea D. Thom. 1. p. q. 68. art. 4. in bonam partem illam interpretari voluit, dicens, non damnari à Chryſoſt. eos, qui corpus cæleſte in multos orbes diſtinguunt, ſed Hæreticos quoſdã, & Philoſophos, qui extra hunc mundum, & cælos nobis ſpectabiles, alios eſſe cælos, alioſque mundos fabulabantur. Quæ interpretatio, quam aptè congruat ſententiæ verborum Chryſoſtomi, lectori exiſtimandum, iudicãdumque relinquo.

Cæterum, quæſtio hæc de cælorum numero, de illis eſt, de quibus D. Auguſtinus lib. 2. de peccato originali contra Pelagium, cap. 23. aſſerit, ſine nota erroris, ſic, vel aliter definiri. Nihilominus vt varias ſanctorum Patrum ſententias explicemus, atque conciliemus, obſeruandum eſt, quod non ſolum Chryſoſt. loco citato, ſed & alij Philoſophi, quos refert Baſilius hom. 1. Hexam: quia cælum conſtat ex tota ſua materia, (vt probat Philoſophus I. de cælo t. 35.) ſenſerunt vnum tantum eſſe cælum. Alij verò Philoſophi, vt idem Baſilius ibidem refert,

H 2 fuerunt

fuerunt in altero extremo, infinitos cælos ponentes; forte refert Epicurum, quem Diogenes Laertius lib.10. de vita Philoſophorũ, ait ſenſiſſe fuiſſe infinitos mundos, & per conſequens infinitos cælos.

Alij verò tãtum duos cælos admittunt, ita docent Acacius Gen. 1.& D.Clemens Roma.2.& 3.Recognitionum, vbi ait, tantum eſſe duos cælos; Vnum ſuperius ambiens viſibile firmamẽtum, quod eſt perpetuum,& æternum; Alterum viſibile inferius, quod in eo conſumatio ſæculi reſoluetur. Cui omninò conſentire videtur Iuſtinus Philoſophus, & Martyr, in libro quæſt. ad Gentes, q. 67. vbi ait, reuera duos eſſe tantummodo cælos, vt ita dicam totales, ſed hos diſtinguit in varia ſpatia, quæ interdum Scriptura etiam cælos appellat. Idem ſentire videtur Theodoretus q. 11. in Geneſ. ita ſcribens. Qui non credit ſecundũ eſſe cælum, ſemitam rectam tranſgreditur, qui verò plures numerare conatur, adhæret fabulis poſtpoſita Diuini Spiritus doctrina.

Alij autem vt Ambroſ. 2. Hexam. cap. 4. plures admittunt cælos, quot autem illi ſint, non explicant. Quidam hæretici Baſilidiani, vt refert D. Auguſtinus lib. de hæreſibus, hæreſi 4. ponebãt tercentum ſexaginta quinque cælos. Quidam Theologus noſtri temporis Carthuſianus, in expoſitione Symboli, ait eſſe certum ſecundum fidem, eſſe tres cælos; quia Paulus dixit raptum ſe eſſe, vſque ad tertium cælum; ſed fallitur non aduertens legitimam illius loci expoſitionem eſſe de cælo metaphorico, ſ. de viſione intellectuali, vt docet S.Thom. ſuper illum locum, & D. Auguſtinus lib. 12. ſuper Gen. cap. 29. & 34. Eamdem ſententiam videtur docuiſſe D.Baſilius hom. 3. in Gen. vbi affirmat ſecundũ Scripturã non duos tantum eſſe cælos, ſed etiam plures, certè ad minimum tres ſtatui oportere, Paulus enim perſpicuè narrat, raptum ſe eſſe vſque ad tertium cælum.

Philaſtrius in catena hæreſeon, commemorat hæreſim quorumdam, de cælorum multitudine, & diuerſitate ambigentium; ipſe autem ſentire videtur, quanta ſit cælorum multitudo ex Sacris litteris eſſe incompertum, quippè, cum ea de re Scriptura, varijs in locis, varie loqui videatur.

Damaſ. lib.2. de fide, cap.7. Triplex fecit cælũ, aereum, ſidereũ, & aliud his ſuperius, inuiſibile, & diuinum. Ex his omnibus patet, in Sacris litteris nuſquam certum cælorum numerum eſſe proditum, nec eos qui cælos plures tribus faciunt, videlicet, vel decẽ, vel nonẽ, vel vndecim, Sacris litteris contradicere.

Quot ergo ſunt numero cæli? Dico ſecundum communiorem, ac probabiliorem ſententiam, & enumerationem, cælos eſſe decem. Vnde obſ. eſt (vt optimè docet D. Bonau. in 2.d.14.q.2.art.1.q.3.) quòd cælum poteſt bifariã accipi; priori modo ſecundum cõmunem cæli acceptionem, nempè, vt dicit naturam aliquam perſpicuam, & contentiuã; poſteriori modo iuxta propriam cæli acceptionem, nimirum ſecundum quod nominat naturam perſpicuam contentiuam, & ſupra contrarietatem eleuatam, iuxta priorem acceptionem, diſtinguuntur à Rabano ſeptem cæli. Natura enim perſpicua, & contentiua, aut eſt luminis datiua, aut receptiua;

Cælum poteſt bifariam accipi.

tiua;

Digitized by Google

tiua; ſi eſt datiua, aut eſt vniformis, non mota, & ſic eſt Empyreum; aut eſt multiformis, & mota, & ſic eſt ſidereum; aut eſt vniformis, & mota, & ſic eſt Cryſtallinum. Si autem natura perſpicua, eſt luminis receptiua, hoc eſt, aut ſeparabiliter, aut inſeparabiliter; ſi inſeparabiliter, aut ſecundum circulum ſuperioris ſuperficiei, & ſic eſt igneum; aut ſecundum circulum inferioris ſuperficiei, in quo communicat aeri, & ſic eſt Olympium, quod ita appellatur; propter montis Olympi approximationem. Si verò eſt receptiuum ſeparabiliter, ſicut eſt aer, qui illuminatur, ex præſentia luminoſi, & ex eius abſentia obtenebratur, hoc eſt du dupliciter, aut ſecundum ſuperiorem partem, & ſic eſt æthereũ; aut ſecundum inferiorem, & ſic eſt aereum, & in hac diſtinctione comprehenduntur omnia corpora mundi præter terram, & aquam.

Si autem propriè accipiatur natura cæleſtis, ſcilicet natura perſpicua, vndique contentiua, & nulli contraria, ſic diſtinguuntur à quibuſdã Philoſophis per octo orbes, qui dixerunt octauam ſphęrã vltimam; Alij autem Philoſophi amplius illuminati, in hac materia, vltra octauam ſphæram poſuerunt nonam.

Aſtrologi, qui cum Philoſophis ſupponunt cælum eſſe incorruptibile, cum aſtra moueantur, ſi per ſe mouerentur, rumperent cælum, niſi ad cæli motum cierentur, ideo neceſſe habent multiplicare cælos, ſecundum numerum Planetarum ſeptem, & octauum ſtellatum. Rurſus, cum ſint differentes Planetarum motus, & inter ſe dſtincti, & à motu ſtellarum fixarum, oportet octo orbes diſtinguere: nam cum ſtellæ Planetarũ non ſint inter ſe æquè diſtantes, in eodem cęlo eſſe nequeunt, alia enim, & alia diſtantia diuerſis tẽporibus, non poteſt eſſe propter proprium ſtellæ motum, ſed dumtaxat per motum cæli, in quo ipſa eſt. Cum ergo ſtella, à ſtella difformiter diſtet, ſequitur cælum huius à cælo illius difformiter moueri: atque adeo aliud eſt cælum huius, atque illius; mouentur autem ſeptem ſtellæ difformiter: quia non ſemper æquè diſtant à ſtellis illis fixis: quæ ideo fixæ dicuntur, quia ſemper inter ſe ſunt æquè diſtantes, & eumdem ſitũ, atque figuram ſeruantes, atque adeo reſpectu omnium fixarum, non oportet ponere niſi vnum cælum, atque ita octo ſunt cæli.

Cæterum, quia Aſtrologi obſeruarunt poſtmodum, motum octauæ ſphæræ ab Occidente in Orientem, & alium motum trepidationis, per quem poli monẽtur, ſtatuerunt alios duos cælos ſupra ſtellatum, ſupra quos ſi Empyreũ ponas, erunt omnes vndecim, nõ numeratis encentricis, & deferentibus eos, & epiciclis, ſic enim multo plures ſunt. De qua re ſi lector longiorem, atque ſubtiliorem deſiderat explicationem, legat Doc. ſubtil. in 2.d.14.q.2.

Theologi tamen communiter decem dumtaxat enumerant cælos, quorum numerum, & ſufficiẽtiam accuratè, atque doctè tradit D.Bonau. loco citato: nam cælorum diſtinctio, aut eſt propter propriarum formarum diuerſitatem, aut propter motuum, & luminarium contẽtorum diſtinctionem; Si primo modo, ſic tres cælos diſtinguimus: nam aut in eo viget natura perfectæ luminoſita-

ſis, atque ira habile eſt ad gloriæ ſtatum, atque adeo quietum, & ſic eſt Empyreum; aut viget in eo natura perfectæ perſpicuitatis, & effectiuæ frigiditatis, & ſicut eſt cælum Cryſtallinum, ſiue Aqueū, quod quidem confert ad conſeruationem rerum corporalium, atque ideo habile eſt ad motū; aut viget in eo perſpicuitatis, ſimul & luminoſitatis natura, & caliditatis effectiuè, & ſic eſt cælum ſidereum, quod quidem facit ad tranſmutationem rerum inferiorum, & ideo eſt multiforme, & mobile.

Si vero fiat cælorum diſtinctio penes luminarium diſtinctionē, ſic eſt diſtinctio orbium; aut enim orbis continet multitudinem ſiderum, aut vnitatem, ſi multitudinem, ſic eſt cælum ſtellatum, ſi vnitatem, cum ſeptem ſint Planetæ, ſecundum quod requirit vniuerſitas temporum, quæ ſeptenario dierum clauditur, ſeptem ſunt orbes, atque ita tertium cælum ſua multiformitate continet octo Sphæras, ſiue orbes, & duo ſunt præcedentes, atque ita ſunt decem.

Quæſt. 6 Quæritur ſexto. Ad quem vſū facta ſint luminaria. Reſpondetur propter multiplicem vſum. Et primo vt diuidant diem, & noctem. Sed quomodo hoc ſtare poteſt, cum prius facta fuerit diei, & noctis diuiſio? Reſpondetur primo, iuxta ſententiam D. Auguſtini lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 13. quod diſtinctio diei, & noctis ante luminarium formationem, fuit circa ſpeciem, ideſt formam rei factæ, & formę priuationē, ita quod rei forma dies eſt appellatus, & priuatio nox, vt materia nondum per ſpeciē formata, ſit nox dicta, vnde formanda erant cætera; Vel potius, ipſa re facta, atque formata, rei ipſius mutabilitas ideſt deficiendi poſſibilitas nox dicitur. Poſſunt enim res mutari, etſi non mutentur, veſpere autem, & mane intelligantur non per temporis præteritionem, & aduentum, ſed per terminum; quo intelligitur, qui ſit naturæ modus, & vnde exordium.

Luminaria ppter quod facta ſunt.

Secundo dicitur ex ipſomet D. Auguſtino de Gen. contra Manichæos, cap. 14. Iunilio, & Beda in hunc locum, quod licet prius fuerit diuiſio diei, & noctis, non tamen per diuerſitatem luminariū, vt vnum luceat de die, & aliud de nocte, ita quod cum dicitur diuidāt diem, & noctem, eſt ſenſus, ita inter ſe diuidant diem, ſcilicet naturalem, vt Soli detur dies, nox verò Lunæ, & Sideribus cæteris: quę duo, ſcilicet dies, & nox, diuerſa iam erant, ſed nondum inter ſidera, vt iam certum eſſet de ſiderum numero, quid per diem, quid per noctem appareret hominibus.

Secundo facta ſunt luminaria, vt ſint in ſigna, & tēpora, dies, & annos, ſed primo quæritur reſpectu quorū luminaria ſint in ſigna. Philo de Opificio mundi, inquit, quod ſunt in ſigna, vt futura præſignificent, nam ex eorum ortu, & occaſu, emiſſione, & occultatione, & alijs motuum differentijs, homines de futuris conijciunt, & præſagiunt copiam, vel inopiam fructuum, vel prouentuum, ſiue peſtem animantium, ſerenum, & nubilum, tranquillitatem aeris, & procellas ventorum, inundationes, & exiccitates fluminum, mollitiem maris, & tempeſtatem, horarum anni vices præpoſteras, dum aut Aeſtas Hibernat, aut Hiems, Aeſtiuat, aut Ver Autumnum refert,

fert, aut contra Autumnus Vernam temperiem. Nec defuerunt, qui concuſſionē terræ, motūque ex cæli obſeruatione prædicerēt, aliaque multa euentu certiſſimo, ita vt veriſſimè dictū ſit, in ſigna factas eſſe ſtellas.

D.Chryſoſtomus hom.6. in Geneſ. Iunilius, & Beda, dicunt luminaria, in ſigna huius vitæ vſibus eſſe deputata, ex his enim poſſumus dignoſcere omnia. Etenim Gubernator, ad hortum curſus ſpectans & in cælum videns, diligenterque diſcens omnia, nauigare incipit, maria tranſit, & in denſiſſima nocte viſa ſtella nauim dirigere, & ſua arte ſalutem nauigantibus daret ſolet. Sic & Agricola ex illis dicit, & videt, quando congruit, vt ſemina terræ committat, quando terram paſtinet, & aret, quando falcem acuat, vt fenum reſecet, & colligat, & in ſumma, non paucas huius vitæ commoditates, temporum ſcientia, dierum numerus, & anni circulus afferunt. Idem docet D. Auguſtinus lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 14. D. Damaſcenus lib. 2. de fide, cap. 7. & D. Auguſtinus loco citato, cap. 17. Quos ſecutus eſt Alex. de Ales, 2. p. q. 12. m. 2. art. 2. qui dicūt, ꝙ ſigna ſunt imbrium, & ſiccitatis, frigiditatis, caliditatis, & humiditatis, noſtrorum autē actuū nequaquam; nos enim liberi arbitrij à conditore facti, noſtrorum domini exiſtimus actuum: Si enim ex aſtrorum actione agimus, ſecundum neceſſitatem agimus, quod agimus. Quod autem neceſſitate fit, neque virtus, neque malitia eſt: Si autem, neque virtutem, neque malitiam habemus, neque laudibus, neque vituperationibus exiſtimus digni, vel tormentis. Inueniretur autem & Deus iniuſtus, his quidem bona, illis tribulationes dans. Sed neque gubernationem, neque ſuarum creaturarū Deus faceret prouidentiam; ſed & rationale ſuperfluum in nobis erit, nullius enim exiſtentes actus domini, ſuperfluè conſiliamur, rationale autē omnino conſilij gratia datum eſt nobis, vnde omne rationale & arbitrio liberum eſt.

D. Bonauentura, d. 14. 2. in dubijs circa litteram dub. 4. dicit, quod illud verbū, Signa, dupliciter exponi poteſt, ſecūdum quod duplex eſt ſigni vſus: ſignū enim & ad ſignandum, & ad diſtinguēdum eſt, ſi primo modo accipiatur ſignum, tunc eſt ſenſus, quod illa luminaria facta ſunt in ſigna, ideſt in ſignificationem futurorū, & temporum variationem, annorum, atque dierum, vt variatio tēporum attendatur, in mutatione, quantum ad Veris calorem, & frigus: variatio dierum, quantum ad lumen, & tenebras, & variatio annorum quantum ad horū duorum reuocationem, atque ita dicuntur corpora cæleſtia eſſe in ſigna, nō quorumlibet futurorum, ſed eorum, quorum ipſa ſunt quodammodo cauſa, ſicut imbrium, & ventorum, &c. iuxta expoſitionem Damaſ. vel etiam eorū, ideſt, per ea, quæ præſignant Diuinam prouidentiam, ſicut eorum, quæ aduenient in iudicio, iuxta illud Lucæ 21. Erunt ſigna in Sole, Luna, & Stellis. Aliorum verò, quæ ſunt à libero arb. non ſunt ſigna inſtitutione diuina, ſed potius ad illa ſignāda traxit humana fictio, & fallacia diabolica.

Duplex eſt ſigni vſus.

Si autem ſecundo modo accipiatur, videlicet ab actu diſtinguēdi, tunc eſt ſenſus, ſint in ſigna, quaſi diſtinctiones temporum, &

dierum,& annorum. Hæc autem expoſitio Diuinæ Scripturæ, videtur magis congrua, quod patet per antecedentem litteram, vbi dicitur: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem. Duplex enim eſt motus luminarium, vnus, qui eſt ad motum vltimæ Sphæræ, ſuper polos principales ad orientem, in oriẽs per occidens, quo motu reuoluũtur ſemel quolibet naturali die, & ſecundum hunc motum diuidunt diem,& noctem, iuxta illud Pſal. 135. Fecit ſolem in poteſtatem diei, lunam, & ſtellas in poteſtatem noctis. Alius eſt motus proprius, quem habent naturaliter in circulo obliquo ſcilicet in Zodiaco, in quo 12. ſigna deſcribunt,& ſecundum motum Planetarum in illis ſignis, & maximè Solis, fit ſignatio, & diſtinctio tẽporum, & dierum, & annorum. Diſtinctio temporũ fit: quia quatuor ſunt tempora anni; Ver, & Aeſtas, Autumnus,& Hiems, quæ diſtinguuntur per motum Solis in Zodiaco, prout ad nos accedit, & à nobis elongatur. Diſtinctio verò dierum fit ſimiliter per eumdem motum, quia modo dies creſcunt, modo decreſcunt, interdũ dies ſunt noctibus maiores, interdum minores, ſecundum quod per illum motum, dupliciter accipitur ſolſtitium, ſcilicet æſtiuale, & hiemale, & duplex æquinoctium, ſcilicet Vernale,& Autumnale. Similiter ſuo modo Luna eſt in ſignificationem temporum, & annorum,& dierum. Apud Iudæos maximè, quantum ad ſolemnitates, ſicut apud Chriſtianos eſt Sol, ſicut dicitur Eccl. 43. à Luna ſignum diei feſti, & ſic patet quomodo luminaria ſunt in ſigna, dies, & annos.

Luminarium duplex eſt motus.

Et cum dicitur à Philoſophis, quod ſunt ſigna iracundiæ, vel furoris, libidinis, vel furti, atque ita de quibuſdam alij hominibus; Reſpondet Alex. vbi ſupra quod luminaria faciunt immutationem in aere,& alijs corporibus, & per hoc faciunt etiam immutationem in noſtris corporibus; anima autẽ rationalis inclinatur per liberum arbitrium ad ſequendum immutationem factam in corpore, & tunc poſſunt ſequi diſpoſitiones ex parte animæ; ſed harum diſpoſitionum cauſa, eſt ipſa anima, nõ enim neceſſe eſt ipſum inclinari, vel ſequi impreſſiones, vel paſſiones factas in corporibus.

Vnde obſeruandum eſt ſecundum D. Bonau. in 2. d. 14. p. 2. art. 2. q. 3. & Scotus in eadẽ d. q. 3. art. 4. Quod mores hominum,& euẽtus futurorum cauſentur à ſideribus, poteſt dupliciter ĩtelligi: aut neceſſario, & ſufficienter, aut diſpoſitiuè, & contingenter, priori modo non tãtum eſt falſum, imo, & hæreticum, & diabolicum figmentum; quia repugnat Chriſtianæ religioni, repugnat ſenſui, & rationi, vt optimè deducit ibi S. Bonau. Secũdo vero modo poteſt habere veritatem; quia nec rationi, nec fidei repugnat; Planum eſt .n. quod diſpoſitio corporis varia, multum facit, ad affectionum, & morum animæ variationem, vt plurimum enim anima corporis complexionem imitatur, vnde Colerici, ſunt iracundi, ſanguinei ſunt benigni, melancholici ſunt liuidi, & Phlegmatici pigri, hoc autem non eſt neceſſariò: anima enim ſuo corpori dominatur, maximè quando eſt adiuta per gratiam. Multos enim videmus colericos manſuetos, & melancholicos benignos: quoniam igitur vir-

tus.

Digitized by Google

tus corporum cęleſtium, operatur ad mixtionem, & qualitatem complexionum; hunc eſt, quod per conſequens operatur quodammodo ad qualitatem morum; valde tamen de longinquo, plus enim facit ad qualitatem complexionis virtus animæ inferioris, quã virtus ſideris.

Doct. Sub. Simile ſcribit Scotus vbi ſupra, dicens, quod ſtellæ alterare poſſunt appetitum ſenſitiuum, vt magis inclinetur ad hoc, quam ad illud, & quia in viatore voluntas rationalis inclinatur ad proſequẽdum, quod efficaciter appetitur ab appetitu ſenſitiuo, ideo hoc modo inclinant voluntatem Planetæ, & alia corpora cæleſtia; in nullo tamen neceſſitatur abſolute voluntas, propter hoc, ſed ex ſua libertate poteſt contraire, & propter iſtam pronitatem ad ſequendum appetitum ſenſitiuum contra dictamen rationis, quam cauſant corpora cæleſtia, accidit frequenter Aſtrologos vera prognoſticare de moribus hominũ, puta, quod erunt luxurioſi, vel per huiuſmodi conſtellationes natiuitatis: Non quod ita eueniat neceſſariò, quod non poſſet aliter eſſe de his, quæ à voluntate rationali dependent, ſi homo vellet magis ſequi per voluntatem legem rationis, quam ſenſus, ſed cogitationes hominum pronæ ſunt ad malum, Gen. 8. & Eccleſiaſtes 1. Peruerſi difficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus.

Queſt. 7. Quæritur ſeptimo. Quomodo luminaria ſint in tempora, dies, & annos. Reſpondet Philo, de Opificio mundi, quod factę ſunt ſtellæ ad menſuras temporum: nam Solis Lunæque, & aliorum ſiderũ recurſus, dies, & menſes, annosque conficiunt, moxque res vtiliſſima numeri natura exiſtit, tempore illã proferente, ex vna enim die fit vnum, è duobus, duo, è tribus, tria, e menſe triginta ex anno tantus numerus, quantum dierum continetur 12. menſibus, & ex infinito tempore, infinitus numerus.

Luminaria quomodo ſint in tempora, dies, et annos.

D. autem Auguſtinus lib. 2. de Gen. cap. 14. Tempora vocat (inquit) quæ per ſidera fiunt, nõ ſpatia morarum, ſed viciſſitudines affectionum cæli huius: nam ſi quis, vel corporalis, vel ſpiritualis motus conditionem iſtorum luminarium præceſſit, vel aliquid à futura expectatione per præsẽs in præteritum traijceret, ſine tempore eſſe non potuit, & quis obtineãt non fuiſſe niſi ab exordio ſiderum conditorum? ſed certè horæ, & dies, & anni, quas vſitatè nouimus, non fierẽt niſi motibus ſiderum; Ita quod ſi hoc modo intelligamus tempora, dies, & annos, vt tempora articulos quoſdã, quos per horologia, cõputamus, vel in cælo notiſſimos, cum ab oriente, vſque ad meridianam altitudinem Sol inſurgit, atque inde rurſus, vſque ad occidentem vergit, vt poſſit deinceps aduerti, vel Luna, vel aliquod ſidus ab oriẽte ſtatim poſt occaſum Solis emergere, quod item cum ad mediam cæli venerit altitudinem, medium noctis inſidet, tunc ſcilicet occaſurum, cum Sole redeunte fit mane, dies autẽ ſolos, Solis ab Oriẽte, vſque ad Occidentem circuitus, annos, verò, vel iſtos vſitatos Solis anfractus, non cum ad orientem, quod quotidie facit, ſed cum ad eadem loca ſiderũ redit, quod non facit niſi peractis trecentis ſexaginta quinque diebus, & ſex horis, quadrante totius diei, quæ pars quater ducta cogit interpo-

ni vnum

ni vnum diem, quem Romani biſſextum vocant, vt ad eundem circuitum redeatur, vel etiã maiores, & occultiores annos: nam cõpletis aliorum ſiderum ſpatijs, maiores anni fieri dicuntur. Si ergo ita intelligamus tempora, dies, & annos, nemo dubitat, hæc ſideribus, & luminarijs fieri.

Quæſt. 8.

Sidera omnia an ſint in tempora, dies, & annos.

Quæritur octauo. Vtrum ad omnia ſidera pertineat, quod dictum eſt: Sint in ſigna, tempora, dies, & annos. Reſpondet D. Auguſtinus vbi ſupra, quod in ſigna, & tempora, ſpectant ad cætera, dies verò, & anni, ad Solem tantummodo. Burgenſis verò in additione ad 1. cap. Geneſ. dicit, quod licet dies, ſit proprie latio Solis ſuper terram, tamen quælibet Planeta, & Stella, habet ſuum proprium diem, ſcilicet cum ipſa ſuper terram fertur; & noctem è conuerſo, atque adeò non ſimpliciter dixit Moſes de Sole, vt diuidat diem, & noctem, ſed etiam de omnibus dixit, vt diuidant. Notanter etiam dicit, vt ſint in tempora, & non dicit, vt ſint in tempus, vt ſic intelligeretur de tempore ſimpliciter ſumpto, quod factũ eſt cũ primo motu, in primo die, ſed dixit, in tempora, vt intelligatur de viciſſitudine temporum, ex qua faſtidium tollitur, vnde in Hymno, & Temporum dans tempora, vt alleues faſtidium.

Vel ſunt in tempora, (vt dicit D. Auguſtinus lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 14.) quia per hæc ſidera, tempora diſtinguuntur, vt ab hominibus dignoſcantur: quia ſi currant tempora, & nullis diſtinguantur articulis, qui articuli per ſiderum curſus notantur, poſſunt quidem currere tempora, atque præterire, ſed intelligi, & diſcerni ab hominibus non poſſunt, ſicut horæ, quando nubilus dies eſt, tranſeunt quidem, & ſua ſpatia peragunt; ſed diſtingui à nobis & notari non poſſunt, cũ lineæ ſolaris horologij, (quod fortè tempore D. Auguſtini erat tantum in vſu) videri non poſſint.

Vel tempora dici poſſunt (inquit Damaſcenus lib. 2. de fide, quem ſecuti ſunt Iunilius ſeu Beda, in 1. c. Geneſ. atque Alex. de Ales, loco ſupra citato) Ver, Aeſtas, Autumnus, & Hiems, quæ per motum Solis diſcernuntur; Similiter Solſtitium æſtiuale, & Hiemale, & æquinoctium Vernale, & Autumnale per luminaria diſtinguũtur; Dies etiam licet prius haberent diſtinctionem, non tamen quam modo habent; modo enim longiores ſunt dies in æſtate, & breuiores noctes, in Hieme verò, è conuerſo; atque adeo recte dixit, in tempora, & dies; De anno autem patet, quod eſt annus Solaris, & annus Lunaris, qui determinantur ſecũdum motum luminarium Solis, & Lunæ.

Cæterum, vt ſumatim, & breuiter dicamus, quomodo luminaria facta ſint, vt diuidant diem, & noctem, iuxta diuerſas Interpretum explicationes, obſeruandum eſt, quod aliqui putant Solis productionem, atque diſtinctionem inter diem, & noctem, per recapitulationem hic deſcribi, vt ſimul ponantur omnia luminaria producta, & eorum munia: nam ſecundum ſe dicunt pertinent ad primum diem, nam pertinent ad diſtinctionem partium vniuerſi, & non ſignificãt aliquam virtutem ſuperadditam. Ita Catharinus, & Auguſtinus Eugub.

Alij vt Burgenſ. add. 1. ad 1. c. Gen. dicũt, ꝙ primo die diſtinguitur

tur inter noctem, & diem: quia per effuſionem, & contractionem lucis factam immediatè à Deo, fiebat illa diſtinctio noctis, & diei. Quarto verò die fit illa diſtinctio, per motum proprium ipſorū luminarium. Vnde (inquit) in prima die dicitur: Et diuiſit Deus lucem à tenebris, &c. hic vero dicitur: Vt diuidant diem, & noctem, &c.

Alij vt Ambroſ. lib. 4. Hexam. & Gloſſa Ordinaria ibi: aut lucerēt ſuper terram; & D. Auguſtinus q. 106. ex vtroque Teſtamento mixtim, & Chryſoſt. docent, quod Sol quarto die orbem illuſtrauit vberiori lumine, quod habuit primo, putant enim quod ſicut in aurora lux quidem eſt, quæ tamen augetur, & creſcit, vſque ad meridianum fulgorem, per Solis aduentum, quod videtur ſignificari in illo Pſal. 36. Educet quaſi lucē iuſtitiam tuam, & iudicium tuum ſicut meridiem. Ita primo die lux quidem erat, ſed exigua, per aduentum autem Solis aucta eſt; Similiter, inquit Chryſoſtomus quod nox ante creationem Lunæ, ſolum ſignificabat lucis abſentiā, & priuationem, & ſumendo iſto modo noctem, tres noctes præceſſerunt formationem Lunæ. At verò nox cum quadam claritate, qualis modo reperitur (inquit) fit à Luna illuminante noctem, & præſidēte illi. Cui conſentire etiā videtur Baſilius, & Iunilius, Ambroſ. verò rurſus alio modo procedit, quod ſcilicet Deus duo voluit ponere indicia diſtinctionis diei, & noctis: nam conſtituit diē; & ſimiliter Sol, & ſimiliter lucis defectus, & ſtellarum exortus, noctem deſignant. Quid verò ſentiat D. Auguſtinus dictum eſt ſupra. Rupertus primam diſtinctionem lucis, & tenebrarum, diei, & noctis, ad ſpirituales tenebras, & lucem refert, ſcilicet angelos, & dæmones; iſtam verò quæ fit quarto die, ad diſtinctionē lucis diei, & noctis, quæ ſenſu percipiuntur.

Sed his omnibus, & alijs explicationibus omiſſis, dici poſſet, quod cum ad opus ornatus pertineat producere determinatas virtutes, & peculiares, ad opus verò diſtinctionis virtutes in communi, & generales, ideo dicendum eſt, quod licet primo die facta ſit diſtinctio inter diem, & noctem, ſecūdum quamdam communem rationem lucis, & tenebrarum, quarto tamen die facta eſt diſtinctio, ſecundum quod dies, eſt calidior nocte, vel ea longior, &c. Vel dici poteſt, nox, & dies habent ſuas influentias particulares, quatenus & nox ſomnos ſuadet, dies verò ad laborē excitat homines; è contra verò in brutis, iuxta illud Pſal. 103. Sol cognouit occaſum ſuum, poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ, catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi, ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam. Quibus verbis ſignificantur, & diei, & noctis vtilitates, in ordine, ad opus, & quietem animalium. Hæc expoſitio videtur eſſe Chryſoſtomi locis ſupra citatis.

Vt lu-

Vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.

Hæc quæ dicta ſunt explicant ad quæ facta fuerunt luminaria; licet enim ſemper luceant luminaria in firmamento cæli, & proxima ei loca claro lumine perfundantur, temporibus tamen opportunis terram illuminant: namque aliquoties nubiloſus obſtitit aer, ne vel Lunæ cum parua eſt, vel ſtellarum lumẽ appareat; Sed, & ortus Sol, Lunã ſtellaſq; maiori lumine, ne terram illuminent impedit, vnde, & nomen accepit, quod ſolus abſconſis ſtellis vna cum Luna per diem terris affulgeat.

Vnde obſeruandum eſt, quod luminaria, & omnes aliæ res, à Deo principaliter creatę ſunt ad ſui gloriam, & deinde ad hominum, & aliorum animalium vtilitatem; Moſes tamen hic tantum ſecundam refert cauſam, ne populus Iudaicus ad Idolatriam propenſus, aliquam errandi occaſionem aſſumeret: quia maior cauſa errandi erat eis in Sole, & Luna, quam in alijs rebus: quia iſta à gẽtibus multum celebrantur. Ideo Deut. cap. 4. dicitur: Caue, ne fortè eleuatis oculis in cælum videas Solem, & Lunam, & colas eas, quę creauit Deus in miniſterium cunctis gentibus; Exprimit aũt hic Moſes quattuor vtilitates, quas faciunt luminaria.

Luminaria quattuor faciunt vtilitates.

Prima eſt, quod homo eſt animal fatigabile, non potẽs ſemper laborare, ſed indigens requie, & ſomno. Ideo luminaria, ſcilicet Sol principaliter, facit viciſſitudinem in tempore, diſtinguens diẽ, congruum tempus ad laborandũ, noctem autem ad vacandũ quieti per ſomnum: cum dicitur: Diuidant diem, & noctem, ideſt per motum Solis diſtinguatur dies artificialis à nocte. Secunda vtilitas eſt, quod per aſtra cognoſcatur aliqua diſpoſitio futura in tẽpore, ſcilicet ſerenitatis, & tempeſtatis, ſterilitatis, & fertilitatis, belli, & pacis, vitæ, & mortis; & ideo dicit: Sint in ſigna. Tertia vtilitas eſt, inquantum diſtinguũt diuerſas partes temporis, ſcilicet Veris, Aeſtatis, Autumni, & Hiemis, in quibus varia ordinantur, & diſponuntur vſui humano neceſſaria, & quantum ad hoc, dicitur, in tempora, & dies, & annos. Quarta vtilitas eſt, vt hominem ad videndum adiuuent: quia nulla viſio ſine luce fit, viſus autem eſt diſcretiuus in operibus humanis, & maximè vtilis eſt ad cognitionem rerum, vt dicitur primo Metaph. & quantum ad hoc dicitur: Vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.

Fecitque Deus duo luminaria magna.

Lvminaria magna poſſumus accipere, vt inquit D. Ambroſ. lib. 4. Hexam. cap. 4. Iunilius, & Beda non tam aliorum comparatione, quam ſuo munere, vt eſt cælum magnum, & mare magnum, & magnus Sol, qui complet Orbem terræ ſuo calore, Luna verò lumine, quod in quacumque parte fuerint cæli, illuminent omnia, & æquè ſpectentur à cunctis, exemplum magnitudinis eorum euidens eſt, quod omnibus hominibus orbis ipſorum idem videatur: nam ſi longe poſitis minor videretur, & proprius conſtitutis maior refulgeret, proderet exiguitatis indicium.

Eſt

Sol quomo do ſit lumi nare ma- gnum, itẽ & Luna.

Eſt autem Sol luminare magnũ (inquit Toſtatus in Gen. cap. 1. q. 24) quia nullum corpus ſphæricũ tantum eſt, quodlibet enim aliorum aſtrorum, vel corporum elementarium minus illo eſt. Luna autem vocatur magnum luminare, in comparatione ad alia, non quantum ad rem, ſed quantum ad apparentiam: quia præter Solem nullum maius corpus videtur, quam Luna, & tamen ſecundum demonſtrationes Aſtrologicas, Luna eſt maior octies tota terra, & quolibet aſtro viſibili, Luna ad minus octo vicibus minor eſt, propinquitas tamẽ orbis eius ad nos, in comparatione ad alios orbes, facit magnitudine apparentiæ.

Molina autẽ De Operibus ſex dierum Diſp. 16. inquit, quod hęc duo luminaria magna apellantur noſtro aſpectui, licet enim Sol in ſe luminare quoddam magnũ ſit, Luna tamen (inquit) minor eſt, quã terra, & proinde longè maiora, quam Luna ſunt omnia aſtra octauæ ſphæræ, quæ viſu notantur, quippe cum tota terra comparatione octauæ ſphæræ inſtar pũcti indiuiſibilis reputetur; quare Luna compatatione aſtrorum octauæ Sphæræ, non eſt luminare magnum in ſe, ſed ſolum iuxta aſpectum noſtrum. Vnde pro huius rei ampliori intelligentia.

Queſt. 9.

Sol, & Luna quãta ſint magnitudinis.

Quæritur primo. Quantæ magnitudinis ſint hæc duo luminaria Sol, & Luna? De Solis magnitudine, variæ fuerunt olim Philoſophorum ſententiæ, quas refert Plutarchus lib. 11 de placitis Philoſophorum, cap. 21. Anaximander enim aſtrum Solis æquale fecit terræ, orbem autem in quo circumuehitur, ſepties, & vicies terra maiorem.

Anaxagoras maiorem eſſe dixit Peloponeſſo. Heraclitus latitudine pedali eum fecit: Epicurus autem eſſe tantum, quantum apparet, aut paulo maiorem, minoremvè.

Mathematici verò primo oſtendunt eius magnitudinem ex comparatione eius cum terra, cuius ſimul, & aquæ vniuerſum globum excedit centies ſexagies ſexies. Secundo eius magnitudinem oſtẽdunt, comparatione facta cum alijs ſideribus: nam ſtellarum, quas vocant Aſtrologi primæ magnitudinis, quindecim tantum in octauo cælo numerantur, & quælibet terræ magnitudinem continet, non amplius, quam centies, & ſepties; erit ergo Sol omnibus ſideribus primæ magnitudinis maior centies quinquaginta nouem vicibus. Quanto autem amplior ſit, quam Luna, vix credi poteſt: nam eſſe maiorem illa ſexies millies & quingenties ſuperque vicies nouies; apertis, & haud dubijs demonſtrationibus compertum habere ſe Mathematici profitentur.

Alij teſte Caiet. in hunc locũ, dicunt Solem, ita terram excedere, vt comparata ad illum, ſit centeſima octogeſima pars.

Auguſtinus Eugubinus in ſua Coſmopeia, exiſtimat Solem eſſe maiorem omnibus ſtellis, & Planetis, non tamen eſſe terra maiorem, quia ad illuminandum eam, & totum cælum, ſufficit multo minor magnitudo, ſicut, & vna parua lucerna totum cubile inclareſcit, & vna parua nubecula nocte incenſa, ſubito illuminat circumſtantem terram, & cælum. Cæterum hæc ſententia aduerſatur Theologis, & Philoſophis omnibus.

De Lunæ autem magnitudine

Baſilius

Baſilius hom.6.Hexam. explicando hunc locum apertis verbis docet, poſt Solem maximum cæli aſtrum eſſe Lunam. Idemque lib. 2.de Gen. ad litt. cap. 16. colligit ex Scriptura D. Auguſtinus quæ hoc loco, Solem,& Lunam,appellat luminaria magna. Certe inquit, vel hæc concedant oculis noſtris, vt ea duo ſidera manifeſtum ſit amplius cæteris lucere ſuper terram, nec diem clareſcere niſi luce Solis,nec noctem tot ſtellis fulgentibus, ita lucere ſi Luna deſit, quemadmodum præſentia illius illuſtratur. Verum ſecus eſſe docent Mathematici, qui omnes ſtellas inerrantes, & octauæ ſphæræ infixas viſu inſignes, & notabiles, quæ duæ & viginti mille numerantur,longe maiores eſſe dicunt, quam Luna, quippè, quæ decies nouies minor eſt, quã terra,cuius tamen molem ſupradictæ ſtellæ octies, ac decies ſuperant, ex Planetis autem præter vnum Mercurium, reliqui maiores ſunt Luna; Itaque, vt Sol maximus eſt omnium ſiderum, ita minimus eſt Mercurius, & poſt eum Luna.

Alij vero teſte Caiet. dicunt, Lunam eſſe trigeſimam terræ partem. Cicero verò de Natura Deorum, dicit priſcos Mathematicos ſenſiſſe, Lunam dimidia parte terræ eſſe maiorem, videtur autem Luna cæteris aſtris maior, ac Soli propemodum par,quia citima,& viciniſſima eſt terræ; quamobrẽ, & ingens cæterorum à terris diſtantia, & proxima nobis Lunæ vicinitas,tantam facit apparentię diſſimilitudinem.

Quidam ex Lutheranis, (vt refert Catharinus in hunc locum,) vt, Solem iuxta Mathematicos cõtinere magnitudinem terræ centies ſexagies, & ſexies, Lunam verò minorem eſſe cunctis aſtris,pręter duo videlicet Mercurij,& Veneris,terram excedere Lunæ magnitudinem trigeſies nouies. Terræ quantitatem demonſtrari eſſe ſtadiorum 252000. ſtellas maiores ait habere magnitudinem terræ centies,& ſepties, & ferme ſextam vnius. Tanta hæc in Mathematicis varietas, illud ſaltem perſuadere debet,ne vlli eorum facilè fidem habemus; qui ſi in his aberrant,quãto magis cum ex aſtrorum poſitione futura diiudicant, & ea non raro, quæ ſolus Deus oculo ſuæ æternitatis præuidere poteſt?

Quæritur Secundo. Si Luna vno excepto Mercurio, re vera ſiderum omnium eſt minima,cur Diuina Scriptura eam luminare magnum appellat? Dicendum, quod ex eo luminare magnum eã vocat: quia maior cæteris oculorum iudicio,& vulgi exiſtimatione cenſetur; vel quia in illuminando noctem cæteris aſtris antecellit; vel quia vires,& effectus eius in elementis,metallis, ſtirpibus,& humano corpore inſigniores,& illuſtriores ſunt,quam cæterorum (vno excepto Sole) ſiderũ; Vel denique,quia in eo, quod eſt eſſe in tempora,ſigna,dies, & annos,reliquis poſt Solem Luna pręſertim apud Iudæos, qui diſtinctionem temporum, non mẽſium modo, ſed annorum etiam, & rationem dierum feſtorum, quos agebant varijs anni temporibus ex Luna petebant. Quæſt. 10. *Luna cur appellatur luminare magnum per eã plura Diuinam.*

Sed Cur Moſes, vt Solis,& Lunæ, ita aliorum quinque Planetarum,hoc loco non meminit? quoniam in commemoratione Solis, & Lunæ eos intelligi voluit, vel quia vno ſtellarum generali vocabulo

bulo eos comprehendit: vel quia nō niſi doctis hominibus, eorum proprius motus, effectus, vſus, & differentia, à cæteris aſtris nota eſt, propterea eos hic recenſere ſuperſedit.

Quæſt. 11 Quæritur Tertio. Vtrum Sol ſit fons omnis lucis cæleſtis, cunctaque aſtra lucem, quam habēt, mutuent à Sole? Auicenna, Albertus Magnus, Beda, & plerique Aſtrologi, atque Theologi exiſtimant, omnia aſtra à Sole lumen accipere, atque adeo Solem eſſe totius luminis fontem.

Sol an ſit fons omnis luminis.

Plinius lib. 2. cap. 6. ait Solem cæteris ſideribus fœnerari: nam cum aſtrorum omnium ſimilis ſit natura, parque ratio, & manifeſtum ſit, Lunam à Sole lumen accipere, de cæteris ſideribus ſimile iudicium erit: nam ad hunc modum ex Lunæ rotunditate omnia ſidera eſſe rotunda in 2. lib. de cælo t. 59. argumentatur Ariſtotiles.

Hugo in lib. annotationum in Gen. cap. 6. Solem tantum habere lucem propriam affirmat, & ipſum ex igne eſſe factum, reliquas verò ſtellas omnes ex aerea materia factas relucere potius, quam lucere.

D. Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 16. ait ex Diuina Scriptura manifeſtè cognoſci, diſparem eſſe ſiderum claritatem, dicente Apoſt. 1. Corint. 15. aliam eſſe claritatem Solis, aliam Lunæ, & aliam ſtellarum, & ſtellàm differre à ſtella in claritate; Vtrum autem ſtellæ accipiant lumen à Sole, necne, ex ſacris litteris colligi, & conſtitui non poteſt.

Philoſophorum verò quamplurimi arbitrantur, ſtellas proprium aliquod habere lumen non enim par eſt ratio Lunæ, & cæterorum ſiderum, nec rotunditatis aſtri, atque receptionis luminis eius; nec ſit veriſimile immenſam illā Choream cæleſtium igniū in octauo cælo videlicet, multo nobiliori, quam eſt orbis Solis mirabili pulchritudine micantium, à Sole lumen omne ſuum mutuari, & mendicare, preſertim cum videatur rationi conſentaneum, aſtra illa, quæ longe diuerſas vires, & effectus habere videntur, diſſimilem quoque lucis rationem obtinere. Sed quicquid ſit de alijs ſtellis, de luna ſatis planè apparet, quod per ſe non lucet, ſed lumen recipit à Sole, vt docet D. Bonau. loco citato.

Quæſt. 12 Quæritur Quarto. Quomodo Luna à Sole lumen recipiat, aut enim recipit lumen ſicut corpus tranſparens, aut ſicut terminatū, aut ſicut ſpeculum, quod partim habet naturam terminati, partim tranſparentis; ſi recipit ſicut tranſparens, tunc videtur, quod non obijcit ſe viſui per ſe, & quod non poſſit occultare lumen; ſi vt terminatum, oritur duplex inconueniens: Primum, quod cum Corpus terminatum non ſit, niſi mixtum, non poteſt Luna eſſe corpus terminatum; Secundum, quod nō illuminaretur niſi in ſuperficie, atque adeo parum de lumine ſuſciperet, & parum refunderet, & per conſequens incongruè diceretur luminare magnum. Si verò recipit ſicut Speculum, etiam duplex ſequitur inconueniens; Primum, quod in Luna deberemus videre imaginem, ſiue ſpeciem Solis ſicut videmus in ſpeculo. Alterum, quod non deberet Luna illuminari ſecundum omnē partem, ſicut nec ſpeculum imaginem offert ſecundum omnem partem; propter hoc igitur eſt quæſtio,

Luna an à Sole lumē recipiat, & quomodo.

ſtio, quare Luna dicatur eſſe luminare magnum, & quare magis luceat de nocte, quam de Die, & quare magis luceat cū à Sole elongatur, quā cum ei appropinquat, contrarium enim deberet eſſe, ſi ab eo lumen acciperet.

Dicendum, quod Luna ad ſui completionem, modicum ſuſcepit de illa luce primo genita: at quia eſt aggregatum ex natura, quæ multum eſt apta ad ſuſcipiendum lumen, cum ſit corpus magnum, & denſum, & nobis propinquum, hinc eſt, quod multum de lumine ſuſcipit, & multum refundit, quando ex ea parte illuminatur, qua ſe nobis opponit, hoc autem eſt (vt diximus ſupra) quādo eſt in perfecta diſtantia à Sole, ita quod Sol eſt in vno hemiſpherio, & Luna in alio; & hæc eſt ratio, quare ſcriptura appellat eam luminare magnum, & quare Sol præpoſitus eſt diei, & Luna præpoſita eſt nocti.

Cum autem quæritur, quare recipiat lumen, vtrum ſit tranſparens, vel terminatum, vel ſpeculum. Dicendum, quod Luna nec habet naturam perfectè opaci, nec perfectè tranſparentis, nec perfectè naturam ſpeculi; participat tamen aliquid, de quolibet iſtorum. Naturam tranſparentis quodammodo participat, cum ex natura quinti corporis conſtet; naturam verò opaci, in eo, quod partes illæ ita denſantur, vt nec radijs viſualibus, nec Solaribus præbeant tranſitum; naturam autem ſpeculi habet in hoc, quod ſic recipit, vt etiam reddat, non tamē omnio reddit ſicut ſpeculū: quia non eſt corpus tertium, & politū, ſicut patet aſpicienti ipſum corpus Lunare, cum eſt illuminatū: Speculum autem reddit imaginē, quia eſt corpus politum, quod nō eſt radijs peruium: Hæc autē magis coniecturando dicta ſunt, quā aſſerendo, vt aliquis intellectus haberi poſſit de eo, quod dicit Scriptura. Fecit Deus duo luminaria magna, &c.

Luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas.

LVminare maius eſt Sol, non ſolum forma ſui, qualiſcumque eſt corporis, ſed & magnitudine luminis, quo & ipſum luminare minus, & ſtellas illuſtrare creditur. Maius, & virtute ardoris, qua mundum calefecit exortum, cum præteritis ante eum creationis diebus nihil omnino caloris habuiſſet, quod autem æqualis, & vnius magnitudinis Luna cum Sole cernitur, ex eo fieri dicunt Iunilius, & Beda, quod ille multo longinquior à terra, atque altior, quam Luna incedat. Luminare minus eſt Luna, quæ dicitur præeſſe nocti: quoniam etſi Lunam omni menſe, & aliquoties Stellas etiam maiores in die videri contingat, neque tamen eas diei, ſed nocti ſolummodo lucis ſolatium aliquid afferre certiſſimum eſt.

Vel dicitur inquit Toſtatus, luminare maius præeſſe diei: quia in poteſtate Solis eſt facere diem: nam per eius lucē cauſatur dies, & non per alicuius alterius aſtri lucem, atque adeo vbicumque eſt Sol, dies eſt, eo quia Sol ſemper eſt in aliquo horizonte alicuius partis mundi, ideo ſol ſemper eſt diem cauſans in aliqua mūdi parte. Et Luna dicitur, quod præeſt nocti, non quod nocti præſit, ſicut diei præeſt Sol. Nam Sol ſicut diximus, vbicumque eſt, cauſat diē,

& per

Digitized by Google

& per abſentiam cauſat noctem: non ſic autem Luna, vbicumque fuerit noctem cauſat: Quia etſi fuerit Luna ſuper noſtrũ horizontem, ſi tamen fuerit ibi Sol, non erit nox; & eſto, quod Luna non ſit ſuper noſtrum horizontem, ſi tamen Sol ibi etiam non fuerit, nox erit. Non cauſatur itaque nox Luna præſente, nec deſinit cauſari ea abſente, dicitur tamen præeſſe nocti; quia maius lumen, quod in noctibus lucet, à Luna eſt, licet alia aſtra aliquid conferãt: vel quia de die lux eius non apparet.

Vel vt inquit Molina, de Operibus ſex dierum, Diſput. 16. dicitur luminare maius præeſſe diei, ſcilicet illuminando, dũ dies eſt, & tunc potiſſimum influendo in hæc inferiora; Luminare verò minus dicitur præeſſe nocti: tum quia tantum illuminat de nocte; tum, quia potiſſimum eius influẽtia, nempè humectare, de nocte habet vim, nam de die impeditur à calore Solis.

Et ſtellas. Dicit ſtellas eſſe in adiutorium noctis: quia licet aſtra omnia tempore ſint ſuper terram tamen ſolum in nocte lucent, inquiunt Nicol. de Lira, & Toſt. In hunc locum, Hemiſpherium enim quod in die ſuper nos voluitur, ſtellis plenum eſt, quæ tamen præſente lumine Solis non videntur: Si tamen aliquando contingat totam Lunam opponi directe radijs ſolaribus, & Solem eclypſari, apparebit cælum aſtris plenum. Vel ſi etiam declinante Sole ad occaſũ, vel paulo poſt ortum, aliquis intret profundum puteum in cuius profunditate nec radij incidẽtes à ſole peruenire poſſunt ad oculos, nec radij reflexi, tunc videbit ſtellas exiſtentes ſuper zenit capitis per radios directè incidentes: quia tunc nihil perturbant radij ſolares, quaſi ſi ſol eſſet ſub horizonte hoc autem non poteſt apparere in meridie, niſi puteus ſit valde profundus, vel Sol ſit circa Capricornum, quando habet maximam declinationem ab æquinoctiali.

Quæſt. 13

Sol quomodo ſit in inchoationẽ diei, & Luna in inchoationẽ noctis.

Quæritur Primo. Cur alia littera habeat, vt ſint in inchoationem diei, & noctis? ratione cujus obijcitur, nonne ex præſentia Solis ſuper terram, eſt dies, ex abſentia eius eſt nox, ergo Sol eſt ad vtrumque, cum per ipſum diſtinguatur veſpere, & mane. Præterea, contingit qd Luna non ſemper lucet in noſtro hemiſpherio in initio noctis, ergo non poteſt dici, quod ſint (ſaltem de Luna) in inchoationem noctis. Reſpondet Alex. de Ales, 2.p.q.52. m. 2. art. 1. quod noſtra translatio apertius deſignat, quid ſibi velit in inchoationem diei, & noctis: nam legitur in ea, vt præſint diei, & nocti; non quod ſemper luceat Luna in nocte, (cùm enim coniungitur Soli, tunc non apparet lumẽ eius) ſed quia dominatur in nocte, quo ad effectus ſuperius explicatos.

Et ad illam translationem reſpondet D. Auguſtinus lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 16. & lib. de Gen. contra Manichæos, cap. 14. & lib. imperfecto in Geneſ. cap. 13. quod per inchoationẽ deſignatur principium: nominẽ autem principij deſignatur principatus; ſic enim eſt in Græco, quod dicitur Archia vnde notatur principatus Solis, tamquam luminaris in die, & Lunæ tamquam luminaris in nocte. Vnde inquit D. Auguſtinus: ſi per inchoationem principium intelligas, & per principium principatum, manifeſtum eſt, quoniam

rum Sublunarium ſalus, & incolumitas, & per quem huius mundi noſtri cura, & adminiſtratio agitur. Legat lector D. Auguſtinum lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 18. Alex. de Ales, loco citato, art. 4. D. Thom. p. 1. q. 70. art. 3. D. Bonau. in 2. d. 14. p. 1. art. 3. q. 2. Rich. eadem d. art. 1. q. 6. qui diffuſè, & doctè hanc queſtionem exagitat. Doct. Subtilis q. 2. & Durandum, eadem diſtinctione, & quæſtione.

Quæſt. 16

Cæli an ſint animati.

Quantum autem ſpectat ad ſecundam partem quæſtionis, an ſcilicet cæli, & aſtra ſint animata: fuit plurimorum, & maximè Philoſophorum ſententia, Sidera animam, & vitam habere. Hoc enim Pithagorici, hoc Platonici, hoc Ariſtotelici, hoc denique Stoici cēſuerunt. Et non ſolum fuit Philoſophorum opinio, verum inter Eccleſiaſticos Scriptores, Origenes apertè hanc ſententia docuit, lib. 1. Periarchon, cap. 7. Eamdem ſententia habuiſſe videtur Hieronymus in initio Commentariorum ſuper Eccleſiaſten.

D. Thom. in quæſt. diſput. quæſtione de anima, art. 8. & in Opuſcul. de Angelis, cap. 2. & lib. 2. contra Gentes, cap. 70. ex ſenſu Ariſt. (vt verba eius ſoānt) & etiā ex ſuo, demonſtrat cælos verè animatos eſſe anima intelligente. Idē docet Caiet. Pſal. 135. in explicādo illa verba: Qui fecit cælos in intellectu. Sed 1. parte Summæ, q. 70. art. 3. ad ſecundum, docet, D. Thom. ſentire oppoſitum, & quod melius dixit in Sūma Theologica, quam in Summa contra Gentes; vel quod in Summa contra Gentes locutus eſt ſecundum ſententiam Ariſt. in Sūmam autē Theologica ſecundum propriam opinionem.

Scotus Doctor Subtil. libro 2. Sent. d. 14. q. 1. inquit: Si aſtra nō ſint animata, id creditum eſt potius quam demonſtratum. Vnde poſtquam probauit ex ſententia Ariſtot. & Auer: in cælo non eſſe materiam, concludit, quod ſecundū Philoſophos, nempè Peripateticos, cælum non poſſit eſſe animatum formaliter: quia tunc, vel cęlum erit eſſentialiter anima tantum, & hoc intellectiua: quia ipſi non poſuerunt ibi niſi animam intellectiuam, & ita ſolus intellectus erit quantus, quod non eſt intelligibile; quia cælum, (vt patet) eſt quantum formaliter, vel præter animam, quæ eſt de eſſentia cæli, erit aliquid aliud per ſe perfectibile per animam, atque ita erit ibi potentia paſſiua, & potentia contradictionis, & ita cælum non erit ſempiternum, & neceſſariū; Vnde ſi Philoſophus, ſiue Comētator ponat cælum animatum formaliter anima, quæ ſit per ſe de eſſentia cæli, videtur ſtatim recedere à prima poſitione præhabita, nempè quod in cælo non ſit materia.

Cæterum, quicquid ſit de Auerroe, (inquit Doctor Subtilis) dicamus, Ariſtotelem non receſſiſſe à poſitione prima; nec verba eius cogunt, hoc ſibi imponere: quia vbicumque vocat animam cæli, exponi poteſt, quo ad conditionem, qua eſt anima motrix, non qua eſt forma, & illa anima eſt intelligentia propria motiua huius orbis, coniuncta huic, vt motrix propria, & talis non eſt niſi vnica vnius. Ita probatur ab Auic. 3. ſuæ Metaph. cap. 4. qui planè diſtinguit inter primam intelligentiam productam, & animam primi orbis; ſed nulla eſt neceſſitas (inquit Scotus) tātæ pluralitatis.

Pro

Pro hoc eſt Philoſophus 8. Phyſ. textu Com. 49. Qui motum ex ſe diſtinguit in duo, quorum vnum eſt motum tantum, & reliquum mouens tantum; Illud diſtinguibile eſt compoſitū ex duobus vnitis, ſcilicet mouente, & mobili, & hoc verè mouet, & illud verè mouetur. Sed in nobis anima non mouet, ſed eſt ratio mouendi tantum; ideo mouetur per accidens: quia eſt forma moti; ibi antē mouens, nec per accidens mouetur, nec ſecundum ſe, & tamen ſi eſſet forma cæli, moueretur per accidens ad motum cæli. Tandem in calce illius quæſtionis concludit Scotus, quod ſi cæli non ſunt animati, hoc eſt creditum, non ratione concluſum: quia nulla eſt conditio in corpore illo ita perfecto, manifeſte apparens repugnare animationi corporis.

D. Auguſtinus in hac quæſt. eſt dubius, & incertus: nam in 2. lib. de Gen. ad litt. cap. 18. proponit hanc quæſtionem, ſed intactam, inexplicatamque præterinit. In Enchiridio autem cap. 58. ait, non eſſe ſibi exploratum, & certum, vtrum ſidera ſenſum, & mentem habeant, & ad ſocietatem beatorum Angelorum pertineant. Et in 1. lib. Retract. cap. 5. & 11. reuocat, & corrigit, quod ſcripſerat in lib. de immortalitate animæ, cap. 15. & quod ſcripſerat in lib. 6. de Muſica, cap. 14. mundum eſſe animatum, & magnum quoddam animal, hoc inquam Auguſtinus corrigir, non tamquam falsò, ſed tanquam temerarie dictum, cum id ſibi, nec eſſe, nec non eſſe, compertum, & comprehenſum fuiſſet. Et in lib. 15. de Ciui. Dei, cap. 16. tradit, non continuò concedendū eſſe Platoni, Sidera eſſe viuentia, intelligentia, & beata, & mūdum eſſe magnum quoddam animal. Adiecit tamen, eiuſmodi quæſtionem alio loco eſſe diſcutiendam, ex quibus omnibus patet, D. Auguſtinum de hac re ſemper dubitaſſe: nec mouere nos debet, id quod ſcribitur in lib. de cognitione veræ vitæ, cap. 6. qui in tomo 9. operum Auguſtini continetur, qd qui ſidera rationabilia, vel ſaltem ſenſibilia corpora arbitrantur, iure ſenſu carentes inter irrationabilia computantur; cum certo certius ſit, Auctorem eius libri, non eſſe Auguſtinum.

Cæterum, contraria huic opinioni lōgè probabilior eſt ſententia, & cum Doctrina Theologica, & Eccleſiaſtica multo congruentior ſic enim docent Baſilius, Homil. 3. in Geneſ. Ambroſ. lib. 2. Hexam. capit. 4. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum: Damaſ. lib. 2. de fide, cap. 6. Hieronymum, Lactantius, & inter Scholaſticos Theologos, Alex. de Ales, p. 2. q. 52. m. 2. art. 4. D. Thom. 1. p. q. 70. art. 3. vbi priorem opinionē, quam in alijs ſcriptis ſecutus fuerat, ſapienter corrigir. D. Bonau. in 2. d. 14. p. 1. art. 3. q. 2. Vbi opinionem dicentium aſtra eſſe animata, non dubitauit falſam, & erroneam appellare, & merito ſanè; Rich. etiam d. 14. art. 1. q. 6. Scotus, Durandus, & ferè omnes alij Theologi idem docent.

Quare, etſi dicat Diuina Scriptura: Lætentur cæli, & exultet terra, eos qui in cælo ſunt Angelos, & qui in terra ſunt homines ad lætitiam vocat; Nouit enim Scriptura (inquiunt Damaſ. & Alex. locis citatis) & proſopopeia, hoc eſt, perſonarum fictione vti, & de inanimatis, ſeu de animatis loqui, ſicut illud: Mare vidit, & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum,

Quid eſt tibi mare &c. & montes, & colles interrogantur ſermones exultationis, ſicut & nobis conſuetum eſt dicere. Congregata eſt ciuitas, non ędificia ſignificare volentibus, ſed ciuitatis habitatores: Et Cæli enarrent gloriam Dei, non voce, quæ auribus ſenſibilibus audiatur, ſed ex magnitudine Conditoris nobis virtutem oſtendentes. Quorum pulchritudinem excogitantes, factorem ſicut optimum artificem, admiramur, & glorificamus.

Opus Quintæ Diei.

Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram, ſub Firmamento cæli.

PRoductis plantis tertia die, ad animalium ſuſtentationem, & luminaribus die quarta, à quibus animalium vita, plus quam plantarũ pendet, quinta die incœpit Deus producere animalia; & quia animalium ea quæ terreſtria ſunt nobilitate antecedunt cætera, non ſolum quia de eorum numero eſt homo: ſed etiam, quia pluribus organis, quam cætera ſunt inſtructa, & quia vim habent generandi intra ſe ſimilia, quod cæteris omnibus, aut fere omnibus denegatum eſt, cætera enim ſolum generant intra ſe oua, ex quibus poſtea generantur, animalia ſuis parentibus ſimilia. Dixi (aut ferè omnibus) quia (vt inquit D. Baſilius hom.7.) genus piſcium cartilaginatum, & cetaria, vti ſunt delphinus, & vitulus Marinus, eſt viuiparum, quod etiam confirmat Plinius lib.9. cap.13. & 15. ſed vt plurimum piſces ſunt animalia ouipara. In quo aues, & piſces, plantis quodammodo ſunt ſimiles plantæ enim ſolum in ſe ipſis ſemina producunt, ex quibus poſtea aliæ plãtæ generantur. Secundum nobilitatis locum habent volatilia, eo quod plura organa, & magis diſtincta habent, quam piſces. Progrediens ergo Deus ab imperfectioribus, ad perfectiora, quinta die producit Piſces, & Volatilia, diemque ſextum animalibus ſilueſtribus reſeruat. Primo verò loco producit quinta die piſces, tamque natura imperfectiores, ſecundo loco volatilia. Vnde.

Quæritur primo, an congruum fuerit die quinta huiuſmodi animantia produci? & videtur quod non: quia Deus Solem poſt ſtirpium, & plantarum productionem condidit, vt tolleretur hominibus idolatrandi occaſio, ne ſcilicet putarent Solem, terræ naſcentium eſſe auctorem, ergò pari ratione oportebat piſces, & aues prius produci, quam Solem, ne putaretur Sol huiuſmodi viuẽtium Auctor, ac proinde adoraretur ab hominibus. *Animalia cur poſt luminarium productionẽ condita ſint.*

Dicitur, quod abundè ſatis excluditur Idolatriæ occaſio, dum Solem eſſe omnium viuentium vniuerſale principium negatur; Siquidem excipiuntur ab illius cauſalitate, à principio, terræ naſcentia, in quibus ipſius virtus maximè manifeſtãda videbatur, vnde multo magis excluditur eius cauſalitas reſpectu aliorum viuentium. Vel dicitur, quod animalia erant lucis perceptiua, plantæ autem minimè, atque adeò oportuit Solem productum eſſe poſt arbores, & ante animalia.

Et ſi

Et ſi dicatur, animalia terreſtria ſunt perfectiora auibus, & piſcibus, quod ex eo patet: quia habent membra magis diſtincta, & perfectiorem generationem: generant enim animalia, ſed piſces, & aues generant oua, perfectiora autem præcedere debent ordine naturæ, ergo non debuerunt fieri quinta die aues, & piſces ante animalia terreſtria. Reſpondetur, quod animalia hæc, ſeu iſtorum animaliũ productio, ordinatur iuxta ordinem corporum, quæ eis ornatur, magis quã ſecundum propriam dignitatem, quin autem in generationibus ab imperfectioribus ad perfectiora peruenitur, ſed contra prius referuntur, piſces, quàm aues, & tamẽ prius debuit ornari aer, quia nobilior, & cælo propinquior eſt. Reſpõdetur, quod quoniam aues aliquo modo ſpectant ad genus animalium terreſtrium, (dicuntur enim volare ſuper terram) & de terra ſumunt alimenta, & pedes habent ad ambulandum ſuper terram, ideo poſt animalia aquatilia numerantur. Item cum Deus procedat in productione animalium, ab imperfectis ad perfecta, prius debuit narrari productio piſciũ, quam auium, quoniam piſces tardioris ſunt æſtimatiuæ, quam aues.

Vel dicendum eſt iuxta ſententiam D. Thomæ 1. p. q. 71. & aliorum Theologorum, in 2. d. 15. cauſã fuiſſe, quia eumdem ordinem Deus ſeruare voluit, in opere ornatus quem in opere formationis ſeu diſtinctionis rerum ſeruauit. Primis enim tribus diebus, ita diſtinctionis, & formationis opus executus eſt, vt primo die formauerit cælum productione lucis, diſtinxeritque lucem à tenebris, & diem à nocte. Secundo die aquas congregando, magnam illam partem in vnum locum, & ſeparando à terra. Tertio die terrã formando, atque diſtinguendo in illa, plantas, & arbores diuerſorum generum, quod aliquo modo fuit etiam illam ornare. Eodem igitur ordine reliquis tribus diebus opus ornatus executus eſt: nã primo ornauit, quarto die cælum luminaribus & Stellis. Secundo ornauit quinta die aquas piſcibus & aerem, quia qui contiguus eſt auib. Tertio ornauit ſexto die terram animantibus. Adde, quod ſicut actionum diuinarum reddere rationem difficile, nec ſemper neceſſarium eſt, ita etiam ordinis, quem Deus habuit in agendo.

Quæritur Secundo. Cum ad *Quæſt. 2.* productionem piſcium, & auiũm virtus aquæ non ſufficiat, cum videamus plura ex ſemine generari, cur dixit: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram? Reſpondent D. Thom. vbi ſupra, Nicol. de Lira, & Toſt. in hunc locum, Pererius in cap. 1. Geneſ. & Molina De Operibus ſex dierum, Diſp. 18. quod in prima rerum cõſtitutione fuit principium actiuum Verbũ Dei, quod ex materia elementari produxit animalia, adeo, quod aqua non habuit effectiuum concurſũ, ad productionem piſcium, & volatilium, ſed tantum ſubminiſtrauit materiam. Senſus eſt ergo, producant aquæ, miniſtrando ſcilicet materiam, reptile animæ viuentis.

Sed Cur, cum piſces, & aues, non tantum producãtur ex aqua, ſed in eorum compoſitione magis videatur terra, quam aqua dominari, cum corpora eorum naturaliter moueantur ad terram, & in

terra quieſcant, dicuntur tantum ex aqua produci. Reſpondet D. Thom. loco citato, ad ſecundum, quod corpora auium, & piſcium dupliciter conſiderari poſſunt; Priori modo ſecundum ſe, atque ita neceſſe eſt, quod in eis magis terreſtre elementum dominetur: quia ad hoc quod fiat contemperatio mixtionis in corpore animalis neceſſe eſt quantitatiue elementum quod eſt minus actiuum, ſ. terram in eo abundare.

Secundo modo cōſiderari poſſunt, prout ſunt nata moueri talibus motibus, atque ita habent affinitatem quandam cum corporibus, in quibus mouentur, & ſecundum hoc eorum generatio deſcribitur.

Dicendum eſt ergò, vt docet Alex. de Ales. 2.p.q.53. m.1.§.1. & poſt eum Toſtatus in hunc locum, quod licet productio hæc fuerit ex elementis commixtis, nihilominus tamen ſecundum dominans in ipſis, magis fit hic ſermo, atque adeo dixit: producant aquæ &c.

Vel dicatur cum Nicol. de Lyra in hunc locū quod aues, & piſces nō ſunt de ſola aqua formati, ſed ex quattuor elementis, tamen ſola aqua exprimitur, propter quamdam conuenientiam cū iſtis, habet enim aqua humorem, & vaporem, per humorem, conuenit cum piſcibus, & per vaporem, qui ſurſum eleuatur in aere conuenit cum auibus.

Vel poteſt dici ſecundum D. Bonauen. in 2.d.15.art.1.q 2. ad 1. & q. 3. in corpore quæſt. aues, & piſces, ex aqua produci, non quod plus habeant de aqua, quo ad ſubſtantiam, quam de terra, cum omne corpus animantis ad ſui conſtitutionem, plus recipiat de terra quantum ad ſubſtantiā, tum propter hoc, quia ipſa eſt, quæ præbet alijs elementis ſoliditatem, & ſtabilitatem; tum etiam, quia ipſa habet parum de ſpecie, & multum de materia: ſed dicuntur ex aqua produci, quia magis in eis, quam in alijs dominatur natura aquea, nō quantum ad prædominium actiuæ qualitatis, vel paſſiuæ, ſed quantum ad aliquam conformitatem naturæ, per quam illa, quæ ex aqua producta ſunt in aquis magis delectantur eſſe.

Alexan. vero de Ales, 2.p.q.53. m. 1. dicit, quod ſub nomine aquæ intelligitur etiam aer, qui ſua vicinitate, habet humiditatē aquoſam, vnde aliquando notat iuxta id, quod ſcribit D. Auguſt. contra Manichæum. Sciant, inquit, omnes qui hic mouentur, iſtum aerem nebuloſum, & humidum in quo aues volant, à doctiſſimis hominibus, qui hoc diligenter inquirunt cum aquis ſolere deputari, concreſcit enim, & craſſus efficitur exhalationibus, & quaſi vaporibus maris, & terræ, & de ipſo humore pingueſcit, quodammodo, vt volatus auium portare poſſit, ideo per noctes ſerenat, & rorat, cuius roris guttæ mane in herbis inueniuntur. Nā mons ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis eſſe dicitur, vt in eius cacumine, nec ventus ſentiatur, nec nubes ſe colligant, quia excedit altitudine ſua totum iſtum aerem humidum, in quo aues volant, & ideo neque aues ibi volare aſſeuerantur, origo tamen auium magis nomine aquæ quam aeris exprimitur: quia aqua magis eſt ordinata ad generationem animātium, quam aer: licet in aere multæ fiāt

im-

impreſſiones propter acceſſum aquarum: commixtiones enim ex quibus fiunt generationes animantium circa medium locum fiunt, & ideo rectius nomine aquæ deſignantur; tum quia ſupra dictum eſt: Spiritus domini ferebatur ſuper aquas. & deinde de congregatione aquarum dictum eſt, vt appareat arida, atque ita hic continuando rectè nominauit aquam tamquam originale principium.

Quæſt. 3. Quæritur tertio, Cur dixit Deus: producant aquæ reptile animæ viuentis, & non dixit reptile viuens. Aliqui dicunt, quod hoc fecit propter ſenſus tarditatem in piſcibus exiſtentem, ſed contra; ſi hæc eſſet præciſa ratio, vt ſic appellarentur, auibus daretur nomen animæ viuæ. Ideo alij dixerunt propterea non animam viuam, ſed reptilia animarum viuarũ piſces appellatos eſſe, quòd in eis memoria nulla ſit, vel aliqua vita rationi vicinior, ſed iſtos fallit experientia inquit D. Auguſt. lib. 5. de Gen. ad lit. c. 8. Nam quidam ſcripſerunt, quæ aduertere potuerunt in viuarijs piſcium multa miranda, quod ſi de aliquibus falſa forte ſcripſerunt, memoriam tamen habere piſces certiſſimum eſt. Quod ipſe (inquit Auguſt.) ſum expertus: nam fons quidam magnus Bullenſium regionum, ferè plenus eſt piſcium; ſolent autem homines deſuper intuentes eis aliquid iacere, quod ſibi, vel percipiant confluentes, vel inter ſe diripiant concertantes, quo paſtu aſſuefacti deambulantibus ſuper oram fontis hominibus, ipſi quoque cum eis congregatim natando eunt, & redeunt expectantes, vt inde aliquid iactent, quorum præſentiam ſentiunt. Non itaque fruſtra aquarum animalia reptilia animæ viuentis, quemadmodum, & aues volatilia appellata ſunt: nam ſi vel nulla memoria, vel ſenſus tardior animæ viuæ nomen repuliſſet à piſcibus, volatilibus certè adhiberetur, quorum vita in oculis noſtris eſt, memoratu garrula, & in nidis conſtruendis, educandiſque fœtibus ſolertiſſima.

Dicẽdum eſt ergo, ita dictum, ac ſi diceretur, quæ ſunt in animalibus viuis reptilia, & volatilia, ſicut dici poſſet ignobilia hominum, vt intelligeremus quicumque ſunt in hominibus ignobiles.

Sed cur (cum etiam ſuper terra ſint animalia reptilia) non dixit de reptilibus, quæ mouentur ſuper terram.

Reſpondet D. Auguſtinus loco citato, qui etſi animalia ſint terreſtria, quæ repunt ſuper terram, tamen ex multo maiore numero pedibus mouentur, & tam pauca fortaſſe in terris repunt, quam pauca in aquis gradiantur.

Sed cur addidit animæ viuentis, poſſunt ne fortaſſe eſſe reptilia, quæ non viuãt? Reſpondet D. Auguſt. lib. imperfecto de Gen. c. 15. & poſt ipſum Rupertus Abbas, lib. 1. de operibus Trinitatis, c. 49. & D. Bonau. in 2. diſt. 15. in dub. circa lit. dub. 1. Quod ideo dixit animæ viuentis, vt commẽdaret vitam iſtam manifeſtiorẽ, quæ ineſt animalibus ſentientibus, & qua ſtirpes carent, vel additum eſt animæ viuentis, vt anima reptilium diſtingueretur ab anima hominum: cum enim dicitur animæ viuentis, ſubintelligitur, & non diſcernentis, ſed tantum viuentis, conformauit enim

ſe

e in modo loquendi vulgo; non enim exiſtimant viuere, niſi ea, quæ ſentiunt, neque tribuunt vitam Plantis.

Quæſt.4. Quæritur quarto. Curcum dixerit: Producant aquæ reptile animæ viuentis, non addidit ſuper terram, ſicut dixit, quando dixerat, & volatile ſuper terram, & cur addidit ſub firmamento cæli? Quoniam inquit Rupertus vbi ſupra; Hæc eſt productionis volatilium plena, & ſufficiens definitio: nam produxerunt aquæ reptilia animæ viuentis, produxerunt inquam, ſed tum emiſerunt, licet quædam ex illis, vt Delphini, ſiue Phocæ ad horam patiente natura foras prodire audeant. Volatilia autem, & produxerunt, & emiſerunt foras, atque adeo addidit ſuper terram: at quia hoc nondum ſatis fuiſſet, nam & reptilia ſub aquis terræ incubant; nec .n. ſemper natant, & de terra, ſiue arena victũ quæritant, addidit ſub firmamento cæli.

Definitio productionis volatilium, quæ ſit.

Quæſt.5. Quæritur quinto. Quid intellexit Moſes per reptile: nam reptilia, & natatilia diuerſarum ſunt ſpecierum: ſi ergo ex aquis producta ſunt natatilia non videtur, quod reptilia appellari debeant: item cum reptilia ſpectent ad terræ ornatum, non videtur, quod ſpectent ad ornatum aquæ.

Moſes quid per reptile intellexit.

Reſpondet D. Bonauen. in 2. d. 15. loco ſupra citato: quòd in animalibus differt motus rependi à motu gradiendi: motus enim rependi attenditur, ſecũdum corporis tractionem: animal enim quod repit anterius aliquam partem protendens, & cum illa aliquid apprehendens trahit totum corpus ſuum poſt ſe, ſicut patet in vermibus, ſeu lumbricis: motus vero gradiendi, eſt per impulſionem. Quantum igitur ad ea, quæ natant, ſe trahunt, & protendunt anterius, & extendendo ſe anterius, quaſi tenendo ſe ad ſoliditatem, vel greſſitiem, trahunt totũ corpus ſuum, ſicut patet in natantibus. Hinc eſt quod omnia natantia dicuntur reptilia, & ſi contingat aliquando gradi, ſicut eſt in Cocodrillis, & aliquibus quæ verſantur in aquis, & in terra, vt Ranæ, denominantur tamen à motu, qui eſt eis magis naturalis, ſcilicet, qui competit eis ſecundum habitationem in aquis.

Volatilia autem non dicuntur reptilia, quamuis videantur ſe ferre in aere ſicut piſces in aquis. Eſt enim diuerſus modus mouendi: quia impulſu magis mouentur, quam tractu. Dum enim auis volat, clauditur aer in concauitate alarum, & dum alæ applicantur ad corpus, violenter aer propellitur ex parte alarum poſteriori tractu, & ex illo impulſu corpus auis procedit anterius, atque adeo volatilia, ſub reptilium nomine non comprehẽduntur, nec etiam ſub genere greſſibilium: quia non mouentur virtute pedum, ſed alarum virtute. Vnde animalium diuiſio hoc pacto ſumi poteſt quantum ad motum: quia animal, aut mouet ſe anterius trahendo, & ſic eſt reptile, ſiue ſit in aquis, ſiue in terra. Aut impellendo, & hoc dupliciter, aut pedibus, & ſic eſt greſſibile, aut alis, & ſic eſt volatile: atque ita patet, quare piſces dicantur reptilia, & per accidens falſum eſt illud, quod reptile diſtinguitur contra volatile, imò eſt in plus. & ad id, quod dicebatur, quod reptilia ſpectant adornatũ terræ, dicitur quod reptile dicitur quattuor modis; Vno modo quod

Diuiſio animalium quomodo ſumatur.

Reptile nõ diſtinguitur contra volatile, & dicitur quattuor modis.

quod ſe trahit vi oris, ſicut vermes. Secundo quod ſe trahit vi coſtarum, ſicut ſerpentes. Tertio modo quod ſe trahit vi pennularum, vt piſces. Quarto modo dicitur reptile largè, quod in mouendo ſe, magnam partem corporis applicat terræ quamuis habeat pedes, ſcilicet lacertæ, & ſtelliones, atque ita ſecundum diuerſas acceptiones, reptile poteſt pertinere ad ornandum diuerſa elementa.

Quæſt.6.

Aues an produlta ſint ex aqua tanquam ex materia.

Quæritur ſexto. Cum aues, tãquam à cauſa efficiente productæ ſint à Deo, an productæ ſint ex aqua tamque ex materia. De hac re tres ſunt opiniones.

Prima opinio eſt Caiet. & Catharini in hunc locum, quos ſecutus eſt Hieronymus Vuielmius, lect. 22. in Hexam. qui docent aues ex terra eſſe factas, hoc potiſſimum fundamento, quod infra cap. 2. Moſes apertiſſimis verbis ex terra eſſe factas doceat, inquit enim: Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli adduxit ea ad Adam, &c. tum etiam quia licet editio vulgata, hoc in loco habeat: Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram, tamen tam in textu Hebraico, quam in Paraphraſi Chaldęa alio legitur modo; verba enim Hebræa ſi Latinè reddantur, ad verbum hoc ſonant. Repere faciant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile volet ſuper faciem extẽſionis cæli. Paraphraſis Chaldaica ſic habet. Mouere faciant aquæ reptile animæ viuẽtis, & auis volitet ſuper terram, quæ verba ſolum exprimunt piſces ex aqua fuiſſe productos, materiam autem de qua aues fuerũt productæ, non exprimunt, quam tamen fuiſſe terram, Gen. 2. Moſes apertiſſimè docet. Et ad locũ iſtius cap. in quo inſinuatur, ꝙ aues producuntur ex aquis, dicit Caiet. verba editionis vulgatæ eſſe corrupta, quod probat ex aliis editionibus ſupra relatis.

Nihilominus, quia omnes ſancti admittunt illam litteram, & explicant, & Concilium Trident. approbat noſtram trãslationem, Si quis vellet Caiet. & Catharini, ſequi ſententiam, bene ſaluaret noſtram editionem, ſi ita legeret. Producant aquæ reptile animæ viuentis, ita vt ibi ſit pũctus, & ſtatim ſubdatur, & volatile ſuper terram (ſupple) ſit; atque ita ſubintelligatur illud Verbum, ſit, vel aliud ſimile; & ita ſaluatur litera, & teſtimonium adductum ex 2. cap. Nec videatur difficile illud verbum ſubintelligendum: ſubintelliguntur enim multa in ſcripturis, maximè autem duæ particulæ ſolent ſubaudiri, prima eſt præpoſitio, vt infra cap. 3. Puluis es, ideſt ex puluere. Iſaiæ 26. elongaſti omnes terminos terræ, ideſt vſque ad omnes terminos terræ. Pſal. 2. hæreditatem tuam terminos terræ, ideſt, vſque ad terminos. Marci. 4. Via maris Galilææ gentium, ideſt iuxta viam. Vnde Auguſt. lib. 4. Soliloquiorũ ait, quod Hebræi nominib. locorum non apponunt præpoſitionẽ.

Secunda eſt. Verbum ſubſtantiuum, vt Pſal. 1. Beatus vir, qui non abijt. &c. ſubauditur eſt. Roma. 2. Tribulatio, & anguſtia ſupple, erit ſuper omnem animam, &c. 2. Corinth. 8. Cuius laus in Euangelio ſupple eſt. Sic ergo poterat hic ſubintelligi ſubſtantiuũ ſit, & huic expoſitioni fauet, quod dicitur: Creauit Deus cete grandia,

ſtio, quare Luna dicatur eſſe luminare magnum, & quare magis luceat de nocte, quam de Die, & quare magis luceat cũ à Sole elongatur, quã cum ei appropinquat, contrarium enim deberet eſſe, ſi ab eo lumen acciperet.

Dicendum, quod Luna ad ſui completionem, modicum ſuſcepit de illa luce primo genita: at quia eſt aggregatum ex natura, quæ multum eſt apta ad ſuſcipiendum lumen, cum ſit corpus magnum, & denſum, & nobis propinquum, hinc eſt, quod multum de lumine ſuſcipit, & multum refundit, quando ex ea parte illuminatur, qua ſe nobis opponit, hoc autem eſt (vt diximus ſupra) quãdo eſt in perfecta diſtantia à Sole, ita quod Sol eſt in vno hemiſpherio, & Luna in alio; & hæc eſt ratio, quare ſcriptura appellat eam luminare magnum, & quare Sol præpoſitus eſt diei, & Luna præpoſita eſt nocti.

Cum autem quæritur, quare recipiat lumen, vtrum ſit tranſparens, vel terminatum, vel ſpeculum. Dicendum, quod Luna nec habet naturam perfectè opaci, nec perfectè tranſparentis, nec perfectè naturam ſpeculi; participat tamen aliquid, de quolibet iſtorum. Naturam tranſparentis quodammodo participat, cum ex natura quinti corporis conſtet: naturam verò opaci, in eo, quod partes illæ ita denſantur, vt nec radijs viſualibus, nec Solaribus præbeant tranſitum; naturam autem ſpeculi habet in hoc, quod ſic recipit, vt etiam reddat, non tamẽ omnio reddit ſicut ſpeculũ: quia non eſt corpus tertium, & politũ, ſicut patet aſpicienti ipſum corpus Lunare, cum eſt illuminatũ: Speculum autem reddit imaginẽ, quia eſt corpus politum, quod nõ eſt radijs pervium: Hæc antẽ magis coniecturando dicta ſunt, quã aſſerendo, vt aliquis intellectus haberi poſſit de eo, quod dicit Scriptura. Fecit Deus duo luminaria magna, &c.

Luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas.

LVminare maius eſt Sol, non ſolum forma ſui, qualiſcumque eſt corporis, ſed & magnitudine luminis, quo & ipſum luminare minus, & ſtellas illuſtrare creditur. Maius, & virtute ardoris, qua mundum calefecit exortum, cum præteritis ante eum creationis diebus nihil omnino caloris habuiſſet, quod autem æqualis, & vnius magnitudinis Luna cum Sole cernitur, ex eo fieri dicunt Iunilius, & Beda, quod ille multo longinquior à terra, atque altior, quam Luna incedat. Luminare minus eſt Luna, quæ dicitur præeſſe nocti; quoniam etſi Lunam, omni menſe, & aliquoties Stellas etiam maiores in die videri contingat, neque tamen eas diei, ſed nocti ſolummodo lucis ſolatium aliquid afferre certiſſimum eſt.

Vel dicitur inquit Toſtatus, luminare maius præeſſe diei: quia in poteſtate Solis eſt facere diem; nam per eius lucẽ cauſatur dies, & non per alicuius alterius aſtri lucem, atque adeo vbicumque eſt Sol, dies eſt, eo quia Sol ſemper eſt in aliquo horizonte alicuius partis mundi, ideo ſol ſemper eſt diem cauſans in aliqua mũdi parte. Et Luna dicitur, quod præeſt nocti, non quod nocti præſit, ſicut diei præeſt Sol. Nam Sol ſicut diximus, vbicumque eſt, cauſat diẽ, & per

& per abſentiam cauſat noctem: non ſic autem Luna, vbicumque fuerit noctem cauſat: Quia etſi fuerit Luna ſuper noſtrũ horizontem, ſi tamen fuerit ibi Sol, non erit nox; & eſto, quod Luna non ſit ſuper noſtrum horizontem, ſi tamen Sol ibi etiam non fuerit, nox erit. Non cauſatur itaque nox Luna præſente, nec deſinit cauſari ea abſente, dicitur tamen præeſſe nocti; quia maius lumen, quod in noctibus lucet, à Luna eſt, licet alia aſtra aliquid conferãt: vel quia de die lux eius non apparet.

Vel vt inquit Molina, de Operibus ſex dierum, Diſput. 16. dicitur luminare maius præeſſe diei, ſcilicet illuminando, dũ dies eſt, & tunc potiſſimum influendo in hæc inferiora; Luminare verò minus dicitur præeſſe nocti: tum quia tantum illuminat de nocte; tum, quia potiſſimum eius influẽtia, nempè humectare, de nocte habet vim, nam de die impeditur à calore Solis.

Et ſtellas. Dicit ſtellas eſſe in adiutorium noctis: quia licet aſtra omnia tempore ſint ſuper terram tamen ſolum in nocte lucent, inquiunt Nicol. de Lira, & Toſt. In hunc locum, Hemiſpherium enim quod in die ſuper nos voluitur, ſtellis plenum eſt, quæ tamen præſente lumine Solis non videntur: Si tamen aliquando contingat totam Lunam opponi directe radijs ſolaribus, & Solem eclypſari, apparebit cælum aſtris plenum. Vel ſi etiam declinante Sole ad occaſũ, vel paulo poſt ortum, aliquis intret profundum puteum in cuius profunditate nec radij incidẽtes à ſole peruenire poſſunt ad oculos, nec radij reflexi, tunc videbit ſtellas exiſtentes ſuper zenit capitis per radios directè incidentes: quia tunc nihil perturbant radij ſolares, quaſi ſi ſol eſſet ſub horizonte hoc autem non poteſt apparere in meridie, niſi puteus ſit valde profundus, vel Sol ſit circa Capricornum, quando habet maximam declinationem ab æquinoctiali.

Quæſt. 13 *Sol quomodo ſit in inchoationẽ diei, & Luna in inchoationẽ noctis.*

Quæritur Primo. Cur alia littera habeat, vt ſint in inchoationem diei, & noctis? ratione cuius obijcitur, nonne ex præſentia Solis ſuper terram, eſt dies, ex abſentia eius eſt nox, ergo Sol eſt ad vtrumque, cum per ipſum diſtinguatur veſpere, & mane. Præterea, contingit qd Luna non ſemper lucet in noſtro hemiſpherio in initio noctis, ergo non poteſt dici, quod ſint (ſaltem de Luna) in inchoationem noctis. Reſpondet Alex. de Ales, 2.p.q.52. m. 2. art. 1. quod noſtra translatio apertius deſignat, quid ſibi velit in inchoationem diei, & noctis: nam legitur in ea, vt præſint diei, & nocti; non quod ſemper luceat Luna in nocte, (cùm enim coniungitur Soli, tunc non apparet lumẽ eius) ſed quia dominatur in nocte, quo ad effectus ſuperius explicatos.

Et ad illam translationem reſpondet D. Auguſtinus lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 16. & lib. de Gen. contra Manichæos, cap. 14. & lib. imperfecto in Geneſ. cap. 13. quod per inchoationẽ deſignatur principium: nominẽ autem principij deſignatur principatus; ſic enim eſt in Græco, quod dicitur Archia vnde notatur principatus Solis, tamquam luminaris in die, & Lunæ tamquam luminaris in nocte. Vnde inquit D. Auguſtinus: ſi per inchoationem principium intelligas, & per principium principatum, manifeſtum eſt, quoniam

I Sol,

Sol, per diem principatum tenet, Luna per noctem: quia etſi cætera ſidera tunc appareant, illa tamen ſuo fulgore omnia ſuperat, & ideo princeps eorum rectiſſimè dicitur.

Sed contra adhuc, quia Luna non præeſt nocti, quando eſt in prima; probabile autem eſt, quod luna facta fuerit in prima, ſic enim homines incipiunt computare, ergo luna non eſt facta, vt præſit nocti. Reſpondent Damaſ. lib. 2. de fide cap. 7. Iunilius, ſeu Beda in hunc locum; Alex. de Ales, 2. p. q. 52. art. 2. D Thom. 1. p. qu. 70 art. 2. ad quintum Nicol. de Lira, & Toſt. in hunc locum, quod Luna quando eſt perfecta, oritur veſpere, & occidit mane, & ſic præeſt nocti, & ſatis probabile eſt, quod Luna fuerit facta plena, ſicut & herbæ factæ ſunt in ſua perfectione, facientes ſemen, & ſimiliter animalia, & homo; licet enim naturali proceſſu ab imperfecto ad perfectũ deueniatur, ſimpliciter tamen, Perfectum prius eſt imperfecto; atque adeo admodum credibile eſt lunam eſſe factam à Deo in ſtatu perfecto, qui eſt plenilunij: neque enim conueniebat imperfectam creari primam Lunam, præſertim cum Moſes dicat Deum fuiſſe Lunam, vt præeſſet nocti, hoc eſt ad illuminandam noctem niſi autem plenilunij tempore luna noctem plenè, & perfectè non illuminat.

Luna creata fuit in plenilunio.

Quidam tamen contẽdunt Lunam conditam fuiſſe in nouilunio: nam cum Luna menſes curſu ſuo definiat, congruum fuit à prima Luna primi menſis initium fieri, ſi autem creata eſſet in pleni lunio, non primus, ſed 15. primi menſis dies ille fuiſſet.

Beatus Auguſtinus lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 15. neutrum horum aſſeueranter probare, vel reprobare audet, quod neutra opinio, vel neceſſarijs rationibus, vel manifeſtis Sacræ Scripturæ teſtimonijs nitatur: magis tamen videtur, quod fuerit condita in nouilunio: nam ex hoc inquit non ſequitur, quod non fuerit condita perfecta: nam habuit in initio integrum corpus, & tota ſua rotunditate perfectum, etiam cum lumine corniculato, ſiue incipiens ad terram lucere, ſiue deſinens fulget, & ideo lumen in ea creſcit, vel perficitur, vel minuitur, non tamen luminare ipſum, ſed illud quod accenditur variatur, nec vllũ, inquit, eſt inconueniens, quod Deus imperfecta fecerit, quæ poſt modum ipſe perfecit, ſed iure diſpliceret, ſi id quod ab illo inchoatum eſt, ab alio diceretur eſſe perfectum.

Luna condita fuit in nouilunio.

Quæſt. 14

Quæritur Secundo. Si Luna cõdita fuit cum Sole, propter quid annus Lunaris, non continet tot dies, quot Solaris? annus enim Solaris continet trecentos ſexaginta quinque dies cum quadrante, quare quadrante compoſito ſingulo quoq; quarto anno vna dies perficitur, quæ intercalaris & biſextilis appellatur, & annus ille trecẽtos ſex. atque ſexaginta dies obtinet; Annus autem Lunaris, dies habet trecentos, quattuor, & quinquaginta. Reſpondet Alex. de Ales, vbi ſupra, quod Luna fuit condita vna cum Sole in quarto die mundi, & inſuper Luna condita fuit perfecta, ſeu plena: quia dicebat eam completam lumine fieri; Cum ergo Luna ſit condita plena, Sol autem in quarto die mundi, oportet quod anticiparet cum Sole vndecim diebus, vt ſic eſſet quintadecima, atque ita eſſet

Annus Lunaris quare pauciores contineat dies, quam Solaris.

Digitized by Google

ſet quaſi in oppoſitione Solis, & ex hoc proceſſu temporis, accidit, quod annus Lunaris excedebatur ab anno Solari, ſicut dicebat Damaſcenus. Si autem teneatur, quod Luna condita fuit in Nouilunio, dicendum eſt, quod hoc prouenit propter diuerſitatem proprioruin motuum Solis, & Lunæ.

Quæſt. 15 Luna cur appelletur luminare minus.

Quæritur Tertio. Cum Deus appellauit prius Solem, & Lunam luminaria magna, dicente Moſe: Fecit quoque Deus duo luminaria magna: cur poſtmodum appellat Lunam luminare minus? Doctores Hebræi, (vt referunt Nicol. de Lira, & Toſt.) dicũt, quod Sol, & Luna à principio fuerunt æquales in claritate; ſed Luna ſuggeſſit ipſi Deo, vt diminuetur lux Solis, volens ipſa habere ſingularem gloriã luminis, propter quod Deus puniuit ipſam diminuendo de eius lumine; Cæterum hæc ſententia, prætcrquam quod ſtulta, & fatua eſt, deſtruit ſeipſam: quoniam ſecundum ipſos, lux Solis, & aliorum luminarium facta eſt prima die, Luna autem fuit in oppoſito Solis vt ſic præeſſet nocti, atque ideo ſi fuiſſet æqualis claritatis, vſque ad quartum diẽ, non fuiſſet nox, nec per conſequens ſucceſſio diei, & noctis; ſed fuiſſet continua dies, cuius cõtrarium expreſsè dicit Scriptura. Item, corpora cæleſtia ſunt inanimata, & inſenſibilia, ſecundum Damaſ. & ideo friuolum eſt, quod Luna loqueretur ipſi Deo. Motiuum autem ipſorum nullum eſt: quia magnum, & paruum relatiuè dicuntur, atque adeo Sol, & Luna luminaria dicuntur magna reſpectu aliarum Stellarum, licet Sol ſit maioris claritatis, & quantitatis, quam Luna, reſpectu cuius Luna luminare minus appellatur.

Quæritur Quarto. Vtrum cæli luminaria iſta conſpicua, corpora ſola ſint, an habeant rectores, quoſdam ſpiritus ſuos, & ſi habent, vtrum ab eis etiam vitaliter inſpirentur, ſicut animantur carnes per animas animalium, an ſola ſine vlla permixtione præſentia.

Cæli an mouẽtur à ſeipſis, vel ab intelligẽtijs.

Hæc quæſtio duas continet partes: prima eſt, an cæli moueantur à ſemetipſis, vel ab angelis. Secunda, an cæli, & aſtra ſint animata. Quo ad primam difficultatis partim: Certum eſt, cælos non moueri à ſe, ſed ab Angelis, quod etſi euidenter non poſſit colligi ex Scripturis Sacris, eſt tamen quam plurimorum, & maximè Philoſophorum, atque Theologorum conſenſu firmatum; Etenim, orbes cæleſtes, non ex ſe, ſed ab Angelis, (quos Philoſophi Platonici Deos appellabant) in orbem perpetuo agi, concors fuit Platonicorum, & Peripateticorum, atque Stoicorum ſententia; Nec Philoſophi modo, ſed Theologi etiam hoc docent. Etenim ſententia eſt Dionyſij Areopagitæ, & D. Auguſtini aliorumque Pattũ, omnibus Theologis Scholaſticis probatiſſima, ita Deum prouidentia ſua hunc mundum adminiſtrare, vt infima regat per media, hęc autem per ſumma; Corpora item inferiora gubernantur per ſuperiora, & hæc per ſpiritus. Eſt quoque in ore Theologis omnibus, Angelos Diuinæ prouidentiæ miniſtros, prouincijs, & regnis ſingulisque hominibus eſſe quaſi tutores, cuſtodes, & rectores, à Deo præfectos; Quanto igitur credibilius eſt, eos præſidere motui cælorum, ex quo ſcilicet pendet re-

rum Sublunarium ſalus, & incolumitas, & per quem huius mundi noſtri cura, & adminiſtratio agitur. Legat lector D. Auguſtinum lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 18. Alex. de Ales, loco citato, art. 4. D. Thom. p. 1. q. 70. art. 3. D. Bonau. in 2. d. 14. p. 1. art. 3. q. 2. Rich. eadem d. art. 1. q. 6. qui diffusè, & doctè hanc queſtionem exagitat. Doct. Subtilis q. 2. & Durandum, eadem diſtinctione, & quæſtione.

Queſt. 16 *Cæli an ſint animati.* Quantum autem ſpectat ad ſecundam partem quæſtionis, an ſcilicet cæli, & aſtra ſint animata: fuit plurimorum, & maximè Philoſophorum ſententia, Sidera animam, & vitam habere. Hoc enim Pithagorici, hoc Platonici, hoc Ariſtotelici, hoc denique Stoici cēſuerunt. Et non ſolum fuit Philoſophorum opinio, verum inter Eccleſiaſticos Scriptores, Origenes apertè hanc ſententia docuit, lib. 1. Periarchon, cap. 7. Eamdem ſententia habuiſſe videtur Hieronymus in initio Comentariorum ſuper Eccleſiaſten.

D. Thom. in quæſt. diſput. quæſtione de anima, art. 8. & in Opuſcul. de Angelis, cap. 2. & lib. 2. contra Gentes, cap. 70. ex ſenſu Ariſt. (vt verba eius ſoãnt) & etiā ex ſuo, demonſtrat cælos verè animatos eſſe anima intelligente. Idē docet Caiet. Pſal. 135. in explicãdo illa verba: Qui fecit cælos in intellectu. Sed 1. parte Summæ, q. 70. art. 3. ad ſecundum, docet, D. Thom. ſentire oppoſitum, & quod melius dixit in Sũma Theologica, quam in Summa contra Gentes; vel quod in Summa contra Gentes locutus eſt ſecundum ſententiam Ariſt. in Sũmam autē Theologica ſecundum propriam opinionem.

Scotus Doctor Subtil. libro 2. Sent. d. 14. q. 1. inquit: Si aſtra nō ſint animata, id creditum eſt potius quam demonſtratum. Vnde poſtquam probauit ex ſententia Ariſtot. & Auer: in cælo non eſſe materiam, concludit, quod ſecundũ Philoſophos, nempè Peripateticos, cælum non poſſit eſſe animatum formaliter: quia tunc, vel cęlum erit eſſentialiter anima tantum, & hoc intellectiua: quia ipſi non poſuerunt ibi niſi animam intellectiuam, & ita ſolus intellectus erit quantus, quod non eſt intelligibile; quia cælum, (vt patet) eſt quantum formaliter, vel præter animam, quæ eſt de eſſentia cæli, erit aliquid aliud per ſe perfectibile per animam, atque ita erit ibi potentia paſſiua, & potentia contradictionis, & ita cælum non erit ſempiternum, & neceſſariũ; Vnde ſi Philoſophus, ſiue Comētator ponat cælum animatum formaliter anima, quæ ſit per ſe de eſſentia cæli, videtur ſtatim recedere à prima poſitione præhabita, nempè quod in cælo non ſit materia.

Cæterum, quicquid ſit de Auerroe, (inquit Doctor Subtilis) dicamus, Ariſtotelem non receſſiſſe à poſitione prima; nec verba eius cogunt, hoc ſibi imponere: quia vbicumque vocat animam cæli, exponi poteſt, quo ad conditionem, qua eſt anima motrix, non qua eſt forma, & illa anima eſt intelligentia propria motiua huius orbis, coniuncta huic, vt motrix propria, & talis non eſt niſi vnica vnius. Ita probatur ab Auic. 3. ſuæ Metaph. cap. 4. qui planè diſtinguit inter primam intelligentiam productam, & animam primi orbis; ſed nulla eſt neceſſitas (inquit Scotus) tãtæ pluralitatis.

Pro

Pro hoc eſt Philoſophus 8. Phyſ. textu Com. 49. Qui motum ex ſe diſtinguit in duo, quorum vnum eſt motum tantum, & reliquum mouens tantum; Illud diſtinguibile eſt compoſitū ex duobus vnitis, ſcilicet mouente, & mobili, & hoc verè mouet, & illud verè mouetur. Sed in nobis anima non mouet, ſed eſt ratio mouendi tantum; ideo mouetur per accidens: quia eſt forma moti; ibi autē mouens, nec per accidens mouetur, nec ſecundum ſe, & tamen ſi eſſet forma cæli, moueretur per accidens ad motum cæli. Tandem in calce illius quæſtionis concludit Scotus, quod ſi cæli non ſunt animati, hoc eſt creditum, non ratione concluſum: quia nulla eſt conditio in corpore illo ita perfecto, manifeſte apparens repugnare animationi corporis.

D. Auguſtinus in hac quæſt. eſt dubius, & incertus: nam in 2. lib. de Gen. ad litt. cap. 18. proponit hanc quæſtionem, ſed intactam, inexplicatamque præteriuit. In Enchiridio autem cap. 58. ait, non eſſe ſibi exploratum, & certum, vtrum ſidera ſenſum, & mentem habeant, & ad ſocietatem beatorum Angelorum pertineant. Et in 1. lib. Retract. cap. 5. & 11. reuocat, & corrigit, quod ſcripſerat in lib. de immortalitate animæ, cap. 15. & quod ſcripſerat in lib. 6. de Muſica, cap. 14. mundum eſſe animatum, & magnum quoddam animal, hoc inquam Auguſtinus corrigit, non tamquam falsò, ſed tanquam temerarie dictum, cum id ſibi, nec eſſe, nec non eſſe, compertum, & comprehenſum fuiſſet. Et in lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 16. tradit, non continuò concedendū eſſe Platoni, Sidera eſſe viuentia, intelligentia, & beata, & mūdum eſſe magnum quoddam animal. Adiecit tamen, eiuſmodi quæſtionem alio loco eſſe diſcutiendam, ex quibus omnibus patet, D. Auguſtinum de hac re ſemper dubitaſſe: nec mouere nos debet, id quod ſcribitur in lib. de cognitione veræ vitæ, cap. 6. qui in tomo 9. operum Auguſtini continetur, qd qui ſidera rationabilia, vel ſaltem ſenſibilia corpora arbitrantur, iure ſenſu carentes inter irrationabilia computantur; cum certo certius ſit, Auctorem eius libri, non eſſe Auguſtinum.

Cæterum, contraria huic opinioni lōgè probabilior eſt ſententia, & cum Doctrina Theologica, & Eccleſiaſtica multo congruentior ſic enim docent Baſilius, Homil. 3. in Geneſ. Ambroſ. lib. 2. Hexam. capit. 4. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum. Damaſ. lib. 2. de fide, cap. 6. Hieronymum, Lactantius, & inter Scholaſticos Theologos, Alex. de Ales, p. 2. q. 52. m. 2. art. 4. D. Thom. 1. p. q. 70. art. 3. vbi priorem opinionē, quam in alijs ſcriptis ſecutus fuerat, ſapienter corrigit. D. Bonau. in 2. d. 14. p. 1. art. 3. q. 2. Vbi opinionem dicentium aſtra eſſe animata, non dubitauit falſam, & erroneam appellare, & merito ſanè; Rich. etiam d. 14. art. 1. q. 6. Scotus, Durandus, & ferè omnes alij Theologi idem docent.

Quare, etſi dicat Diuina Scriptura: Lætentur cæli, & exultet terra, eos qui in cælo ſunt Angelos, & qui in terra ſunt homines ad lætitiam vocat; Nouit enim Scriptura (inquiunt Damaſ. & Alex. locis citatis) & proſopopeia, hoc eſt, perſonarum fictione vti, & de inanimatis, ſeu de animatis loqui, ſicut illud: Mare vidit, & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum,

Quid eſt tibi mare &c. & montes, & colles interrogantur ſermones exultationis, ſicut & nobis conſuetum eſt dicere. Congregata eſt ciuitas, non ędificia ſignificare volentibus, ſed ciuitatis habitatores: Et Cæli enarrent gloriam Dei, non voce, quæ auribus ſenſibilibus audiatur, ſed ex magnitudine Conditoris nobis virtutem oſtendentes. Quorum pulchritudinem excogitantes, factorem ſicut optimum artificem, admiramur, & glorificamus.

Opus Quintæ Diei.

Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram, ſub Firmamento cæli.

PRoductis plantis tertia die, ad animalium ſuſtentationem, & luminaribus die quarta, à quibus animalium vita, plus quam plantarū pendet, quinta die incœpit Deus producere animalia; & quia animalium ea quæ terreſtria ſunt nobilitate antecedunt cætera, non ſolum quia de eorum numero eſt homo: ſed etiam, quia pluribus organis, quam cætera ſunt inſtructa, & quia vim habent generandi intra ſe ſimilia, quod cæteris omnibus, aut fere omnibus denegatum eſt, cætera enim ſolum generant intra ſe oua, ex quibus poſtea generantur, animalia ſuis parentibus ſimilia. Dixi (aut ferè omnibus) quia (vt inquit D. Baſilius hom. 7.) genus piſcium cartilaginatum, & cetaria, vti ſunt delphinus, & vitulus Marinus, eſt viuiparum, quod etiam confirmat Plinius lib. 9. cap. 13. & 15. ſed vt plurimum piſces ſunt animalia ouipara. In quo aues, & piſces, plantis quodammodo ſunt ſimiles plantæ enim ſolum in ſe ipſis ſemina producunt, ex quibus poſtea aliæ plātæ generantur. Secundum nobilitatis locum habent volatilia, eo quod plura organa, & magis diſtincta habent, quam piſces. Progrediens ergo Deus ab imperfectioribus, ad perfectiora, quinta die producit Piſces, & Volatilia, diemque ſextum animalibus ſilueſtribus reſeruat. Primo verò loco producit quinta die piſces, tamque natura imperfectiores, ſecundo loco volatilia. Vnde,

Quæritur primo, an congruum fuerit die quinta huiuſmodi animantia produci? & videtur quod non: quia Deus Solem poſt ſtirpium, & plantarum productionem condidit, vt tolleretur hominibus idolatrandi occaſio, ne ſcilicet putarent Solem, terræ naſcentium eſſe auctorem, ergò pari ratione oportebat piſces, & aues prius produci, quam Solem, ne putaretur Sol huiuſmodi viuētium Auctor, ac proinde adoraretur ab hominibus. *Animalia cur poſt luminarium productionem condita ſint.*

Dicitur, quod abundè ſatis excluditur Idolatriæ occaſio, dum Solem eſſe omnium viuentium vniuerſale principium negatur; Siquidem excipiuntur ab illius cauſalitate, à principio, terræ naſcentia, in quibus ipſius virtus maximè manifeſtāda videbatur, vnde multo magis excluditur eius cauſalitas reſpectu aliorum viuentium. Vel dicitur, quod animalia erant lucis perceptiua, plantæ autem minimè, atque adeò oportuit Solem productum eſſe poſt arbores, & ante animalia.

Et ſi

Et ſi dicatur, animalia terreſtria ſunt perfectiora auibus, & piſcibus, quod ex eo patet: quia habent membra magis diſtincta, & perfectiorem generationem: generant enim animalia, ſed piſces, & aues generant oua, perfectiora autem præcedere debent ordine naturæ, ergo non debuerunt fieri quinta die aues, & piſces ante animalia terreſtria. Reſpondetur, quod animalia hæc, ſeu iſtorum animaliũ productio, ordinatur iuxta ordinem corporum, quæ eis ornatur, magis quã ſecundum propriam dignitatem, quin autem in generationibus ab imperfectioribus ad perfectiora peruenitur, ſed contra prius referuntur, piſces, quam aues, & tamẽ prius debuit ornari aer, quia nobilior, & cælo propinquior eſt. Reſpõdetur, quod quoniam aues aliquo modo ſpectant ad genus animalium terreſtrium, (dicuntur enim volare ſuper terram) & de terra ſumunt alimenta, & pedes habent ad ambulandum ſuper terram, ideo poſt animalia aquatilia numerantur. Item cum Deus procedat in productione animalium, ab imperfectis ad perfecta, prius debuit narrari productio piſciũ, quam auium, quoniam piſces tardioris ſunt æſtimatiuæ, quam aues.

Vel dicendum eſt iuxta ſententiam D. Thomæ 1. p. q. 71. & aliorum Theologorum, in 2. d. 15. cauſã fuiſſe, quia eumdem ordinem Deus ſeruare voluit, in opere ornatus quem in opere formationis ſeu diſtinctionis rerum ſeruauit. Primis enim tribus diebus, ita diſtinctionis, & formationis opus executus eſt, vt primo die formauerit cælum productione lucis, diſtinxeritque lucem à tenebris, & diem à nocte. Secundo die aquas congregando, magnam illam partem in vnum locum, & ſeparando à terra. Tertio die terrã formando, atque diſtinguendo in illa, plantas, & arbores diuerſorum generum, quod aliquo modo fuit etiam illam ornare. Eodem igitur ordine reliquis tribus diebus opus ornatus executus eſt: nã primo ornauit, quarto die cælum luminaribus & Stellis. Secundo ornauit quinta die aquas piſcibus & aerem, quia qui contiguus eſt auib. Tertio ornauit ſexto die terram animantibus. Adde, quod ſicut actionum diuinarum reddere rationem difficile, nec ſemper neceſſarium eſt, ita etiam ordinis, quem Deus habuit in agendo.

Quæritur Secundo. Cum ad productionem piſcium, & auiũm virtus aquæ non ſufficiat, cum videamus plura ex ſemine generari, cur d xit: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram? Reſpondent D. Thom. vbi ſupra, Nicol. de Lira, & Toſt. in hunc locum, Pererius in cap. 1. Geneſ. & Molina De Operibus ſex dierum, Diſp. 18. quod in prima rerum cõſtitutione fuit principium actiuum Verbũ Dei, quod ex materia elementari produxit animalia, adeo, quod aqua non habuit effectiuum concurſũ, ad productionem piſcium, & volatilium, ſed tantum ſubminiſtrauit materiam. Senſus eſt ergo, producant aquæ, miniſtrando ſcilicet materiam, reptile animæ viuentis. Quæſt. 2.

Sed Cur, cum piſces, & aues, non tantum producãtur ex aqua, ſed in eorum compoſitione magis videatur terra, quam aqua dominari, cum corpora eorum naturaliter moueantur ad terram, & in

Digitized by Google

terra quieſcant, dicuntur tantum ex aqua produci. Reſpondet D. Thom. loco citato, ad ſecundum, quod corpora auium, & piſcium dupliciter conſiderari poſſunt; Priori modo ſecundum ſe, atque ita neceſſe eſt, quod in eis magis terreſtre elementum dominetur: quia ad hoc quod fiat contempe ratio mixtionis in corpore animalis neceſſe eſt quantitatiue elementum quod eſt minus actiuum, ſ. terram in eo abundare.

Secundo modo cõſiderari poſſunt, prout ſunt nata moueri talibus motibus, atque ita habent affinitatem quandam cum corporibus, in quibus mouentur, & ſecundum hoc eorum generatio deſcribitur.

Dicendum eſt ergò, vt docet Alex. de Ales. 2.p.q.53. m.1.§.1. & poſt eum Toſtatus in hunc locum, quod licet productio hæc fuerit ex elementis commixtis, nihilominus tamen ſecundum dominans in ipſis, magis fit hic ſermo, atque adeo dixit: producant aquæ &c.

Vel dicatur cum Nicol. de Lyra in hunc locũ quod aues, & piſces nõ ſunt de ſola aqua formati, ſed ex quattuor elementis, tamen ſola aqua exprimitur, propter quamdam conuenientiam cũ iſtis, habet enim aqua humorem, & vaporem, per humorem, conuenit cum piſcibus, & per vaporem, qui ſurſum eleuatur in aere conuenit cum auibus.

Vel poteſt dici ſecundum D. Bonauen. in 2.d.15. art.1.q 2. ad 1. & q. 3. in corpore quæſt. aues, & piſces, ex aqua produci, non quod plus habeant de aqua, quo ad ſubſtantiam, quam de terra, cum omne corpus animantis ad ſui conſtitutionem, plus recipiat de terra quantum ad ſubſtantiã, tum propter hoc, quia ipſa eſt, quæ præbet alijs elementis ſoliditatem, & ſtabilitatem; tum etiam, quia ipſa habet parum de ſpecie, & multum de materia: ſed dicuntur ex aqua produci, quia magis in eis, quam in alijs dominatur natura aquea, nõ quantum ad prædominium actiuæ qualitatis, vel paſſiuæ, ſed quantum ad aliquam conformitatem naturæ, per quam illa, quæ ex aqua producta ſunt in aquis magis delectantur eſſe.

Alexan. vero de Ales, 2.p.q.53. m. 1. dicit, quod ſub nomine aquæ intelligitur etiam aer, qui ſua vicinitate, habet humiditatẽ aquoſam, vnde aliquando notat iuxta id, quod ſcribit D. Auguſt. contra Manichæum. Sciant, inquit, omnes qui hic mouentur, iſtum aerem nebuloſum, & humidum in quo aues volant, à doctiſſimis hominibus, qui hoc diligenter inquirunt cum aquis ſolere deputari, concreſcit enim, & craſſus efficitur exhalationibus, & quaſi vaporibus maris, & terræ, & de ipſo humore pingueſcit, quodammodo, vt volatus auium portare poſſit, ideo per noctes ſerenat, & rorat, cuius roris guttæ mane in herbis inueniuntur. Nã mons ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis eſſe dicitur, vt in eius cacumine, nec ventus ſentiatur, nec nubes ſe colligant, quia excedit altitudine ſua totum iſtum aerem humidum, in quo aues volant, & ideo neque aues ibi volare aſſeuerantur, origo tamen auium magis nomine aquæ quam aeris exprimitur: quia aqua magis eſt ordinata ad generationem animãtium, quam aer: licet in aere multæ fiãt

im-

impreſſiones propter acceſſum aquarum: commixtiones enim ex quibus fiunt generationes animantium circa medium locum fiunt, & ideo rectius nomine aquæ deſignantur; tum quia ſupra dictum eſt: Spiritus domini ferebatur ſuper aquas. & deinde de congregatione aquarum dictum eſt, vt appareat arida, atque ita hic continuando rectè nominauit aquam tamquam originale principium.

Queſt. 3. Quæritur tertio, Cur dixit Deus: producant aquæ reptile animæ viuentis, & non dixit reptile viuens. Aliqui dicunt, quod hoc fecit propter ſenſus tarditatem in piſcibus exiſtentem, ſed contra; ſi hæc eſſet præciſa ratio, vt ſic appellarentur, auibus daretur nomen animæ viuæ. Ideo alij dixerunt propterea non animam viuam, ſed reptilia animarum viuarũ piſces appellatos eſſe, quòd in eis memoria nulla ſit, vel aliqua vita rationi vicinior, ſed iſtos fallit experientia inquit D. Auguſt. lib. 5. de Gen. ad lit. c. 8. Nam quidam ſcripſerunt, quæ aduertere potuerunt in viuarus piſcium multa miranda, quod ſi de aliquibus falſa forte ſcripſerunt, memoriam tamen habere piſces certiſſimum eſt. Quod ipſe (inquit Auguſt.) ſum expertus: nam fons quidam magnus Bullenſium regionum, ferè plenus eſt piſcium; ſolent autem homines deſuper intuentes eis aliquid iacere, quod ſibi, vel percipiant confluentes, vel inter ſe diripiant concertantes, quo paſtu aſſuefacti deambulantibus ſuper oram fontis hominibus, ipſi quoque cum eis congregatim natando eunt, & redeunt expectantes, vt inde aliquid iactent, quorum præſentiam ſentiunt. Non itaque fruſtra aquarum animalia reptilia animæ viuentis, quemadmodum, & aues volatilia appellata ſunt: nam ſi vel nulla memoria, vel ſenſus tardior animæ viuæ nomen repuliſſet à piſcibus, volatilibus certè adhiberetur, quorum vita in oculis noſtris eſt, memoratu garrula, & in nidis conſtruendis, educandiſque fœtibus ſolertiſſima.

Dicẽdum eſt ergo, ita dictum, ac ſi diceretur, quæ ſunt in animalibus viuis reptilia, & volatilia, ſicut dici poſſet ignobilia hominum, vt intelligeremus quicumque ſunt in hominibus ignobiles.

Sed cur (cum etiam ſuper terra ſint animalia reptilia) non dixit de reptilibus, quæ mouentur ſuper terram.

Reſpondet D. Auguſtinus loco citato, qui etſi animalia ſint terreſtria, quæ repunt ſuper terram; tamen ex multo maiore numero pedibus mouentur, & tam pauca fortaſſe in terris repunt, quam pauca in aquis gradiantur.

Sed cur addidit animæ viuentis, poſſunt ne fortaſſe eſſe reptilia, quæ non viuãt? Reſpondet D. Auguſt. lib. imperfecto de Gen. c. 15. & poſt ipſum Rupertus Abbas, lib. 1. de operibus Trinitatis, c. 49. & D. Bonau. in 2. diſt. 15. in dub. circa lit. dub. 1. Quod ideo dixit animæ viuentis, vt commẽdaret vitam iſtam manifeſtiorẽ, quæ ineſt animalibus ſentientibus, & qua ſtirpes carent, vel additum eſt animæ viuentis, vt anima reptilium diſtingueretur ab anima hominum: cum enim dicitur animæ viuentis, ſubintelligitur, & non diſcernentis, ſed tantum viuentis, conformauit enim

ſe

Digitized by Google

e in modo loquendi vulgo; non enim exiſtimant viuere, niſi ea, quæ ſentiunt, neque tribuunt vitam Plantis.

Quæſt.4. Quæritur quarto. Curcum dixerit: Producant aquæ reptile animæ viuentis, non addidit ſuper terram, ſicut dixit, quando dixerat, & volatile ſuper terram, & cur addidit ſub firmamento cæli? Quoniam inquit Rupertus vbi ſupra; Hæc eſt productionis volatilium plena, & ſufficiens definitionam produxerunt aquę reptilia animæ viuentis, produxerunt inquam, ſed tum emiſerunt, licet quædam ex illis, vt Delphini, ſiue Phocæ ad horam patiente natura foras prodire audeant. Volatilia autem, & produxerunt, & emiſerunt foras, atque adeo addidit ſuper terram: at quia hoc nondum ſatis fuiſſet, nam & reptilia ſub aquis terræ incubant; nec .n. ſemper natant, & de terra, ſiue arena victũ quæritant, addidit ſub firmamento cæli.

Definitio productionis volatilium, quæ ſit.

Quæſt.5. Quæritur quinto. Quid intellexit Moſes per reptile: nam reptilia, & natatilia diuerſarum ſunt ſpecierum: ſi ergo ex aquis producta ſunt natatilia, non videtur, quod reptilia appellari debeant: item cum reptilia ſpectent ad terræ ornatum, non videtur, quod ſpectent ad ornatum aquæ.

Moſes quid per reptile intellexit.

Reſpondet D. Bonauen. in 2. d. 15. loco ſupra citato: quòd in animalibus differt motus repen di à motu gradiendi: motus enim repen di attenditur, ſecũdum corporis tractionem: animal enim quod repit anterius aliquam partem protendens, & cum illa aliquid apprehendens trahit totum corpus ſuum poſt ſe, ſicut patet in vermibus, ſeu lumbricis: motus vero gradiendi, eſt per impulſionem. Quantum igitur ad ea, quæ natant, ſe trahunt, & protendunt anterius, & extendendo ſe anterius, quaſi tenendo ſe ad ſoliditatem, vel groſſitiem, trahunt totũ corpus ſuum, ſicut patet in natantibus. Hinc eſt quod omnia natantia dicuntur reptilia, & ſi contingat aliquando gradi, ſicut eſt in Cocodrillis, & aliquibus quæ verſantur in aquis, & in terra, vt Ranæ, denominantur tamen à motu, qui eſt eis magis naturalis, ſcilicet, qui competit eis ſecundum habitationem in aquis.

Volatilia autem non dicuntur reptilia, quamuis videantur ſe ferre in aere ſicut piſces in aquis. Eſt enim diuerſus modus mouendi: quia impulſu magis mouentur, quam tractu. Dum enim auis volat, clauditur aer in concauitate alarum, & dum alæ applicantur ad corpus, violenter aer propellitur ex parte alarum poſterio ri tractu, & ex illo impulſu corpus auis procedit anterius, atque adeo volatilia, ſub reptilium nomine non comprehẽduntur, nec etiam ſub genere greſſibilium: quia non mouentur virtute pedum, ſed alarum virtute. Vnde animalium diuiſio hoc pacto ſumi poteſt quantum ad motum: quia animal, aut mouet ſe anterius trahendo, & ſic eſt reptile, ſiue ſit in aquis, ſiue in terra. Aut impellendo, & hoc dupliciter, aut pedibus, & ſic eſt greſſibile, aut alis, & ſic eſt volatile: atque ita patet, quare piſces dicantur reptilia, & per accidens falſum eſt illud, quod reptile diſtinguitur contra volatile, imò eſt in plus. & ad id, quod dicebatur, quod reptilia ſpectant ad ornatũ terræ, dicitur quod reptile dicitur quattuor modis; Vno modo quod

Diuiſio animalium quomodo ſumatur.

Reptile nõ diſtinguitur contra volatile, & dicitur quattuor modis.

quod ſe trahit vi oris, ſicut vermes. Secundo quod ſe trahit vi coſtarum, ſicut ſerpentes. Tertio modo quod ſe trahit vi pennularum, vt piſces. Quarto modo dicitur reptile largè, quod in mouendo ſe, magnam partem corporis applicat terræ quamuis habeat pedes, ſcilicet lacertæ, & ſtelliones, atque ita ſecundum diuerſas acceptiones, reptile poteſt pertinere ad ornandum diuerſa elementa.

Quaſt. 6.

Aues an producta ſint ex aqua tanquam ex materia.

Quæritur ſexto. Cum aues, tanquam à cauſa efficiente productæ ſint à Deo, an productæ ſint ex aqua tamque ex materia. De hac re tres ſunt opiniones.

Prima opinio eſt Caiet. & Catharini in hunc locum, quos ſecutus eſt Hieronymus Vuielmius, lect. 22. in Hexam. qui docent aues ex terra eſſe factas, hoc potiſſimum fundamento, quod infra cap. 2. Moſes apertiſſimis verbis ex terra eſſe factas doceat, inquit enim: Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli adduxit ea ad Adam, &c. tum etiam quia licet editio vulgata, hoc in loco habeat: Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram, tamen tam in textu Hebraico, quam in Paraphraſi Chaldęa alio legitur modo; verba enim Hebræa ſi Latinè reddantur, ad verbum hoc ſonant. Repere faciant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile volet ſuper faciem extẽſionis cæli. Paraphraſis Chaldaica ſic habet. Mouere faciant aquæ reptile animæ viuẽtis, & auis volitet ſuper terram, quæ verba ſolum exprimunt piſces ex aqua fuiſſe productos, materiam autem de qua aues fuerũt productæ, non exprimunt, quam tamen fuiſſe terram, Gen. 2. Moſes apertiſſimè docet. Et ad locũ iſtius cap. in quo inſinuatur, ꝙ aues producuntur ex aquis, dicit Caiet. verba editionis vulgatæ eſſe corrupta, quod probat ex aliis editionibus ſupra relatis.

Nihilominus, quia omnes ſancti admittunt illam litteram, & explicant, & Concilium Trident. approbat noſtram trãslationem, Si quis vellet Caiet. & Catharini, ſequi ſententiam, bene ſaluaret noſtram editionem, ſi ita legeret. Producant aquæ reptile animæ viuentis, ita vt ibi ſit pũctus, & ſtatim ſubdatur, & volatile ſuper terram (ſupple) ſit; atque ita ſubintelligatur illud Verbum, ſit, vel aliud ſimile; & ita ſaluatur littera, & teſtimonium adductum ex 2. cap. Nec videatur difficile illud verbum ſubintelligendum: ſubintelliguntur enim multa in ſcripturis, maximè autem duæ particulæ ſolent ſubaudiri, prima eſt præpoſitio, vt infra cap. 3. Puluis es, ideſt ex puluere. Iſaiæ 26. elongaſti omnes terminos terræ, ideſt vſque ad omnes terminos terræ. Pſal. 2. hæreditatem tuam terminos terræ, ideſt, vſque ad terminos. Marci. 4. Via maris Galilææ gentium, ideſt iuxta viam. Vnde Auguſt. lib. 4. Soliloquiorũ ait, quod Hebræi nominib. locorum non apponunt præpoſitionẽ.

Secunda eſt. Verbum ſubſtantiuum, vt Pſal. 1. Beatus vir, qui non abijt, &c. ſubauditur eſt. Roma. 2. Tribulatio, & anguſtia ſupple, erit ſuper omnem animam, &c. 2. Corinth. 8. Cuius laus in Euangelio ſupple eſt. Sic ergo poterat hic ſubintelligi ſubſtantiuũ ſit, & huic expoſitioni fauet, quod dicitur: Creauit Deus cete

grandia,

grandia, & omnem animam viuentem, quam produxerant aquę in ſpecies ſuas; & ſubiungitur, & omne volatile; quaſi hoc non ſit productum de aqua; vel poſſet dici, iuxta ea, quæ ſupra diximus, quod quia in omnium animaliũ corporib⁹ elemẽtum terræ prædominatur, vt fiat contemperatio mixtionis in corpore, ideo quãuis aquæ attribuatur productio auium propter motum tamen bene poteſt tribui etiam terræ; tamquam materiæ, quæ magis prædominatur in eorum corporibus.

Secunda opinio tenet, tã aues, quam piſces primam habuiſſe originem ex aqua elemẽtari: quamuis enim prima effectio auium, ex aquis prouenerit, quæ tamen deinceps conſecuta eſt earum generatio, & propagatio, non ex aquis fit, ſed ex propriis quæque ſeminibus, atque principiis; prima tamen earum origo ex aquis habuit principium, quod oſtendere videtur, nedum lectio vulgata, quam determinante Conc. Trident. ſequi debemus, ſed etiam, quia in auium genere, multæ ſunt ſpecies, quæ in aquis degunt, præterquam quod hoc apertiſſimè docent Baſilius, Ambroſius, Eucherius, & alij, in Gen. Hierony. Epiſtola 83. quam ſcripſit ad Oceanum, Damaſ. lib. 2. de Fide. c. 9. & idem habetur in hymno qui canitur in Eccleſia in Veſperis Feriæ quintæ illis verbis. Magne Deus potentiæ, qui ex aquis totum genus, Partim remittis gurgiti, Partim leuas in aera, Demerſa limphis imprimens; ſubiecta cælis irrigans, vti ſtirpe vna prodita, diuerſa rapiant loca; Fuit autem Hymnus ille ab Ambroſio compoſitus.

Producuntur autem aues peculiariter ex aqua: quia vt inquit Auguſt. Eugub. in Coſmopeia, ipſa peculiarem habet virtutem ad ipſas producendas, ait enim ſæpè fieri, vt fragmen nauis appulsũ ad litora Oceani, & ſabulo affixum, diuque fluctibus contuſum, & aquis, atque diuturnitate percuſſum, fungos albentes primum proferre, poſtea vero certo temporis ſpatio, & calente Sole, alijsque formatis, è ligno auelluntur aues, &c. hæc ille. Et iterum inquit. Eſt extra Italiam locus, vbi (mirabile dictu) naſcuntur in frutice, quaſi formæ teretis vellera, hæc certo temporis ſpatio ex arbore in flumen, quod inferne elabitur decidentia, vt primum aquam attigerint, dant aues volãtes, quæ in ſublimes regiones more cæterarum auium aufugiunt, & multa alia dicit, ex quibus colligit originem auium aquam elementarem fuiſſe. Adde quòd in multis cernitur quædam ſimilitudo piſcium, & auium, quæ indicat, ex eadem materia vtrumque genus originem trahere: vtrumque enim animal ordinariè, & ouiperum, & caret lacte, & eminentibus auribus, & veſica, & dirigit curſum motu caudæ, ob quã etiam piſces reptilia hic vocantur, quia mouentur ſimiliter vt reptilia quædam, quæ gradiuntur ſuper terram impulſu caudæ; denique & in oſſibus, & in carnibus vtriuſque animalis ineſt neſcio quid ſimile, idque tenacius, & leuius, quam in terreſtribus animalibus, quam ſententiam ſecutus eſt Molina de operibus ſex dierum, diſp. 18.

Tertia opinio docet aues non eſſe factas ex aqua dẽſa, quæ per terram labitur, & in ipſa terra cõtinetur, ſed ex aqua in vapores te-

tenuata, & in nubes conformata, quæ inferioris aeris regionem in qua volitant aues aſcendit, & obſidet: adeoque quod per aquã hoc loco intelligitur, non modo quæ vulgo, ac propriè dicitur aqua, hoc eſt corpus liquidum, & fluuidum, ſed etiã tenuior aqua qualis eſt vapor, vel nubes, ſic docet expreſsè D. Auguſt. lib. 3. de Gen. ad lit. c. 3. vbi ſic ſcribit: vocabulo aquæ intelligi debere aerem proximum terræ, in quo volant aues, qui totus aqueus eſt, tum propter vapores ex terra, & aquis per aerem elatos in ſublime, tum propter tam frequentem imbrium delapſum in terras. Quicquid ergo aquarum inquit Auguſtinus, ſiue labiliter vndoſum, & fluuidum eſt, ſiue vaporabiliter tenuatum, atque ſuſpenſum, vt illud reptilibus animarum viuarum, hoc volatilibus appareat diſtributum, vtrumque tamen humidæ naturæ deputatur.

Hoc idem docet lib. Imperfecto de Gen. c. 14. ſed audiamus eum lib. 1. de Gen. contra Manichæum, c. 15. ſic enim ibi ſcribit. Sciant omnes, quos hæc mouent, iſtum aerem nubiloſum, & humidum, in quo aues volant, à doctiſſimis hominibus, qui hæc diligenter inquirunt cum aquis ſolere deputari: concreſcit enim & craſſus efficitur exhalationibus, & quaſi vaporibus maris, & terræ, & de ipſo humore pingueſcit quodammodo, vt volatus auium portare poſſit, ideo per noctes ſerenas etiam rorat, cuius roris guttæ mane in herbis inueniuntur. Nam mons ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis eſſe dicitur, vt in eius cacumine, nec ventus ſentiatur, nec nubes ſe colligant, qui excedit altitudine ſua totum iſtum aerem humidum, in quo aues volant; & ideo nec aues ibi volare aſſeueratur, quod ab eis perceptum dicitur, qui per ſingulos annos ſolebant neſcio quorum ſacrificiorum cauſa, momenti montis cacumen aſcendere, & aliquas notas in puluere ſcribere, quas alio anno integras inueniebant, quod fieri non poſſet, ſi ventum, aut pluuiam locus ille pateretur. Deinde quia tenuitas aeris illius, qui ibi eſt, nec eos inſpirabat, durare ibi non poterant, niſi ſpongias humectas naribus applicarent, vnde craſſiorem, & cõſuetum ſpiritum ducerent. Hi ergo indicauerunt, ſe etiam nullam auem in eo loco aliquando vidiſſe. Non itaque immerito, non ſoli piſces, & cætera, quæ in aquis ſunt animalia, ſed etiam aues de aquis natas eſſe fideliſſima ſcriptura commemorat: quia per iſtũ aerem volare poſſunt, qui de terræ & maris humoribus ſurgit.

Ex ſententia itaque D. Auguſt. humor aqueus in duplici eſt differentia, nempe in ratione humoris fluctuantis, & in ratione vaporis exhalantis, ideo aqua eſt principium duplicis generis animalium, ſcilicet natatilium, & volatilium; natatilium ſecundum rationem humoris fluctuantis, & ideo illa remãſerunt in aquis; volatilium ratione humoris exhalantis, atque adeo cum ille vapor ſit commixtus aeri, & feratur ſurſum, volatilia in aera ſubleuãtur, & eo vſque poſſunt aſcendere, quouſque inueniant aerem humidis exhalationibus pingueſcentem.

Humor aqueus duplex.

Aqua eſt principiũ duplicis generis animalium.

Et hanc opinionem, quæ eſt cæteris probabilior docent poſt D. Auguſt.

Auguſt. Rupertus Abbas de operibus Trinit. lib. 1. c. 50 Iunilius ſiue Beda in hunc locum, Alex. de Ales, 2. p. q. 53. m. 1. D. Thom. 1. p. q. 71. art. 1. D. Bonau. in 2. d. 15. art. 1. q. 3. Et ad illum locum Gen. 2. duobus modis reſpondet D. Auguſt. lib. 4. ſuper Gen. ad lit. cap. 1.

Priori modo ait, illud ex humo pertinere ad terreſtres animantes tantum, non autem ad volucres, adeoque ibi ſolum terreſtrium animalium natura exprimitur, volatilium autem tacetur; quippe quæ ex primaria volatilium conditione poſsit agnoſci cum dictum ſit, ea ex aqua eſſe producta.

Secundo modo inquit nomine terræ nonnunquam in Scriptura ſignificari, cũ terra etiam ipſam aquam, quatenus cõſtituit vnam ſphæram cum terra, quemadmodum colligitur ex illo Pſal. 148. Laudate Dominum de terra, Dracones, & omnes abyſſi, vnde nomine terræ intelliguntur abyſſi, & maria.

Vel dici poteſt, illam coniunctionem (&) non repetere particulam illã ex humo, vt ſit ſenſus formatis ex humo, tam animantibus terreſtribus, quam volatilibus, ſed repetere illud participium paſſiuum, Formatis, vt ſit hæc Moſis ſententia, Formatis ex humo animantibus terreſtribus, & Formatis etiam volatilibus, ideſt, poſtquam hæc duo genera animantium Deus creauit, adduxit ea ad Adam. Atque in hãc ſententiam hunc ipſum locum explicat D. Aug. lib. 3. ſuper Gen. c. 1.

Ad ſecundum dicendum eſt, editiones alias ex vulgata interpretandas eſſe, ſubaudiendo relatiuum, quod, vt reddant eumdem ſenſum cum Latina, nempè ex aquis productum eſſe volatile, quod volet ſuper terram: nam cum ob Cõcilij Trid. definitionẽ, certiores ſimus de editione vulgata eam eſſe authenticam, quã de vlla alia, certe vbi vulgata in omnibus codicibus ab alijs editionibus, quo ad ſententiam differt, aliæ potius ex ea emendari debent, quam ipſa ex alijs.

Et ſi dicatur, quod nõ videtur ratio, cur aues producerentur ex aquis, in quibus non verſantur, neque etiam ſatis commode intelligi poteſt, quomodo aquæ produxerint volatilia ſuper terram, quandoquidem aquæ ſunt aliquantulum inferiores terra.

Reſpõdetur, ſimilitudo piſciũ, & auium indicio eſſe merito vtrumque genus ex aquis potuiſſe produci, Quomodo autem a quæ produxerint aues, cũ aquę infra terram fuerint, duobus modis intelligi poteſt, vno modo ſi dicamus ex aquis ipſis denſioribus, quę fluũt in terra, fuiſſe aues productas, ſic & piſces, ſed cõfeſtim naturali ſuo motu in ſublime volaſſe; & hic modus dicendi conſentaneus eſt ſecundæ ſententiæ, & ſenſui illius hymni Feriæ quintæ, in quo plane ſignificatur ex eiſdem aquis fluuidis, vtrumque genus eſſe productum, ita vt alterum fuerit illico in aera leuatum.

Secũdo modo, ſi dicamus cum D. Auguſt. loco citato, aues non ex aqua, quæ fluit, in terra, ſed ex aqua vaporabiliter attenuata in aere productas eſſe, id quod aſſerit Rupertus, & alij Theologi ſupra relati.

Et ſi quęratur an ex paſſiuo tãtum principio, aues, & piſces fuerint

ſint ex aquis produ:ti, an vero etiam ex principio actiuo.

Reſpondetur ſicut diximus ſupra de plantarum productione, quod ex paſſiuo tantum; Nam ſolum verbum Dei fuit in propoſito principium actiuum, cuius vis ſolet aliàs eſſe in ſemine.

Quæſt. 7. Volatilia omnia cur ſub aquis viuere non poſsint.

Quæritur ſeptimo. Cum omnia volatilia aquæ produxerint, vnde eſt quod volatilia omnia ſub aquis naturalibus viuere non poſſunt; Hæc quæſtio inquit Rupertus, maxima cum difficultate diſſolui poſſet, ſi aquarum nomine vnius tantum elementi gurgites accipimus; ſed ex ſuperius habita diſtinctione patet, quod etiã aer, aqua poteſt appellari, quippe qui ex aqua, vel per aquam ſubſiſtit. Inde dicitur in epiſtola. 2. B. Petri Apli. c. 3. Latet. n. eos hoc volentes, quod cæli erant prius, & terra, de aqua, & per aquam conſiſtens Dei verbo; & alia editio ſic habet: cæli erãt olim de aqua, & per aquam conſtituti, per cælum autem ſignificat aerem iſtum humidum, atque turidum, poteſt itaque & aer ſimul cum aquarum elemento intelligi.

Sed contra, ergo in hoc ſenſu etiam dici poſſet, producant aquę reptile animæ viuentis, & volatilia, atque iumenta, ſeu beſtias, nam & terra, vt prædictum eſt, de aqua, & per aquam conſiſtit. de aqua quidem: quia Dixit Deus congregentur aquæ in locum vnum, vt appareat arida; per aquã vero, quia diuina diſpoſitione venis aquarum tota intrinſecus plena eſt, ſicut corpus animantis redundat venis ſanguinis, ne videlicet ariditate deficeret, ſi aquarum irrigatio ceſſaret.

Reſpondetur, quod poſtquam Deus aridam apparere iuſſit, eamque terram, appellauit, non licet eam aquæ nomine ſignari; at vero aeris nomen eadem authoritate non eſt poſitum, ſed ab hominibus dictus eſt aer ab altitudine: nam vox Græca, qua aer nominatur, idem latine ſignificat, quod ſurſum tollo. licet ergo de aquis aues productæ ſint, ſub aquis tamen viuere non poſſunt; quia forte nequaquam ſub denſis fluctibus vitam ſuſceperunt, ſed de rarioris, & per nebulas volantis aquæ globis volantiũ auiũ corpuſcula facta ſunt.

Sed cur communis illa auium origo magis nomine aquæ, quam nomine aeris appellatur.

Reſpondet Alex. de Ales, loco citato, quod aqua plus eſt ordinata ad generationem animãtium, quam aer, licet in aere multæ fiãt impreſſiones propter aſcenſum aquarum: commixtiones enim ex quibus fiunt generationes animantium, circa medium locum fiunt, atque adeo rectius nomine aquæ deſignantur.

Præterea, ſupra dictum eſt: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Et deinde dicit de congregatione aquarum: Vt appareat arida; ideo continuando rectè hic nominauit aquam, tamquam originale, vt explicauimus ſupra.

Quæſt. 8. Piſces die quta actu producti fuerunt.

Quæritur octauo. Vtrum animalia iſta fuerint producta quinta die, actu, vel virtute. D. Aug. lib. 5. de Gen. ad lit. c. 4. & 5. exiſtimat hoc die quinto non eſſe creatos piſces actu, ſed tantummodo virtute, cauſaliter ſ. & potentialiter, data nimirum tunc aquis poteſtate piſces ſuo tempore procreandi. ſic .n. inquit ibi. Quinto aquarum natura: quia cælo, aerique coniungitur produxit

duxit ad Dei Verbum indigenas ſuos, ſcilicet natatilia, & volatilia, & hæc potentialiter in numeris, qui per congruos temporum motus exerceantur. Cæterum, hoc minimè concordat cum narratione Moſis, qui ait aquam produxiſſe die quinto, omnia piſcium genera, nec aliter hîc loquitur, quam ſupra de productione Lucis, Firmamenti, & Stellarum.

Præterea ſi nunc non ſunt actu producti à Deo piſces, præſertim perfecti, nunquam poſtea generari à natura potuiſſent, quippè qui non niſi à ſuis ſimilibus naturaliter generari poſſunt: Deus autem poſt hos ſex dies ſinit naturam cuiusque rei ab ipſo conditæ naturaliter ſe ipſam conſeruare, atque propagare: nam à modo productionis rerum immediatè à Deo per ipſius omnipotentiā Deus requieuit die ſeptimo.

Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem, &c.

HAec ideo addit Moſes, ne fortè, quæ ſunt aquarum animantia, quæ non rependo, ſed nando, vel pedibus ambulando incedunt, & inter volatilia, quæ ita pennas habent, vt omni vſu volandi careant, putaret quiſque aliquod genus volatilium, ſiue aquatilium animantium in hoc domini verbo eſſe prętermiſſum.

Nullum igitur genus exceptū eſt, vbi cum cetis grandibus creata eſt in aqua omnis anima viuens, eorum ſcilicet, quæ produxerant aquæ in ſpecies diuerſas, hoc eſt in reptilium, in natatiliū, & volatilium, ſed eorum, quę nullo apiæ inceſſui fixa cautibus inhærent, vt ſunt plurima concharum genera.

Circa illud. Creauit Deus cete grandia obſeruandum eſt, pro cete Hebraicè eſſe Hataninin, quæ vox ſignificat Dracones, eodem autem nomine Dracones terreſtres, atque marini appellantur. Neque enim cete, ac maximi piſces aliud videntur eſſe in aquis, quam Dracones, & ſerpentes in terra; Sicut legimus in Pſal. 148. Dracones, & omnes Abyſſi. & Ezechiel. 32. De Pharaone Rege Aegypti loquēs: Draconi (inquit) qui eſt in mari aſſimilatus es, & c. 29. Ecce ego ad te Pharao Rex Aegypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum. Per cete igitur, non vna aliqua ſpecies piſcium intelligitur, ſed omnes grandioris formæ, & vaſtioris corporis piſces. Dicta autem ſunt grandia (inquit Baſilius hom. 5. in Gen. q. 2.) quod maximis montibus mole æquantur: nam cum ad ſumma maris efferuntur, inſulatem ſæpènumero ſpeciem conſpicientibus præſtāt. Vel cete ea omnia vocat (inquit Theodoretus) quæ inter aquea vaſta ſunt, quamquā eorū quoddam ſit diſcrimen, quamobrem addit magna. *Cete quid Hebraicè ſignificet.*

Dicunt hic Hebræi ex lib. 4. Eſdræ, c. 6. vt referunt Nicol. de Lira, & Toſt. quod iſtud genus piſcium eſt incredibilis magnitudinis: propter quod ſi eorum multiplicata fuiſſent indiuidua, deſtructum fuiſſet ſæculum, quia mare non eſſet nauigabile: nec alij piſces poſſent ſtare in mari, ideo poſtquam Deus creauerat hanc ſpeciem in ſexu maſculino, & feminino, occidit femellam, ne multiplicarentur indiuidua, *Fabula Hebræorū de cete.*

&

Digitized by Google

& reſeruat eam iuſtis ad comedendum in futuro ſæculo, iuxta quod interpretatur illud: Dediſti eum eſcam populis Aethiopum. Maſculum verò reſeruat Deus, vt cũ eo certis horis ſingulis diebus ludat, iuxta illud Pſalm. 103. Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei, & in Hebręo legitur, Leuiathan quem creaſti vt cũ eo ludas. Hic error habuit occaſionem in Apocripho Eſdræ, vt diximus. Ibi enim dicitur, quòd Deus duo animalia, quinta die creauit, alterum vocauit Enoch, alterum Leuiathan, & ſeparauit ea ab inuicem: non enim locus aquarum ea capere poterat. Et Enoch, dedit vnam partem terrę vt habitet in ea, Leuiathan verò aſſignauit mare, & ſeruat illud, vt ſit in deuorationem; & hac ratione aiunt Iudæi ſpecialiter de eis dictum eſſe, quod creauit Deus cete grandia. Sed valeant ſomnia, & deliramenta errônea Iudæorum. Non enim extra ſe ipſum Deus delectari quærit ludendo cum Leuiathan, nec beatis opus eſt cibus aliquis viuentibus æterna vita.

Sed cur Deus ita diſtinxit, cũ, & cete grandia comprehendi, vel conſignificari potuiſſent ſi hoc ſolum dixiſſet, creauit Deus omnem animam viuẽtem, atque motabilem? Etenim hoc dicto nec cete grandia, nec paruos piſciculos excepiſſet, cur ergo ſic diſtinxit: Vt inſinuaret inquit Rupertus Abbas, lib. 1. de Operibus Trinit. c. 51. Trinitatis creatricis opus in tres diuiſum eſſe ſpecies, viuentium namque, ſiue motabilium, alia per fetum veniũt, ideſt cartilaginea ſunt, quorum cete maxima ſunt, alia per ouum veniunt, quorum multo plura genera ſunt, quibus adde & omne volatile ſecundum genus ſuum.

Quæritur primo. Cur in productione arborum, & in productione auium, & animalium terreſtrium, non ſit aliqua ſpecialis mentio alicuius ſpeciei, quam Deus creauerit, ſicut fecit de piſcibus? *Quæſt. 9.*

Reſpondetur primo quia non ita in alijs ſicut in piſcibus inueniuntur, quæ tam prodigioſam, & vix credibilem corporis molem habeant. Balenæ namque, vt Baſilius, & Theodoretus habent, cum ſuper aquas dorſum efferunt ingentis inſulæ ſpeciem exhibent. Plinius lib. 3. cap. 30. ſcribit Balenas maris Indici quaternum iugerum eſſe; Piſces ducentorum cubitorum; Anguillas vero in Gange trecentorum pedum, & lib. 32. cap. 1. tradit Rectos ſexcentorum pedum longitudinis, & tercentorum ſexaginta latitudinis in Arabicum flumen intrare. Et licet idem Plinius ſcribat lib. 16. cap. 40. arbores inueniri, non minoris proceritatis, & lib. 3. cap. 12. 13. & 14. mira ſcribat de magnitudine Draconum, & Serpentum. Nihilo minus tamen, maiora eſſe in aquis, quam in terra animalia, & veterum teſtantur hiſtoriæ, & noſtris temporibus experientia confirmat, vt vbertas materiæ aqueæ, habilitateſque ad quãtamuis extenſionem ita eſſe ſuadeat.

Dicitur Secundò, quòd non oportuit in alijs viuentibus in terra eamdem fieri expreſſionẽ: quoniam illa piſcium ſpecies, & quòd prodigioſum, & immenſæ magnitudinis, quapropter dum dicitur Deus eſſe Autor huius eximiæ beſtiæ, facilè intelligitur

K etiam

etiam minorum eſſe conditorem.

Tertio reſpondetur, quod hoc exprimitur, vt deſtruatur error opinantium huiuſmodi animalia vtpote, quæ nauigantibus pernicioſa ſunt, non eſſe producta ex intentione Dei, ſed ex neceſſitate materiæ ac propterea dictum eſt; Creauit Deus cete grandia.

Quæſ.10. Quæritur Secundo. Cur Deus fecit mentionem de genere, vel ſpecie, cum dixit; Fecit Deus cete grãdia ſecundum ſpecies ſuas; Vel ſecundum aliam translationem ſecundum genus ſuum, & non dixit ita, quando dixit. Producant aquæ, &c. cum tamen ibi loquatur de factura volatilium, & natatilium, quæ non erãt ſine genere, aut ſpecie. Reſpondet Alex. de Ales, vbi ſupra §.4. ex ſententia D. Aug. lib.3. de Geneſ. ad litt. c.12. Quod cum locutus eſt Moſes de productione animãtium in aquis, vel aere, ex ſua origine, non fit mentio de genere, vel ſpecie, quia aliud eſt contrahere eſſe in ſua origine, & aliud eſt, vt ſit principium fieri, vel generationis in alijs, licet ergo ſimul tempore accipiant eſſe, & virtutem, ſecundum quã aliud poſſit eſſe ex illo, tamen vnum eſt naturaliter prius altero, & ad hoc deſignandum, primo dixit ſine diſtinctione: Producant aquæ, &c.

Secũdo diſtinxit dicens: Creauit, vel fecit ſecundum genus ſuum, præterquam quod ex parte materiæ non eſt principium generationis, ſed ex parte formæ atque adeo cum locutus ſit de exitu ſecundum eſſe materiale, non eſt locutus de genere, vel ſpecie.

Quæritur Tertio. Cur loquens Deus de animalibus in aquis, vel terra, non eſt locutus de ſemine, cum tamen ſemen habeant, ſecundum quod procedit generatio; In productione autem terræ naſcentium locutus eſt de ſemine dicens. Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen?

Reſpondet Alex. de Ales, loco citato, ex D. Auguſtino lib.3. de Geneſ. ad litt. cap.12. Quod aliud eſt de terræ naſcentibus, & aliud de animalibus: nam in terræ naſcentibus eſt ſemper virtus ſeminis, vt fiat aliud ex ipſo, non ſic autẽ eſt vniuerſaliter in animantibus aquæ, vel terræ, ſed vis ſeminatiua eſt in elementis; non enim omnia quæ ſunt in aquis, generantur ex ſibi ſimilibus, ſecundum quod natura eſt principium ex ſimilibus ſimilia procreandi. Similiter nec omnia ea, quæ ſunt in terris; Vnde multa animalia moriuntur in hieme, & poſtea in æſtate ſemen habent in ipſis elementis commixtis, vt procreentur.

Herbæ verò in terra viuunt ſecundum virtutem radicis, licet extra moriantur, & ſemina herbarum cadunt in terram, & poſt multiplicantur, tempore producente oportuno, & hoc eſt quod dicit D. Auguſtinus. Semen non vbique repetunt, cum tã herbis, & lignis inſit, quam animalibus, etſi non omnibus. Obſeruatum eſt enim quædam ita naſci, ex aqua, ſiue terra, vt ſexus eis nullus ſit, & ideo ſemen eorum nullum ſit in eis, ſed in Elemẽtis ex quibus oriuntur, ergo hoc eſt ſecundum genus vbi eſt ſeminum vis, & ſimilitudo intelligitur ſuccedentium de ſuccedentibus; quia nihil eorum ita creatum eſt, vt

ſemel

ſemel exiſteret, vel permanſurũ, vel nullo ſuccedente deceſſurum.

Quæſ. 12. Quæritur Quarto. Cur cum hic agatur de opere ornatus, & non de creationis opere, dicitur: Creauit Deus cete grandia. Reſpondet Alex. de Ales, quod creauit in noſtra translatione accipitur pro facere, nam verbum creare, non ſolum ſignificat facere ex nihilo, ſed etiam aliquando ex preiacenti materia aliquid producere, iuxta illud Sapientiæ 11. Omnipotens manus tua creauit orbem terræ ex materia inuiſa. Vnde aliter accipitur creare hic, & cum dicitur. In principio creauit Deus cælum & terram.

Sed quare cum dixit Moſes: Creauit Deus cete grãdia, & omnem animam viuentem, addidit atque motabilem; nam in hoc quod dicitur omnem animam viuentem, intelligitur anima motabilis.

Reſpondet Iunilius, ſeu Beda in hũc locum, quod additum eſt, atque motabilem, ad diſtinctionem videlicet hominis, quem facturus erat Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, ita vt ſi eius præcepta ſeruaret, perpetua viueret incommutabilitate beatus, nam animantia cætera, ita ſunt prima mox conditione facta vt uel alia alijs in alimoniam cederent, vel ipſa ſuo ſenio deficientia perirent. Additum eſt ergo, atque motabilem, vt inſinuetur differẽtia, inter anima rationalem, & alias animas; quoniam anima rationalis non mutatur ad corruptionem, eſt enim immortalis, reliquæ verò animæ, licet viuant, interdũ tamen mutantur de eſſe ad non eſſe.

Benedixitque eis dicens; Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris, &c.

HAec benedictio inquit Chryſoſt. Hom. 7. in Geneſ. eſt in magno numero, & multitudine illa augeri, & multiplicari; nam quia animæ creaturæ erant, & animalia, volebatque illa perpetuò eſſe, ideo dixit Vates; Benedixitq; eis, &c. Verbum enim illud uſque in præſentem diem illa conſeruat, & tantum præterijt tempus, neque unum horum genus minutum eſt, nã benedictio Dei, & uerbum quod dicebat: Creſcite, & multiplicamini, ut ſubſiſterent, & durarent illis contulit.

Spectat itaque ad fecunditatẽ, hæc benedictio inquit D. Auguſ. lib. imperfecto in Geneſ. cap. 15. quę in ſucceſſione prolis apparet ut ea benedictione, qua infima, & mortalia creata ſunt, genus ſuum naſcẽdo cuſtodiant. Extenditur autem hoc, quod dixit; Creſcite, & multiplicamini (inquit Iunilius) ad utrumque genus animantium de aquis factorũ; hoc eſt ad piſces pertinet, & ad aues, & quia ſicut piſces omnes nõ niſi in aquis uiuere poſſunt, ita ſunt pleræque aues, quæ etſi in terris aliquando requieſcant, fetuſque propagent, non tamen de terra, ſed de mari naſcuntur, marinisq; ſedibus libentius, quam terreſtribus utuntur. Quod uerò ſubiungit, aueſque multiplicẽtur ſuper terram, ad utrũque genus auium hoc eſt, & earum, quæ de aquis, & earum, quę naſcuntur de terra reſpicit; quia uidelicet etiã illæ,

quæ ſine aquis neſciunt viuere aues, ita vt multo ſæpè anni tem pore ſub profundo aquarum quo modo piſces lateant, nonunquã egridi, ſuper terram ſolent, maximè cum fetant,& nutriunt pul los.Eſt itaq; hęc benedictio ordi natio ad multiplicationem indiuiduorum per commixtionẽ maris,& feminæ; ideo ſtatim ſequitur: Creſcite & multiplicamini, &c. Eſt ergo horum verborũ ſen ſus:Benedixitque eis,ideſt,dedit eis poteſtatem multiplicandi per generationem, benedictio enim ſemper importat multiplicationem,ſiue ſpiritualem, ſiue corporalẽ, hic autem de corporali intelligitur,ſcilicet de propagatione: Creſcite,& multiplicamini, ideſt,per generationem dilatami ni,vt repleatis aquas maris.

Hanc autem piſcium multiplicationem, ipſa benedictio optimè declarat,Benedictio enim Hebraicè (barach) dicitur,qua voce copia,& affluẽtia deſignatur, id, quod innuitur etiam ex verbo illo (producant aquæ) quod in Hebræo maiorẽ habet emphaſim,eſt enim verbum (Saras) ſignificans non quamlibet productionem,ſed in maxima copia, vbertate,& abundantia; ſeu ſcaturiginem, & ebullitionẽ quamdam.Vt vel hinc probetur vulgata opinio, & à ſapientibus confirmata,multo vberiorem, & copioſiorem eſſe piſcium, quam ceterorum animalium generationẽ; Cuius ſatis manifeſtum ſignum eſt,ingens copia ouorum,quæ in piſcibus inuenitur, quo licet intelligere piſcium, quam aliorum animalium multitudinem, & varietatem eſſe maiorem. Quod etiam teſtatur Ariſt.li.3. de generatione animalium,c.11.his verbis Hinc etiã fit,vt multiformiora ſint,quæ in humore gignũtur, quam quæ in terra: humor enim naturam habet,ad effingendum, efformandumq; habilioẽ,quam terra.His conſentanea ſcribit Plinius lib.9.c.2.Nam cum dixiſſet, quæ ſunt in aquis,& plura,& maiora eſſe terreſtribus,ſubdit:Cauſa,inquit,euidens eſt,humoris luxuria. Quibus conſona ſunt,quæ Dauid cecinit in Pſalm.103. Hoc mare magnum,& ſpatioſum manibus,illic reptilia, quorum non eſt numerus. Cæterũ,de piſcium multitudine,ſcribens Plin.lib.9. & 32. necnon Iſidor. lib.12. Etymologiarum,c.6.affirmant cũctorum aquatilium ſpecies eſſe centũ quadraginta quatuor, quam quam idem Plin.lib.9.cap.14.Piſcium ſpecieseſſe dicat.74.preter cruſtis intecta, quorum triginta ſunt ſpecies. Sed iſti loquũtur de piſcibus, & ſuo tempore, & ſibi tantum notis. Toſtatus dicit piſcium ſpecies eſſe centũ viginti.

Quæſ.13. Deus quare benedixit producta ex aquis, & non terræ naſcẽtia.

Quæritur Primo. Quare facta eſt benedictio ſupra producta ex aquis,& nõ primo facta eſt ſuper terræ naſcẽtia: nã ſi benedictio fuit in cremento, quod pertinet ad augumentationem, in multiplicatione, quæ ad generationẽ ſpectat videtur quod benedictio fuiſſet etiam faciẽda, ſuper terræ naſcentia,nã & in eis eſt cremen tũ,& generatio. Reſpondet Diodorus in Catena, quoniã animalia phantaſia, & ſenſu conſtant, plantis ſunt digniora, hominique propinquiora,& ideo benedicuntur.Gennadius in eadem Catena dicit, quòd vt oſtenderet Deus maiorem apud ſe animantium, quã inanimatorum curã haberi, quia propter animalia ſunt plantæ, ideo animantibus benedixit.

Tum

Tum etiam, quia plantæ, & ſemina perſeuerant agriculturæ labore adiuta, animantium vero mutua inter ſe coitione. Theodoretus, quæſt. 17. in Geneſ. inquit, quod Deus cum voluit terram omnigenis fructibus, herbis, & arboribus plenam reddidit: animalia verò bina condidit; merito igitur eis benedixit, vt fecunditate ſua, alia quidem maria, alia lacus, alia flumina, alia verò aerem, alia demum terram implerent.

D. Auguſtinus lib. Imperfecto de Geneſi ad litt. cap. 15. & Diodorus vbi ſupra, inquiunt, quòd quia animalia ſunt homini propiora, quam plantæ, & magis ad rationem accedunt; ideo magis merētur Diuinam benedictionē, & audire dicentem: Creſcite, & multiplicamini, quum ſtatim ſubdatur, & aues multiplicentur in tertia perſona, & non in ſecunda vt oſtendatur, quod quamuis hæc animantia habeant ſenſum, non tamē participant illum perfectè, vt poſſint audire compellantem, & dicentem: Creſcite, & multiplicamini.

Vel dicendum eſt (inquiunt Gēnadius vbi ſupra, & Nicol. de Lira in hunc locum,) quod ideo benedicuntur hæc animalia, & non plantæ, quia arbores factæ ſunt in cibum animalium, & ideo ſufficit benedixiſſe digniora. Vel quia animalia debent multiplicari per proprium appetitum, & actionem, nempè per propagationem ex coitu, nō vero plantę, ideo, vt animalia haberent amorē propagandi ſuas ſpecies, oportuit accedere Diuinam benedictionem, quæ illis hunc amorem imprimeret, & ob hanc cauſam ratione carentibus imperauit, nā naturalem motum, & ardorē, qui ineſt cunctis animantibus ad generis ſui propagationem ſatis planum eſt eſſe dei præceptum: nam Dei iuſſus, ſeu imperium. Nam iuſſus, ſeu imperium credendum eſt, quod ipſo volente fieri cognoſcimus. Vel dicendum eſt (inquit Rupertus, lib. 1. de Operibus Trinit. c. 52.) quod ideo herbam lignumque pomiferum non benedixit Deus: quoniā etſi herba, lignumque pomiferum multiplicetur, differt tamen ratio crementorum pro diuerſa eſſentiarum qualitate. Etenim herbam virentem eadem terra, quæ germinat multiplicat, & ſemen illis ipſa importat, & cadētia recipit, & ideo multiplicandæ poſteritati ſolum ipſorum eſſe ſufficit. Verum reptilibus, ſiue volatilibus, ſi nullus fuiſſet appetitus, non ipſa creſcerent, & non ſtetiſſet eorum genus. Cum ergo initium exiſtendi accepiſſent, oportuit creatoris imperio naturalem illis medullitus inſeri amorem, vel appetitum, vt maſculus ardens ad ſemen ingerendum, femina nihilominus auida foret ad recipiendum, hoc illis benedictio contulit.

Quæritur Secundo. Cur Deus vna, & eadem die natatilia, & volatilia condidit; nam non videtur quod congruè eorum productio ſpectet ad eumdem diē; quia volatilia ſunt ad ornatum aeris, natatilia ad ornatum aquæ, & gradientia ad ornatum terræ, & ſicut differt terra ab aqua, ita aqua ab aere, atque adeo cum natatilia non fuerint eodem die facta, cum gradientibus, videtur quod non eodē die debuerint fieri, cum volatilibus. Reſpondet Rich. de media Villa, in 2. d. 15. *Quaſt. 14.*

Deus cur vno, & eodē die natatilia, & volatilia condidit.

ait.4.q.1. Quod natatilia, & volatilia, vno, & eodem die fieri debuerunt, & facta ſunt,ſcilicet die quinto; Quia ſicut eodem die factus eſt totus ornatus tranſparentis naturę luminoſæ, nimirum die 4. ita eodem die debuit fieri totus ornatus tranſparentis naturę non luminoſæ,nempè die quinto,hoc eſt aeris, & aquæ, & vno die debuit fieri totus ornatus naturæ opacæ.ſ. terræ, atque ita homo, & animalia, gradientia fieri debuerunt vno die, videlicet die ſexto, vt videbimus infra.

Poſſet, & alia congruentia aſſignari factionis volatilium, & natalium eodem die, ex his,quæ ſcribit D. Auguſtinus libro 3. de Geneſi ad lit.cap.3. & 5. nā pars aeris, quæ ornatur volatilibus,aqueis humoribus commixta eſt, atque adeo ſpiritus Dei,qui ſcribenti aderat, ex aquis dicit producta volatilia, aquarum enim natura bipartitum locum ſortita eſt, inferiorem ſcilicet inundabili, ſuperiorem vero in aura flabili, illum deputatum natantibus, iſtum volantibus. Ratio ergo quare natatilia, & volatilia vno die facta fuerunt, eſt, quia aer, & aqua conueniunt in tranſparentia non luminoſa, & quia pars aeris auibus ornata, vaporibus aqueis eſt commixta.

Quæſ.15. Ignis elementum cur nō habeat ſuū ornatum. Quæritur Tertio. Cur aer, & aqua ſuum habent ornatum, & corpus ignis, quod dicitur ſecundùm Strab. Cælum Olympium, & igneum non habet ſuum ornatum, cum hæc pertineāt ad corpus medium? Dictus enim erat ornatus cæli, propter quod rectè ſequi videbatur, ornatus ignis, vel cæli ignei, quæ ſunt corpora proxima.

Item habet aer duas differentias,quarum vtraque dicta eſt cęlum,vna cælum æthereum, altera cælum aereum, cur ergo cæliætherei non dixit ornatum, ſicut cæli aerei? Præſertim cum Philoſophi quidam (vt refert D.Auguſti. lib.3. de Geneſi ad litt.c. 9.& 10. cuiuſque elementi ſua diſtribuerunt animalia, vt terrena eſſe dicerent,non tantum quæ in terra repunt, atque gradiuntur, ſed aues etiam, quod & ipſæ in terra requieſcant volando fatigatæ; aerea verò animalia dæmones,cæleſtia eſſe Deos. Quorum quidem nos partim luminaria, partim angelos dicimus. Itidem aqs piſces, & ſui generis belluas attribuunt, vt nullum elementum ſuis animalibus vacet. Cæterum hæc vana ſunt, vt oſtendit etiam D. Auguſtinus, licet & ipſe dæmonia habere corpora concedat.

Dicendum eſt ergo (vt inquit Alex. de Ales. loco citato,mem. 1.) quòd licet ignis pertineat ad mediam naturam, inter cælum, & terram, tamen non habuit ornatum diſtinctum, nec ſecūdum ſui partem ſuperiorem,quæ dicitur Olympium cælum,nec ſecundum inferiorem, quæ dicitur igneum, quia non eſt locus, in quo poſſint viuere animalia; ſi enim animalia in ſuperiore aeris parte viuere nequeunt,quæ dicitur æther (vt docet D. Auguſtinus lib.1. contra Manichæos, & in locis ſupra citatis de Gen. ad litteram) eo quòd ad ipſum vapores aſcendere non poſſunt, & nulla ſit ibi commixtio, & ideo nec poſſunt ſaluari: quia res ex iiſdem ſaluatur, ex quibus generatur, multo fortius in cælo Olympio,vel igneo,non eſt eiuſmodi

Digitized by Google

modi ornatus. Item, natura ignis eſt deſtruere alienum corpus, quod deſtructibile eſt, vnde non poſſunt ibi eſſe corpora aliena. Reſtat ergo, quòd ipſa lux in vtroque cælo eſt corporis ſui ſufficiens ornamentum; & ſicut cælum aqueum, nullum habet ornatum, præter ſui perſpicuitatem luminoſam, nec cælum Empyreum habet ornatū, corporeum præter ſuam lucem, ita nec habent iſta corpora in ſuo genere, alium ornatum, quam lucem. Hoc idē dici poteſt de cælo æthereo, cælum enim æthereum habet ſuam perſpicuitatem non luminoſam.

Et ſi quis dicat, quòd ſunt multa corpora mixta, quæ in igne conſeruari poſſunt, ut narrat D. Auguſtinus lib. 1. de mirabilibus Sacræ Scripturæ, c. 16. & D. Hierony. ſuper Ezech. cap. 41. docet eſſe naturam cuiuſdam virgulti coloris linei, qualis, inquit Auguſtinus erat rubus de quo legitur Exodi 3. quod dum arderet non comburebatur, imò quanto plus ardebat, purior erat.

Hoc ipſum docent Beda, & Gloſſa Ordinaria. Exodi 17. in illud ſubter arulam, & Liranus in principio illius capitis. Quotidiana etiam experientia docet, aurum igne non conſumi, ſed potius purificari; Salamādra etiam non ſolum ab igne non læditur, ſed etiam ipſum extinguit, dicit Nazianzenus, & Pierius lib. 16. de Salamādra, titulo amoris conſtantia, citat auctores multos, dicentes eſſe in rerum naturam beſtiolam quamdam, paulo maiorem grandi Muſca, quam alij Pyraſlim, alij Pyrauſtam, alij Flamidem, alij Nicedulam, Græci Lampridem vocauerunt, quæ in medio igne nata, per ignem ſalit, & ambulat, quod in Cypro Inſula tradunt videri in fornacibus ærarijs, vbi chalcites lapis diebus pluribus concrematur, & illud maximè admirādum, quòd cum primum volatu paululum à flammis abſceſſerit, emoritur. Ita etiam ſcribit Ariſt. lib. 5. de Hiſto. animalium, cap. 19. his verbis. In Cypro Inſula ærarij fornacibus, vbi chalcites lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, beſtiolæ in medio igne naſcuntur pennatę, paulo muſcis grandibus maiores, quæ per ignem ſaliant, atque ambulent; emoritur & hoc genus, cū ab igne remotum eſt. Ergo cum huiuſmodi animalia, poſſint in igne viuere, & ipſum ornare, ignis ornatus prætermitti non debebat.

Reſpondetur, quòd ignis non eſt locus naturalis alicuius rei, quamuis per breue tempus poſſit aliquid in illo conſeruari, quod patet ex Galeno in libro de ſimplicibus medicinis, & ex Ariſt. lib. 5. de Hiſtoria animalium, capitulo 19. circa finem, lib. 2. de generatione animalium, capitulo 3. libro 4. Meteororum, cap. 1. & li. 2. de Generatio. & corrupt. textu commenti 21.

Quæritur Quarto, quare non eſt facta aliqua mentio de igne, ſicut ſit de alijs elementis implicitè, vel explicitè. *Quæſ. 16.*

Reſpondet Alex. de Ales vbi ſupra, quod datur intelligi ſecundum ſuā ſuperiorem partem nomine cæli; ſecundum vero inferiorem partem nomine alterius extremi. Vnde D. Auguſtinus ſuper Geneſ. In terræ nomine hoc totum vniuerſaliter ſignatur, donec perueniatur ad aridam, quæ proprio nomine, terra dicitur,

vel dicitur quod ignis, & aer: quia non diſtinguuntur à vulgo, inter partes mundi, non ſunt expreſsè nominata à Moſe, ſed computãtur cum medio, ſcilicet cum aqua.

Opus ſextæ diei.

Dixit quoque Deus; Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, &c.

POſt irradiatum ſideribus cælum, poſt impletum volatilibus aerem, qui ob viciniam cæli nomen meruit, & poſt locupletatas ſuis animãtibus aquas, quę & ipſæ aeri ſunt magna naturæ vicinia coniũctæ, vnde de illis sũpſit animantia, de illis imbres, niues grandines, & cætera ſumpſit huiuſmodi, conſequens erat terram ſuis animantibus, hoc eſt ex ſe genitis impleri: nam, & ipſa perſpicuam habet cognationem cum aquis, vtpote, quæ ſine harum ſucco, & irrigatione non ſolum fructificare, ſed nec ipſa conſiſtere poſſit. Petro atteſtante, qui ait; Quia cæli erant prius, & terra de aqua, & per aquam conſiſtens verbo Dei.

Supremam itaque manũ huic vniuerſo fabricando, ac exornando adhibiturus Deus, primo loco terreſtria animalia, quæ rationis expertia ſunt, producit, tamquam ea, quæ ſola deſiderabantur ad complementum totius ſupellectilis, quæ in huius vniuerſi domicilio, ad vſum & oblectationem hominis præparabatur. Vnde ſubiungit Scriptura: Dixit quoq; Deus; producat terra, miniſtrãdo videlicet materiam, vel fiant, ſeu producantur de terra animalia viuentia, ſic quod voluntas Dei erat ibi pro cauſa efficiente, terra erat materialis cauſa in potentia obedientiua, & non naturali; quia potentia naturalis materiæ præſupponit rationẽ ſeminalem, nulla autem talis eſt in terra ad formandum hominẽ, & vocantur animalia ab anima: quemadmodum totum denominatur à parte, ſicut homo vocatur aliquando anima, vt infra, c. 46. vbi dicitur: iſtæ animæ egreſſæ ſunt de femore Iacob. i. homines, iumenta, reptilia, &c.

Quæritur primo. Cur Moſes in conditione animalium ſexta die dixit ſingulariter: producat terra, non ſic autem dictũ eſt ſingulariter de aqua, ſed pluraliter. Producant aquæ, cum tamen ſecundum diuerſitatem terrarum ſit diuerſitas productionis in animantibus. Reſpondet Alexan de Ales, 2. p. q. 54. memb. 1. Quod ſingulariter dicitur de terra, pluraliter de aquis, vt notetur aquarum in ſuis receptaculis diſtinctio, terræ verò eſt continuitas, licet pluraliter dicantur terræ propter regionum diuerſitates. Sed cum de terræ naſcentibus dictum ſit: Germinet terra. Cur de animantibus dictum eſt; producat terra? Quia de terræ naſcentibus inquit Alex. germen eſt in radice, quæ terræ adhæret; Productio autem dicitur, quaſi procul ductio, quia animãtia à terra ſeparantur, atque adeo alia tranſlatio habet, eijciat terra, ideſt extra ſe iaceat, quaſi ſeparatum ab ipſa. *Quæſt. 1.*

Quæritur ſecũdo. Quare cum piſces, & aues viuentem habeãt animã, ſicut animalia terreſtria, de *Quæſt. 2.*

de eis dictum fuit: producant aquæ reptile animæ viuentis; de terreſtribus autem dicitur producat terra animam viuentē, cum & ipſa animalia terræ non ſint ipſa anima viuens, ſicut nec aues, nec piſces? Dicendum, quod ſicut docet Baſilius hom. 8. Hexa. Diuerſus gradus vitæ qui eſt in diuerſis viuentibus ex modo loquendi Scripturæ colligi poteſt. Plantæ enim habent imperfectiſſimam vitam, & occultam, vnde in earum productione nulla fit mentio de vita: ſed ſolum de generatione: quia ſecundum hanc ſolum inuenitur actus vitæ in eis, nutritiua enim & augmentatiua generatiuæ deſeruiunt. Inter alia verò animalia perfectiora, ſunt (communiter loquendo) terreſtria, auibus, & piſcibus, non quod piſces memoria careant, vt dicit Baſilius hom. 7. Hexam. & Auguſtinus improbat, vt diximus ſupra, ſed propter diſtinctionem membrorum, & perfectionem generationis. Quantum autem ad aliquas ſagacitates, etiam aliqua animalia imperfecta magis vigent, vt apes, & formicæ, & ideo piſces vocat nō animam viuentem, ſed reptile animæ viuentis. Sed terrena animalia, vocat animam viuentem propter perfectionē vitæ in eis, ac ſi piſces ſint corpora habentia aliquid animæ; Terreſtria verò animalia propter perfectionem vitæ ſunt quaſi animæ dominantes corporibus. Perfectiſſimus autem gradus vitæ eſt in homine, & ideo vitam hominis non dicit produci à terra, vel aqua, ſicut cæterorum animalium, ſed à Deo.

Quæſt. 3. Quæritur Tertio. Cum genus non debeat diuidi contra ſpeciē, & iumenta, & beſtiæ ſub quadrupedibus computentur, quare quadrupedia connumerantur iumentis, & beſtijs. Pro ſolutione obſeruandum eſt, quòd littera, quam ſequuntur D. Auguſtinus, Iunilius, Beda, & alij, ſic legit: Iumenta, ſeu pecora, quadrupedia, reptilia, & beſtias terræ. Noſtra vero translatio, ſic habet: Iumenta, reptilia, & beſtias terræ. Vbi nomine iumentorum, comprehendit animantia magis domeſtica, & familiaria homini, & quæ homini ſeruiunt, qualitercumque, ſiue adiuuandis laboribus, vt boues, & equi, & ſi quæ ſint talia, ſiue ad lanificium, & ad veſcendum, vt oues, & ſues; Beſtiarum autem nomine intellexit animalia agreſtia, & fera, quæ humanum imperium non patiuntur, vt Leones, Pantheræ, Tigres, Lupi, Canes, Simiæ, & id genus cetera. Per reptilia verò animalia intellexit, vel quæ nullos habent pedes, vt ſerpentes, vel quia habent breues, & admodum exiguos, quibus parum è terra elato corpore mouentur, vt Formicæ, & Lacertæ.

Sed quia in nullo iſtorum generum, comprehendi uidentur Cerui, Lepores, Capri, Apri, Damulæ, Onagri; quoniam nec reptilia ſunt, neque illis beſtijs uti Leones ſunt, coniungi poſſunt, neque pecoribus, ſeu iumentis: quoniam ſub humana cura minimè ſint, propterea Septuaginta Interpretes, præter ſupra dicta poſuerunt quadrupedia.

Dicendum eſt ergo, quod hoc membrum quadrupedia, licet commune ſit pecoribus, beſtijs, ac etiam quibuſdam reptilibus, ponitur tamē ad denotandū, ſeu diſtinguendum genus quoddam ani-

animalium,quod nec ſeuum eſt, neque reptile,neque cicure,cum ſub hominis cura non ſit. Vel dicendum eſt,(vt inquit D. Auguſ. lib.3.de Gen.ad lit. cap.11. cuius eſt etiam ſuperior reſpõſio)quod hoc membrũ non ponit differentiam contra alia tria, ſed connumeratur cum reptilibus, propter hoc,quod reptilia,quædam multorum ſunt pedum, atque ita ponit partem pro toto,vt intelligantur multipedia, & hoc patet ex eo,quòd cum iterum reſumit illa membra,non ponit differentiam quadrupedum,ſed ponit tantum differentiam reptilium; nam in reaſumptione, tantũ tria animantium genera repetit,dicens:& fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas,& iumenta,& omne reptile in genere ſuo: adeo quod per beſtias intellexit, quicquid ore,aut etiam vnguibus ſeuit,exceptis ſerpentibus.Per pecora autem ſeu iumenta,intellexit, quæ neutra vi lacerant,ſed aut cornibus,vt boues,&c.aut ne hoc quidem, vt oues. Per reptilia verò intellexit, nedum ſerpentis,quæ nullis, & ea, quæ multis pedibus repunt, ſed etiam quadrupedia comprehendit, atque adeò non ſimpliciter ait reptilia, ſed addidit: omnia reptilia terræ,& dixit terræ: quia ſunt & aquarum, & dixit, omnia, vt illic intelligantur, quæ quattuor etiam pedibus nituntur, quæ prius quadrupedũ nomine propriè ſignificauit.

Vel dicendum eſt cum Alex. de Ales, 2.p.quæſt.54. mem.1. & D.Thom.par.1.q.73. art.1. ad 2. Quod quadrupedia præmiſit qua ſi genus, & animalia ſubiunxit quaſi ſpecies,ſunt enim quædam reptilia quadrupedia,vt Lacertæ,& Formicæ.

Plato in Politica duo tantum fecit genera animalium terreſtrium, ferum, & manſuetum. Ariſt.autem,primo de Hiſtor.animalium tripartito diſtinguit animantes, alias enim eſſe perpetuo cicures,vt Hominem,& Mulum; alias perpetuò feras, vt Pantheram, & Lupum; alias verò ad vtrumque horum ita flexibili ingenio, vt & cicurari, & efferari facilè poſſint, vt Elephantes, Equi, Capræ, Canes, Boues,&c. **Animaliũ terreſtriũ duo ſunt genera.**

Quæritur Quartò. Cum homo ſit in determinato genere, & ſpecie, quemadmodum cætera animalia, cur in factione hominis non ſit mentio de ſuo genere,vel ſpecie, ſicut in productione animalium; vel ſi de hominis determinata ſpecie,in eius productione non ſit mentio, ergo nec in productione aliorum animalium debet fieri mentio de genere,vel ſpecie. Reſpondet Diuus Thom. vbi ſupra ad tertium, quod in alijs animalibus, & plantis mentionem fecit de genere,& ſpecie, vt deſignaret generationes ſimilium,ex ſimilibus: in homine autem non fuit hoc neceſſarium,vt diceretur, quia quod præmiſſum fuit de alijs,etiam de homine intelligi poteſt; vel quia animalia, & plantæ producuntur ſecundum genus,& ſpeciem ſuam, quaſi longe à ſimilitudine Diuina remota, homo autem dicitur formatus ad imaginem,& ſimilitudine Dei. *Quaſt.4.*

Vel (vt inquit D. Auguſt.lib. 3. de Gen.ad lit. cap.12.) ſecundum genus ſuum,idem ſignificat quod generatim; at vero homo, tantum factus eſt vnus, de quo etiam ipſa femina facta eſt,& nõ ſunt multa genera hominum, ſicut ſunt multa genera, & indiuidua,

dua, herbarum, lignorũ, piſcium volatilium, Pecorum; qua de cauſa, de cæteris dicitur ſecundum genus ſuum, ideſt generatim, vt inter ſe ſimilia, atque ad vnam originem ſeminis pertinentia diſtinguerentur à cæteris.

Quæſt. 5. Quæritur Quinto. Cum animalia generentur per cõmixtionem feminæ, & maris, ſicut homines, propter quod in productione humanæ naturæ dicitur, maſculum, & feminam fecit eos, cur id ipſum non dixit de cæteris animalibus? Ratio eſt (inquit Caiet. in hunc locum:) quia in ſola ſpecie humana inſtituit Deus mixtionem maris, & feminæ, per modum coniugij, in hoc enim præſtat homo cæteris animalibus, quod in reliquis mas, & femina coniunguntur ex appetitu ſenſitiuo, in ſpecie verò humana etiam appetitu rationali. Propterea enim poſtquam dixit Moſes ad imaginem Dei factum eſſe hominem, ſtatim ſubdit: Maſculum, & feminã fecit eos, &c. vt inſinuaret vſum maris, & feminæ in ſpecie humana debere eſſe ſecũdum id, quod ſumus ad imaginem Dei, ideſt ſecundum rectæ rationis vſum, quod eſt per modum coniugij, & non ſecundum appetitum ſenſitiuum, vt coeunt cætera animalia.

In ſola ſpecie humana conſtituit De° coniugiũ.

Vel dici poteſt cum Origene, homil. 1. in Geneſ. quod omnia quæ à Deo creata ſunt, coniuncta, & compaginata dicuntur, vt Cælum, & Terra, Sol, & Luna, Herbæ, & Lignum pomiferum: Reptile animæ viuentis, & Volatile, Iumẽta, & Beſtiæ; ita etiam, vt oſtenderet, quoniam & homo opus Dei eſt, & non ſine harmonia, & competenti coniunctione prolatus eſt, ideo dixit maſculum, & feminam fecit eos; quod non oportuit addere in cæteris animalibus; quia ſimul cum alijs producebantur. Poſſet hæc ſolutio pati calumniam de luce; niſi dicatur lucem prima die factam non fuiſſe ſolius Solis, ſed & Lunæ communicatam.

Quæſt. 6. Quæritur Sexto, An minutiſſima animantia facta ſint in operibus ſex dierum. Pro ſolutione obſeruandum eſt, quod minutiſſimorum animalium quædam, de viuorum corporum vitijs, vel purgamentis, vel exhalationibus aut cadauerum tabe gignuntur, vt pediculi, cimices, pulices, tinea, vermes, qui ex corporibus mortuis gignuntur. Quædã, quæ de corruptione lignorum, & herbarum, quædam de corruptionibus fructuum.

Minutiſſima animalia an producta ſint die ſexto.

Quæſt. 7. Alia verò ſunt, quæ ex elementis per cauſas naturales oriri poſſunt, vt ſunt Muſcæ, Culices, Veſpæ, & his ſimilia; quorum omnium non poſſumus rectè dicere, Deum non eſſe creatorem. Ineſt enim omnibus quoddam naturæ ſui generis decus, vt in his maior ſit admiratio bene conſideratis, & laus vberior omnipotentis artificis, qui omnia in ſapientia fecit, qui à fine, vſque ad finẽ pertendens, & ſuauiter cuncta diſponens, nec ea ipſa rerum nouiſſima, quæ pro ſui generis ordine diſſoluuntur, & quorum diſſolutionẽ ex pęna naturæ mortalitatis horremus, reliquit informia; ſed creat minima corpore, acuta ſenſu animantia, vt maiore attentione ſtupeamus agilitatem Muſcæ volantis, quam magnitudinem iumenti gradientis; ampliuſque miremur opera formicarum, quam opera vel onera camelorum.

Si ergo

Digitized by Google

Si ergo ſit ſermo de primi generis animantibus, ſcilicet de ijs, quæ de animaliū gignuntur corporibus, & maximè mortuorum, abſurdiſſimum eſt dicere, tunc creata, quando animalia ipſa creata ſunt, niſi tantum virtute; quia ſcilicet inerat iam in omnibus animatis corporibus vis quędam naturalis, & quaſi præſeminata materia, & quodammodo initiata primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporū pro ſuo quoque genere, & differentijs erant exortura, per adminiſtrationem ineffabilem, omnia mouente incommutabili creatore.

Si autem fiat ſermo de ſecundi generis animantibus, de ijs inquam, quæ vel ex aquis, vel ex terris oriuntur, hæc non improbabile videtur in prima rerum productione Deum produxiſſe, in quibus & illa non abſurdè intelliguntur, quæ naſcuntur ex ijs, quæ terra germinante orta ſunt, & quia præceſſerant conditionē, non ſolum animalium, ſed etiam luminarium, & quia terræ continuantur per radicum connexionem. Vnde illo die, quo apparuit arida, exorta ſunt, vt potius ad ſupplementum habitationis, quam ad numerum habitatorum pertinere intelligantur. Ita docent Auguſtinus lib. 3. de Geneſi ad lit. cap. 14. Alex. de Ales, vbi ſupra memb. 2. D. Tho. vbi ſupra, ad quintum. Pererius lib. 1. in Geneſ. & Molina de operibus ſex dierum diſp. 20.

Quæſt. 7. Quæritur Septimo. Quid opus erat, vt tam multa animalia Deus faceret, ſiue in aquis, ſiue in terra, quæ hominibus non ſunt neceſſaria, multa etiam pernicioſa, & immunda?

Reſpondet D. Chryſoſt. hom. 7. in Geneſ. Quod non ſit omnino malum, vel inutile, quicquid à Deo conditum eſt, manifeſtè oſtendunt ea Moſis verba. Et vidit Deus, quod eſſet bonum, in ſingulis rerū productionibus replicata.

Quis enim dicere audebit cuius gratia cætera facta ſunt, quā nobis vtilitatem conferunt? quid commodi ex earum creatione, cum dicat Moſes. Et vidit Deus, quod eſſet bonum: An quia tu factorum ignoras rationem, creaturas accuſas? Audiſti Dominum laudantem, & ſententia ſua dicentem, quod bonæ ſint, & tu inſanis, & dicere audes, quare factæ ſunt? quaſi Deum ob ſuum opificium accuſans? Nam ſi cordatus eſſes, poſſes etiam ex horum creatione, & potentiam Dei, & ineffabilem miſericordiam addiſcere. Potentiam quidem: quia ſermone, & præcepto, ex aquis, & terra talia animalia produci fecit; miſericordiam autem, quia vt ea produxit propriam eis regionem attribuit, innauigabilem maris partem illis decernens, ita vt nemini poſſint nocere, ſed verſentur in mari, & ſui ſpectaculo ſupereminentem opificis potentiam doceant, nullumque humano generi damnum inferant. Neque ob noſtram dumtaxat vtilitatem, ea omnia facta ſunt, ſed ob immenſam eius magnificentiam. Præter quam quod ſicut in arboribus, non omnes fructuoſæ, ſed infructuoſæ multæ; attamen illę ipſæ non minorem nobis, quam fructuoſæ vtilitatem, eamque admirabilem, & quieti noſtræ ſeruientem conferunt.

Deus cur animalia noxia, vel pnicioſa produxit.

Etenim ex ipſis ędificia, & multa alia ad quietem noſtram pertinentia

tinentia

Digitized by Google

tinentia fabricamus, & omnino nihil eſt, quod non ratione aliqua formatum ſit. Etiam ſi humanæ naturæ omnia illa exactè ſcire poſſibile non ſit. Proinde ſicut in arboribus, ita etiam in animalibus, alia quidem ad cibum noſtrum pertinent, alia ad miniſterium; ferarum item, & reptilium genera, non minorem nobis ferunt vtilitatem. & ſi quis vellet ſapienter cognoſcere, inueniet etiam nunc, cum à principatu eorum ob primi parentis inobedientiam deſtituti ſumus, magnam ex illis nobis vtilitatem prouenire: Multa enim inde colligũt Medici, quæ ad noſtrorum corporum medicinam, & ſanitatem conducunt.

Vel dicamus cum D. Auguſtino lib. 1. de Geneſ. contra Manichæos, c. 16. quod omnia pulchra ſunt Cõditori, vt artifici ſuo, qui omnibus vtitur ad gubernationem vniuerſitatis, cui ſumma lege dominatur.

Si enim alicuius opificis officinam imperitus intrauerit, videt ibi multa inſtrumenta, quorum cauſas ignorat, & ſi multum eſt inſipiens ſuperflua putat. Iam verò ſi in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractet, ſe ipſum vulnerauerit, etiam pernicioſa, & noxia exiſtimat. Quorum tamen vſum, quoniam cognouit Artifex inſipientiam eius irridet, & verba inepta non curans officinam ſuam conſtanter exercet. Et tamen tam ſtulti ſunt homines, vt apud artificem hominem, non audeant vituperare, quæ ignorant, ſed cum ea viderint credunt eſſe neceſſaria, & propter vſus aliquos inſtituta.

In hoc autem mundo, cuius conditor, & adminiſtrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum cauſas non vident, & in operibus, atque inſtrumentis omnipotentis Artificis, volunt ſe videri ſcire, quod neſciunt. Ego verò fateor me neſcire quare ranæ creatæ ſunt, aut Muſcæ, aut vermiculi. Video tamẽ omnia in ſuo genere pulchra eſſe, quamuis propter noſtra peccata multa nobis videantur aduerſa: non enim animalis alicuius corpus, & membra conſidero vbi non menſuras, & numeros, & ordinem inueniã ad unitatem concordiæ pertinere, quæ omnia vnde veniant non intelligo, niſi à ſumma menſura, & numero, & ordine, quæ in ipſa Dei ſummitate incommutabili, atque æterna conſiſtunt.

Certè omnia animalia, aut vtilia nobis ſunt, aut pernitioſa, aut ſuperflua. Aduerſus vtilia nihil eſt, quod obiici poſſit; De pernicioſis autem, vel punimur, vel exercemur, vel terremur, vt non vitam iſtam periculis ſubditam, ſed aliam meliorem, vbi ſumma eſt ſecuritas, diligamus, & deſideremus, & eam nobis pietatis meritis comparemus.

De ſuperfluis verò, quid nobis eſt quærere? ſi tibi diſplicet, quod non proſunt, placeat quod non obſunt, quia etſi domui noſtræ non ſunt neceſſaria, eis tamen impletur huius vniuerſitatis integritas, quæ multo maior eſt, quam domus noſtra, & multo melior; Hanc enim multo melius adminiſtrat Deus, quam vnuſquiſque noſtrum domum ſuam.

Vſurpa ergo vtilia, caue pernicioſa, relinque ſuperflua.

In

In omnibus tamē cum menſuras, & numeros, & ordinem vides, artificem quære: nec alium inuenies, niſi vbi ſumma menſura, ſummus numerus, ſummus ordo, ideſt Deum; de quo veriſſimè dictum eſt, quod omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuerit; ſic fortaſſe vberiorem capies fructum, cum Deum laudas in humilitate formicę, quam cum tranſis fluuium in alicuius iumenti altitudine.

Sed audiamus Damaſcenum lib. 2. de fide, cap. 25. doctè, & piè hanc difficultatem abſoluentem. Eduxit etiam terra (inquit) mundi opifice mandante, omnimoda genera animalium, reptilium, ferarum, cicurum, ac pecorum, vniuerſa quidem ad oportunam hominis vtilitatem, ſed horum, hæc ad cibū, vt ceruos, oues capreas, & huiuſmodi; hæc adminiſterij vſum, vt camelos, boues, equos, aſinos, & id genus, illa verò ad voluptatem, vt ſimias, & auium picas, & pſitacos, & ſimilia. Sed & plantarum, & herbarum hæ quidē fructiferæ ſunt, & eſui accommodatæ, hæ odoriferæ, & floridæ nobis ad delectationem tributæ, vt Roſa, & huiuſmodi, hæ ad morborum curationem. Non eſt enim animal, aut planta, in qua operationem quādam hominum vſui conducentem, non impoſuerit conditor rerum, ac opifex.

Quaeſt. 8. Quæritur Octauo. Vtrum animalia venenoſa, ac perniciosa creata ſint ante hominis peccatum, vel tantum poſt hominis peccatum ad vindictam creata ſint? Dicendum eſt cum D. Auguſtino libro 3. de Geneſ. cap. 15. quod vtique ante hominis peccatum creata fuere, at nocere cęperunt tantum poſt peccatum hominibus peccatoribus. Neque hoc mirum eſt. Quandoquidem etiam temporibus huius vitæ laborioſæ, & ærumnoſę, cum nemo ita ſit iuſtus, vt perfectum ſe audeat dicere, Paulo atteſtante ad Philip. 3.

Non quia iam acceperim, aut perfectus ſim, tamen, & Sanctus Daniel inter Leones ſaluus, atq; intrepidus vixit, qui non eſt vtique Deo mentiens in oratione, non tantum peccata populi ſui, ſed etiam ſua pateretur, & in ipſius Apoſtoli manu mortifera vipera adhæſit, nec eam læſit.

Poterant ergo, & iſta creata nihil nocere, ſi cauſa non extitiſſet vel terrēdorum, puniendorumque vitiorum, vel probandæ perficiendæque virtutis: quia & exempla demonſtranda ſunt patientiæ ad profectum ceterorū, & ipſe ſibi homo in tentationibus certius inoteſcit, & iuſtè ſalus illa perpetua, quæ amiſſa eſt per voluptatē, fortiter recipitur per dolorem.

Quaeſt. 9. Beſtięquare inuicē ſibi noceant. Quæritur Nono. Quare inuicā beſtiæ ſibi nocent, quibus nec peccata vlla ſunt, vt vindicta iſta dicatur, nec vllam recipiunt tali exercitatione virtutem.

Reſpondet D. Auguſtinus loco citato, cap. 16. & poſt ipſum D. Thom. prima par. q. 36. arti. 1. ad ſecundum. & Molina De Operibus ſex dierum. Diſp. 20. Quod animalia, quæ nunc ferocia, & carniuora ſunt, vt ſunt Accipitres Aquilæ, Leones, Lupi &c. etſi in illo ſtatu fuiſſent manſueta circa hominem; minimè vero circa alia animalia; non quod ſtatim à principio mundi carnibus veſcerentur, non enim per peccatū hominis, natura animalium eſt mutata,

mutata, vt quibus nunc naturale eſt commedere aliornm animalium carnes, tunc vixiſſent de herbis, atque alia non eſſent cibi aliorum; Nec rectè poſſumns dicere, quod nō eſſent alia, quibus alia veſcerentur; habent enim omnia quam diu ſunt menſuras, numeros, & ordines ſuos, quæ cuncta merito conſiderata laudantur, nec ſine occulta pro genere ſuo moderatione pulchritudinis temporalis, etiam ex alio in aliud tranſeundo mutantur, quare cum id naturale illis ſit, non eſt quod miraculum, ſine neceſſitate admittamus, quo id fuerit impeditum; nec animalia in tam paruo numerò in eadem ſpecie à Deo producta ſunt, vt non ſufficerent, tum ad huiuſmodi belluarum ſuſtentationem, tum etiam ad ſpeciei conſeruationem & propagationem. Nec Gloſſa Bedæ Geneſ. 1. dicit, quod ligna, & herbæ datæ ſint omnibus animātibus, & omnibus in cibum, ſed quibuſdam.

Fuiſſet ergo naturalis diſcordia inter quædam animalia, quæ poſt peccatum etiam hominibus nociua effecta ſunt; Neque hoc ſine hominis vtilitate, nam omnibus talibus inferioris creaturę motibus, præbentur homini ſalubres admonitiones, vt videat quantum ſibi ſatagendum ſit, pro ſalute ſpirituali, & ſempiterna, qua omnibus irrationabilibus animantibus antecellit, cum illa videat à maximis Elephantibus, vſque ad minimos vermiculos, pro ſalute corporali, & temporali, quam pro ſui generis inferiori ordinatione ſortita ſunt, ſiue reſiſtendo, ſiue cauendo, agere quicquid valenr, quod non appareret, niſi cum quamdam refectionē corporis ſui ex aliorum corporibus quærunt, alia ſe, vel repugnādo viribus, vel fugæ præſidio, vel latebrarum munimine tuerentur, nam & ipſe corporis dolor in quolibet animante, magna, & mirabilis vis eſt quæ illā compagem ineffabili mixtione vitaliter continet, & in quādam ſui moduli redigit vnitatem, cum eam non indifferenter, ſed (vt ita dicā) indignanter, patiatur corrumpi, atque diſſolui. Toſtatus tamen, in capit. 13. Geneſ. per multas quæſtiones tenet, quod animalia carniuora, in primis temporibus nō comedebant carnes, quem ſequitur Pererius libro 4. in Geneſ. quæſt. de hac materia.

Quæritur Decimo. Cur ſi animalia noxia, viuos homines, aut pœnaliter lædunt, aut ſalubriter exercent, aut vtiliter probāt, aut ignoranter docent, in eſcas ſuas dilacerant etiam corpora hominum mortuorum? Sed mirum eſt inquit, D. Auguſtinus loco citato, cap. 17. quomodo hoc aliquem moueat; Quaſi vero quicquam interſit ad noſtram vtilitatem, iſta caro iam exanimis in producendo naturæ ſecreta, per quos tranſitus eat, vnde mirabili omnipotentia creatoris rurſus reformanda ſeruatur. Et benè hinc fit, quædam prudentibus admonitio, vt ſe ita commendent fideli creatori, omnia maxima, & minima occulto nutu adminiſtrāti, cui noſtri etiam capilli numerati ſunt, nec propter inanes curas, exanimatorū corporum ſuorum vlla genera mortium perhorreſcant, ſed piæ fortitudinis neruos, ad omnia præparare non dubitent. *Quæſ. 10.* Animalia noxia cur corpora hominum mortuorū dilacerēt.

Quæritur Vndecimo. An animalia, *Quæſ. 11.*

Animalia quæ ex diuerſarum ſpecierũ coitione naſcũtur an ſexto die producta ſint?

malia, quæ generantur ex coitione diuerſarum ſpecierum, veluti Mulus ex Equa, & Aſino, Tityrus ex Hirco, & Oue; Leopardus ex Leæna, & Pardo, Linx, ex Lupo, & Ceruа, hoc 6. die condita ſint à Deo. Rupertus Abbas lib. 1. de operibus Trinit. c. vlt. & D. Thom. 1. p. q. 77. ar. 1. ad tertium, opinantur huiuſmodi animalia, in primordijs mundi non eſſe à Deo facta, neque niſi multis poſt ſęculis extitiſſe, quoniam primus mortalium Ana vt traditur Geneſ. capit. 36. autor fuit generationis Muli, ex Equa, & Aſino, nam cũ paſceret in deſerto greges Equarum, & Aſinorum, fecit vt Aſinæ cum Equis miſcerẽtur, indeque generarentur Muli.

Cæterum Pererius lib. 1. in Geneſ. exiſtimat Mulos fuiſſe conditos à Deo in Mũdi exordio, quippe, cum iſtiuſmodi generatio animalium naturalis ſit, cum fermè omnia, quæ ad eam perficiẽdam conueniunt ſint naturalia, hoc eſt materia, vnde generantur, efficiens cauſa, locus, tempus, appetitus, conuenientia naturalis inter mares, & feminas, deniq; nobilitas eiuſmodi animalium, quæ perfectiſſimis, vel paria, vel proxima ſunt.

Et ad illud, quod adducitur ex Geneſ. 36. quo ſignificatur Anam autorem fuiſſe generationis mulorum, dicit, quod etſi lectio, & interpretatio admittatur, non ſequitur tamen mulos non fuiſſe productos à Deo in mundi exordio, aut ante Anam nuſquam fuiſſe, ſed illum fuiſſe inuentorem eiuſmodi commixtionis, & generationis animalium in illa regione, & apud illam gentem.

Ego autẽ credo generationem mulorum, vtique naturalem eſſe, quoniam vt docet Ariſtot. 6. Metaphy. in animalibus illis, quæ cũ ſint diuerſarum ſpecierum, poſſunt ad inuicem generare, eſt quædam conuenientia eſſentialis, quæ non reperitur in cæteris animalibus; Vnde cum Mulus ſit fetus Aſini, vel Equæ, debet ab illis generari in ſimilitudine naturæ, & non ſolum in natura generica omnibus animalibus cõmuni (aliàs vermes eſſent filij hominis,) ſed in quadam natura magis particulari, & in prædicato quodam eſſentiali, illis magis proprio, & hoc ſufficit, vt Aſinus & Equa generantes Mulum, dicantur generare ſecundum genus ſuum.

Cæterum, quod ſpecies, quæ adulterinæ ſunt fuerint à Deo cũ alijs animantibus productæ, non credo; tum quia ſuaptè natura adulterinæ ſunt, & contra ſpecialem naturæ ordinem generãtur, tum etiam, quia ſteriles eſſe ſolent, nec proinde ſe poſſunt propagare per generationem à ſe profectam. Tum denique, quia Deus ipſe Leuitici 19. Iumenta (inquit) tua non coire facias cum alterius generis animalibus.

Animalia verò, quę ex putredine, & corruptione generantur, cum pleraque ſint, quæ etiam ex ſemine generantur, iſta à Deo in exordio creata fuiſſe non dubito. Si quæ vero ſunt, quæ naturaliter ex corruptione tantum generantur, de illis diſtinguendum eſt, cum D. Auguſtino libro 3. de Geneſi ad litt. cap. 4. Nam vel ea generantur ex corruptione perfectiorum ſe, vt ex corruptione hominis, vel aliorum nobiliorum animalium, & hęc non ſunt facta in principio, ſaltem modo ordinario, puta ex corruptione; ſiquidem

Digitized by Google

dem minimè tunc conueniebat aliquas eiuſmodi res nobiliores corrumpi. Vel generantur ex corruptione rerum imperfectiorum ipſis, vt alicuius rei inanimæ, vel etiam plantæ, & hæc fieri potuerunt ab initio, & ex aliqua tali corruptione, vt cenſet D. Auguſtinus.

Quod ea ratione confirmare poſſumus: quia quando animalia, & Plantæ ex terra facta ſunt, tamquam ex ſubiecto iuxta ſententiam, quæ negat elementa manere formaliter in mixto, aliquid terræ tunc corruptum eſt, vt in materiam terræ introduceretur, verbi gratia, forma plantę, aut animalis, cũ generatio vnius ſit alterius corruptio: neque neceſſum eſt putare nullam omnino fuiſſe corruptionem in illo mundi initio. De animalibus verò ſordidis, atque homini moleſtis, vt ſunt ea, quæ in ipſo corpore humano naſcuntur, quæ minimè decuiſſe videntur ſtatum hominis ante peccatum, velut ſunt pulices, & pediculi, &c. Dicendum eſt cum D. Auguſtino libro primo, de Geneſ. contra Manichæos, non fuiſſe illas beſtiolas homini futuras ita moleſtas, vt nunc, ſi non peccaſſet, atque adeo, nec eo nomine futuræ fuiſſent ſordidæ, nec natura ſua; cum nihil à Deo creatum ſit natura ſua ſordidum, aut immundum, omnis enim creatura Dei bona eſt, vt ait Apoſtolus primo ad Timoth. capitulo quarto.

Quæſ. 12. Aĩalia terreſtria cur à Deo nõ benedicũtur.

Quæritur Duodecimo. Cum animalia terreſtria magis ſint homini ſimilia; quã à Deo dicitur benedici, quam aues, & piſces; Cur igitur aues, & piſces dicuntur benedici, & non animalia terreſtria? Dicitur primo ex D. Auguſtino libro tertio, de Geneſ. capitulo decimotertio, Iunilio, vel Beda, in hunc locum; Quod benedictio Dei dat virtutẽ multiplicandi per generationem, & ideo quod poſitum eſt in auibus, & Piſcibus, quæ primo occurrerunt, non fuit neceſſarium repetere in terrenis animalibus, ſed ſubintelligitur; In hominibus autem iteratur benedictio, quia in eis eſt quædam ſpecialis multiplicationis ratio propter complendum numerum electorum, & ne quiſquam diceret in officio gignendi filios, nullum eſſe peccatum, ſiue aliquod eſſe peccatum; nam licet munus generandi ſit omninò naturale in cæteris animantibus, in homine tamen partim eſt naturale, & partim eſt voluntarium, & quod in alijs, nec vitij, nec virtutis capax eſt, in homine, vel laudi, vel crimini verti poteſt. Hebræi dicunt, quod propter ſerpentem, qui poſtea inter animantia terreſtria maledictus fuit à Domino, non benedicuntur hæc animalia neque hoc mirum videri debet, cum videamus in Apocal. capitulo ſexto, non numerati inter beatos Tribum Dan, nec Tribum Ephraim, propter Antichriſtum maledictũ, qui erat de illa Tribu, & Ierobam Regem Iſrael qui induxit vitulos, qui etiã fuit de iſta Tribu.

Vel poſſet dici, quod quia opus ſextæ diei nõ expletur vſque ad hominem conditum, & ibi refertur Diuina benedictio illa, ea parte, qua poteſt competere brutis animalibus, ſcilicet quo ad illud: Creſcite, & multiplicamini, &c. Refertur etiã ad ea; cętera vero, & dominamini &c. tãtum ad

L homi-

homines. Quod poteſt confirmari: Nam die ſecundo non dicitur: Vidit Deus quod eſſet bonũ, &c. Quando tantum fit firmamentum, aut diuiduntur aquæ, ſed quando aquæ congregatæ ſunt, quod vltimatè pertinet ad opus diſtinctionis aquarum, tũc dicitur; Vidit Deus, quod eſſet bonum. Similiter hic, quãdo omnia animalia producta ſunt, & ornatus terræ completus, tunc benedicuntur animalia.

De hominis formatione.

Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, &c.

IN vniuerſali opificio. Ordinẽ ſeruari neceſſe erat, propter futuram generationem aliarum rerum ex alijs. In his autem, quæ ſucceſſiuè generantur ordo hic eſt, vt natura incipiens à viliſſimis deſinat in præſtantiſſima omnium. Idem hoc, & in vniuerſi huius creatione contingit; Quando enim res effingere placuit opifici in ordine primi fuerunt, qui & viliſſimi piſces; anima enim ineptiſſima, & rudiſſima generi piſcium obuenit, abſolutiſſima autem, & longe optima generi hominum; Reliqua verò inter extremitates media, potiora prioribus, deteriora poſterioribus, terreſtria, & volucria.

Ideo primi creati ſunt Piſces corporeæ plus, quam animalis eſſentiæ participes, quodammodo animalia, & non animalia, mobilia inanima ad ſolam corporis conſeruationem, vi animalis eis addita; ſicut vulgo ſalem inſpergunt carnibus, ne facilè putrefiant. Poſt piſces verò ſecuta ſunt volucria, & terreſtria, ideſt acrioribus iam ſenſibus prædita, & animales proprietates habitu ipſo præſeferentia; poſtremus homo creatus eſt, cui conditor mentem eximiam donauit quæ ſit ceu animæ anima, quemadmodum pupilla in oculo; nam hanc quoque ſcrutatores naturæ dicunt eſſe oculi oculum.

Igitur poſtquam conditor expandit cælum, extendit terram, condidit firmamentum, vt aliquid interſtitium, aliquid diuiſionem inter aquas, & aquas faceret, & deinde vt iuſſit aquarum fieri congregationes, eas mare appellauit, aridam autem terram, quam ſeminum herbarumque prouentu ornauit. Indeque tranſijt ad duorum magnorum luminarium formationem, & ſtellarum varietatem, quibus pulchritudinem cæli decentiorem reddidit.

Poſtea autem productis aquatilibus animantibus, & volatilibus, quæ volarent ſuper terram, ſub firmamento cæli, & impleto quinque dierum numero, quoniam oportebat & terreſtria animalia formari, imperauit, vt & ipſa ederentur, & quæ ad cibum, & quæ ad miniſterium, conducibilia, & feræ, & reptilia; Denique vbi omnia ſuo ornatu excoluit, & conuenienti ordine viſibilia diſpoſuit, & menſam largam inſtruxit varijs, & omnigenis referram edulijs, copiamque & opes regias habentem, & quaſi quis dicat, & vndequaque ſupra, & infra varijs modis ſplendidam, tunc tandem fruiturum his omnibus format, cui viſibilium omnium poteſtatem tradat, & oſten-

& oſtendit, quanto dignius cete ris omnibus animal formet, quãdoquidem præcepit omnia, quæ fiebant ſub illius eſſe imperio, & poteſtate.

Alia ordinis ratio ſilentio non prætermittenda aſſignatur à Gregorio Niſſeno de creatione hominis cap. 2.

Nondum enim inquit, magna hæc, & pretioſa res homo mundi Dominus aderat; Nec enim decuerat prius exiſtere Principem, quam illa, quorum gereret principatum, ſed vbi cuncta ei ſubijcienda parata ſunt; iam conſequens erat apparere rectorem. Quia igitur quoddam regni domicilium futuro regi creator vniuerſitatis effecerat, in hunc mundum hominem protinus introduxit, vt quorumdam miraculorum ſpectator exiſteret, quorumdam verò dominatum principaliter obtineret, quatenus per ea quibus vteretur intelligeret largitorem, per ea verò, quæ pulchra, & magnifica contemplatur, ineffabilem ſui factoris poſſet inueſtigare potentiam.

Propterea nouiſſimus in hunc mundum poſt creaturam, introductus eſt homo, vt non viliſſimus in extrema parte proiectus, ſed quem decebat genitum mox eſſe Rectorem. Nam ſicut quidam optimus inuitator non prius in domum pranſorem, quam piæ paret epulas introducit, ſed omnem apparatum inſtruens, domumque congruenter exornans diſcubitum quoque, & menſam, & cætera; tunc ad præparatas iam delitias, conuocatum inuitat. Iuxta hunc modum Diues, & copioſus noſtræ conditor, educatorque ſubſtantiæ, bonis omnibus replens habitaculum mundi huius, & magnas has epulas, variaſque diſponens, ſic introduxit hominem, dans ei opus eximium cuſtodire mandatum, quo non appetitu rerum non extantium, ſed præſentium poſſeſſione gauderet.

Quæſt. 1. Deus cur cum alijs animantibus hominem non produxit.

Quæritur Primo. Cur non coniunxit Deus hominis creationem, cum alijs animantibus terreſtribus, & diſtinxit ſextæ diei opus in Duo, non coniungendo facturam, ſeu cõditionem hominis cum alijs animalibus terreſtribus? Reſpondet D. Auguſt. lib. imperfecto de Geneſ. cap. 16. & poſt ipſum Alex. de Ales, 2. p. q. 55. in 1. ad 3. & D. Bonau. 2. d. 16. in dub. circa litterã. dub. 1. Quod ideo non coniunxit Deus conditionem hominis cũ alijs animantibus terreſtribus, vt oſtenderet nobilitatẽ huius creaturæ ſuper alias, licet enim conueniat cum alijs animantibus in hoc, quod habet animam ſenſibilem, excellit tamen in hoc, quod habet animam rationalem.

Quæſt 2. De' creãs hominem cur locutus eſt in prima perſona.

Quæritur Secũdo. Cur in conditione aliarum rerum, locutus eſt Deus in tertia perſona, dicẽs: Fiat lux; Cõgregentur aquæ &c. Fiat firmamentum, &c. Producãt aquæ, &c. & producat terra? In cõditione autẽ hominis loquitur in prima perſona dicens: Faciamus, &c. Reſpondent 1. Alex. de Ales, & D. Bonau. locis citatis, ꝙ ideo loquitur in prima perſona, vt ex modo loquendi oſtenderet ſe facere velle perſonam potentem loqui, ad ſuam imaginem; In alijs verò locutus eſt in tertia perſona, vt denotaretur eius rei productio, ſeu formatio de quo fit ſermo, quæ propriam loquendi poteſtatem non habet: nam ratio imaginis nulli perſonæ con-

 uenit,

Digitized by Google

uenit, quæ per ſe loqui nō poteſt.

Secundo reſpondent Nicol. de Lira in hunc locum, & Toſtatus, q. 27. in 1. c. Geneſ. quòd ideo in alijs animalibus, & plantis ſermo fuit in tertia perſona, & in homi nis formatione in prima, quia ma teria reliquorum animalium, & plantarum eſt terra, & de poten tia materiæ diſpoſitæ educitur forma, cum non ſit aliquid, quod eſt, de quo animal eſt; non ſic au tem de anima hominis, quę inter formas altiſſimum gradum tenet non enim poteſt educi de poten tia materiæ, ſed à Deo creante inducitur, & quia ſecundum re gulam Philoſophi, ille dicitur ge nerare compoſitum, qui formam coniungit materiæ, cum Deus ſo lus animam creare poſſit, & ſolus creatam formaliter corpori vni re, ipſe proprie hominem produ cere dicitur, & ſi dicamus, quod vnus homo gignit alium, accipit largè, prout miniſtrat materiam, & virtutem diſpoſitiuam, ſcilicet vim formatiuam, & organizati uam, ſed generatio hominis num quam fieret, niſi Deus ſupernatu raliter animam crearet, & forma liter corpori coniungeret. Nam duo ſunt ſuper potentiam natu ralium cauſarum in hominis ge neratione, ſcilicet animę creatio: quia nemo creat niſi Deus, & for malis vnio, ſcilicet vt anima cor pori vniatur, ita, vt ſit forma ſua, & illud vegetet, ſenſificet, & ra tionem tribuat; Si enim anima ſepararetur à corpore per mor tem, licet poſtea poſſet permiſſio ne Dei corpori relicto applicari, vt motor, ita vt illud corpus mo ueret, tamen non poſſet etiā Deo permittente ſe ipſam corpori vni re formaliter, & illud viuificare; niſi Deus ſua potentia eam vni ret, nec etiam angelus poſſet. Quare reſuſcitare mortuū, cum ſit corpori animam vnire forma liter, eſt potentiæ infinitæ. Ex preſſit ergò Deus hic ſuam actio nem ſupernaturalem, dicens: Fa ciamus hominem.

In hominis generatione duo ſunt ſup potētiam naturaliū cauſarū.

Origenes homil. 1. in Geneſ. Chryſoſt. hom. 8. Iunilius, vel Be da in hunc locum dicunt, quòd ideo dixit Deus: Faciamus, vt ſi gnificaret ſe quaſi cum ratione quadam, & conſilio, & quadam deliberatione ad creandum ho minem acceſſiſſe, vt ſcilicet ea re ſignificaret, quod creandum erat id omnibus rebus antea creatis longè præſtantius futurum, nimi rum conſilij, rationis, & pruden tiæ, ac ſapientiæ particeps, quod cæteris rebus corporatis conceſ ſum non fuerat. Cum ergo ho mo inter viſibilia omnia dignita te præcellat, propter quem con dita ſunt omnia, cælum, terra, mare, Sol, Luna, Stellæ, reptilia, iumenta, brutaque animalia omnia, ideo tanto conſilio, tan taque circumſpectione opifici opus fuit.

Sed quare tardius creatus eſt homo, ſi cætera dignitate præ ſtat? Merito inquit Chryſoſto. vbi ſupra. Nam, vt ingreſſuro in ciuitatem aliquam Rege, opere precium eſt præmittere ſatellites alioſque omnes, vt bene adorna tis palatijs, Rex honeſtiꝰ ibi agat: ita ſimili modo quaſi regem, & principem aliquē rebus terrenis præfecturus, prius omnem hunc ornatum fabricauit, & tandem præficiendum hominem forma uit, declarans iſtis factis, quanto honore animal hoc proſequatur.

Quartò reſpondet Rupertus Abbas, lib. 2. de operibus Trinit. cap. 1. quod propterea inducitur Deus,

Deus quaſi conſultabundus ad creationem hominis accedere, vt ex eo liceret exiſtimare, quantæ molis futurum erat hominem non tam condere, quam conditum in ſanctitate, & felicitate, quam à Deo acceperat conſeruare, aut eam amiſſam idem reſtituere; Nam qui hactenus de ſingulis dixit; Fiat, & factum eſt, nunc autem tamquam à circuitu terræ, cæli, & maris laſſabundus reſederit, & inter reſpirandum in mentem illi venerit, adhuc vnum deeſſe, quod deceret, & oporteret fieri: Faciamus (inquit) hominem, ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Domine inquit Propheta, conſilium tuum antiquum verum fiat. An tibi paruum videtur conſilium in illo ſapientiæ conſilio, in illo talium perſonarum, Patris, Filij, & Spiritus ſancti, non tam ſenatu, quam Soliloquio venerando de nobis peccatoribus habitum eſt? An putas eorum quicquam quæ vel circa nos acta, vel agenda ſunt illic defuiſſe? Planè ibi omnis noſtra in medio cauſa poſita eſt, mors, vel perditio noſtra, quæ futura erat, illic perſpecta eſt, & inde totum conſilium habitum, vt vna quæque perſona ſuam operis partem ſuſciperet, vt ſcilicet ſicut iam dictũ eſt, tunc quidem Pater conderet, poſtea in plenitudine temporis, Filius perditum redimeret, Spiritusſanctus remiſſionem peccatorum, & carnis reſurrectionẽ perficeret, atque ita communi Trinitatis conſilio, reædificarentur in homine deſerta ſæculorum, & fundamenta generationis, & generationis ſuſcitarentur. Laus ſapientiæ creatoris, honor gratiæ liberatoris, gratiarum actio illuminatoris, adoratio vni indiuiduæ creatrici, liberatrici, & gubernatrici omniũ Trinitati. Hæc Rupert. Faciamus ergò, & non fiat in hominis formatione dixit Moſes, vt inſinuaret iuxta hanc Ruperti ſententiam, Deum Patrem, velut cum Filio, & Spiritusſancto conſulentem de creatione hominis; Nam præuidebat Deus hominem cito peccaturũ, ac periturum, & fore per quam operoſum, & laborioſum perditum hominem ſeruare, & ad finem cuius gratia erat conditus perducere, atque adeo ſi res ratione humana æſtimetur merito inconſultationem, & dubium vocari poterat, vtrum expediret creari hominem, nec ne.

In quo conſilio tandem deliberatum eſt, atque vt homo crearetur decretũ, ſine eo enim mundus hic perfectus, & conſumatus eſſe non poterat. Verum quia multa circa hominem peragenda erant, quo poſſet is ad finem ſuum perduci, hæc inter ſe Diuinæ perſonæ partitæ ſunt. Pater quidem ſumpſit ſibi creationem hominis, in qua potiſſimum innoteſcat Dei potentia, quæ ſpecialiter tribuitur Patri; Reparationem autem, & renouationem eius ſuſcepit filius, tãquam Dei ſapientia; At Spiritusſanctus ſantificationem, & glorificationem hominis, quæ Diuinæ miſericordiæ, & bonitatis ſunt opera: non quod hæc tria, à ſingulis, & ab omnibus perſonis ſimul æqualiter, & indifferenter non efficiantur, ſed quod in ſingulis eorum liceat aliquid obſeruare, quod ſpecialiter Patri, aut Filio, aut Spiritusſancto aſſignari queat.

Poſtremo dici poteſt, vt docet

Origenes hom.1. in Gen.Chryſ. hom. 8. Baſilius hom. 8. Ambroſ. lib.6.Hexam.cap.7.& D.Auguſt. lib. Imperfecto, de Geneſ. c.16. lib.3.de Geneſ. ad litt.cap.19. & lib.16.de Ciuit.Dei,cap.6.Quod ideo dictum eſt. Faciamus, vt verbo illo miſterium ſanctiſſimæ Trinit.indicaretur in Trinitate perſonæ,atque ſubſtantiæ identitate:nam illud faciamus,& illud ad noſtram perſpicuitatē indicāt multitudinem, & diſtinctionem perſonarum; at vero illud: ad imaginem, & ſimilitudinem, & illud: Dixit Deus,& illud item: Creauit Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, ſubſtantiæ vnitatem apertè declarant.

Quæſt.3. Locutio, qua Deus dixit: Faciamus hominē,&c. an fuerit vocalis.

Quæritur Tertio. An hæc locutio vocalis fuerit, vel mentalis. Toſtatus in Gen. cap.13. q. 306. dicit, quod non fuit aliqua locutio vocalis, vel organica: quia oporteret, quod eſſet alius, ad quem fieret,& qui natus eſſet accipere cognitionem per locutionem; non erat autem tunc aliquis eiuſmodi: nam inter perſonas Diuinas non eſt locutio aliqua,& à fortiori, non eſt locutio vocalis. Inter angelos quoque non eſt locutio vocalis, nec ad eos locutio vocalis eſſe poteſt: quia illi non ſunt apti, ſic cognitionem accipere, cum non habeant ſenſum auditus,neque organa aliqua, cum ſubſtantiæ ſint incorporeæ,locutio autem vocalis ad ſolum hominem fieri debet: quia ipſe ſolus eſt, qui per eam capit alienos conceptus.Cæterum hic non fuit facta locutio ad hominem: quia nondum conditus fuerat; nulla ergo facta locutio fuit, ſed per iſtud dicere, ſignificatur aliquid mentale, cui applicantur iſta, quæ his verbis ſignificantur.

Quæſt.4. Quis nam locutus fuit dicēs: Faciamus & ad quē.

Quæritur Quarto. Cum hic nulla fuerit locutio, cuius fuit iſtud dicere, & ad quem dirigebatur verbum? oportet enim aliquid ſubeſſe his verbis,ne ponamus fruſtra locutam eſſe Scripturam.

Reſpondet Toſtatus loco citato quæſt.307. Quod hic non fuit facta locutio aliqua,ſed ponitur iſtud ad ſignificandum cōſilium Dei, de ijs, quæ pertinebant ad hominem, licet enim Deus non conſilietur: quia in eo locū non habet dubitatio, neque inquiſitio,neque inuentio, ſed eſt in eo cognitio tota,& plena,& ſemper manens; tamen quia homines circa res magnas conſiliantur,& non capiunt, quomodo aliquis intelligens,atque ratione vtens, poſſit aliquod arduum rectè facere ſine cōſilio. Introducit Scriptura Deum circa res magnas velut conſiliantem, & potiſſimè circa ea,vbi aliquibus malum illaturus eſt,aut pœnam,vt patet infra cap.11.& 18.

Quæſt.5.

Quæritur Quinto. Eſto, quod hic non ſit aliqua locutio vocalis,neque conſilium,quia tamen dicitur quod dixit Deus;Cui vel quibus intelligitur dictum eſſe iſtud? ideſt, cui diceretur ſi hoc eſſet verè dicere, vel cui loqueretur, ſi hæc eſſet vera locutio vocalis,vel mentalis.

Dicendum, quod non poteſt intelligi, quod dirigatur ſermo, niſi vnius perſonæ Diuinæ ad aliam, vel Dei ad Angelos, nam ad hominem non fuit facta locutio,vt dictum eſt & iuxta hoc ſumenda eſt Regula inquit Toſtatus vbi ſupra quæſt.308. quod ſi id,quod dicitur,poteſt compete-

re an-

Digitized by Google

re angelis, intelligitur ſermo dictus, vel locutio mentalis ad angelos: quia ibi eſt vera locutio, tam Dei ad angelos, quam angelorum inter ſe, licet non ſit vocalis, Diuinarum autem perſonarum inter ſe, non eſt locutio aliqua vocalis, neque mẽtalis, quia eſt eadem intellectio trium perſonarum, & vna non poteſt aliquid reuelare, vel indicare alteri, quod altera ignoret, quod tamen requiritur ad locutionem. Si autem id, quod dicitur, non poſſit angelis competere, ſed ſoli Deo; intelligitur quaſi ibi ſit ſermo vnius perſonæ ad alteram, licet in veritate nullus ſermo, aut locutio ſpecialis, ſit ibi. Ad quem ergo fuit directa huiuſmodi locutio Dei? Aliqui dixerunt, Deum ad ſe ipſum eſſe locutum, quaſi ſe ipſum ad agendum excitaret, atque determinaret. Alij dicunt, Deum eſſe locutum cum terra, quaſi cum altero principio hominis; namque vt Deus eſt effector humani animi, ita humani corporis, quod terrenum eſt, principium eſt terra. Verum hæc adeo futilia, & ridicula ſunt, vt contemptum magis, & irriſionem, quam ſeriam confutationem mereantur, & qui prioris reſponſionis impugnationem audire deſiderat legat D. Baſilium homil. 9. in Geneſ. qui eam facetè refellit.

Quoſdam etiam non puduit affirmare, cum Deus dixit: Faciamus hominẽ, de ſe ſolo locutum eſſe pluraliter, more magnatum, & principum, qui quo authoritatem ſuam, & maieſtatem oſtendant, de ſe pluraliter loquuntur, dicentes: Nos volumus, mandamus, decernimus, cõcedimus, &c. Verum iſtos refellit Theodoretus, quęſt. 20. in Geneſ. quod ob eã cauſam oportuiſſet Deum loqui de ſe pluraliter, vel ſemper vel vt plurimum, quod tamen contra ſit, vt cum dixit Moſi Exodi 3. Ego ſum, qui ſum. Ego oſtendam tibi omne bonum. Ego percutiam, & ego ſanabo; imo quoties Deum Moſes alloquitur ſemper verbo, & nomine ſingularis numeri vtitur, vt cum dixit. Aut dimitte illis, &c. Neque Chriſtus Dominus de ſe ipſo vnquam aliter locutus eſt, neque ad illum dirigentes ſermonem Apoſtoli, aliter quam in numero ſingulari locuti ſunt. Inanes igitur ſunt, & Hebræorum, & Caietani eos ſequentis ad hunc locum reſponſiones.

Complures alij dixerunt, eum locutum eſſe cum Angelis, quippè qui homini creando etiam nauarunt operam ſuam, atque hæc eſt ſententia Philonis, in libro de Opificio mundi, & in libro De Profugis, affirmã tis animum hominis creatum eſſe à Deo, corpus autem, & partes animæ alentis, atque ſentientis, ab Angelis eſſe formatas, id quod ſumpſit Philo ex Platonis Thimæo, in quo Deus inducitur creato hominis animo, loquẽs cum dij ſſecundis, ideſt angelis, eiſq́ue mandãs, vt opificium eius immitati procreent ipſi cæteras animantes, hominiſque corpus forment. Hanc interpretationem Chryſoſt. hom. 8. in Geneſ. Baſilius homil. 9. Theodoret. quæſt. 20. Cyrillus lib. 1. aduerſus Iulianum, Ambroſ. libro 6. Hex am. cap. 7. & D. Auguſtinus lib. 3. de Geneſ. ad litt. cap. 16. & lib. 16. de Ciuita. c. 6. Nicol. de Lira, in hunc locum, & Toſt. vbi ſupra, vt maximè impiam deteſtantur, & vt manifeſtè

Digitized by Google

falſam, & abſurdam, ac diuinæ Scripturæ euidenter contrariam validè confutant.

Etenim quinque rationibus iſtorum opinio falſitatis coargui & conuinci poteſt.

Prima ratio. Cum Deus dixit: Faciamus hominem, proculdubio, locutus eſt cũ ijs perſonis quæ ad hominis creationẽ, ſimul cum ipſo concurrere debebant, at Angeli ad hominis creationem minimè concurrere poterant, ergo illud (faciamus) non dixit Deus Angelis: minor quo ad animam patet: quia cum ſit incorporea, & immortalis, ex nihilo creata eſt, ſed creatio cuiuslibet rei ex nihilo, quia ſine infinita potentia fieri nequit, ſolius Dei eſt propria, ergò &cæt. Sed neque ad corporis humani formationem concurrunt angeli, cum Deus ipſe de limo terræ formauerit ipſum, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, vt infra clarius apparebit.

Secunda ratio. Perſonas illas, quibus cũ loquebatur Deus non fuiſſe Angelos apertè demonſtrat Moſes per hæc verba, ſubiungens: Creauit Deus hominem, & in Exod. cap. 5. In die (inquit) quo creauit Deus hominem.

Tertia ratio. Illud quoque refellit hanc opinionem, quod additur: Ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, non enim angelus eſt Idea, & exemplar hominis, & in ſacris litteris nuſquam reperitur homine dici ad imaginem Angeli eſſe factum, ſicut non ſemel legimus hominem dici imaginem, vel ad imaginem Dei eſſe factum.

Item Quarto. Illud conuincit ad imaginem noſtram, quoniam non eſt vna, eademq; imago Dei, & angelorum, ſicut non eſt vna, & eadem natura, imò in infinitum diuerſa. Poſtremo. Tam apertè, & expreſsè oſtendit Moſes hominem factum eſſe ad imaginem Dei, non autem Angelorum, vt omnem ea de re ambigendi occaſionem præciderit, poſtquam enim dixit. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, mox ſubiecit; Et creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Et cap. 5. In die, qua creauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum, & capitulo 9. Ad imaginẽ quippe Dei factus eſt homo.

Dicendum eſt ergo cum Alex. de Ales, cuius ſunt hæ rationes, 2. p. q. 55. num. 2. D. Thom. 1. p. q. 31. art. 4. ad ſecundum Nicol. de Lira in hunc locum, & Toſtato, vbi ſupra, quod iſta locutio eſt nomine Diuinarum perſonarum inter ſe. Vox enim hæc (Faciamus) eſt, vel Patris, ad Filium, tãquam conſiliarium ſuum, vel totius Sanctiſſimæ Trinitatis, ac proindè trium perſonarum ſe ipſas ad hoc inſigne opus cohortantium, quamuis propter originis dignitatem, Patri attribuatur quem ad alias perſonas conuertitur, & non eſt quaſi locutio facta ad Angelos. Dicit ergo (faciamus) in plurali, ad denotandum pluralitatẽ Diuinarum perſonarum, vt diximus ſupra.

Quæritur Sexto. Cum cæteræ creaturæ ſint ita veſtigium Trinitatis ſicut homo, eſt ad imaginem Dei, cur non dicitur pluraliter in alijs (Faciamus,) ſicut in formatione hominis. *Quæſt. 6.*

Reſpondent Alexan. de Ales. vbi

vbi ſupra,& D.Bonau.in 2.d.16. in dub.circa litterã,dub.1.Quod vtrobique exprimitur Trinitas, ſed in conditione veſtigij obſcurè,& implicitè Trinitas deſignatur, in conditione verò imaginis expreſsè. Dictum eſt enim ſuperius. Dixit Deus, in quo intelligitur Pater dicens, & Verbum,quo dixit,& factum eſt;Spiritus autem ſanctus intelligitur, cum dicitur; Vidit Deus quod eſſet bonum, vel ſub alia ratione ſicut dictum eſt.

Et fecit Deus,ſcilicet in 2.die, vbi nomine perfectionis intelligitur Spiritusſanctus. Hic autem expreſsè pluralitas perſonarum exprimitur, cum dicitur. Faciamus, & rectè: quia veſtigium eſt ſimilitudo obſcura, imago vero eſt ſimilitudo expreſſa.

Quæſt.7. **Vocabulo hominis quid ſignificetur,cũ dicitur.Faciamus hominem.**

Quæritur Septimo. Quid ſignificatur hic vocabulo hominis, cum dicitur: Faciamus hominem. Aliqui exiſtimant, hic ſignificari tantummodo virum, non autem feminam, cuius formatio infra,cap.2.enarratur.Sed hos euidenter redarguit, quod mox ſubiungit Moſes; Creauit Deus hominem ad imaginem,& ſimilitudinem ſuam,maſculum, & feminam creauit eos, idemq; repetit in Exodo,c.5.

Philo in lib. De opificio mundi, affirmat hominem cuius creatio his verbis deſcribitur,non eſſe intelligendum hominem ſenſibilẽ,ſcilicet quales non ſumus, ſed intelligibilẽ, hoc eſt Ideã,& exemplar hominis.In quo voluit Philo Platonis doctrinã de Ideis ſequi. Verum quo ad hunc locum pertinet, non falſo tantum, ſed etiam inſcienter, inepte, & abſurdè, Idea enim hominis ad cuius ſimilitudinem homo generatus eſt, cum ſit in mente Diuina, nec ſe ipſa ſit aliud quã Deus ipſe, neceſſe eſt eſſe quiddã æternum,Diuinum,& increatum,atque increabile; Non igitur in illam ideam quadrat, quod hic dicitur.Faciamus hominem,& paulo poſt: Creauit Deus hominem, nec ideæ conuenit creari ad imaginem,& ſimilitudinem alterius ſic enim ideæ eſſet idea, & res iret in infinitum.

Sanctus Auguſtinus libro 3.de Geneſ.ad litt.cap.22. refert quorumdam (tacitis eorum nominibus) opinionẽ,qui exiſtimarunt vocabulo hominis intelligi debere hoc loco ſolum hominem interiorem, id eſt ſpiritum, & animum hominis cuius quidẽ creatio hoc loco deſcribatur, ſicut formatio corporis humani narratur infra,c.2.

Si quidẽ homo, qui gerit imaginem, & ſimilitudinem Dei,nõ eſt homo noſter exterior, ideſt corpus,ſed ſpiritus tantum,& animus hominis. In hac ſententia videntur etiam fuiſſe Baſilius homil. 10. in Geneſ. & Ambroſ. libro 6. Hexam.capitulo octauo. Neque huic ſententiæ officit, quod non dixit Deus: Faciamus animum hominis, ſed faciamus hominem, quoniam vt probat Baſilius,non ſemel in Scriptura nomen hominis, pro homine interiori, ideſt pro animo,vel ſpiritu hominis ponitur, ſicut apud Paulum, capitulo quarto, poſterioris epiſtolæ ad Corint.licet is, qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamẽ is, qui intus eſt renouatur de die in diem, & ad Coloſ.3.Expoliãtes vos veterem hominẽ.Et Amb.confirmat.Quemadmodũ inquit vocabulũ animę, & vo-

& vocabulum carnis vſurpatur ad ſignificandum totum hominem, ita vocabulum hominis, adhiberi nonnunquam ad ſignificãdam, vel carnem, vel animum hominis.

Cæterum, hanc opinionem eſſe falſam, merito arbitratus eſt ſupradicto loco D. Auguſtinus & verba, quæ ſubiungit Moſes, non obſcurè demõſtrant. ſubdit enim maſculum, & feminam creauit eos, benedixitq́ue illis dicẽs, &c. Diſtinctio autem ſexus in marẽ, & feminam, generatio, & multiplicatio prolis, denique fructuũ, & herbarum eſus, non ad interiorem hominem, id eſt ſpiritum, ſed potius ad exteriorem, ideſt ad corpus pertinent. Non eſt igitur dubitandum, quin vocabulum (homini) cuius hic explicatur creatio, integrum, totumq́ue hominem ſignificet, ex corpore, & anima conſtitutum.

De Imagine Dei, ad quam creatus eſt homo.

Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.

Dvas præcipuas dignitates habuit homo in ſua conditione (inquit D. Auguſtinus in ſermone quodam de imagine.) Prima eſt quod non fuit creatus, vt aliæ creaturæ, nã de alijs ſolum dicitur: Fiat lux, & facta eſt lux, &c. De homine verò dicitur veluti quodam conſilio factum; Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.

Secunda dignitas eſt, quod fuerit productus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei ad quam, vt tradunt Theologi ſcholaſtici, tria requiruntur.

Ad imaginem tria requiruntur.

Primò, quod ſit ſimilis.

Secundò quod ſit expreſſa, & effigiata ad imitationem alterius.

Tertiò, quod illa ſimilitudo ſit in natura ſpecifica, aut ſaltem ſecundum proprietatem propriã, & nobiliſſimam; Prima tamen, & Secunda conditio intelligendę ſunt ex vi ipſius productionis; nam aliàs ſequeretur, quod ſpiritus ſanctus eſſet imago Patris, quod Theologi non admittunt. Quamuis enim ſpiritus ſanctus ſit ſimilis Patri in natura, & ab illo procedens, quia tamen non procedit, vt ſimilis ex vi productionis: quia per voluntatem, ideo non dicitur imago Patris. Filius autem procedit, vt ſimilis, quia procedit per intellectum, & ideo dicitur imago Patris.

Poteſt autem illud (ad imaginem) dupliciter intelligi, vno modo de imagine increata, hoc eſt quæ ſit in Deo, ita vt Dei natura fuerit tamquam exemplar, ad cuius ſimilitudinem, homo ſit conditus, vt ſit hæc ſententia; Faciamus hominem talem, quales nos ſumus. Vel vt intelligatur de imagine creata, quæ eſt in homine, vt ſit hic verborum Dei intellectus; Faciamus hominem adeo ſimilem noſtri, vt ſit ipſe velut quædam imago, & effigies, noſtram naturam, vim, ſapientiam, prouidentiam in corpore mortali, & in terris repræſentãs. Vnde pro ampliori huius rei intelligentia.

Quæſt. I. Quæritur Primo. Pro quo ſupponat imago cum dicitur faciamus

Imago ꝑ quo ſupponit, cũ dicitur: Faciamus hominem ad imaginẽ.

mus hominem ad imaginem, &c. & fecit Deus hominem ad imaginem, &c. an videlicet pro imagine creata, vel increata? Et videtur quod non poſſit ſupponere pro imagine increata, & ſingulariter, quia nihil increatum, & ſingulariter dictum eſt niſi diuina eſſentia, at imago non poteſt ſupponere pro diuina eſſentia, quoniam idem eſſet, ac ſi diceretur, ad eſſentiam noſtram, ſed ſi homo factus eſſet ad eſſentiam Dei oppoſitio denotaretur; nam in eo, quod eſſet ad eſſentiam, eſſet Deus, in eo autem, quod eſſet factus, non eſſet Deus, atque adeo non eſt idem eſſe ad imaginem, quod eſſe ad eſſentiam. Neque ſupponit aliquid creatum, nihil enim creatum in hoc genere dignius eſt rationali creatura, ac proinde non ſupponeret aliud, quã ipſum hominem, & tunc eſſet ſenſus: faciamus hominem ad ſe ipſum; Nec poteſt dici ad imaginem, ſicut filius eſt imago Patris, vt Abel dicitur ad imaginem Adæ: quia homo, ſic enim rediret, vt diceretur quilibet homo Deus.

Dicendum eſt cum Alexan. de Ales, 2. p. q. 55. num. 3. & D. Tho. in 2. d. 16. in dub. circa litteram, dub. 2. quod illud ad imaginem, & pro increato, & pro creato ſupponere poteſt, ſecundum quod ſupponit pro increato dicit eſſentiam diuinam in ratione mentis, intelligentiæ & voluntatis, & tunc imago dicitur ad cuius imitationem fit aliud, & ſumitur pro exemplari, nec ex hoc ſequitur, quod homo ſit Deus, ſed quod habeat memoriam, intelligentiam, & voluntatem, in quibus imitatur eſſentiam increatam. Si verò ſupponat creatum, tunc eſt ſenſus, conditus eſt homo, vt in hac ratione trinitate viriũ, ſummam imitetur trinitatem; ſic ergo ſupponitur Trinitas creata, quæ ad imaginem ſummæ Trinitatis eſt condita; nec ex hoc ſequitur, ergo homo creatus eſt ad ſe ipſum, nam ſub hac ratione, dicit reſpectum ad ſummam Trinitatem, in quam tendit. Imago enim accipitur iu abſtractione, atque ita poteſt dici homo fieri ad imaginem, ſicut tabula dicitur fieri ad imaginem quando in ea imprimitur Cæſaris imago.

Quæſt. 2. Homo ſecundum quam partẽ dicatur ad imaginem Dei.

Quæritur Secũdo. Iuxta quam partem dicatur homo ad imaginem Dei, num ſecundum corporalem, & ſenſibilem, vel ſecundum rationalem, & intelligibilem. Fuerunt quidam hæretici (ſicut refert D. Auguſtinus libro de hæreſibus, cap. 76. & Caſtro lib. 3. contra hæreſes, verbo, imago, hæreſi. ſecunda) qui aſſerebant hanc imaginem Dei, eſſe in homine, nõ ſecundum mentem, ſed ſecundum corpus, ex quo in aliam hæreſim prolapſi ſunt, aſſerentes Deum eſſe corpus, & habere membra corporea; & Ioannes Caſſianus Collat. 10. cap. 3. & 5. narrat Abbatem quemdam Serapionem miræ abſtinentiæ virũ, aliundè tamen ſine litteris, & imperitum, in eamdem hæreſim incidiſſe pertinaciter ex praua intelligentia iſtorum verborum; Faciamus hominem ad imaginem, &c. Nihilominus tamen Sacra Scriptura, & Concilia, & Sancti Patres apertiſſimè docent Deum eſſe ſpiritum ſimpliciſſimum, & alienum prorſus à corpore, atque ex conſequenti ſimiliter conſtat, in homine eſſe imaginẽ Dei non ſecundum corpus, ſed ſecundum mentem.

Dicen-

Digitized by Google

Dicendum eſt ergo, quod ſumpta propriè imaginis ratione, nō dicitur homo ad imaginem Dei, nec ſecundum corpus, nec ſecundum partem ſenſibilem, ſed ſecūdum partem intelligibilem, vel rationalem, ita docent Baſilius hom.10 in Geneſ. Ambroſ.libro 6.Hexam.cap.8.Alex. de Ales, 2. par.q. 62.memb.5.& D.Thom.1. par.q.93.art.3. Imago enim Dei, qui eſt incorporeus immortalis, immutabilis,non poteſt eſſe in corpore terreno, mortali, & in horas ſingulas mutabili. Et licet in parte ſēſitiua,inueniatur quędam ſimilitudo Trinitatis, imago tamen dici non poteſt, quandoquidem imago eſt expreſſa ſimilitudo, ſicut poſſibile eſt in creatura.

Imago Dei quō ſit in hominis corpore. Eſt tamen imago in corpore hominis, tamquam in ſigno, vel eſt in eo arguitiuè, & ſignificatiuè, pro quanto corpus humanū eſt ita conformatū,& figuratum, vt euidenter arguat,& ſignificet, animum,qui in ipſo eſt ad imaginem Dei eſſe factum. Recta namque humani corporis ſtatura, os ſublime,& erectus in cælum vultus, perſpicuè indicant animum eius corporis habitatorem cæleſtem eſſe,quo ad originem.

Quod expreſsè docet D. Auguſtinus lib.6. de Gen. ad litt.c. 12. his verbis: Sic & hominem de terra, & beſtias de terra ipſe formauit. Quid habet homo excellentius in hac re,niſi quod ipſe ad imaginem Dei creatus eſt, nec tamen hoc ſecūdum corpus, ſed ſecundum intellectum mentis,qua præſtat pecoribus,quamquam in ipſo corpore habeat quamdam proprietatē, qua hoc indicet, quod erecta ſtatura factus ſit, vt hoc ipſo admoneretur non ſibi terrena eſſe ſectanda,velut pecora, quorum voluptas omnis ex terra eſt; Vnde in aluum cuncta pecora prona, atque proſtrata ſunt. Congruit ergo, & corpus eiuſdem animę rationali, non ſecundum lineamenta figuraſque membrorum, ſed potius ſecundum id, quod in cælum erectum eſt,ad intuenda,quæ in corpore ipſius mundi ſuperna ſunt, ſicut anima rationalis in ea debet erigi, quæ in ſpiritalibus natura maximè excellunt, & quæ ſurſum ſunt ſapiat, non quæ ſuper terram.

Et lib.Imperfecto,c.16.inquit Rectè igitur in hac, quod interius,& principale hominis eſt,id eſt ſecundum mentem accipitur faciamus hominem ad imaginē, & ſimilitudinem noſtram,ex illo enim quod in homine principatum tenet, quod eum diſiungit à belluis, totus eſt homo æſtimandus, cætera in eo, quamquam in ſuo genere,pulcra ſint,tamē cum pecoribus communia ſunt, at in hoc in homine paruipendenda. Niſi fortè quod ad intuendum cælum figura humani corporis erecta eſt,valet aliquid etiam,vt corpus ipſum, ad ſimilitudinem Dei factum credatur,vt quemadmodum à Patre ſimilitudo non auertitur, ita corpus humanum à cælo non ſit auerſum, ſic aliorum corpora animalium, auerſa ſunt,quæ prona in aluum proſternuntur.

Hoc idem ſcribit libro primo, de Geneſ. contra Manichæos, c. 17. Vbi poſtquā inſultaſſet Manichæos deridentes Catholicos, quaſi credentes hominem eſſe factū ad imaginem Dei quaſi Deus haberet figuram humani corporis, oſtendiſſetque hominem gerere,

rere imaginem Dei, non corpore, ſed animo ſubdit, quamuis ei corpus noſtrum ſic fabricatum ſit, vt indicet nos meliores eſſe, quam beſtias, & propterea Deo ſimiles; omnium enim animaliũ corpora, ſiue quæ in aquis, ſiue in terra viuunt, ſiue quæ in aere volitant inclinata ſunt ad terrã, & non ſunt erecta ſicut hominis corpus, quo ſignificatur etiam animum noſtrum in ſuprema, id eſt in æterna ſpiritualia erectum eſſe debere. Ita intelligitur per animum maximè, atteſtante etiã erecta corporis forma, homo factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Idem docent Iunilius ſeu Beda in Geneſ. & D. Bernardus ſermone 24. ſuper Cantica.

Homo itaque non ſecundum corpus propriè, & per ſe eſt imago Dei, ſed bene per accidens, quatenus in humano corpore elucet quodammodo præſtantia mẽtis, ſecundum quam homo eſt per ſe Dei imago.

Prima pars aſſertionis eſt certa de fide contra Hæreticos Antropomorphitas, quorum Anteſignanus fuit Audius, ſeu Audęus, qui exiſtimarunt hominem eſſe Dei Imaginem ſecundum corpus, & ideo affirmabant Deum eſſe corporeum, vt diximus ſupra ex D. Auguſtino, & Caſtro, & docet Epyphanius Hæreſi. 70. & Theodoretus, lib. 4. hiſtoriæ, cap. 10. & libro 4. hæreticarum fabularum, & quæſt. 20. in Geneſ. & eſt etiam contra Lutherum, qui & ipſe in Commentario ſuo in Geneſ. poſuit diuinam imaginẽ in humano corpore.

Poſterior pars aſſertionis, eſt omnium ſcholaſticorum cũ Magiſtro in 2. d. 16. & D. Auguſtini in locis ſupra citatis. Et ex hac aſſertione ſequitur, ſine cauſa Eugubinum in ſua Coſmopera, & Hierony. Oleaſtrum in hunc locum finxiſſe, vt magis infra apparebit, Deum, cum hominem vellet condere, induiſſe quandam formam corporis humani, vt cum homine facto inſtar hominis ſermocinari, & conuerſari in illo mundi primordio poſſet; & ad eam formam retuliſſe, quod dixit faciamus hominem ad imaginem &c. hoc commentum nulla ratione, vel auctoritate fulciri poteſt, & pugnat cum communi ſententia Patrum, qui hominem aſſerunt factum eſſe ad Dei imaginem, ſecundum ipſam Dei naturam, atque adeo non per corporis formam, ſed vt mente præditus eſt.

Quæritur tertio. An ſit aliquod diſcrimen, inter eſſe imaginẽ, & eſse ad imaginẽ. Reſpõdet Alex. de Ales, 2. c. q. 62. m. 5. art. 3. quod eſſe ad imaginem, vel ſimilitudinem Dei denotat imperfectam diuinæ ſimilitudinis participationem, eſſe autem imaginem, vndequaque perfectam ſimilitudinẽ repræſentat, adeo quod imago perfecta eſt perfectè implens illud, cuius eſt imago; ex quo ſequitur, quod Dei filius dicitur eſſe imago Dei, ſed nuſquam dicitur eſſe ad imaginem, vel ſecundum imaginem Dei factus, cum ſit perfectiſſima paternæ ſubſtantiæ imago, illud enim (ad) ſignificat acceſſum ad aliquid, à quo tamen diſtat. Ita docet D. Ambr. ſuper 22. cap. Lucæ. Solus Chriſtus eſt plena imago Dei, propter expreſſam in ſe paternæ claritudinis vnitatem. Iuſtus autem homo ad imaginem Dei eſt, ſe propter imitandam diuinę conuerſationis ſimilitudinem, mun-

Eſſe imaginem, & eſſe ad imaginẽ quõ differt.

dum

Digitized by Google

dum hunc Dei cognitione contemnat. Diuus etiam Auguſtinus, lib. 83. quęſt. q. 9. Inquit filiũ Dei, qnia ſubſtantialiter, & perfectiſſime refert Deum Patrẽ, propterea veriſſimè appellari imaginem Dei, hominem autem, quoniam imperfectè refert ſimilitudinem Dei, ideo non dici imaginem Dei, ſed ad imaginem Dei. Verum hoc poſtea correxit Auguſtinus, lib. 1. Retract. c. 26. quippè legerat apud Paulũ prima ad Corinth. 11. Virum appellari imaginem Dei, quocirca, & illo loco, & diſertius, lib. 7. de Trinit. c. vltimo docet hominem, quia ſimilitudinem gerit Dei, appellari imaginem Dei: quoniam autem ea ſimilitudo imperfecta eſt, ad id òſtendendum, dici eum ad imaginem Dei eſſe factum, quod tamen in Filio Dei nunquam dictum inuenimus.

Verum vt, quod diximus appoſitione verborum Auguſtini fiat illuſtrius, audiamus eum, lib. 7. de Trinitate, ita enim ſcribit c. vltimo. Sed quia non omninò æqualis fiebat illa imago Dei, tãquam non ab illo nata, ſed ab eo creata, huius rei ſignificandæ cauſa, ita imago eſt, vt ad imaginem ſit, ideſt non æquatur parilitate, ſed quadam ſimilitudine accedit. Non enim locorum interuallis, ſed ſimilitudine acceditur ad Deum, & diſſimilitudine receditur ab eo. Sunt enim qui ita diſtinguunt, vt imaginem velint eſſe filiũ, hominem verò nõ imaginem, ſed ad imaginem. Refellit autem eos Apoſtolus dicens. Vir quidem non debet velare caput, cum ſit imago, & gloria Dei, non dixit ad imaginem, ſed imago: quæ tamen imago cum alibi dicitur ad imaginem, ſed non quaſi ad filiũ dicitur, quæ imago æqualis eſt patri, alioquin non diceretur ad imaginẽ noſtram: quomodo enim noſtram, cum ſolius Patris imago ſit, ſed propter imparem, vt diximus ſimilitudinem, dictus eſt homo ad imaginem, & ideo noſtram, vt imago Trinitatis eſset homo, nõ Trinitati æqualis; ſicut Filius, ſed accedens, vt dictum eſt, quadã ſimilitudine, ſicut in diſtantibus ſignificatur quædã vicinitas non loci, ſed cuiuſdam imitationis.

Sed dices non videtur hæc diſtinctio perpetuo ſeruari in ſcripturis, quinimo, alicubi legimus, aliquid eſſe imaginem alterius, quod habet illius perfectiſſimam ſimilitudinem, eique adęquatur: nam Geneſ. 4. legitur Adam genuiſſe filium Seth, ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam; conſtat autem filium eſſe ſubſtantialem, perfectamque patris imaginem: Dicendum quod eſse ad imaginem alicuius ſignificat idẽ, quod habere eius ſimilitudinem, ſiue perfectam, ſiue imperfectam, ſed habere eam in diuerſa natura expreſsam, dico, vel ſecundum ſpeciem, vti eſt in homine, & Deo, vel ſecundum numerum, vti eſt inter patrem & filium in creatis; at quia filius Dei eamdem omnino naturam habet, atque pater, propterea nũquã dicitur eſse ad imaginè patris, ſed dicitur dũtaxat eſse patris imago.

Quaſt. 4. Imago ad quid relatiuè dicatur.

Quæritur quarto. Cum imago dicatur relatiuè, relatio autem duo dicat, terminum ad quem dicitur, & fundamentum ratione cuius, de ſubiecto dicitur ad quid relatiuè dicatur imago? Origenes, & quidam alij opinati ſunt, imaginem propriè referri debere ad filium Dei, quem

Pau-

Digitized by Google

Paulus ad Coloſ. 1. vocat imaginē Dei inuiſibilis, & ad Hebræos 1. Figuram ſubſtantiæ eius : nomen enim imaginis ſoli filio inter diuinas perſonas propriè aſſignatur à Theologis. Exiſtimant igitur iſti hominem eſſe factum ſimilem filio Dei. Sicut Paulus ad Rom. 8. affirmat electos prędeſtinaſſe Deū conformes fieri imagini filij ſui, & primo ad Corint. 3. Transformamur in eamdem imaginem, tamquam à Domini ſpiritu.

Verum hanc opinionem refellit, illa particula noſtram, ſi enim factus eſſet homo ad ſimilitudinem filij Dei tantum; Deus Pater loquens cum filio ſuo, non dixiſſet faciamus hominem ad imaginem noſtram, ſed ad imaginem tuam; merito igitur hanc opinionem refellit D. Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 6. & lib. Imperfecto de Geneſ. ad litt. cap. 16. & vltimo, vbi ita ſcribit. Satis quidē, quæ ſuperius dicta ſunt, ſecundū id exponunt hæc verba ſcripturę in quibus legimus dixiſſe Deum, faciamus hominē ad imaginem, &c. vt ſimilitudo Dei, ad quam factus eſt homo, ipſum Dei Verbum, hoc eſt vnigenitus filius accipi poſſit, non vtique, vt ipſe ſit, eadem imago, & ſimilitudo ęqualis patri, eſt tamen, & imago Dei ſicut apertiſſimè oſtendit Apoſtolus; Vir quidem non debet velare caput, cum ſit imago, & gloria Dei; ſed hæc imago ad imaginē facta, non eſt æqualis, & coæterna illis cuius imago eſt, nec eſſet etiam ſi numquam omnino peccaſſet.

Ille autem ſenſus eſt potius in his diuinis verbis eligendus, vt ideo non dictum intelligamus ſingulariter, ſed pluraliter; Faciamus hominem, &c. quia non ad ſolius Patris, aut ſolius Filij, aut ſolius Spiritusſancti, ſed ad totius Trinitatis imaginē factus eſt homo, quæ Trinitas, ita eſt Trinitas, vt vnus Deus ſit, ita eſt vnus Deus, vt Trinitas ſit; Non enim ait filio loquens Faciamus hominem ad imaginem tuam, aut ad imaginem meam, ſed pluraliter ait ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, à qua pluralitate ſeparare Spiritumſanctum, quis audeat? Quæ pluralitas, quoniam non tres Dij, ſed vnus eſt Deus?

Ideo intelligendum eſt poſtea ſcripturam ſingulariter intuliſſe, atque dixiſſe: Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei, vt nō ſic accipiatur, tamquam Deus pater ad imaginem Dei, hoc eſt filij ſui, alioquin quomodo verum eſt, quod dictū eſt ad imaginem noſtram, ſi ad filij ſolius imaginē factus eſt homo? ac per hoc, quia verum eſt, quod ait Deus, ad imaginem noſtram, ita dictum eſt: Fecit Deus hominem ad imaginem Dei, tamquam diceretur ad imaginem ſuam, quod eſt ipſa Trinitas. Ita Auguſtinus, & idem repetit lib. 12. de Trinit. cap. 16. Poſſet autem dici, vt docet Alex. de Ales, vbi ſupra, quod non inconuenit hominem dici, ad imaginem filij, ſicut ad imaginem Trinitatis, adeo quod homo eſt ad filij imaginem, qui eſt imago patris; quia per ipſum tamquam Mediatorē ordinatur ad patrem per gratiam in præſenti, & per gloriam ordinabitur in futuro, dicitur autem ad imaginem Trinitatis: quia ſicut vnitas eſſentiæ Diuinæ eſt in tribus perſonis, quarum vna procedit ab altera, ita vna eſt eſſentia animæ in tribus

bus viribus, quarum virium vna depende per intellectum ab alia, & actus, mediante actu elicitur.

Catena Lipomani.

Alij vero dixerunt, vt legitur in Catena Lipomani ſuper Geneſ. Imaginem referri ad verbũ, nõ ſimpliciter, ſed ad verbum hominem. Nam ex omni æternitate prædeſtinatum, & conſtitutum fuit à Deo, vt verbum æternum ſuo tempore naturam humanam aſsumeret in vnitatẽ perſonæ diuinæ; atque adeo ad imaginem, & ſimilitudinem huius humanæ naturæ in filio Dei aſſumendæ dicunt eſſe factum primum hominem. Verum dura nimis eſt, & coacta, & violenta interpretatio. Nuſquam enim ſcriptura ſignificat hominem eſſe factum ad imaginem, & ſimilitudinem filij Dei, ſed illud potius, non ſemel dicit. Filium Dei in ſimilitudinem hominum eſſe factum. Namque Paulus ad Roman. 8. Deus (inquit) miſſit filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, &c. & ad Philippenſes 2. Formã ſerui accipiens in ſimilitudinẽ hominum factus, &c. & ad Hebræos 2. Quia ergo Pueri communicauerunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem; præterquam quod illa particula ad imaginem noſtram, iſti opinioni plane aduerſatur: nam cum ſola perſona filij carnem humanam aſſumptura eſſet. Deus Pater loquens cum Filio, non dixiſſet: Faciamus hominem ad imaginem noſtram, ſed ad imaginem tuam:

Tertia opinio fuit Hieronym. Oleaſt. & Eugubini in Coſmopeia dicentium, quod Deus, vt crearet hominem, & cum eo ſermonem, & colloquium humano more, ac modo miſcere poſſet induit formam humanam; atque adeo dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem, &c. Verum vt taceam temerariam eſſe ineptam abſurdamque iſtius opinionis nouitatem, quam à nullo probato authore crediderim equidem cogitatam, ne dum ſcriptis eſſe proditam; vt non dicam ſententiam eſse Dionyſij Areopag. Theologorum conſenſu comprobatam, omnes Dei manifeſtationes, & apparitiones, quas in ſcriptura legimus, ſub aliqua ſpecie ſenſibili hominibus eſse factas, eas proximè, & immediatè per angelos eſſe factas, ita vt qui in illis apparebant, & loquebantur, angeli eſſent, Dei tamen authoritatem, & maieſtatem, & verba ſçpè referentes; ſed vt hæc inquam miſsa faciam, illud vnum iſtos vrget, ſcilicet, quod natura illa humana, quam in exordio mundi Deus aſsumpſit, non fuit vera natura, neque in vnitatem perſonæ aſſumpta: quia aliàs bis facta fuiſſet incarnatio, ſemel in temporũ plenitudine, & prius in exordio Mũdi. Et tunc quidem tota Trinitas fuiſset incarnata: quia aliàs nõ fuiſset verũ dicere. Faciamus hominem ad imaginem, &c. cum illud noſtram non ad vnam tantum perſonam Diuinam, ſed ad omnes æquè pertineat. Et ſi dicant, quod non fuit vera illa natura, quam Deus à principio aſſumpſit, ſed vmbra quædam, & ſimilitudo naturæ humanæ: quẽadmodum angelos legimus ſæpè aſſumpſiſse corpora humana. Ergo non erit verum illud, ad imaginem noſtram: non enim illa ſimilitudo naturæ humanæ erat Dei imago, cum nichil ad ipſum pertineat; nec verè dictum eſſet Adamum, qui erat verus, & per-

perfectus homo eſſe factum, ad imaginem Dei.

Quarta opinio fuit Philonis in lib. de opificio mundi, dicentis, illud ad imaginem Dei, denotare Ideam, & exemplar hominis, quod eſt in mente Dei, ad cuius ſimilitudinem, Deus hominem ſenſibilem creauit. Sed hoc inepte, & futiliter dicitur. Tum quia hac ratione nihil de homine eximium, ac ſingulare diceretur. Simili enim ratione poſſet dici, equum factum ad imaginem Dei, ideſt ſecundum Ideam equi, quæ eſt in Deo. Idemque liceret de quibuslibet alijs rebus dicere. Tum quia Idea hominis, quæ eſt in Deo, non eſt imago Dei, ſed eſt imago, & exemplar hominis, non igitur verè dictum eſſet, hominem eſſe factum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei.

Dicendum eſt ergo, cum Diu. Auguſtino, libro 3. de Gen. ad litt. cap. 19. imaginem referri ad Deum trinum, & vnũ: nam ideo dixit Deus faciamus hominem, ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, vt inſinuaret Trinitatẽ perſonarum, ſcilicet Patris, & Filij, & Spiritusſancti, atque tres perſonæ vnam habent deitatem, propter deitatis vnitatem intelligendam, ſtatim admonet dicens. Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei; ac ſi diceretur fecit Deus ad imaginem ſuam; cũ autem dicitur poſt ad imaginem Dei, cum prius dictum ſit ad imaginem noſtrã, ſignificatur, quod non id agat pluralitas perſonarum, vt plures Deos, vel credamus, vel dicamus, vel intelligamus, ſed Patrem, & Filium, & Spiritumſanctum, propter quam Trinitatem dictum eſt, ad imaginẽ noſtram, vnum accipimus Deũ, propter quod dictum eſt ad imaginem Dei.

Ita colligunt Patres ex iſtis verbis: Facimus hominem ad imaginem &c. Vnde Greg. Niſſenus oratione in illud: Faciamus hominem &c. ſcriptum eſt inquit: Faciamus, vt cognoſcas Patrẽ Filium, & Spiritumſanctum; & fecit Deus hominem; vt diuinitatẽ cõiungas, atq; vnũ eſſe ſcias. Idẽ aſſerit D. Ambr. lib. 6. Hexam. c. 8. Cui (inquit) dicit faciamus &c. non ſibi vtiq;: quia non dicit faciam: ſed faciamus. Nõ Angelis; quia miniſtri ſunt; ſerui aũt cum domino, & opera cũ factore, non poſſunt operationis habere cõſortium, ſed dicit filio, ẽt ſi Iudęi nolint, etiam ſi Arriani repugnent. Et D. Aug. lib. 12. de Trinit. ca. 6. Dixit Deus (inquit) faciamus hominem ad imaginem noſtrã paulo poſt aũt dictũ eſt, & fecit Deus hominẽ ad imaginẽ Dei. Noſtrã certè: quia pluralis eſt numerus, non rectè diceretur, ſi homo ad vnius perſonæ imaginẽ fieret, ſiue Patris ſiue Filij, ſiue Spiritusſancti: ſed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictũ eſt ad imaginẽ noſtrã, atq; idẽ aſſerunt communiter alij Patres.

Quæritur quinto, quo ad fundamentum in quo ſcilicet, conſiſtat imago Dei in aĩa noſtra? Hebræi, vt referunt Nic. de Lira, & Toſt. in hunc locũ, dicũt quod in hoc conſiſtit imago Dei in homine; quia ſicut Deus replet totum mundũ, ſic anima totũ corpus; ſicut vnus Deus pręeſt vniuerſo mundo, ſic vna anima præeſt toti corpori, ſicut Deus non inquinatur ſordibus mũdi, in quo eſt; ita nec vlla corporis labe inquinatur anima; ſicut Deus videt om- *Quæſt. 5.* Imago Dei in homine ĩquo conſiſtat.

M

Digitized by Google

omnia,& à nullo videtur, ſic anima videt, & non videtur, denique ſic Deus nunquam dormit, ſed perpetuò vigilat. Non enim (inquit Dauid in Pſalmis, dormiet,neque dormitabit, qui cuſtodit Iſrael,ſic etiam animus noſter.

Verum hæc aſſignatio imaginis eſt valde accidentalis, præterquam quod eiuſmodi imaginis aſſignatio, non minus animæ Aſini,quam hominis competere poteſt.

Alij dixerunt, quod imago Dei, ad quam conditus eſt homo, corporea eſt, quemadmodum, & Deus ipſe corporeus eſt, humanam formam figuram, & membra habens.

Verum huius opinionis Auctores damnati ſunt ab Eccleſia, vt hæretici, & ab errore opinionis ſuæ appellati ſunt ab Eccleſia Antropomorphitæ. Nunc opinionem velut impiam refellunt Chryſoſt. hom. 8. in Geneſ. & D. Auguſtinus, libro ſecundo, de Gen. contra Manichæos, capitulo decimoſeptimo,necnon Melito in libro de Deo corpore induto, vt dicit Theodoretus, quæſtione vigeſima, in Geneſ. tantum abeſt, vt Melito crediderit Deum eſſe corporeum, vt ex corrupta Ioan. Pici Galli trāslatione referre videtur Theodoretus vbi ſupra. Nam vt Euſebius, & Hieronym. teſtantur Melito ſcripſit librum, cui titulum fecit, de Deo corpore induto, ſiue de Deo cui diuinæ ſcripturæ corpus attribuunt, in quo argumenta eorum, qui Deum corporeum aſtruunt, & imaginem Dei ad quam factus eſt homo corpoream arbitrantur validiſſimè confutauit, ſicut ex verbis Theodoreti loco ſupra citato, luce clarius apparet.

Theodoretus in Geneſ. quæſtione vigeſima, vehementer laborauit inueſtigando, quæ ſit, & in quo ſit iſta imago Dei, ad quam factus eſt homo, & cum varias commemoret explicandi vim, & naturam huius imaginis rationes, nulla tamen earum ſibi animum explere, & omninò ſatisfacere præſefert.

Epyphanius hæreſi 70. ea de re cum multa diſputaſſet, tandem in eam deuenit opinionem vt arbitretur, ſicut certum eſt imaginem Dei eſſe in homine, ita qua in parte hominis,vel qua in re ea imago ſit poſita incompertum eſſe, atque incomprehenſibile, ſolique Deo notum. Verba autē Epyphanij ſunt hęc. Traditio ſecundum Eccleſiaſticam ſcripturam credit imaginem eſſe totum hominem, non decernit autem in qua parte ſitum ſit id; quod eſt ſecundum imaginem, verum in toto maximè,& non ſimpliciter. Et paucis interpoſitis, credere inquit oportet, quod ſit quidem in homine, quod ſecundum imaginem eſt.

Vbi verò eſt,aut vbi impletum eſt, ipſi ſoli cognitum eſt Deo. Cæterum, non eſt in hac re Epyphanio aſſentiendum; quamuis enim traditio Eccleſiaſtica non afferat determinatè rationem hanc imaginis eſſe ſolum in aliqua perfectione hominis, vt eſt intellectualis, ſecluſis perfectionibus alijs, tamen aſſerit illam omninò eſſe in hominis mente, vt Patres ſtatim citandi ſatis locupletes teſtes eſſe poſſunt.

Chry-

Digitized by Google

Chryſoſt.enim hom. 8. in Geneſ. Baſilius hom. 10. Niſſenus hom.de creatione hominis,& D. Auguſtinus,libro tertio, de Gen. ad lit. capitulo vigeſimo, cenſent, propterea hominem eſſe factum imaginem Dei: quia ſicut Dominus omnibus rebus, ita & homo cunctis animantibus dignitate præceſſit, & poteſtate, atque imperio dominatur. Auguſtinus, item in libro de quantitate animæ, capitulo ſecundo, ſcribit animum noſtrum eo dici ſimilem Deo, quod ſit immortalis, atque indiſſolubilis. Item in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus inquit propter nouellos legislatores, qui ideo animam tantum ad imaginem Dei creatam dicunt, vt quia Deus incorporeus rectè creditur, etiam incorporea anima eſſe credatur, liberè confitemur imaginem in æternitate, ſimilitudinem in moribus inueniri. Item Auguſtinus, tract.8.in primam Epiſtolam Io. ſic ait. Vbi factus eſt homo ad imaginem Dei: in intellectu, in mente, in interiori homine, in eo quod intelligit veritatẽ, dijudicat iuſtitiam, & in iuſtitia nouit à quo factus eſt, poteſt intelligere creatorem ſuum, laudare creatorem ſuum.

Gregorius Niſſenus ĩ Hexam. Homo inquit eo factus eſt ad imaginem Dei, quod factus eſt omnis boni capax, bonitatis autem plenitudo diuinitas eſt. Et in orat.in illud. Faciamus hominem ad imaginem, &c. conſtituit eam in hoc, quod homo per vim ſibi inditam cognoſcit id, quod eſt ſupremum,ſ. Deum; & in lib.de opificio hominis,capit. 4. in arbitrij libertatem ponit hanc imaginem. Idem docet D. Ambroſ.lib.6.Hexam.cap.8.Anima (inquit) noſtra eſt ad imaginem Dei, qui libera eſt, & diffuſis cogitationibus, atque conſilijs huc,atque illuc vagatur, quæ conſiderando ſpectat omnia.

Damaſcenus lib.2. de fide orthodoxa, cap. 12. Hominem ait ad imaginem Dei eſſe ſignificat, ipſum eſſe intellectualẽ,& liberi arbitrij, & per ſe poteſtatiuum. Videatur D.Bernardus ſerm.80. ſuper Cant. in tract. de lib. arbitrio,& in lib.de aĩa,ſeu de meditationibus,cap.1.Beda in expoſitione allegorica,lib.Geneſ.refert ſecundum Origenem rationem imaginis conſiſtere in æternitate,& in moribus,ſecundum vero fauſtum ſex modis animum noſtrum eſſe ſimilem Deo: vid.quia eſt immobilis,velociſſimus, inuiſibilis, incorporeus,ſubtilis, æternus,& denique omnib. alijs modis, quibus homo propter naturæ intellectualis præſtantiam rebus cæteris antecellit, poteſt nõ incommodè exponi,quemadmodum ſit imago Dei: nam vt verè D.Gregorius Niſſenus ait,in lib. de hominis opificio,cap.5.Multiplices,ac varij ſunt huius imaginis colores, quibus natiua Dei forma ad viuum exprimitur.

Pererius libro quarto, ſuper Geneſ.quæſt.prima,putat duplicem eſſe rationem, cur dicatur homo ad imaginem Dei factus, quarum altera eſt ratio perſpicua, & principalis, altera verò minus principalis; quo ad primam diſtinguit quattuor genera les gradus naturæ: aliæ namque res tantum habent eſſe, vt lapides,& metalla; aliæ habent vitam, vt ſtirpes non nullæ; ſuper hæc ſenſum, & motum habent, vt animalia; denique aliæ ſunt

Gradus naturę ſũt quattuor.

Digitized by Google

in ſupremo naturæ faſtigio collocatæ, quæ præter hæc mente, ratione, & ſapientia pollent, in quo gradu Deus eſt, atque angelus, itemque homo, & licet in eodem gradu ſit homo, atque Deus, tamen quantum ad eius gradus perfectionem attinet, infinito interuallo immenſiſque ſpatijs homo diſtat à Deo. Principalis itaque imaginis ratio, in eo conſiſtit, quod homo ſecundum naturam ſuam ſupremum naturæ gradum attingit, in quo gradu Deus eſt.

Hic autem gradus naturæ intelligentis, ſex eximias, & ad mirabiles proprietates naturaliter, & neceſſario ſecum coniunctas habet, quæ ſunt, quod natura intelligens incorporea eſt, & indiuiſibilis. Secunda immortalis. Tertia intellectu, voluntate, ac memoria prædita. Quarta libero arbitrio pollens. Quinta capax ſapientiæ, virtutis, diuinæ gratiæ, & felicitatis æternæ, quæ in clara Dei viſione eſt collocata. Sexta cunctis animantibus non ſolum dignitate præcellens, ſed etiam poteſtate dominans: quas omnes proprietates in animo noſtro cernere licet, atque adeo ob iſtum gradum naturæ intelligentis, & prædictas ſex proprietates, quæ eum gradum naturaliter conſequuntur, & perpetuo concomitantur veriſſimè dictum eſſe exiſtimat hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei eſſe factum.

oĩa quodã modo in homine cõtinẽtur.

Quoad ſecundam rationem propter quam homo dicitur ad imaginem Dei factus, multiplicem eſſe dicit, & primo ſicut in Deo omnia ſunt eminenter, & cauſaliter, ita ſunt in homine quodammodo omnia, tum per participationem; habet enim eſſe cum lapidibus, vitam cum plantis, cum animalibus ſenſum, & motum, cum Deo, & Angelis mentem, atque intelligentiã. Tum etiam propter intellectionem, ſiquidem intelligendo omnia fit quodammodo omnia: nã intelligens in actu, & intelligibile in actu teſte Ariſtotel. vnum ſunt.

Secundò ſicut Deus reuera poteſt omnia facere, ſic homo poteſt quodammodo omnia: vel per artem imitando naturam, & ſimilia veris faciendo, vel imaginatione fingendo, vel cogitatione mentis formando.

Tertiò ſicut Deus finis eſt omnium rerum, ita etiã homo finis quodammodo omnium rerum corporearum videtur.

Quartò ſicut animus hominis præeſt, & corpori, ipſum viuificans mouens, & regens, & eſt totus in toto corpore, & totus in qualibet eius parte, ſine vlla ſui diuiſione, diminutione, aut inquinatione, ſic Deus habet ſe ad vniuerſum mundum.

Poſtremò, ſicut in Deitate credimus eſſe Patrem, qui eſt ingenitus, & filium, qui eſt ex Patre genitus, & Spiritum ſanctum, qui ex Patre, Filioque ſpiratur, atque procedit, ita & in generatione hominum, ſimile quidpiam animaduertere licet. Adam enim à nullo generatus eſt, Eua ex ſolo Adam formata eſt, Seth autem ex Adam, & Eua procreatus eſt.

Cæterum exactam, & veram rationem imaginis, nemo illuſtrius aſſignauit, quam D. Aug. in libro de Trinitat. vbi docet ea re hominem referre imaginem ſanctæ Trinitatis, quod intelli-

elligat ſeipſum, & intelligendo ſe producat in corde ſuo verbum intelligibile, ſuiipſius expreſſiuum, & hinc procedat amor, quod mirificè adumbrat duas in ſancta Trinitate proceſſiones, vnam filij per modum verbi intelligibilis, alteram Spiritusſancti per modum amoris, quam aſſignationem exactè explicabimus infra, q. 8.

Quæſt. 6. Imago Dei in homine an ſit in ſuperiori, vel in inferiori portione.

Quæritur Sextò. Cum anima duplicem habeat portionem, ſcilicet ſuperiorem, qua contemplatur æterna, & inferiorem, qua conuertitur ad terrena, ſeu temporalia, & creata. In qua portione conſiſtit, ſeu fundatur Dei imago? Ad hanc quæſtionem reſpondent, Alexand. de Ales, in ſecunda parte, quæſtione ſexageſimaſecunda, in quinto, articulo quinto, §. primo, Diu. Thom. prima par. quæſtio. 93. artic. 8. D. Bonau. in primo, diſtinctio. tertia, parte ſecunda, artic. primo, quæſtione 2. & Scotus in primo, diſtin. 3. q. vltima, §. vlterius in ſpeciali, & Rich, in 1. diſtinct. 3. art. 1. quæſt. 2. dicentes, quod imago Dei conſiſtit in ſuperiori portione propriè loquendo. Sic enim ſcribit Diu. Auguſt. lib. 12. de Trinit. c. 4. In eo ſolo, quod ad contemplationem pertinet æternorum, non ſolum Trinitas, ſed etiam imago Dei. In hoc autem quod deriuatum eſt in actione temporalium, etiam ſi Trinitas poſſit, non tamē imago Dei poteſt inueniri. Et libro 14. c. 8. Inquit, (quamuis mēs humana non ſit eius naturæ, cuius eſt Deus, imago tamen naturæ eius melior nulla eſt ibi quęrenda, & inuenienda eſt in nobis, qua etiam natura nihil habet melius; ſed prius mens in ſeipſa conſideranda eſt, antequam ſit particeps Dei, & in ea reperienda eſt imago eius.) Diximus enim eam, (& ſi amiſſa participatione Dei) abſolutam, atque deformem, Dei tamē imaginem permanere: eo quippè ipſo imago Dei eſt, quo eius capax eſt, eiuſque particeps eſſe poteſt. Licet ergo in inferiori portione Trinitas quædam poſſit reperiri, ſecundum quod meminit, intelligit, & diligit hæc inferiora, tamen ſecundum illa non dicitur imago. Non enim ſecundum quamlibet Trinitatem virium dicitur imago, ſed ſolum ſecundum illam, qua meminit, intelligit, & diligit Deum.

Sed contra hoc videtur eſſe ipſemet D. Auguſt. libro decimoquarto, de Trinit. capitu. 8. non longe à princip. vbi ita ſcribit. Ecce mens meminit ſui, intelligit ſe, & diligit ſe; hanc ſi cernimus cernimus Trinitatem; non dum quidem Deum, ſed iam imaginem Dei. Huius tamen oppoſitum habet idem Diu. Auguſt. libro decimoquarto, de Trinit. capitu. 12. in fine, vbi ſic inquit. (Hæc igitur Trinitas mentis non propterea Dei eſt imago, quia ſui meminit mens, intelligit, ac diligit ſe: ſed quia poteſt etiam meminiſſe, & intelligere, & amare, à quo facta eſt.) D. Aug.

Dicendum eſt ergo, quod imago eſt in anima, prout ipſa conuertitur ad Deum, & ad aliam authoritatem Diu. Auguſtini reſpondetur, quod in ea non ſit relatio ad ipſam animam intelligentem, ſed ſit relatio ad Deum, de quo prius habitus eſt ſermo, ſicut littera præcedens, & ſub ſequens oſtendit, licet ab aliquibus malè intelligatur. Vel dicendum eſt, quod mens fer-

Digitized by Google

tur in aliquid dupliciter : vno modo directè,& immediatè:alio modo directè , & mediatè , ſicut cum aliquis videndo imaginem hominis in ſpeculo dicitur ferri in ipſam hominem .

Cum itaque anima meminit ſui,intelligit ſe , & diligit ſe , ex eo poteſt dici imago Dei , non quia fertur mens in ſeipſam abſolutè, ſed prout per hoc vlterius poteſt ferri in Deum.

Quæſt. 7. D.Bonau.

Quæritur ſeptimo . An imago Dei quæ animæ ſecundum ſuperiorem partem conuenit penes naturalia, vel penes gratuita attendatur. Alexand. de Ales, vbi ſupra, artic. ſexto, & Do. Bonau. in 2.diſt.16. artic. primo, quæſtio.2. docent imaginem eſſe attendendam penes vtrumque primo penes naturalia,& penes gratuita,ſed differenter: nam eſt imago creationis, & eſt imago recreationis ; Imago creationis attenditur penes potentias naturales, ſcilicet memoriam,intelligẽtiam, & voluntatem. Vnde obſeruandum eſt, quod cum imago dicatur ab actu repreſentandi : nam imago refertur ad prototypum, vt dicit Damaſc. & repræſentatio poſſit duobus modis conuenire , vel per formam naturalem , vel per formam artificialem : ideo duplex eſt imago, ſcilicet naturalis, & artificialis ; & cum homo non repræſentet per formam artificialem, ſed per ſuã formam naturalem , ideo homo non eſt imago artificialis,ſed naturalis . Differt tamen dicere imaginem naturalem , & connaturam : nam imago naturalis eſt , quæ repræſentat per id , quod habet à natura,ſiue cum illo , quod repræſentat conueniat in natura , ſiue non . Imago verò connaturalis, dicitur , quæ imitatur, & refertur, non ſolum per id, quod habet à natura, ſed per conuenientiam in eadem natura;atque adeo ſi eſſe imaginem naturalem,conueniat homini, eſſe tamen imaginem connaturalem , non conuenit homini , ſed ſoli Filio Dei . Imago verò recreationis attenditur penes gratiam reformantem illas potentias,prima eſt indifferẽter in peccatoribus, & iuſtis , alia verò eſt tantum in iuſtis , non autem in peccatoribus .

Imago Dei an penes naturalia,vel penes gratuita attendatur.

Imago eſt Duplex , naturalis, & artificialis.

Quæſt. 8. Imago an attẽdatur penes potẽtias vel penes potentiarum actus.

Quæritur octauo . Vtrum imago attendatur penes potentias , vel penes potentiarum actus.

Reſpondent Alexand.de Ales, vbi ſupra,artic.ſexto,§.primo, & Scotus in prima, diſtin. quæſtio. vltima , quod imago attenditur penes potentias , tamen ſecundum quod ex illis habent elici actus. Vnde obſeruandum eſt, quod cum in beatiſſima Trinitate ſit vnitas eſſentiæ cum diſtinctione perſonarum , & origine vnius ab altera, vel à duabus , imago ipſius non conſiſtit in actibus primis tantum, cum ibi non ſit diſtinctio rei , & rei ; nec ordo originis , neque eſt ſolum in actibus ſecundis,quia licet ibi ſit diſtinctio,& origo aliquo modo, non eſt tamen ibi conſubſtantialitas .

Secundò obſeruãdũ eſt, quod non eſt omnimoda ſimilitudo imaginis in nobis ad prototypũ : quia in imagine creata, non communicatur notitiæ genitæ fœcunditas ad producendum amorem; quia non communicatur ei eadem natura , cum ſit accidens quoddam , & anima ſeu intellectus ſit ſubſtantia. In beatiſſima autem Trinitate, Pater ge-

ne-

Digitized by Google

nerans Filium communicat ei eandem naturam, & eandem fœcunditatem ſpirandi amorem.

Tertiò obſeruandum eſt, quod in imagine creata eſt aliquis ordo inter ſecundam partem imaginis, & tertiam, quia tertia præſupponit ſecundam, vt docet Do. Auguſt. libro decimoquinto, de Trinit. vbi dicit, voluntatem de cogitatione procedere: nemo enim vult, qd, quid, vel quale ſit neſcit. Et ordo iſte neceſſario ponitur, propter ordinem naturalem volitionis, & accipit Dom. Auguſt. voluntatem, vt eſt tertia pars imaginis pro actu volendi, quod ex eo patet: quia dicit voluntatem de cogitatione procedere, quod non eſt verum de potentia, ſed de actu volendi.

D. Aug. Ex his ergo dicitur, quod imago conſiſtit in vtriſque ſimul, ſcilicet potentijs, & actibus, ſcilicet in potentijs, vt ſubſunt actibus ſuis; & ratione potentiarum eſt conſubſtantialitas: quia potentiæ ſunt idem realiter inter ſe, & cum anima, & ratione actuum attenditur diſtinctio, & origo. Et dupliciter aſſignatur à Do. Auguſtino, priori modo, libro quinto, de Trinit. capit. 3. & 4. vbi dicit imaginem eſſe in mente, notitia, & amore, vbi per mētē intelligit actū primū perfectū reſpectu vtriuſque actus ſecundi, ſcilicet fecunditatem ad gignendum notitiam, & ad ſpirandum amorem, & hoc modo mens habet perfectè rationem parentis, quia includit perfectè vtramque fecunditatem, & tunc illa duo, ſcilicet notitia, & amor ſunt duo producta ab anima ordine quodam; & hoc modo eſt in diuinis, quia in Patre non ſolum eſt fecunditas ad generandum, ſed etiam ad ſpirandum.

Secundo aſſignatur ab eodem met Diuo Auguſtino, libro decimo de Trinitate, capitulo decimo, & libro decimoquarto, capitulo vndecimo, in memoria, intelligentia, & volūtate, & accipit ibi memoriam pro actu primo perfecto reſpectu vtriuſque fecunditatis, & vt habet rationem perfecti parentis, prout diximus de mente; intelligentiam autem accipit pro notitia, & voluntatem pro amore producto.

Adeoque anima habens actū primum totalem reſpectu intellectionis, & volitionis, vel aliquid animæ; id eſt intellectus; & voluntas, vt habent obiectum præſens in ratione actu intelligibilis, & diligibilis, dicitur memoria, & repræſentat patrem, ipſa etiam eadem anima, vel aliquid eius, ſcilicet intellectus in quantum recipit notitiam genitam, dicitur intelligentia; & intelligentia perfecta, vt eſt ſub illa notitia genita repræſentat filium; eademmet anima, ſeu voluntas, dicitur perfecta in quantum eſt ſub illo actu volendi perfecto, & repræſentat ſpiritumſanctum.

Accipiendo ergo iſta tria ex parte animæ, vt ſubſunt actibus ſuis, in iſtis inquam tribus eſt cōſubſtantialitas, ratione illarum trium realitatum, quæ ſunt ex parte animæ; quoniam potentiæ, & anima ſunt vna res, ſed eſt diſtinctio, & origo ratione actuū, qui recipiuntur in anima ſecundum iſtas realitates, ſcilicet potentias, quæ ſunt in anima; atque ita patet, quod imago conſiſtit in actibus primis, & ſecundis ſimul.

M 4 Quæ-

Quæſt.9. Imago, & ſimilitudo quo differant.

Quæritur nono. Cum Moſes dicat hominem factum, non tantum ad imaginem, verum etiam ad ſimilitudinem Dei, quæritur inquam, quodnam ſit diſcrimen inter imaginem, & ſimilitudinē? Reſpondetur primo, quod ſecundum D. Auguſt. libro 83. q.61.

D. Auſt.

Vbi eſt imago, ibi continuò eſt ſimilitudo, ſed vbi eſt ſimilitudo, non continuo eſt imago; eſt enim ſimilitudo de ratione imaginis, & imago aliquid addit ad rationem ſimilitudinis, ſcilicet, quod ſit ex alio expreſſum, imago enim dicitur ex eo, quod agitur ad imitationem alterius. Vnde ouum, quantumcumque ſit alteri ouo ſimile, & æquale, quia tamen non eſt expreſſum ex illo, non dicitur ad imaginē eius.

Secundo obſeruandum eſt, ꝙ ſimilitudo poteſt conſiderari, vel vt præambulum ad imaginem, & hoc inquantum eſt communior, quam imago, vel vt ſubſequens ad imaginē, quatenus ſignificat quamdam imaginis perfectionē; dicimus enim imaginē alicuius eſſe ſimilem, vel non ſimilem ei, cuius eſt imago, prout perfectè, vel imperfectè repræſentat ipſū; ex hoc poteſt colligi triplex diſcrimen inter imaginem, & ſimilitudinem: nam vel imago præcedit ſimilitudinem, & hoc modo imago eſt in naturalibus, & ſimilitudo in gratuitis, & hanc ſimilitudinis, & imaginis diſtinctionē tradiderunt Origene, li.3. Beriar. capitulo 6. Baſilius hom. 10. in Geneſ. Ambroſ. libro ſexto, ſeptimo, & octauo. Niſſenus hom. de creatione hominis. Eucherius lib.1. in Gen. Victorinus aduerſus Arrium, Theodoretus, in quæſtione vigeſima, Geneſ. Rupertus, libro ſecundo, de Trinit. & operibus eius, capitulo tertio, & quinto, Alexand. de Ales, ſecunda parte, quæſtione ſexageſimaſecunda, in 5. articulo quarto, D. Thom. prima parte, quæſtio. 93. articu. 3. D. Bonau. in 2. diſtinct. 16. in dubio, circa lit. dub. tertio, & ferè omnes ſcholaſtici, & denique quam plures alij tam veterum, quam recentiorū.

Vel ſimilitudo concomitatur imaginem, & hoc modo imago eſt in potentia cognoſcendi, & ſimilitudo in potentia diligendi, inquit D. Aug. lib. de ſpiritu, & aīa, ca.39. Pro cuius intelligentia obſeruādū eſt, ꝙ cognitio pōt dici cōiter; atq; ita dr̄ cognitio aſſimilatio cognoſcētis ad cognitū, vel poteſt dici propriè, cum in qualitate conuenit, ſic diligens cum diligente in dilectione conuenit, & hoc facit communis voluntas, & hæc dicitur ſimilitudo in dilectione, cum diligens ipſa vi dilectionis in quandam ſimilitudinem dilecti transformatur. Vnde Hugo in lib. de arra ſponſæ ait. (Scio anima, qđ quicquid diligis, ipſa vi dilectionis in eius ſimilitudinem trāsformaris.) Præterea in dilectione eſt quædam diſcretio cognoſcibilis, propter quam eſt quædam configuratio. Item potentia cognoſcendi inquantum huiuſmodi, ſiue cognitio præcedit potentiam diligendi inquantum huiuſmodi, & dilectionem: Cum ergo imago plus adhæreat naturæ, quam ſimilitudo, & ſit prior naturaliter, quam ſimilitudo ſuperinducta imagini, rectè penes potentiam cognoſcendi determinatur imago, & ſimilitudo penes potentiam diligēdi, ſicut in re corporali prius eſt imago, ſ. in ligno, vel lapide, quam color, qui ſuper inducitur.

Cognitio bifariam ſumi pot.

Vel

Vel ſimilitudo præcedit imaginem ſecundum eſſe, & hoc modo ſimilitudo eſt in natura, & imago in forma, vt dicit Hugo, lib. primo, de Sacram. p. 6. cap. 2. Vbi ſic inquit: Imago pertinet ad figuram, ſimilitudo ad naturam, non enim prior eſt figura; quod intelligendum eſt de ſimilitudine, prout ſimilitudo eſt conuenientia quaſi in forma, vt cum dicitur quod filius eſt ſimilis patri in hoc, quod eſt eiuſdem ſpeciei, ſed hoc modo non attenditur ſimilitudo, prout ſequitur imaginem, in quantum dicitur quod homo eſt conditus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, & non dicitur ad ſimilitudinem, & imaginem.

Rupertus, libro 1. de operibus Trinit. cap. 2. diſputans quid interſit inter imaginem, & ſimilitudinem, & cur vox imaginis præpoſita ſit voci ſimilitudinis, cenſet voce imaginis deſignari filiũ Dei, voce autem ſimilitudinis Spiritumſanctum. Sic enim ſcribit: Imago, & ſimilitudo in hoc differunt, quod imago vnius imago eſt, ſimilitudo autem nunquã minus quam duorum ſimilitudo eſt. Eſt autem imago Dei Filius eiuſdem Dei Patris, ſicut de illo Apoſtolus: Qui eſt (inquit) imago Dei inuiſibilis. Imago inquam Dei inuiſibilis eſt filius, æquè inuiſibilis. Sic autem eſt filius Dei imago, ita vt ſit figura ſubſtantię eius. Eſt ergo filius imago Patris, at Spiritusſanctus ſimilitudo Patris, & Filij; cõmunis enim bonitas ſiue charitas eſt Patris, & Filij. Ergo non rectè dici putes potuiſſe, faciamus hominem ad ſimilitudinem, & imaginem noſtram, quia profectò filius, ſicut non patris ſimul, & ſpiritusſancti ſed ſolius patris filius eſt, ſic non patris, & eiuſdem Spiritusſancti, ſed ſolius patris imago eſt. E contrario rectiſſimè dictum eſt, ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: quia videlicet Spiritus ſanctus, ſicut Patris, & Filij communis bonitas, vel dilectio, ſic eorumdem communis ſimilitudo eſt.

Quæritur decimo. An ſolus homo, & nullus alius imago Dei ſit? Dicendum quod ſola creatura intellectualis propriè loquendo eſt ad imaginem Dei: quia in ſola natura intellectuali reperitur Trinitatis repræſentatio per modum imaginis, in alijs autem creaturis inferioribus per modum veſtigij. Homo autem poſt Deum, comparari poteſt vel ad id, quod eſt ſupra ſe, ſcilicet ad Angelos, vel ad id, quod eſt infra ſe, nempe, ad rationis expertia. Si conſideretur primo modo, ſcilicet in relatione ad Angelos, non conuenit ſibi ſoli eſse imaginem Dei, ſed conuenit etiam Angelis, nam ita eſt Angelus capax Dei, & eius particeps, ſicut homo. Si verò conſideretur homo ſecundo modo, ſcilicet per comparationem ad inferiora ſe, ſoli homini conuenit eſſe imaginem Dei: quia bruta, & inanimata, nõ ſunt ad imaginem Dei facta: nã licet in creaturis inanimatis ſit ratio veſtigij, ſecundum veritatem, vnitatem, & bonitatem, non eſt tamen in eis expreſſa ſimilitudo Dei ſicut contingit eſse in creatura.

An homo ſolus ſit imago Dei.

In ſenſibili etiam creatura, licet ſit potentia cognoſcendi, non eſt tamen potentia cognoſcendi ipſum Deum, & diligendi, atque adeo non eſt cum hoc conuenientia cum Deo,

Deo. Deus enim ſeipſum cognoſcit,& diligit. In ſola ergo intellectuali creatura propriè loquendo imago Dei reperitur.

Ex quo patet error Gabrielis in primo Sent. d. q.3. & 10. Qui inter Theologos ſolus docet in homine, nō eſſe propriè Dei imaginem, cuius ratio eſt: quoniam homo non eſt eiuſdem ſpeciei cum Deo, ergo propriè non eſt imago illius. Sed hæc ratio ſolum probat, quòd in homine nō eſt imago perfecta, & ſecundum æqualitatem, ſicut reperitur in diuinis in filio reſpectu patris, at vero non probat, quod in homine non ſit propriè imago Dei, quamuis imperfecta, ſicut imago Regis propriè reperitur in numiſmate, vel in tabula, vt explicauit optimè D. Thom. p.1. quæſt.33. art.1. ad ſecundum.

Et conſentiunt in hoc omnes ſcholaſtici, Alex. de Ales, vbi ſupra membro 5. art.2. D. Bonau. in 2.d.16. art.1 q.3. Duran. in 1.d.3. part.2.q.1. Marſilius, in prima q. 7. artic. 1. & 2. & communiter omnes.

Quæſ.11. Angelus an ſit magis ad imaginē Dei quam homo.

Quæritur Vndecimo. Vtrum Angelus ſit magis ad imaginem Dei, quam homo. Ad hoc quæſitum multipliciter reſpondetur, primo ab Alex. de Ales, 2. part. q. 55. memb.3. ad ſecundum, & q. 62. memb.5. artic.2. quod Imago poteſt dici communiter, & poteſt dici propriè, communiter ſic dicitur de Angelo, propriè, ſic dicitur de anima rationali, & de homine ſecundum animam. Conuenit enim Angelo ſecundum ſimplicitatem eſſentiæ, & trinitatem virium, quibus meminit, intelligit, & diligit, & ſecundum hoc etiam conuenit animæ rationali; abundat autem anima rationalis in hoc, quòd eſt imago Dei ſecūdum hoc, quòd ſicut Deus mouet, & gubernat vniuerſum, ita & anima rationalis, mouet, & gubernat ſuum vniuerſum. Item ſimilitudo virtutis eſt in homine in hoc, quod poteſt producere in natura ſibi ſimile, & ex alia parte euidentius diſtinguitur in anima ratio memoriæ, intelligentiæ, & voluntatis in quantum ex memoria procedit intelligentia, & ex intelligentia voluntas, licet ergo imago dicatur de Angelo, & ſit maior expreſſio ratione ſimplicitatis, non tamen ratione eorum in quibus conſiſtit principalis ratio imaginis, vel quantū ad quantitatem virtutis ex parte eſſentiæ & perſonæ, nam ex parte eſſentię eſt ambitus gubernationis, & viuificationis: nam homo ſic conditus eſt, vt iamquam rex corporalium creaturarum conſtitueretur, vt docent Gregorius Nazian. & Damaſcen. quibus conſentire videtur D. Auguſtinus contra Manichæum; non ſic autem Angelus. Ex parte autem perſonæ virtus productionis, & in actibus virium euidens proceſſio.

Secundo reſpondetur à D.Th. 1.p.q.93. art.3. & Rich. in 2.d.16. art.1. q.4. Quod creatura poteſt dici ad Imaginem Dei dupliciter, vel intenſiuè, vel extenſiuè; Si dicatur vna creatura magis eſſe ad imaginem quam alia: quia expreſſius repræſentat, ſic Angelus eſt magis ad imaginem Dei, quam homo, quoniam ſecūdum D.Greg. homi.34. ſuper Euangelia quanto ſubtilior eſt natura, tanto in ea imago Trinitatis ſimilius inſinuatur impræſſa. Tum etiam, quia ſicut excellentior eſt natura Angelica, ita excellentiores habet potentias, & maiorem

habet

habet capacitatem, & digniori modo eſt imagine Dei inſignita. Si autem dicatur magis ad imaginem Dei extenſiuè, ſic homo magis repræſentat Deum, quam Angelus: quia in pluribus ratione corporis ſibi vniti, vtpote in ſpiritualibus, & corporalibus, & in modo exiſtendi in rebus, & etiam ſecundum modum producendi res; homo enim eſt ex homine, ſicut Deus de Deo, anima etiã hominis eſt tota in toto corpore eius, & tota in qualibet parte ipſius, ſicut Deus ſe habet ad mundum.

Et addit Pererius lib. 4. quæſt. 3. quòd ſi ratio imaginis æſtimetur in homine, & in Angelo ex Donis ſupernaturalibus gratiæ, & gloriæ, quæ in vtroque ſunt, habẽt ſe homo, & Angelus ſicut excedens, & exceſſum, vt loquimur in ſcholis, & docet Doctor. Subt. in 2. d. 1. quæſt. vltima, ſiquidem aliqui Angeli ſecundum gratiam, & gloriam ſunt Deo ſimiliores, quam pleriq́ue homines, & è contra, nonnulli homines ſimiliores Deo ſunt, quam multi Angeli: Poteſt tamen ſimpliciter, & abſolutè dici, homo ſimilior Deo, quam Angelus, eo quod in genere hominum ſit Dei pera ſemper Virgo Maria, quæ ſecundum gratiam, & gloriam omnes Angelos longiſſimè ſuperat, ac proinde ſimilior Deo eſt, quam ſit vllus Angelorum.

Angelus, & homo quoad ſupernatura lia ſe habẽt, vt excedens, & exceſſum.

Tertiò reſpondet Durãdus in 2. d. 16. q. 1. & 2. quòd cum imago in creatura dicatur dupliciter, ſcilicet quo ad eſſentialia, & quo ad perſonalia, & imago quo ad eſſentialia conſiſtat in repræſentatione Diuinæ naturæ, per naturam creatam; Imago autem, quo ad perſonalia, quæ dicitur imago Trinitatis conſiſtat in ſimili proportione partium hic, & ibi, quòd ſicut in Trinitate increata ſunt tria habentia talem habitudinem originis, ſic in Trinitate creata.

Imago in creatura dicitur dupliciter.

Quod ſi fiat ſermo de imagine quãtum ad eſſentialia, perfectius reperitur in Angelo, quam in homine, quia in illo eſt verior, & expreſſior ratio imaginis, cum in maiori participatione Diuinæ perfectionis ſit productus. Si autem fiat ſermo de imagine, quo ad perſonalia, quæ eſt imago Trinitatis, ſic æqualiter eſt in Angelo, & in homine imago: quia in eis inuenitur eadem proportio ſecundum gradum indiuiſibilem non obſtante diuerſa perfectione proportionabilium, ſicut eadem eſt proportio duorum ad quattuor, & octo ad ſexdecim; quia dupla. Cum ergo Trinitatis imago inueniatur in creatura, quantum ad proportionem, quã habent partes imaginis creatæ, ad ſimilitudinem partiũ imaginis increatæ, & non quantum ad repræſentationem partiũ, per partes, quantum ad naturas earum, ſequitur quod vbicumque inuenitur hæc proportio, inuenitur ſecundum eumdem gradum, non obſtante diuerſa proportione proportionabilium, licet ergo partes imaginis perfectiores ſint in Angelo, quàm in homine, ſcilicet memoria, intelligentia, & volũtas, ſicut natura intellectualis in qua fundantur, tamen eadem eſt hic, & ibi partium habitudo, & proportio, & per conſequens eadem: quia æqualis ratio imaginis.

Quarto Reſpondet D. Bonau. membro 2. d. 16. art. 2. q. 1. Quod cum expreſſio imaginis conſiſtat in con-

inconuenientia, ordinis, & proportionis intenſio dignitatis imaginis attẽditur, ſecundum intenſionem conuenientiæ quantum ad proportionem, vel ordinem. Conuenientia autem rationalis creaturæ ad Deum ſecundum ordinem poteſt conſiderari, vel ſecundum ea, quæ ſunt de eſſe imaginis vel ſecundum ea, quæ ſunt de bene eſſe. De eſſe imaginis eſt, quod creatura immediatè ordinetur ad Deum, de benè eſſe autem, quòd creatura, quæ eſt imago præponatur alijs, quæ habent tantum rationem veſtigij, & quod alia ordinentur in ipſam, tamquam in finem, atque ita triplex eſt ordo in creatura rationali, ſecundum quem Deo conformatur.

Ordo, ſecũdũ quẽ creatura Deo conformatur, eſt triplex

Primus, quòd immediatè nata eſt Deo coniungi, & hoc eſt eſſentiale imagini, & in hoc Angelus, & anima æquiparantur: quia vtriuſque mẽs immediatè ab ipſa prima veritate formatur.

Secundus eſt, quo præponitur creatura, quę eſt imago, alijs creaturis, & in hoc Angeli præcellũt: quia non ſolum beſtijs, ſed etiam hominibus rectores ſunt deputati, iuxta illud Eccleſ. 17. In vnaquaque gente præpoſuit Rectores. Gloſſa. 1. Angelos, & iſte eſt ordo, quo natura irrationalis regitur à Deo mediante rationali.

Tertius ordo eſt, quo creaturæ irrationales, ad rationalem ordinantur tamquam ad finem propter quem factæ ſunt, & mediante illo in vltimum finem principalem, & ſecundum hunc ordinem magis conuenit homo cum Deo, quam Angelus; magis enim facta ſunt corporalia, & ſenſibilia propter hominem, quam propter Angelos.

Si autem attendatur conuenientia creaturæ rationalis ad Deum ſecundum proportionem, poteſt etiam reperiri in ea æqualitas, & exceſſus, nam quædã eſt conuenientia habitudinis, quæ eſt de eſſe imaginis, quædam de bene eſſe. Illa eſt de eſſe, quæ conſiſtit in comparatione ad intrinſeca, ſicut ad potentias, & in hac homo, & Angelus adæquantur; quia ita bene eſt diſtinctio, origo, & æqualitas, & conſubſtantialitas in potentijs animæ in memoria ſcilicet, intelligentia, & voluntate, ſicut in potentijs Angeli.

Illa verò conuenientia habitudinis eſt ad benè eſſe, quæ attenditur in comparatione creaturæ rationalis, ad aliquod extrinſecũ vtpote ad corpus, quod eſt ipſa inferius. Hæc autem dupliciter põt eſſe expreſſior, vel poſitiuè, vel priuatiuè, ſi poſitiuè, ſic anima eſt imago expreſſior; quia in hoc, quod coniungitur corpori, atque per illud eſt principium aliorum, & per illud totum inhabitat, magis repræſentat Deum, qui eſt principium omnium, & qui vnus eſt in omnibus. Si autem priuatiuè, ſic Angelus magis reprę́ſentat Deum; quia Deus eſt ſpiritus purus, impermixtus, & independens à creaturis omnibus, & hæc repræſentat Angelicus ſpiritus, dum eſt à corpore ſecũdum actum, & aptitudinem ſeparatus, & pro tanto dicitur eſſe ſubtilior à D. Gregorio, & in eo imago diuinitatis expreſſior, atque ita patet quomodo imago ſit, vel non ſit magis in homine, quam in Angelo.

Quæritur poſtremo, vtrũ mundus perfectiori modo habeat in ſe imaginem Dei, quam homo, ſicut

Mũdus an perfectiori modo habeat in ſe Dei imaginẽ, quã homo.

ſicut exiſtimauit Philo in exordio eius libri, quem de opificio ſex dierum edidit. Pererius lib. 4. ſuper Geneſ. quæſt. 2. Inquit D. Thomã hanc determinare quæſtionem 1. par. q. 93. art. 3. Quo in loco de hac re nec verbum quidem, ſed determinat ſolũ, quod Angelus dicatur magis ad imaginem Dei, quam homo, ex qua determinatione, nec elici poſſunt, quæ D. Thomæ tribuit Pererius. Dicit namque D. Thomam hoc modo reſpõdere, ſcilicet Diuinam imaginem dupliciter conſiderari poſſe, aut ſecundum extenſionem, & diffuſionem, qua ratione mundus diuinæ bonitatis imaginem magis, quàm homo repræſentat, quod ambitu ſuo complectatur omnem illam rerum creatarum multitudinem, de qua dictum eſt à Moſe. Vidit Deus cuncta, quæ fecereat, & erant valde bona, aut ſecundum intenſionem, & perfectionis collectionem, quo quidem modo magis diuinæ maieſtatis imaginem refert homo, quam mũdus, quod diuinæ felicitatis capax ſit, & quod in eo tamquam in breui compendio, & in paruo quodam mundo omnia maioris mundi miracula incluſa, contentaque cernantur.

Tandem ipſe Pererius, ſic reſpondet, quòd vel mundi vocabulo comprehenduntur homo, & Angelus, vel non comprehenduntur, ſi priori modo inepta eſt comparatio: non enim recte totum cum parte aliqua ſua comparatur, & tunc quidem licet extenſiuè, & ſecundum aliquam ſuam partem habeat mundus illuſtriorem in ſe Dei imaginem, quam homo, eo tamen nomine vincitur ab homine, quòd mundus non eſt aliqua vna natura, ſicut eſt homo, ſed eſt aggregatũ quoddam ex multis, diuerſiſque naturis. Si poſteriori modo, hoc eſt ſi mundi vocabulo, non comprehendantur homo, & Angelus dicit mundum non habere in ſe imaginem Dei; ſi quidem remoto Angelo, & homine, non remanet in mundo natura aliqua intelligens, in qua tamen ſola ratio imaginis fundatur.

De Impetio hominis in animalia ante, & poſt peccatum.

Et præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.

POſtquam Moſes dixerat hominem eſſe factum ad imaginẽ Dei, aptè poſuit proximè, datum eſſe ei dominatum, & imperium in omnes animantes, ſiquidem cõuenientiſſimum erat, vt quem Deus fecit ſibi ſimilem dignitate naturæ, etiam dominandi auctoritate, poteſtateque ſimilem ſibi faceret. Dignitas enim potentiæ præſidio deſtituta, velut inermis, & infirma eſt, paulatimque vileſcit.

Non enim dicendum eſt (inquit Rupertus libro 2. de operibus Trinitatis, cap. 5.) Hominem præeſſe piſcibus maris, & volatilibus cæli, beſtijſque quoque, & reptilibus terræ ex eo, tantum, quod ipſe rationalis eſt, illa autẽ irrationalia ſunt, ſed ita omnibus illis præeſt, vt omnium illorum naturas, etiam domare poſſit. Nam hoc vno maximè argumento,

mento, vt notant D. Auguſtinus lib.3.de Gen. ad lit.cap.20.Et Iunilius, vel Beda in hunc locum, declarare voluit Moſes, hominẽ eſſe factum ad imaginem Dei, quòd ſicut Deus toti mundo præſidet, atque imperat; Ita homo quaſi Dei Vicarius cunctis animantibus præeſt, ac dominatur. Prætérquam quod ea ipſa re, qua homo imago Dei eſt, mente ſcilicet ratione, & prudentia animalibus præſidet, & dominatur. Nõ enim animalibus præſtat homo, vel proceritate corporis, vel robore, vel agilitate, vel diuturnitate vitæ, vel ſenſuum præſtantia; his namq; rebus in ferior eſt multis animalibus; at ratione, conſilio, & prudentia, omnibus antecellit. Non corporis itaque, ſed animi robore, & rationis, ac prudentiæ viribus, cuiuſque generis animalia, etiam valentiſſima, calidiſſima, & ferociſſima capit, do mat ad vſus ſuos accommodat, ſibique parere, ac ſeruire cogit, & impellit.

Quæſt. 1. Sed quęritur primo, quale fuerit hoc dominiũ, & imperium hominis ante peccatum in ſtatu innocentię, & quale poſt peccatum in eo remanſerit? Pro cuius intellectu obſeruandum eſt, quòd dominium cõſiderari poteſt, vel quo ad ius, ſeu poteſtatem dominij; vel quo ad eius vſum, ſeu executionem, vel vt alij dicunt, vel in habitu, vel in actu, aut executione.

Dominiũ bifariã cõſiderari poteſt, & quo ad iᵘ, & quo ad vſum.

Si fiat ſermo de dominio, quoad ius, vel habitum, & in ſtatu innocentię, dicendum eſt, quod homo in ſtatu innocentiæ habuit ius, & poteſtatem dominij, ſuper omnes animantes, quod docet Scriptura, perſpicuis verbis hoc loco, dicens: Præſit piſcibus maris, &c. & Pſalm. 8. Gloria, & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarũ, omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues, & boues vniuerſas, &c. Hoc etiam firma, & probabilis admodum ratio docet: nam huiuſmodi dominium eſt homini naturale: tum quia imperfecta ſunt propter perfectiora, nam cernimus materiam eſſe propter formam, & imperfectiores formas propter alias perfectiores, elementa ipſa propter mixtum, mixtaque inanimata propter animalia, & etiam ipſa animata imperfecta, propter animata perfectiora, vt plantæ propter animalia, & animalia propter hominẽ, & ideo ſicut plantæ vtũtur aqua, & terra, ad ſui nutrimentum, & animalia plantis, ita homines animalibus; Tum, quia perfectiora gubernat imperfectiora, (& id, ratio diuinæ prouidentiæ poſtulat) vt Angeli homines. Tum etiam quia ad dominandum, atq; imperandum, ratione, prudẽtia, & conſilio opus eſt, hæc in brutis vel nulla ſunt, vel diminuta, & adumbrata tantum. In homine eſt vera expreſſa, & vniuerſalis prudentia: in animalibus verò ſunt quædam prudentiæ particulares tantum, vt in aranea ad faciendum telam, &c.

Quemadmodum igitur inter homines, vt Ariſtot. docet primo Politicorum, æquum eſt, eos præeſſe, & Dominari alijs, qui ratione, & prudentia præſtant, ſic & inter animalia iure debuit homini principatus, & imperium demandari, atque ob hanc cauſam homo procreatus eſt à natura nudus, & inermis, omniumque rerum inops, quod ad eum veſtiendum, amandum, ornandumque, & ani-

Homo eſt à natura nudus, & inermis ſit procreatus.

& animalia, & aliæ res omnes corporales à Deo factæ, & comparatæ ſint, congruebat autem homini hoc dominium, vt docet Alex. de Ales, 2. parte quæſt. 73. memb. 2. ea ex parte, qua factus eſt ad imaginem Dei, & qua omnibus præxcellebat; Iuſtũ namque erat, vt ſecundum rationem ſuo Creatori, perfectè obediens, & ab eius obedientia, nunquam perturbato, & irrationali motu divertens, omnia ratione carentia ſub ſuo contineret, poteſtatiuo, & imperturbato, atq; pacato imperio; Adde, quòd congruebat homini hoc imperium, ex parte animalium, congruebat enim vt animalia, quæ propter hominem condita erant, eius dominio, & diſpoſitioni ſubderentur. Vnde dicit Hugo, li. primo, de Sacram. parte 6. cap. 13. Quæ propter hominem creata erant, ab illo regẽda, & diſponenda erant, curam, etenim bouum, & prouidentiam ceterorum animalium Deus homini reliquit, vt dominationi illius ſubijcerentur, & ratione illius regerentur, vt à quibus debuerat obſequium accipere, ſciret etiam illis neceſſaria prouidere: nonnulla enim animalia, inter quæ numerantur oues, & boues, abſque hominis cuſtodia, ac regimine ſalua eſſe non poſſent. Tertia ratio eſt diſciplina, cuius non ſunt prorſus expertia pleraque animalia, & ideo data ſunt homini, cuius magiſterio, & cura erudiantur, ac regantur, ſiue ad operationem, ſiue ad ſolatium, vt in omnibus Dei bonitas, & ſapiẽtia propter nos effuſa appareat. Quarta ratio eſt cohibitio, & terror hominis in feras, niſi enim homo, eiuſque terror ſuper feras immineret, proculdubio nihil ab eis tutum relinqueretur, multis ergo rationibus debuit illis homo præeſſe.

Si autem fiat ſermo de dominio quo ad vſum, & executionẽ, ſiue quo ad actum, & exercitium & de homine in ſtatu innocentiæ: Dicendum eſt etiam, quod in illo ſtatu pleniſſimus erat, & ampliſſimus huius dominationis vſus in homine, neque laborioſus, neque difficilis: nã nec quantum ad hominem, vllum erat impedimentum, & difficultas, neq; vlla in animalibus repugnantia: Fuiſſent autem in ſtatu illo animalia homini ſubiecta, & obedientia vt erat pars inferior hominis ſuperiori parti, i. rationi, ac voluntati ſubiecta: ſicut igitur tunc ratio pleniſſimè, atque omninò dominabatur ſenſibus, & affectibus, ita dominabatur animalibus homo.

Quod autem homini ſubiecta fuerint in ſtatu illo animalia, patet inquit Chryſoſt. hom. 9. in Geneſ. euidentiſſimè ex Scriptura, quæ dicit; Adduxit Deus beſtias & omnia bruta ad Adam, vt videret quid vocaret ea, & cum videret iuxta ſe beſtias, non reſilijt, ſed tanquam Dominus aliquis ſeruis ſubditis nomina impoſuit & omne quod vocauit Adam (inquit) hoc nomẽ eſt illi, quod eſt vtique dominij ſignũ, & Deus volens per hoc docere ipſum ſuæ ſubſtantię dignitatem, nominum impoſitionem illi permiſit, operæpretium fuit iudicare ab initio feras homini terribiles non fuiſſe.

Eſt & aliud quiddam non minus, ſed hoc argumento manifeſtius, nempè colloquium ſerpentis cum muliere, nam ſi terribiles fuiſſent hominibus beſtiæ, mu-

lier

lier ſerpente conſpecto, nō manſiſſet, neque cōſilium accepiſſet, neque in tanto pauore illi locuta fuiſſet, ſed ſtatim ad aſpectum illius obſtupefacta profugiſſet; verum colloquitur, & non metuit, quoniam illi dominabatur.

Si autem loquamur de dominio quo ad ius, & habitum in ſtatu naturæ lapſæ, & poſt peccatū. Hæc poteſtas, & ius dominij, inquit Toſt. in 3. cap. Geneſ. quæſt. 226. remāſit in homine quandoquidē hæc homini debetur, propter naturæ rationalis excellentiam, quam non perdidit homo propter peccatum; nam peccatū non deſtruit bona naturalia, neque peccando amittit homo imaginem Dei in animo eius naturaliter impræſſam, propter quam potiſſimum, cūctis animantibus præeſſe, & dominari dicitur.

Et certè, niſi poſt peccatum haberet homo poteſtatē in animalia, non eſſet licita, cuique hominum ſilueſtrium animalium venatio, & occiſio, vt Ariſt. affirmat primo Politicorum; at iuſtè licet homini facere de omnibus animantibus, quod voluerit, tam de piſcibus, tam de auibus, quam de cunctis, quæ mouentur ſuper terram, tam occidendo ea, quam ſeruando, vel ea transferendo ad quoſcumque vſus ſine peccato, quod vtique non liceret homini, niſi homo eſſet verè dominus omnium animalium. Nam propter hoc non licet homini occidere alium hominem, aut facere de eo quidquid placuerit: quia homo non eſt verè dominus alterius hominis. Et in hoc propriè conſiſtit dominium hominis ſuper omnia animalia, & hoc nō eſt ablatum per peccatum: quia Deus tradidit homini hanc poteſtatem cum natura, atque ita ſignificauit Deus, quod homo peccaret ſi occideret alium hominem, non tamen peccaret, occidendo animalia.

Si poſtremo fiat ſermo de dominio, quo ad actum, & exercitium, & de homine in ſtatu naturæ lapſæ. Dicit Toſtatus vbi ſupra, quòd huiuſmodi dominium diminutum, atque anguſtatum eſt; nā, & paucis animalium imperare poſſumus, nec his ſine magno labore; nam cum peccauit homo, cæpit homo, qui erat minor Deo, non obedire, ideo, & Deus fecit, vt non maneret ordo ille, quo inferiora ſubduntur ſuperioribus: nam ſtatim vires inferiores in homine cæperunt reſiſtere ſuperioribus, intellectui, & voluntati, & erubuit homo, quæ fuit pęna quædam, vt videbimus cap. 3. atque ita animalia etiam, quæ erant minora homine, cæperunt non obedire, & poterant iam vulnerare ipſum, & eidem nocere, atque adeo licet homo in ſtatu naturæ lapſæ habeat dominium, quo ad habitū, id eſt, retineat illam poteſtatem, tamen nō poteſt habere pro nūc totum exercitium illius, quo priuatus eſt per peccatum, & licet ſit dominus animalium, tamen non dominatur, id eſt nō exercet dominium, ſaltem quo ad omnia quia quædam animalia ſunt, quæ non manſueſcūt, neque vnquam hominibus ſubijciuntur; Nam vt inquit Hugo de Sancto Victore in ſuis annotationibus ſuper Geneſ. propter peccatum amiſit homo dominium in duo genera animaliū, in maxima ſcilicet aīalia, vti ſunt leones, tigres, Pātheræ, vt intelligeret illa excellenti dominatione, quā à Deo accepit

ſe eſſe

ſe eſſe priuatum;& minima,& viliſſima animalia, vt muſcæ pulices, cubices, quæ minus quam maiora illa, & ferociora domari poſſunt, & imperio noſtro ſubmitti: vt homo agnoſceret,quantam in vilitatem propter peccatum dilapſus ſit.

Similia ſcribit Chryſoſtomus hom.9,in Gen. vbi inquit, quod licet Adam totum Dei mandatū ſubuerterit,& totam legem trãſgreſſus ſit,tamẽ miſericors Deus bonitate ſua noſtram vincens malitiam, non omnem honorem abſtulit neque à toto deiecit principatu, ſed ea duntaxat à noſtra poteſtate animalia alienauit,quæ non multum ad huius vitæ commoditatem conducunt, quæ vero noſtræ miſeriæ multum ſeruiunt, & vtilia, neceſſariaque ſunt,ea in ſeruitute,& ſubiectione ſua reliquit. Atq; adeo dedit nobis boum armenta, vt aratrum trahant, feramus, terram ſulcemus; dedit & ſubiugalium multa genera; vt nos adiuuent ad vtilia quæque conuehenda; dedit ouium greges, vt haberemus, quæ ad veſtiendum nos ſufficerent; dedit alia animantium genera, vnde multa nobis ſuppeditantur commoda. Licet ergo ab initio, hoc eſt,in ſtatu innocentiæ,& timebant,& tremebant beſtiæ,& ſuſcipiebant agnoſcebantque hominem, tamẽ vbi per inobedientiam libertatem, & dignitatẽ noſtram amiſimus, etiam principatus noſter mutilatus eſt.

Huius autem perfecti dominij, etiam quo ad vſum, aliquod veſtigium poſt peccatum etiam voluit Deus,quod appareret in hominibus: Nam poſt peccatum cuiuſcunque ſpeciei animalia ducta ſunt ad Noe, & in Archam illata, vbi non tantum ei non fuere nociua, ſed etiam ſubiecta, & obedientia. Eliſio etiam paruere Vrſi in vltionem puerorum, qui eum contumelioſè caluum appellauerant, & Daniel familiariter nedum innoxiè cum famelicis leonibus multos Dies verſatus eſt. Legimus etiã Seraphico Patri noſtro Franciſco, atque B. Antonio Patauino, Falcones, Lupos,Piſces, Aues,atque alias quaſdam animantes,dicto fuiſſe audientes, atque obedientes. Verum hoc interfuit inter ſtatum hominis ante peccatum, & poſt peccatum, quod hæc animalium obedientia fuiſſet perpetua,& ordinaria,& ſine miraculo, & ergà cunctos homines,poſt peccatum autem extraordinaria eſt, nec fit ſine magno miraculo, & ad breue tempus, nec niſi apud quoſdam viros ſanctiſſimos.

Quæſt. I. Aĩalia ferociſſima quõ in ſtatu innocẽtiæ hoĩb. parerent.

Quæritur Secundo. Cum dictum ſit hominibus in ſtatu innocentiæ animantia omnia ſubiecta fuiſſe, quo ad vſum,& exercitium: quomodo in illo ſtatu animalia humani imperij eſſent capacia, & quomodo ea,quæ ferociſſima ſunt, homini tamẽ obedirent? neque enim credendum eſt, tunc animalia futura fuiſſe ratione prædita, vt intelligerent & quid imperaret homo, & quemadmodum eius iuſſa exequi oporteret. Non enim propter peccatum natura hominis, nedum animalium vlla ex parte mutata eſt.

Hæc difficultas ex duplici capite ſoluitur; vel ex parte hominis, vel ex ſingulari Dei prouidentia circa hominem. Homo namque in ſtatu innocentiæ

Digitized by Google

fuit ſumma ſolertia, prudentia, & induſtria præditus, necnõ abſolutiſſima omnium rerum creatarum, proprietatum, atque animalium ſcientia, atque adeo nouiſſet homo ingenium, & vim cuiusque animalis, cognouiſſetque omnes vias, & rationes, quibus animalia etiam ferociſſima, atque ſęuiſſima, mitigari, domari, & poteſtati hominis ſubijci poſſent: nam certiſſimis experimentis cõpertum eſt, quattuor modis effici poſſe, vt animal quantũ ad eius ſęuum, & truculentum cicuretur & ſub poteſtatem, & vſum hominis redigatur.

Animalia fera quattuor modis cicurari poſsũt.

Primò per incantationes, vt patet in ſerpentibus, qui certis quibuſdam verbis, & carminibus incantantur, ſicut de Aſpide traditur pſal. 57.

Secundò cõmutatione cæli, & variatione conſueti victus. Si .n. Leones in regiones perfrigidas transferantur, & molliori, melioriq; cibatu alantur, eis paulatim robur, & ardor animi minuitur, & ferociam deponunt, ſicut patet de Elephante, qui ſucco hordei hauſto ferociam exuit, vt tradit Plin. li. 8. c. 3. & ab eis qui eos curant, & alunt benignè tractãtur, quibuſcum familiariter ludunt, eiſq; blandiuntur: quinimò ab illis ſe verberari patiuntur, cuius rei exempla in Leonibus, & Elephantis permulta, & mira cõmemorat, Plinius lib. 8. c. 4. tantũ poteſt ars, induſtria, & conſuetudo, vt non ſolum animalia cogantur parere homini, ſed ei quoque ad verba, ſinguloſque nutus morem gerere, & imperata facere addiſcant, vt patet de Simijs, & Canibus, quinimo etiam picas, & pſitacos docet homo humana verba loqui.

Hæc omnia cognouiſſet optimè homo in ſtatu innocentiæ, atque adeo, his omnibus modis animalia etiam ſæuiſſima, mitigaſſet, & ſuo ſubieciſſet imperio.

Sed potiſſimum homini in ſtatu innocentiæ ſubiecta fuiſſent animalia, ex ſingulari Dei prouidentia, & cura circa hominem, qua mirabiliter factum eſſet, vt animalia non ſolum homini non nocerent, ſed ſubiecta eſſent, atque obedirent. Quemadmodum enim quod homini tunc nulla res, quicquam vel detrimenti, vel moleſtiæ afferre poſſet, id referendum eſt ad ſpecialem quandam Dei cuſtodiam, & protectionem, ita quoque de ſubiectione, & obediẽtia cunctorum animalium ſentire oportet.

Quapropter nullo modo audiendus eſt Theodoretus, qui q. 20. in Geneſ. ſub finem, negat homini fuiſſe à Deo tributum dominium in beſtias feras, vt in cete, ſeu magnas balenas, quia hæc, vt inquit, non commemorantur in illo loco Geneſ. 1. Cum dicitur factus eſt, vt præſit, ſed tantum piſcib. maris, & volatilib. cęli, & beſtijs, ſeu pecorib. terræ, ſicut nec Pſalm. 8. Cæterum, hic error, ſeu hallucinatio hæc Theodoreti, non eſt tolerabilis: nam expreſsè repugnat Scripturæ, quæ in aliquot locis ſupracitatis apertè affirmat, in omnia omninò animalia fuiſſe homini datum dominium, vt patet in illis verbis: Dominamini vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram, & infra, capitulo nono legitur: Terror veſter, ac timor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cæli, cum vniuerſas, quæ mouentur ſuper

terram; omnes piſces maris, manui veſtræ traditi ſunt. Et Eccleſ. 17. poſuit timorem illius ſuper omnem carnem. Et Iacobi 3. Omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpẽtum, & cæterorum domatur, & domita ſunt à natura humana. Ex quibus patet, cete quoque, & feras comprehendi illis verbis; Et præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs terræ. Cete namque piſces quidam ſunt, & feræ ſimiliter quædam beſtiæ. His adde, quod D. Baſilius homil. 10. in Geneſ. & D. Gregorius Niſſenus, oratio. in illud. Faciamus hominem &cæt. nominatim oſtendunt, quemadmodum homo obtinuerit dominium in cete, ſeu Balenas.

Verũ eſt tamen quòd non quouis modo animalia fuiſſent homini paritura in ſtatu innocentiæ, ſed eo tantum, quo potuiſſent, percipiendo aliqua ratione imperium hominis per ſenſum. Quare ſi homo nullam ſignificationem externam voluntatis, & imperij ſui dediſſet, aut ea animalia percipere nequiuiſſent, vtpote longe diſſita, vel aliter fortè impedita, nequaquam paruiſſent.

Atque hæc eſt ratio, cur verè ſcripſerit. Auguſtinus lib. 9. ſuper Geneſ. ad lit. cap. 14. Congregationem illam animalium, cum adducta legũtur ad Adam, infra cap. 3. vt imponeret eis nomen, factam fuiſſe miniſterio Angelorum, non autem imperio ipſius hominis, neque enim animalia, varijs in locis diſperſa, potuerũt ſubito percipere hominis imperium, bene autem potuerunt per Angelos inſtigari, vt illico concurrerent ad Adam, vt oſtendit illud Diuus Auguſtinus, & nos infra ſuo loco explicabimus.

Quæſt. 3.

Deus, cur hominis poteſtatẽ in animalia poſt peccatum diminui voluit, vt beſtias timeret.

Quæritur Tertio. Cur poſt peccatum voluit Deus hanc hominis poteſtatẽ diminui, & hominem beſtias timere? Reſpondet D. Chryſoſtom. homil. nona, in Geneſ. quòd hoc fuit Diuinæ miſericordiæ maximum argumentum: nam ſi poſtquam homo mandatum Dei præuaricatus eſt, integer illius manſiſſet honor, & immobilis; haud facile à lapſu deſtitiſſet, quandoquidem, cum obedientes, & inobedientes pari dignitate fruuntur, malitiæ aſſueſiunt magis, quam ſtatim ab ea deſiſtunt. Cum enim nunc ſub tot terroribus, pœnis, & ſuplicijs non emendantur, quales fuiſſent, ſi nihil paſſi graue pro ſuis delictis fuiſſent, atque ita principatus nobis à Deo ob magnam noſtri incuriam, vtcumque ablatus eſt.

Quæſt. 4.

Homo in ſtatu innocẽtię creaturis inſẽſatis an dominaretur.

Quæritur Quartò, an homo in ſtatu innocentiæ creaturis inſenſatis dominaretur? Et ratio dubitandi eſt: quoniam in corporibus cæleſtibus, quorum motus non eſt electiuus, ſed ex neceſſitate, & ſecundum neceſſitatem motus eſt neceſſitas influentiæ, videtur, quòd neque quantum ad motum, neque quantum ad influentiam ſubiaceant hominis imperio, neque etiam ſubiecta eſſent, ſi homo ſtetiſſet. In oppoſitum tamen ſunt hic verba Domini dicentis: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cælij, & beſtijs terræ, vniuerſæque creaturæ. Ecce, quod datum fuit illi dominiũ ſuper omnem creaturam.

Dicendum, quòd abſq; dubio, vt inquit Alexan. de Ales, par. 2.

quæſtione 93. memb. 3. ſicut dicit textus, homo dominaretur vniuerſæ creaturæ, etiam inſenſibili, ſi ſtetiſſet. Eſt tamen obſeruandum, quod duplex eſt dominandi modus, quantū ad propoſitum ſpectat. Vno modo dicitur quis dominari alicui creaturæ cum ſuper eam habet ius in poſſidendo, atque ea pro voto in ſui vtilitatem, & commodum vti poteſt, itaque nihil ipſius rei vtibilis, vtentis voluntati aduerſatur, & hoc modo dominabatur homo, creaturis inſenſibilibus, quæ ei in actibus ſuis deſeruiebant, atque eis ſine repugnantia, & difficultate valde libere vti poterat.

Alius eſt modus dominandi, cum non ſolum eo, cui dominatur poteſt libere vti, verū etiam poteſt ei indifferenter præcipere modo vnum, modo aliud ſecundum voluntatis ſuæ nutum, & imperium, & hoc modo non dominabatur creaturis inſenſibilibus, ſed tantum ſenſibilibus, ſecundum quod ſenſibiliter mouentur, & natæ ſunt moueri in partes oppoſitas.

Cuius ratio eſt: quia creaturæ inſenſibiles mouentur ſecundum naturalem inclinationem, quæ eſt ad vnam partem tantum, vnde lapis determinate tendit ad centrum, & ignis ſurſum, atque adeo Adam nihil eis præciperet, niſi iuxta earum primam conditionem, & ſaluo naturæ ordine: quippe cum natæ non ſint niſi vno modo moueri, & magis agi quam agere, vnde ſi eas proprios motus agere ſineret illis tantum motibus ad ſuum commodum vteretur, qui eſſent eis naturales.

Cæterum creaturæ ſenſibiles, quæ aliquo modo ſunt diſciplinæ capaces, & ſunt illæ quæ habent auditum iuxta memoriam, & quæ natæ ſunt ad oppoſitas partes moueri, obtemperarent ei in omnibus. quæ naturæ non contrariantur. Corpora autem cœleſtia ſi ſtetiſſent primi homines, non habuiſſent in corporibus humanis dominium, ſed potius in illis, quæ illis conuenirent, & præſtitiſſent obſequium.

Huius etiam dominij poſt peccatum voluit Deus aliquod veſtigium apparere in hominibus; Nam elementa, & elementata Heliæ, & Eliſeo parebant, Ad ſermonem namque Heliæ cœlum continuit pluuiam, & multiplicata eſt farina, & oleum. Vnde Diu. Ambroſ. inquit libro primo de officijs. Sermonem locutus eſt Helias, & pluuia ſtetit, nec cecidit ſuper terram tribus annis, & ſex menſibus.

Item locutus eſt, & hidria farinæ non defecit, & vas olei toto famis tempore non eſt exinanitum.

Heliſeus autem, aut in ſolitudine Iordanem tranſitu ſuo, vt pars defluat poſterior, ſuperior autem in fontem recurrat, aut ferrum ſecuris excuſſum, & in fluuij Iordanis merſum profundo, miſſo in aquas ligno, fecit ſupernatare. Licet in huiuſmodi operibus Prophetæ nō fuerunt actores operum, ſed vel impetratores mediante oratione, vel denunciatores diuinæ voluntatis, prædicta operantis. In prædictis enim operibus elementa, & elementata obediebāt Deo, & homini.

Vnde

Vnde Iacobi vltimo Helias erat homo ſimilis nobis paſſibilis, & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit, &cæt.

Quæſt. 5. Homo an in ſtatu innocentiæ dominaretur homini.

Quæritur Quinto. An in ſtatu innocentiæ, non tantum homo brutis, ſed homo etiam homini dominaturus fuerit. Pro huius difficultatis ſolutione obſeruandum, vt docent Alex. de Ales. 2. p. q. 93. memb. 1. & D. Thom. 1. p. q. 94. art. 4. quòd duplex eſt hominis in hominem dominium, alterum in ſeruos, alterum vero in liberos, qui ſponte ſua vnum aliquem, vel multos elegerunt, à quo, vel à quibus, ſecundum præſcriptas leges regerentur, atque gubernarentur. Secundo obſeruandum eſt, quòd duplex conſiderari poteſt inter hæc duo genera dominandi diſcrimen; nã imperium in ſeruos coactum, & violentum eſt, atque adeo inuoluntarium, & acerbũ. In liberos autem voluntarium, & iocundum eſt, vt pote ab illis vtilitatis ſuç cauſa vltro electum, & aſſumptum. Alterum diſcrimen eſt, quòd imperium in ſeruos refertur plane totum ad bonum, & emolumẽtum dominantis, atque adeo non poteſt non eſſe oneroſum, & odioſum ſubditis: Eſt enim contra naturalem hominis appetitum, vt quicquid agit, & laborat, non in ſuam, ſed in alterius vtilitatẽ cedat; At imperium in liberos refertur, non ad bonum dominantis, ſed ſubditorum, vel potius ad bonum publicum, & commune.

In ſtatu innocentiæ alij præfuiſſent alijs dominatione ciuili.

Ex his dico primo, quòd in ſtatu innocentiæ alij præfuiſſent alijs dominatione ciuili, quæ nihil violenti, inuoluntarij, & acerbi mixtum habuiſſet, ad eum namque modũ tunc imperaſſent homines, quomodo iuſtos viros imperate alijs docet D. Aug. lib. 19. de Ciuit. Dei, c. 14. Non enim inquit iuſti dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi, nec principandi ſuperbia, ſed prouidendi miſericordia, hoc naturalis ordo præſcribit, ita Deus hominem condidit, & quod hoc ſit verum patet, primo quia in ſtatu illo multiplicandum eſſet numerosè genus humanũ, cumque natura ſua homo ſit animal ſociabile, ideſt gaudens ſocietate hominum, proculdubio tunc futura erat hominum in hominibus congregatio, & conſociatio, & ne qua perturbatio, & confuſio in tanta hominum multitudine ineſſet, aliquem in ea ordinem ſuperiorum, & inferiorum regentium alios, & ab alijs rectorum, denique imperantium, & imperata facientium eſſe oportebat, præſertim cum in illo ſtatu futuri eſſent alij prudentia, & probitate præſtantiores alijs, aptioreſque ad regendum.

Præterea in Angelis Sanctiſſimis, Sapientiſſimis, & Beatiſſimis, conſtat alios eſſe ſuperiores, alios inferiores, & illos, quæ agenda ſunt imperare, & his iuſſa eorum exequi. Deinde negari non poteſt, quin eo in ſtatu Patres poteſtatem, & imperium habituri fuerint in filios: hoc enim natura ipſa poſtulat. Mariti quoque in vxores ſuas, affirmante Paulo virum eſſe caput mulieris, & mulierem ex viro, & propter virum eſſe factam.

Status autẽ innocentiæ nõ deſtruebat, aut euertebat funditus ſtatum, & ordinem naturæ. Cur igitur non dixit Deus domina-

Digitized by Google

n ini hominibus,ſed animalibus? Quoniam hoc imperium in animalia conuenit cuilibet homini, ea ratione,qua ad imaginem Dei factus eſt,cunctiſque hominibus æqualiter competit; at vero imperium aliorum hominum in alios homines,non cuique homini conuenit,ſed quibuſdam tantum certis hominibus; nec illis conuenit quia homines ſunt, ſed propter eorum,vel dignitatis,vel potentiæ,vel prudentiæ, vel probitatis excellentiam.

Homines in ſtatu innocentiæ non præfuiſſent alijs dominatione ſeruili.

Dico ſecūdò, quod in ſtatu innocentiæ alij non præfuiſſent alijs dominatione ſeruili, quæ quid violentiæ, inuoluntarij, & accerbi admixtum habet: nam ſeruitus inter homines, nata videtur ex peccato, nam Gen.cap. 9. primus omnium Noe propter peccatum filij ſui Cham poſteros eius pœna ſeruitutis puniuit; Et Euæ in pœnam peccati dictum eſt ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui, & hæc eſt expræſſa ſnia D.Aug.li.19.de Ciui. Dei,c.15.Vbi in hunc modū ſcribit. Rationalem factum ad imaginem ſuam, noluit niſi irrationabili dominari, non hominem homini,ſed hominem Pecori.Inde primi iuſti paſtores pecudum magis, quam Reges hominū conſtituti ſunt, vt etiam ſic inſinuaret Dominus,quid poſtularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe ſeruitutis iure intelligitur impoſita peccatori, proinde nuſquā ſcripturarum legimus ſeruum; antequam hoc vocabulo Noe iuſtus peccatum filij vindicaret, nomen itaque iſtud culpa meruit,non natura. Hæc Auguſtinus.

Et creauit Deus hominem ad imaginem,& ſimilitudinem ſuam. Ad imaginem Dei creauit illum, maſculum, & fœminam creauit eos.

QVod prius dixerat ad imaginem ſuam, confirmationis gratia geminauit, addendo ad imaginem Dei creauit illum, vt diligentius inculcaret nobis,quales à Deo facti ſumus, & ſpem recipiendæ Dei imaginis arctius mentibus noſtris infigeret.

Quod autem dicitur ad imaginem Dei creauit illum, cum ſuperius dictum ſit: Faciamus hominem ad imaginem noſtram ſignificat, quod non id agat illa pluralitas perſonarum, vt plures Deos credamus,ſcilicet Patrem, & Filium, & Spiritumſanctum, propter quam Trinitatē dictum eſt ad imaginem Dei. Sed quod non addit ſimilitudinem, quibuſdam viſum eſt inquit Diuus Auguſtinus libro quæſtio. ſuper Deut. quæſt.quarta. Similitudinem aliquid amplius eſſe, quam imaginem, quod homini reformando per Chriſti gratiā poſtea ſeruaretur.

Rupertus autem libro ſecūdo de operibus Trinitatis, capitulo ſexto, inquit, quòd ſcienter Moſes, quid Deus intendiſſet in verbis eius, expræſſit, & quid accidiſſet, ipſe in ſuo ſermone prudenter obſeruauit. Cum enim diceret Deus faciamus hominem &cæt.

Ipſe vtique ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam facere intendebat. Cum hoc Moſes ſcriberet, homo per peccatum ſimilitudinem

Digitized by Google

tudinem Dei amiſerat; Er quidem nouerat ille, quod illud Dei proprium nullus euertere poſſet, verumtamen, certa non tunc perſona conſurrexerat, in qua abſque vlla contradictione recuperata monſtraretur illa diuinæ ſimilitudinis gloria, quæ in primi hominis perſona deperierat. Erant Sancti, & iuſti, quorum ex præcipuis erat ipſe Moſes, ſed non niſi ex fide, & ſpe venturi hominis, qui ſic ad imaginem, & ſimilitudinem Dei fieret naſcendo de Virgine, vt in filijs Adæ perditam Dei ſimilitudinem refunderet, ſibique conſimiles, ſuoſque filios efficeret, abolita vetere, reddita noua origine.

Proinde ergo cum ſcripſiſſet dixiſſe Deum: Faciamus hominem ad imaginem, &cæt. Hoc ſolummodo ſubſcripſit. Creauit Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, vt ſubaudias recreaturum aliquãdo ad ſimilitudinem ſuam: nam illum quodammodo nondum fecerat ad imaginem, & ſimilitudinem, ſed tantum ad imaginem ſuam, qui euanuerat, & perdiderat diuinæ ſimilitudinis gloriam.

Hanc Ruperti ſententiam, vel certè ſimillimam eius, refellit. Diuus Auguſtinus in libro imperfecto de Gen. ad lit. in extremis illius libri verbis, in hunc modum ſcribens. Ideo non repetitam à Moſe ſimilitudinem, neque dictum fecit Deus hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinem Dei; quia verè tunc homo tantummodo ad imaginem Dei ſit factus, ſimilitudo autem illi poſtea ſeruabatur in reſurrectione mortuorum donanda: quaſi vero poſſit eſſe imago aliqua, in qua ſimilitudo non ſit. Si enim omnino ſimilis non eſt, proculdubio, nec imago eſt. Verumtamen ne ſola ratione id agere videamur, & auctoritas. D. Iacobi Apoſtoli adhibenda eſt, qui cum de lingua hominis loqueretur ait, in ipſa benedicimus Deum, & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt. Hæc Auguſtinus.

Diuus Baſilius propterea putat omiſſum. 2. loco nomen ſimilitudinis, quod hæc ad virtutes, & morum ſanctimoniam pertineat, quæ non ſolo Dei munere nobis donatur, ſed noſtro etiam ſtudio, ac diligentia comparari debet.

Sed quid intelligitur hic vocabulo hominis, cum dicitur; Creauit Deus hominem. Reſpondet Toſtatus in hunc locum. Quod homo non eſt hic nomen indiuidui, ſed naturæ, vt patet infra: quia dicit creauit eos, nam licet natura, non ſit creabilis: quia non eſt terminus alicuius mutationis, vel creationis, ſine cuiuſdam actualiter aduenientis, quia omne quod fit indiuiduum eſt, & actiones ſunt circa ſingularia, vt patet, 1. Meth. & 6. Ethyc. tamen ponitur hic nomen naturæ, vt compræhendat duo indiuidua formata. Ad imaginem ſuam creauit illum eſt repetitio einſdem ſententiæ, nihil addens in ſententia, & multotiens fit talis repetitio ſecundum conſuetudinem Hæbraici ſermonis.

Sed nota obſecro, inquit Catharinus, quo dicendi genere vtatur Moſes. Ad imaginem Dei creauit illum. Quis creauit illum niſi Deus? At quis eſt iſte loquendi modus. Deus creauit hominem ad imaginem Dei?

Quaſi vero ſit alius Deus ab ipſo Deo, qui condidit, ad cuius imaginem conditus eſt homo. Non deſunt, qnibus hic dicendi modus non videtur abſurdus, non alium inde ſenſum elicientes, niſi quod Deus ad imaginem ſuam creauit hominem, & quidem miror illos à ſermonis ineptia non fuiſſe offenſos; Non enim rectè dicitur: Deus ad ſimilitudinem Dei fecit illum, niſi illud Dei, quod poſtremo adiectum eſt, ad aliam perſonam referatur.

Quapropter Beatus Hilarius hunc locum eleganter ad Chriſtum applicat, vt ſit ſenſus, quod Pater, & tota Trinitas creauit hominem ad imaginem Dei, ideſt Chriſti, qui Deus eſt, ad cuius imaginem ſpecialiter homo creatus eſt.

Scio non placuiſſe eiuſmodi ſenſum B. Auguſtino, & alijs quibuſdam, at certè placuit Cyrillo, vt legitur in libro primo contra Iulianum, & vehementer placuit; Probauit eum, & Theodoretus, legi etiam hanc Phylonis fuiſſe interpretationē. Nam Deus ad cuius imaginem hoc in loco factus homo dicitur, filium Dei eſſe, interpretatus eſt, commodiſſimè, atque admirabiliter homo Iudæus. Quo magis miror hunc ſenſum ab omnibus Chriſtianis Doctoribus magno conſenſu non fuiſſe acceptum.

Nam cur non placuerit, nullam proferunt idoneã rationem. Quinimo ſi hoc pacto intelligas, non ſolum tollitur abſurditas in dicto; verum etiam illuſtris, atque perfectus ſenſus de toto homine, tam ſecundum mentem, quam ſecundum corpus exprimitur: Formauit enim ipſum hominem Deus ad imaginem illius quem Dominus iam prædeſtinatione ſua crearet. Sicut ſcriptum eſt. Ab initio, & ante ſecula creata ſunt. Nam ipſe Chriſtus archetypus fuit, ad quem primo nos debemus, cum ſecundum corpus, tum ſecundum mentem, & animam exprimi, ſicut ſumus ei configurandi in æterna Beatitudine. Hoc clare docuit Apoſtolus aiens ad Roman. 8. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit cõformes fieri imagini filij eius, & alibi. Sicut guſtauimus imaginem terreni, ita, & guſtabimus imaginem cæleſtis. Qui ergo ad imaginem Chriſti creatus erat, verè ad imaginem Dei creatus inueniebatur, quoniam in Chriſto inhabitat omnis plenitu do diuinitatis corporaliter.

Vnde, & in Gloſſa ordinaria legitur hæc expoſitio faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ad eam, videlicet formam, exemplar, ſpectrum, vel effigiem, quæ prædeſtinata eſt filio Dei ante omnium creaturarum formationem, qui primo genitus dicitur omnis creaturæ, in quo condita ſunt omnia.

Secundum eam ſpeciem ab æterno in mente noſtra præformatam aſſumendam à Verbo, hominem ipſum nobiliſſimam mundi creaturam formemus, & producamus. Ad hoc enim creati ſumus ab initio, vt portaremus imaginem illius Adam, nempè cæleſtis, non terreſtris, quemadmodum docet Apoſtolus.

Non turbetur autem quiſquã, quod in Hæbreo, per eam vocem Elohim, ſignificetur hic tam Pa-

ter,

ter,quam filius,ad quorum imaginem dicimur conditi, poteſt enim hoc plurale nomẽ elohim, iure ſibi filius vindicare,cum, & pater, & Spiritusſanctus in ipſo ſit, quemadmodum ipſe aiebat Ioan.14. & non ſum ſolus. Ego in Patre, & Pater in me eſt, hæc Catharinus.

Poſſet etiam dici, quod cum homo ſit conditus ad imaginem Dei, & quo ad animam, & quo ad corpus,vtramque voluit inſinuare Moſes.

Imago in anima cõſiſtit in vnitate eſſentiæ animæ;& potentiarum Trinitate, modo ſupra explicato, quæſtio. 8. de imagine. Imago vero in corpore conſiſtit in humana effigie. Vt ergo vtrãque imaginem inſinuaret Moſes, primo dixit. Dixiſſe Deum faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtrã; quibus verbis explicatur imago hominis, quo ad animam: nam illud noſtram refert tres diuinas perſonas,quarum homo quo ad animam imago eſſe dicitur; & quoniam hæc imago tunc perfecta eſt,cum reſpicit obiectum æternum,ipſum intelligendo, & ſuper omnia diligendo; ideo ſolum dicitur homo factus ad imaginem, verum etiam ad ſimilitudinem; quæ vt docent Patres proprie conſiſtit, vt ab imagine diſtinguitur; in gratuitis, quorum tantum anima eſt capax.

Cum vero ſubiungit. Ad imaginem Dei creauit illum, inſinuauit imaginem, quo ad corpus, quæ in humana effigie conſiſtit, quæ formata dicitur ad imaginem Dei; ideſt iuxta exemplar humanitatis Chriſti; qui eſt Deus; & quia corpus non eſt capax gratiæ, & aliorum donorum ſupernaturalium, in quibus ſimilitudo conſiſtit; ideo non addidit Moſes ad ſimilitudinem.

Maſculum, & fœminam creauit eos.

PLENIVS in ſequentibus, vnde,& quomodo Protoplaſtos fecerit Deus exprimitur,ſed nunc breuitatis cauſa creati referuntur,vt ſextæ diei operatio, ac ſeptimi dedicatio, cum cæteris explicetur, atque ita ex tempore liberius, & hoc,& alia prætermiſsa, quæ erant relatu digna dicantur.

Non eſt itaque intelligendũ, quod Deus ſimul creauerit, vel formauerit maſculum, & fœminam,hoc ſexto die, eodem temporis momento, & non ſicut Moſes inferius docet, mulierem ex coſta viri: vt falſo docuit hic Caietanus. Hæc enim dicta ſunt, per anticipationem: adeo quod iſta propoſitio habet veritatem pro tempore, quo iam formata erat Eua de latere viri: quia tunc præterierat formatio cuiuſlibet eorum,ſcilicet vna ante, & alia poſt, non eſt ergo reducenda iſta propoſitio in præſenti ad ſimultatẽ temporis: quia eſto, quod Deus Adamum, & Euã in aliqua temporali ſucceſſione formare voluerit, nunquam tamen fuit verum dicere, vel in eodem tempore, ſiue momento, Deus creat,aut producit Adã.& Euã.

Aliqui tamẽ Hebræorũ,vt referũt Nic.de Lira,& Toſt.in hũc locũ dixerũt ex iſta littera, ꝙ Deus creauit ſimul in natura humana ma-

maſculũ,& fœminam,& copulatos, quaſi vnum,ſed poſtea ab inuicem diuiſos. Fingebant enim marem,& fœminam in lateribus coniunctos, ita tamen, vt haberent omnia membra duplicia, ſcilicet duo capita, quatuor brachia &c. atque ita coniuncti erant, vt vnum continuum iudicarentur, nec poterant ſeparari; ſed Deus poſtea ſeparauit eos.

Et mouebantur ad hoc dicendum ex eo, quia in littera dicitur primo Creauit Deus hominem, quod denotat vnitatem indiuidui, vel ſuppoſiti, deinde ſubdit. Maſculum, & fœminam creauit eos; in quo ſignificatur, vterque ſexus. Vt ergo concordent hãc litteram ponunt vnitatem indiuidui per continuationem in lateribus; nam vnitas cauſat identitatem; & ponunt vtrumque ſexum, ſcilicet maſculinum, ad latus vnum, ſiue ante, & fœmininum retro.

Sed iſta ſtultiſſima ſunt; & contra textum; quia infra cap. ſecũdo, dicitur, quod Deus ſumpſit coſtam de latere viri, de qua formauit mulierem. Item quia dicitur repleuit carnem pro ea. Verum ad hæc ſic ſolent ipſi reſpondere, dicẽtes, quod vocabulum, illic poſitum, non ſignificat coſtam, ſed latus, vt ſit iſte ſenſus, quod tulit Deus vnum latus Adæ, & quod coniunctum erat corpus fœminæ corpori viri; nã dictio Hæbraica ibi poſita, equiuoca eſt ad latus, & ad coſtam.

Ad ſecundũ reſpondent, quod vbi nos legimus repleuit carnẽ pro ea, Hæbraica lectio habet clauſit carnem in loco ſuo, ideſt, quod in eo loco vbi facta fuit diſcontinuatio corporum vnitorũ; quia non extabat cutis, extenſa fuit, vt clauderet carnem illam.

Cæterum his non obſtantibus hæc reſponſio ſtare non poteſt. Nam talis coniunctio duorum corporũ, pertinet ad monſtra, ſicut legitur in Cronica Gulielmi. Qui tempore Philippi Regis Franciæ in confinio Normaniæ, Brittaniæ, natæ fuerunt duæ mulieres in vno corpore; ita tamen, quod omnia ſuperiora, vſque ad vmbilicum, erant duplicia, inferiora autẽ erant ſimplicia: & qđ eſſent verè duæ mulieres apparuit per hoc, quod aliquãdo vna triſtabatur, & alia gaudebat, & interdum vna dormiente, alia vigilabat, & vna fuit mortua, pluſquã per annum ante aliam. Secunda vero ex pondere, & fœtore mortua eſt. Monſtra autem per accidens contingunt in natura, atque adeo non eſt rationabile, quod in prima rerum inſtitutione artifex omnium inciperet formationem hominis ab his, quæ ſunt per accidens; cum talia haud cadant ſub arte, & maximè in natura humana, quæ omnium creaturarum corporalium nobiliſſima eſt.

Præterquam quod, hæc opinio eſt expreſsè contra veritatem ſcripturæ, quæ infra docet, quod formatis cunctis animantibus; Deus adduxit ea ad Adam, & quod in illis non inueniebatur illi ſimile, propter quod proceſſit ad formationem mulieris de coſta viri. Item ibidem dicitur, & edificauit coſtam, quam tulerat do Adam in mulierem, ſi autem nõ eſſet ibi coſta, ſed latus, quod ab alio latete ſeparaſſet dominus modo ſupra explicato, per talem ſeparationem non magis edificata fuiſſet mulier, quã vir.

Præ-

Digitized by Google

Præterea quando dixit Adam. Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea, non fuiſſet vera, nec propria locutio: quia non magis eſſet Eua de oſſibus Adæ, quam Adam de oſſibus Euæ: quia vterque integer erat. Deinde quando dicitur, & vocabitur Virago: quia de viro ſumpta eſt, non propriè diceretur: quia non magis fuiſſet Eua ſumpta de Adamo, quam è conuerſo, patet ergo quam ridicula, & fatua ſit hæc Hæbræorum explicatio. Quo fit vt plurimum mirer reperiri adhuc aliquos ex noſtris, quibus hoc ſtultiſſimum commentum arriſerit. Franciſcus enim Georgius tomo 1. problematum, problemate 29. hanc Iudeorum inſaniam ſecutus eſt. Quam fabulam Plato in ſympoſio, vt referunt Catharinus, in hūc locum, & Sextus Senen. lib. 5. annot. annot. 45. turpiter deſcripſit. Cæterum circa hanc litteram.

Quæritur primo. Cum nondum eſſet formatus homo de limo terræ, nec formata eſſet mulier de latere viri, ad quid facta eſt diſtinctio illa, & propter quid de maſculo, & fœmina facit hic Moſes mentionem. Reſpondet Alex. de Ales, par. 2. quæſt. 55. in 5. & poſt ipſum Nicol. de Lyra in hunc locum, quod licet nondum eſſet expreſſa viri, & mulieris formatio ſecundum corpus; hæc tamen per anticipationem dicta ſunt: nam quoniam ſtatim volebat facere mentionem de multiplicatione humanæ naturæ, quæ fit per commixtionem maris, & fœminæ, cum ſubdit creſcite, & multiplicamini. Ideo inquit D. Chryſoſt. hom. 10. in Gen. dixit hic Maſculum, & fœminam creauit eos, ſed poſtea, c. 2. ſerioſe explicat modum formationis mulieris de coſta viri, atque etiam viri de limo terræ.

Quæritur ſeptimo. Cum hic loquatur de homine, ſecundum rationem, ſecundum quam conditus eſt ad imaginem Dei, & hoc ſecundum eminentiorem partem animæ, ſecundum quam non dicitur maſculus, vel fœmina, quare de diſtinctione ſexus hic agitur?

Quidam dixerunt (vt ex Diu. Auguſtino, libro 3. de Gen. ad litteram cap. 22. refert Alexand. de Ales loco citato) cum dicitur, & creauit Deus hominem ad imaginem &c. interiorem hominem eſſe factum, corpus autem hominis poſtea cum ait ſcriptura, & finxit Deus hominem de limo terræ, vt quod dictum eſt fecit pertineat ad ſpiritum, quod autem finxit, ad corpus.

Et cum dicitur Maſculum, & fœminam fecit eos, dicunt ipſam hominis mentem, ſecundum quam homo factus eſt imaginem Dei, quandam, ſcilicet rationalem vitam diſtribui in æternæ contemplationis veritatem, & in quandam rerum temporalium adminiſtrationem, atque ita fieri quaſi maſculum, & fœminam illa parte conſulente, & hac obtemperante.

Cæterum licet hæc ſubtiliſſimè ſint excogitata, ſenſui tamen litteræ haud accommodari poſſunt.

Nam maſculus, & fœmina, nō niſi ſecūdum corpus fieri queūt, & quamuis hoc, quod in vna interius hominis mente intelligitur in duobus hominibus diuerſi ſexſus, exterius ſecundum corpus

pus figuratum ſit, tamen, & fœmina, quæ eſt corpore fœmina, ipſa quoque facta eſt ad imaginem Dei, adeoque licet ſecundum alteram, & alteram rationem accipiatur eſſe ad imaginẽ, & ſexum diſtingui; nihilominus hic facta eſt mentio de diſtinctione ſexus, vt oſtendatur, quod conditio imaginis non ſit propria maſculi, ſed vtriuſque: nam etiam mulier in ipſa prima conditione hominis, ſecundum id, quod, & fœmina, homo erat, habebat mentem ſuam, eandemque rationalem, ſecundum quã ipſa quoque facta eſt ad imaginem Dei; ſed propter vnitatem coniunctionis fecit Deus inquit hominem ad imaginem Dei, & ne quiſquam putaret, ſolum ſpiritum hominis factum, quamuis ſolum ſecundum ſpiritum fieret ad imaginem Dei, fecit illum inquit maſculum, & fœminam, vt iam etiam corpus factũ intelligatur rurſus, ne quiſquam arbitraretur, ita factum, vt in homine ſingulari vterque ſexus exprimeretur, ſicut interdum naſcuntur, quos Adrogynos Hermaphroditos vocant, oſtendit ſingularem numerum propter coniunctionis vnitatem poſuiſſe, & quod de viro mulier facta eſt, ſicut poſtea manifeſtabitur, ideo pluralem numerum continuo ſubijcit dicens; fecit eos, & benedixit eos.

Quæſt. 8. Mulier an ſit facta ad imaginem Dei.

Quæritur octauo. An mulier ſit facta ad imaginem Dei, & videtur, quod non; quia D. Paulus, prima ad Corint. 11. ſicut expreſſè dicit. Virum eſſe imaginem Dei, ita videtur ſignificare mulierem non Dei, ſed viri eſſe imaginem; hoc enim modo ſcribit. Vir quidem non debet velare caput ſuum: quoniam imago, & gloria Dei eſt; mulier autem gloria viri eſt, & in decretis, 33. q. 3. Auguſtini, & Ambroſij teſtimonijs probatur mulierem non eſſe ad imaginem Dei. Alexan. de Ales, loco ſupra citato. D. Tho. 1. p. quæſt. 33. art. 4. ad primum, Diu. Thoma, in 2. diſt. 16. artic. 2. quæſtio. 2.

Reſpondent, quod ſi ſpectetur propria, & principalis ratio imaginis, quæ attenditur ſecundum gradum naturæ intellectualis, & conſiſtit in anima, & eius potentijs, & in ijs potiſſimè prout habent Deum pro obiecto, ſine dubio, cum quantum ad hoc, nõ ſit diſtinctio maſculi, & fœminæ, ſerui, & liberi, ratio imaginis æqualiter eſt in muliere, atque in viro; ſi autem ſpectetur minus propria, & principalis ratio imaginis, ſcilicet quantũ ad id, quod ſpectat ad bene eſſe imaginis, ſiue ad clariorem expreſſionem, conſiſtit magis in anima, ſecundum quod corpus habet ordinẽ, & habitudinem, & quoniam ex parte corporis eſt ſexuum diſtinctio, & ſecundum ſexuum diſtinctionem maior eſt repræſentatio in viro, quam in muliere; atque adeo excellentiori modo reperitur in viro, quam in fœmina Dei imago, quod patet, tum ratione præſidentiæ; quia mulier etiam ante peccatum erat naturaliter viro ſubdita, & vir ſoli Deo ſuberat, propter quod dixit Diu. Paulus. Virum eſſe imaginem Dei non mulierem, vt perpulchrè adnotauit D. Chryſoſt. eo in loco, & hom. 8. in Gen. Tum etiam: quia vir eſt caput, & principium mulieris. Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro; etenim non eſt creatus vir

pro-

propter mulierem, ſed mulier propter virum, & propter has cauſas in viro magis, quam in muliere relucet Dei imago, qui eſt dominus rerum omnium, quas condidit, illiſque dominatur, & præeſt, & eſt illorum omnium finis, & principium, & c.

Vel dicendum eſt, iuxta Diu. Auguſtinum, lib. 3. de Gen. ad lit. capitulo vigeſimoſecundo, & libro 65. quæſtionum ad Oroſium, quæſtione 18. quod in mente eſt ratio, & intelligentia; & ipſa mens quando cogitat ea, quæ ſunt æterna, tunc verè imago Dei dicenda eſt, & cogitando æterna vir eſt, ſicut ait Paulus Apoſtolus. Vir non debet velare caput ſuum, cum ſit imago gloriæ Dei, quantumque ſe extenderit in id, quod æternum eſt, tanto magis inde formatur ad imaginem Dei, & ideo non eſt cohibenda, vt inde ſe contineat, ac temperet. Quando vero ea agit, & cogitat, quæ ſunt temporalia mulier appellatur, tunc non eſt dicenda imago Dei, & propterea debet velare caput ſuum, nimium ſit eius ad inferiora progreſſio, & cum licita agit, illicita concupiſcat.

Poſſet etiam dici, vt docet Ricar. in 2. diſtinct. 16. artic. primo, quæſtio. 6. quod etiam quantum ad eſſentialia regulariter loquendo, homo eſt magis ad imaginē Dei, quam mulier: nam licet omnes animæ humanæ, æquales ſint in perfectionibus eſſentialibus conſequentibus ſpeciem, tamen quo ad perfectiones conſequentes naturam indiuidui, vna eſt altera perfectior, & cum perfectioris animæ perfectiores ſint potentiæ; imago quæ conſequitur perfectiorem animam indiuidualiter, erit etiam ipſa perfectior indiuidualiter alia imagine. Anima autem hominis regulariter loquendo eſt indiuidualiter perfectior anima mulieris. Propter quod vult Ariſt. 1. Politicorum, quod vir dominetur mulieri, propter perfectiorem rationem, quæ in viro magis viget, quam in muliere, atque adeo imago Dei perfectior eſt in viro, quam in fœmina.

Dixi regulariter loquendo; quia bene poteſt contingere, vt aliqua mulier, ſicut credo de Beatiſſima Virgine Maria, habeat animam perfectiorem indiuidualiter, & potentias intellectiuas; quam multi viri, & tunc quidem imago talis fœminæ perfectior erit indiuidualiter, quam imago aliorum virorum.

Poſſet dici poſtremo, quod cum duplex ſit imago, ſcilicet creationis, & recreationis, imago creationis conſiſtit in homine per naturam, & ex vi creationis, & conſideratur quantum ad eſſentialia, ſcilicet quantum ad animam intellectualem, & ad vires eius naturales, quæ ſunt intellectus, memoria, & voluntas; quibus homo eſt capax Dei. Imago autem recreationis eſt in homine per gratiam, & attenditur pœnes dona ſupernaturalia gratiæ, & gloriæ. Si ergo fiat ſermo de imagine creationis, non eſt vir magis ad imaginem Dei quā fœmina; ſed in hac ratione imaginis parificantur. Si autem fiat ſermo de imagine recreationis, ſe habent vir, & mulier, ſicut excedens, & exceſſum; non nullas enim fœminas reperire licet meliores, ſimilioreſque Deo multis viris, & contra viros

Imago eſt duplex .ſ. creationis & recreationis.

ros

ros aliquos multis fœminis meliores; Deoque propiores; Nam hæc imago recreationis conſiſtit tantum in hoc, quod homo ſit in gratia Dei; ſed poteſt eſſe, imo de facto contingit ſæpe, vt vir habeat maiorem gratiam, quam mulier, & è conuerſo; Et quod diximus de imagine recreationis, ſiue gratiæ, proportionabiliter dicendum eſt de imagine ſimilitudinis, quæ eſt in gloria, quæ quidem hominibus poſt hanc vitam datur iuxta menſuram gratiæ, quam in hac vita habuerunt.

Dicendum eſt tamen inter mulieres reperiri aliquam, Beatiſſimam dico Virginem Mariã, quæ longe perfectiorem Dei ſimilitudinem in ſe habeat, quam vllus vir, & loquor de viro, qui ſit purus homo, vt excipiam Chriſtum Dominum, qui eſt ſimul Deus, & homo.

Quæſt. 9. Imago Dei an per peccatum amittatur. Quæritur nono. Vtrum Dei imago amittitur per peccatum. Huic difficultati facillimè reſponde tur per diſtinctionem de duplici imagine, ſcilicet creationis, & recreationis.

Nam ſi fiat ſermo de imagine creationis, quæ in nuda animæ ſubſtantia conſiſtit, vt explicauimus ſupra, hęreticum eſſet aſſerere per peccatum amitti, quantumcumque enim homo ſeipſum peccatis ſubdat, non perdit mentem intellectum, neque arbitrij volũtatem, in quibus ſita eſt: nam ſi in demonibus (vt B. Dionyſius docuit) quorum peccatum multo grauius fuit hominis peccato, naturalia manſerunt integra, quanto magis id factum eſſe in homine credendum eſt?

Si autem fiat ſermo de imagine recreationis, hęreticum etiam eſſet dicere, non amitti per peccatum: nam imago iſta recreationis conſiſtit in ſimilitudine Dei, quæ fit per gratiam, per quam diuinæ conſtituimur conſortes naturæ, ſed de fide eſt, quod aliquis non poteſt eſſe in peccata mortali, & permonere in gratia, & de hac imagine locutus fuit Origenes, vt patet libro 3. de Principijs, cap. 6. vbi dicit, quod homo imaginis dignitatem in prima conditione percepit, ſimilitudinis autem perfectio in conſumatione reſeruata eſt, &c. & clarius hoc affirmat Origenes hom. 13. in Gen. tractans illum locum Gen. 1. faciamus hominem ad imaginẽ, &c. vbi dicit filius Dei eſt Pictor huius imaginis: & quia talis, ac tantus eſt Pictor, imago eius obſcurari per incuriam poteſt, ſed deleri per malitiam non poteſt. Manet enim ſemper imago Dei in te, licet tu tibi ipſi ſuper in duas imaginem terreni.

Si quando ergo reperiatur ſcriptum in Origine. Adamum amiſiſſe per peccatum imaginem Dei, intelligendum eſt de imagine recreationis, vt docet Alphõſus à Caſtro, libro 2. contra hæreſes tit. Adam, hæreſi. 2. & Sextus Senen. lib. 5. annotationum, annot. 49.

Atque adeo falſo Epyphanius in Epiſtola ad Ioan. Hieroſolym. inter Origenis errores numerat, quod dixerit hominem per peccatum amiſiſſe Dei imaginem. Matthias Illiricus huius temporis hæreticus, in ſuis diſputationibus de peccato originali, ſæpius affirmat imaginẽ Dei penitus eſſe corruptam in homine per peccatum, illumque ſubſtantialiter fuiſſe transformatum in viuam, & ſubſtantialem imaginem Diaboli,

Diaboli, quæ eſt ipſum peccatũ originale, cæterum quis hominis delirium non agnoſcit. D. Augustinus, lib. 83. quæſt... q. 67. & in Dialogo ad Oroſium, & lib. 6. ſuper Gen. ad lit. cap. 27. & 28. videtur docere eundem errorem, & aſſerere, Adam perdidiſſe imaginem ſecundum quam creatus eſt. Sed poſtea lib. 1. Retract. ca. 26. & lib. 2. cap. 24. corrigit, & explicat ſuam ſententiam, & docet non ſic eſſe intelligendam, quod nulla remanſerit imago Dei in homine, ſed quod remanſerit ita deformis vt reformatione opus habuerit. Imago itaque Dei in homine, quo ad naturalia per peccatum non deletur, deturpatur autem, & obſcuratur quidem per peccatum, vt communi conſenſu docent omnes patres.

De hominis conſeruatione quantum ad ſpeciem.

Benedixitque illis Deus, & ait Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.

Hic deſcribitur humanæ naturæ iam formatæ conſeruatio, & quantum ad ſpeciem, & quantum ad indiuiduum, & primo quantum ad ſpeciem cum dicit. Creſcite, & multiplicamini &c. Conſeruatur autem humana ſpecies per generationem, maximè poſt lapſum, per quem incurrit neceſſitatem moriendi, & eſt quod dicitur.

Benedixitque illis &c. Nam benedictio Dei in ſcriptura ſignificat copiam, & affluentiam bonorum, quibus Deus hominem afficit; hoc autem loco indicat maximam fœcunditatem, quã data eſt homini, quo videlicet citius, & numeroſius genus humanum propagari poſſet, quod in exordio mundi cum vnus tantũ vir, & vna fœmina ſint creati neceſſarium fuit, atque ob eandẽ neceſſitatem ſtatim poſt diluuium, vt patet infra, cap. 9. Iterũ Deus homini benedixit, & ſimiliter dixit. Creſcite, & multiplicamini. Illud creſcite, non ſignificat incrementum corporis, ſecundum magnitudinem. Primos enim homines perfectos corporis mole, ac magnitudine creatos eſſe conſtat, ſed ſignificat incrementum multitudinis, quod bene declaratur duobus proximè ſequentibus verbis, & multiplieamini, & repletè terram, pro verbo creſcite eſt verbũ Hæbræum propriè ſignificans fructificate, videlicet, ita ſe habet proles hominis, ſicut fructus arboris. Circa hanc litteram.

Quaſt. 1. an Deus dederit homini pceptũ ineũdi cõiugium.

Quæritur primo. An Deus his verbis dederit homini præceptum ineundi coniugium, & dandi operam liberis, & eſto, quod hoc domini dictum contineat præceptum, an eo præcepto teneantur omnes homines, & omni tempore ad coniugium ineundum.

Ad hoc dubium poteſt dupliciter reſponderi, primo concedendo hæc verba domini continere præceptum, & negando huiuſmodi præcepto teneri, aut omnes homines, aut omni tempore. Secundo negando in illis domini verbis præceptum aliquod contineri, aut impoſitam eſſe homini neceſſitatem colendi matrimonium, & vacandi generationi prolis.

Qui priori modo reſpondet, varijs,

varijs id modis tractant, & primo Beatus Cyprianus tractatu 2. de habitu virginum cenſet, præceptum illud Domini, vim habuiſse, quod multiplicatum eſt genus humanum, poſtea vero cõtinentia in laude, & honore fuiſse.

Prima (inquit) Dei ſententia, creſcere, & generare præcepit.

Secunda continentiam ſuaſit, cum adhuc rudis mundus, & inanis eſt, copia fœcunditatis generante propagamur, & creſcimus ad humani generis augmentum.

Cum iam refertus eſt orbis, & mundus impletus, qui capere cõtinentiam poſſunt, ſpadonum more viuentes caſtrantur ad regnum.

Magiſter ſent. lib. 4. diſt. 46. ſimilia ſcribit his verbis. Poteſt ſanè intelligi illud ſub præcepto dictum hominibus primis, ante peccatum. Creſcite, & multiplicamini, quo etiam poſt peccatũ tenebatur vſque quo eſt facta multiplicatio: poſtquam contractus matrimonij fuit, non ſecundum præceptum, ſed ſecundum indulgentiam. Ita etiam poſt diluuium, quo vniuerſum penè humanum genus deletum eſt, ſecundum præceptum dictum eſt filijs Noe. Creſcite, & multiplicamini: Multiplicato vero homine, ſecundum indulgentiam contractum eſt, non ſecundum Imperium.

Alexand. de Ales, parte ſecunda, quæſt. 89. in 4. ad tertium. Inquit, illud præceptum de multiplicatione, erat affirmatiuum; præceptum autem affirmatiuum non ligat ad ſemper, neque ſecundum omnem conditionem, & circunſtantiam, ſed pro loco, & tempore, & circunſtantijs alijs debitis, & maxime prout cadit ſub intentione illius, qui dedit. Præceptum autem illud datum fuit ad multiplicandum genus humanum.

Vnde quia præceptum illud datum fuit generaliter omnibus, non diſtinctè huic, vel illi exceptis primis parentibus, exiſtente numero ſufficiente ad huiuſmodi multiplicationem expedite faciendam, nulli ſingulariter prohibebatur non tenere virginitatem; licet enim aliquis contineret, erant tamen alij, per quos poterat genus humanum multiplicari.

Sed tunc demum teneretur quilibet illi præcepto, cum videret alium deeſſe per quem præceptum illud poſſet impleri: quilibet enim tenebatur ad hoc, vt illud præceptum non remaneret incompletum, etiam per ſeipſum ſi videret, quod per alium non poſſet impleri, aut quod dominus aliter non diſponeret.

Et infra dicit. Illud præceptum creſcite, & multiplicamini, non ſolum datum fuit ad augumentum, & multiplicationem prolis carnalis, ſed prolis ſpiritualis. Vnde ſicut in primo ſtatu, melior fuit caſtitas coniugalis, quam virginalis propter paucitatem hominum, ſic poſt ſufficientem hominum multiplicaplicationem: maior erat neceſſitas multiplicandi filios ſpirituales, quam carnales. Fuit ergo præceptum illud, multipliciter, & multis modis reuocatum, ſcilicet præfiguratione, ideſt præfigurata fuit eius reuocatio, & hoc ante legem, ſcilicet in virginitate Abel, in qua fuit præfigurata virginitas Chriſti, vt docet Diu.

Aug.

Auguſt. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ. Et in lege ſcilicet in virginitate Heliæ, in qua præfigurata fuit virginitas Ioan. Baptiſtæ, vt docet Diuus Hieronymus contra Iouinianum; Fuit etiam reuocatum inſpiratione, ſcilicet in virginitate Beatæ Virginis, & Beati Ioannis Baptiſtæ. Item fuit reuocatum exemplo, ſcilicet in virginitate Chriſti, qui fuit forma viuendi perfectis. Vnde Lucæ 6.

Perfectus autem erit ſi ſit ſicut Magiſter eius. Fuit demum reuocatum doctrina Chriſti Matth. decimonono. Dicunt ei diſcipuli eius, ſi ita eſt cauſa hominis cum vxore; non expedit nubere. Qui dicit eis. Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt, &cæt. ſupra quod Diuus Hieronymus contra Iouinianum. Apoſtoli vxoris onere contemplato, ſi talis eſt (inquiunt) cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere. Quorum dominus ſententias probans. Rectè quidem ſentitis ait, quod nō expediat homini ad regna cœlorum tendenti vxorem accipere. Sed difficilis res eſt, & non omnes capiunt verbum iſtud, verum quibus datum eſt. Et ſunt Eunuchi, qui caſtrauerunt ſe propter regnum cœlorum, qui poteſt capere capiat, & ſubdit Diuus Hieronymus. Mihi illi Eunuchi placent, quos caſtrauit non neceſſitas, ſed voluntas; libenter eos recipio in meos ſinus, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum, & ob meum cultum noluerunt eſſe, quod nati ſunt.

Diuus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 152. articulo ſecundo ad primum. Inquit, illud præceptum domini non obligare omnes & ſingulos homines, ſed tantum ipſam multitudinem: nam præceptum habet rationem debiti; Duplex autem eſt genus debiti, alterum, quod impleri debet ab vno quoq; & hoc debitum à nullo ſine peccato præteriri poteſt, alterum eſt debitum non à ſingulis, ſed à multitudine implendum, quo non quilibet de multitudine tenetur: Multa enim ſunt multitudini neceſſaria, quibus explendis vnus non ſufficit, ſed opus eſt multitudine, cuius vnus aliquis hoc facit, alius vero aliud. Duplex eſt genus debiti.

Præceptum igitur datum à Deo primis hominibus de comedendo cum dixit. Ex omni ligno paradiſi comede, omnes, & ſingulos obligat, & ab omnibus impleri debet; ſine cibo enim nullus vitam tueri poteſt, at præceptum datum homini de generatione, cū dictum eſt. Creſcite, & multiplicamini non reſpicit ſingulos quoſque homines, ſed multitudinē hominum, atque adeo nō eſt implēda à ſingulis hominibus, ſed ſatis eſt, quod impleatur à multitudine ſecūdū aliquos.

D. Bonau. in 4. d. 26. art. 1. q. 3. dicit, quòd hoc præceptum fuit affirmatiuum & fuit iuris naturalis, ſed attendendum, quod ius naturale, quædā dictat ſimpliciter, quædam ſecundum tempus: ſimpliciter, vt Deum amandum, ſecundum tēpus vt omnia eſſe cōmunia. Dico ergo, quod præceptum de vſu matrimonij fuit naturale ſecundo modo: quia quam diu pauci erant, & dictabat ius naturale, quòd multiplicanda eſſet proles ad cultum Dei, ſed ceſſante iſto ſtatu ceſſauit præceptum, & ideo inſtitutio ſecunda tempore legis gratiæ habuit indulgentiam, non præceptum. Eodem modo reſpondet Ricard. memb. 4. d. 26. art. 3. q. 1. 2. & 3.

O Simi-

Digitized by Google

Similia fere ſcribit Scotus in quarta diſtinctione vigeſimaſexta, quæſtione prima, §. poſt hæc ad quæſtio. Contractus, inquit, matrimonij inſtitutus eſt à Deo ante lapſum. Gen.2.

Hoc nunc os ex oſſibus meis, &cæt. & Geneſ.primo: Creſcite, & multiplicamini, & poſt lapſum Geneſ. tertio: Multiplicabo conceptus tuos, & erumnas tuas, &c. dixit dominus Euæ, & Geneſ.nono: Creſcite, & multiplicamini, & eſt inſtitutio matrimonij per modum pręcepti affirmatiui, quod obligat ſemper, ſed non ad ſemper, ſed tempore neceſſitatis, non tantum in principio, ſed adhuc videtur eodem modo obligare, ſi paucitas in filijs ex aliqua cauſa puta bello, peſte, vel clade, & huiuſmodi.

Sunt etiam, qui putauerunt pręceptum illud fuiſſe ratum, & validum, vſque ad Chriſti aduentum, & promulgationem legis euangelicæ; Tunc autem perdidiſſe vim ſuam, cum Chriſtus ad Eunuchiſmum, & caſtitatem propter regnum cœlorum omnes inuitans dixit.

Qui poteſt capere capiat. Huius ſententiæ videtur fuiſſe Diuus Hieronym. libro primo, contra Iouinianum, vbi ita ſcribit. Quam diu lex illa permanſit. Creſcite, & multiplicamini ſuper terram, & maledicta ſterilis, quæ non parit ſemen in Iſrael, nubebant omnes, & nubebantur.

Quando vero lex illa pertonuit. Tempus breue eſt, reliquum eſt, vt qui habent vxores ſic ſint, quaſi non habeant, adhærentes domino vnus cum eo efficimur ſpiritus, quare? quia. Qui ſine vxore eſt cogitat ea, quæ domini ſunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum vxore eſt ſolicitus eſt, quæ ſunt huius mundi, quomodo placeat vxori.

Qui autem poſteriori modo reſpondent, vt Michael Medina libro quarto, de ſacrorum hominum continentia, controuerſia ſecunda capitulo primo, vſque ad ſextũ, & Pererius libro quarto, in Geneſ. ex Oleaſtro, Vatablo, Pagnino, & Ioanne benedicto, dicunt nullum illis verbis: Creſcite, & multiplicate contineri præceptum, ſed voluiſſe Deum hac oratione declarare, propterea ſe cum creauit hominem feciſſe eum marem, & fœminam, vt per legitimam eorum coniunctionem humana proles generaretur, atque ita genus humanum omni ſeculo propagatum, perpetuo conſeruari poſſet: quo autem celerius, & copioſius genus humanum multiplicaretur, maximam ſe vtrique ſexui generandi fœcunditatem indidiſſe, idque ſua benedictione ſignificaſſe, ob id autem imperandi modo dixit Deus. Creſcite, & multiplicamini, vt intelligeretur illum Dei ſermonem operatorium eſſe, & efficacem eius, quod ſignificatur illis verbis, vt ſicut in alijs omnibus, ita & in hoc illud verbum fuerit. Dixit, & facta ſunt.

Quod autem illis verbis nullum ſubſit præceptum non obſcure demonſtrant verba illa, quæ quinta die creatis piſcibus, & auibus eis ſimiliter benedicẽs dixit Deus. Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris, &c.

Quis enim adeo amens eſt, vt putet piſcibus datum præceptum generandi, & multiplicandi genus ſuum? piſces enim cum ratione

careant,

Digitized by Google

careant, Dei legis, & præcepti minime ſunt capaces.

Quæſ. 2. Quæritur Secundo. An in ſtatu innocentiæ multiplicati fuiſſent homines per generationem carnalem. Gregorius Niſsenus libro de homine, capitulo decimooctauo credidit, quod ſi primi parentes non peccaſsent, generatio prolis, & propagatio humani generis non fuiſset per coitum, ſed per modum quemdam multiplicationis perfectiſſimum, quo multiplicati ſunt angeli: Nam generatio hæc, quæ fit per concubitum, per peccatum eſt introducta; ſunt autem hæc Gregorij verba.

Homines i ſtatu innocẽtiæ an multiplicati fuiſſent per copulã carnalẽ.

Quamquam inter angelos, vt dictum eſt, nuptiæ nullæ ſint, tamen in infinitis millibus exercitus angelorum ſunt, ita Daniele Propheta in ſuis viſionibus intimante; ergo iuxta eumdem modum, ſi peccati nullus exceſſus ab illa nos angelica dignitate diſtraheret, nec nobis vtique ad multiplicationem generis humani nuptiæ neceſsariæ probarèntur, ſed per motum naturæ, quicumque ille ſit perfectiſſimus quidem, quo angeli multiplicantur creatoris voluntas humanum genus, vſque ad prædeſtinatorum numerum multiplicaſset.

Et poſt pauca de generatione per peccatum inducta hæc ſubdit. Videtur mihi magnus ille Dauid compatiens humanæ miſeriæ talibus verbis eius deflere naturam. Quod homo cum in honore eſset non intellexit, honorem dicens, quòd Sanctis angelis conuerſatione, & ſublimiſſimo illo multiplicationis modo conſimilis fuerat propterea comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Vere namque iumento ſimilis factus eſt, qui hanc animalem generationem in ſua natura ſuſcepit, propter conuerſationis caſum, qui ei ex conformitate materiæ contigit.

Huius ſententiæ ſubſcribens Damaſcen. libro ſecundo de fide Orthodoxa, capitulo trenteſimo, inquit hominem, Deus opifex maſculum condidit tribuens illi ſuam ipſius diuinam gratiam, & per illam in ſui communicatione illum fecit, & parum infra; ſciens autem præcognitor Deus, quòd in tranſgreſſionem haberetur, & corruptioni ſubiaceret, fecit ex ipſo fœminam, illi ſecundum ipſum auxiliatricem; auxiliatricem quidem per eam propagationem, quæ poſt tranſgreſſionem eſſet generis ex ſucceſſione conſeruatio.

Prima enim plaſmatiò generatio dicitur non propagatio, generatio quidem eſt ex Deo prima plaſmatio; propagatiò autem ex cõdemnatione mortis ob tranſgreſſionem ex ſe inuicem ſucceſſio.

Quod magis explicans libro quarto, capitulo vigeſimoquinto, inquit. Quare propterea ne exterminaretur, & conſumeretur hoc genus à morte nuptiæ conſtitutæ ſunt, vt per prolis propagationem genus humanum conſeruaretur.

At dicent forte. Quid igitur hoc vult Maſculus, & fœmina? Quid hoc creſcite, & multiplicamini? Ad quod dicemus, quod hoc creſcite, & multiplicamini; non omnino multiplicationem per nuptialem conſociationem ſignificat.

Poterat enim Deus hoc genus, & alio

Digitized by Google

& alio multiplicare modo, ſi mandatum vſque in finem ſeruaſſet intemeratum.

Sed ſciens Deus præſcientia ſua omnia priuſquam fiant, quòd futuri erant tranſgreſſores, & morte condemnandi, anticipans fecit maſculum, & fœminam, & augeri, & multiplicari præcepit.

Sed ante ipſum Damaſcen. nec Diuus Hieronymus eidem ſententiæ omnino repugnare videtur, is enim primo libro contra Iouinianum, quamuis nec eam partem, nec oppoſitam certa ſententia determinet, ſic tamen inquit de primis parentibus differens. Quod ſi obieceris ante quam peccarent ſexum viri, & fœminæ diuiſum, & abſque peccato eos potuiſſe coniungi. Quod futurum fuerit incertum eſt: neque enim poſſumus Dei ſcire iudicia, & ex noſtro arbitrio illius ſententiæ præiudicare; Hoc quod factum eſt in propatulo eſt, quod qui in Paradiſo virgines permanſerunt, eiecti de Paradiſo copulati ſunt. Eijciuntur de Paradiſo, & quod ibi non fecerunt, in terra faciunt, vt ſtatim ab initio conditionis humanæ virginitatem Paradiſus, & terra nuptias dedicarit. Nuptiæ (inquit idem) terram replent, virginitas Paradiſum.

Eamdem ſententia docet Chryſoſtom. homil. decimaoctaua, in Geneſ. his verbis. Adam autem cognouit vxorem ſuam. Conſidera, quando hoc factum ſit, poſt inobedientiam, poſt Paradiſi amiſſionem, tunc primus vſus rei venereæ cæpit. Ante inobedientiam enim angelicam vitam imitabantur, & nullus de re venerea ſermo erat.

Vel quo pacto, cum neque corporalibus obnoxij fuerint. Itaque ab initio virginitatis palmam principatus accepit, ſed poſtquam per diſſidiam peccatum intrauit, & aditus patefactus, ex his, quæ peccati ſunt, & illa quidem auolauit, vt pote ab iis, qui indigni tantæ virtutis magnitudine facti erant, ſubintrauit autem rei venereæ lex: Eamdem ſententiam confirmat. Idem Chryſoſtom. lib. de virginitate, capitulo decimoſexto, & 17.

Vbi cum multis verbis demonſtraſſet carnis connubium non aliunde, quam à peccato deriuatum, in hunc modum ſubiungit. Vides ne vbi initium habuerint nuptiæ? Vnde neceſſario profectæ videantur? à diuini præcepti contemptione, ab exercitationibus, à morte; ſi quidem vbi mors eſt, ibi nuptiæ commemorantur, quæ ſi non eſſet, atque nuptiæ ſequerentur, & infra capitulo decimoſeptimo.

Docet ea verba creſcite, & multiplicamini, non ad naturæ inſtitutionem ſed potius in remedium concupiſcentiæ furentis, iam poſt peccatum, naturæ pertinere.

Hanc etiam ſententiæ adhæſit aliquando Diuus Auguſtinus, vt patet ex his, quæ ſcripſit. lib. primo, de Geneſ. contra Manichæos, capitulo decimoquinto, vbi ita ſcribit. Rectiſſime quæritur, quemadmodum accipienda ſit, coniunctio maſculi, & fœminæ, ante peccatum, & iſta benedictio, qua dictum eſt.

Creſcite, & multiplicamini, vtrum carnaliter, vel ſpiritualiter accipienda ſit. Licet enim nobis eam etiam ſpiritualiter accipere, vt in carnalem fœcunditatem

poſt

poſt peccatum conuerſa eſſe credatur.

Erat enim prius caſta coniunctio maſculi, & fœminæ, huius ad regendum, illius ad obtemperandum accommodata, & ſpiritalis fœtus, intelligibilium, & immortalium gaudiorum replens terram, ideſt viuificans corpus, & dominans eius, ideſt ita ſubiectum habens, vt nullam ex eo aduerſitatem, nullam moleſtiam pateretur.

Quod ideo ſic credendũ eſt: quia nondum erant filij ſeculi huius antequam peccarent. Filij enim ſeculi huius generant, & generantur, ſicut dominus dicit, cum in comparatione futuræ vitæ, quæ nobis promittitur carnalem iſtam genetationem contemnendam eſſe demonſtrat: quam interpretationem confirmat, libro decimo, Conf. capitulo quarto, & libro de bono coniugali, capitulo ſecundo, & libro primo, de ſermone domini in monte. Verum in iſta ſententia non perſtitit Auguſtinus: nam eam improbat libro primo Retractat. capitulo decimo, & decimonono.

Gregorius etiam Nazianzenus huius videtur fuiſſe ſententiæ: ita enim ſcribit. Qui nouit omnia, antequam fiant, ſicut Propheta pronunciat, prouidens, atque proſpiciens virtute præſcientiæ ſuæ in quæ declinaret homo iuxta ſpontaneam voluntatem humani motus arbitrij: quia illud quod futurum erat inſpexit, tribuit imagini differentiam maris, & fœminæ, quæ non ad diuinam formam principaliter reſpiceret, ſed irrationabili naturæ appropinquaret, quibus verbis videtur Gregorius ſentire, quod mulier condita non eſſet in adiutorium viri, niſi vir fuiſſet lapſus per culpam.

Vult enim dicere, quod, quia Deus ſciebat primum hominem peccaturum, atque ita merito peccati à virtute deficere, in qua conditus erat, formauit Deus mulierem, vt eſſet ſibi in adiutorium ad filios procreandos, & ſic ſexus differentia propter peccatum erat; non propter peccatum tunc perpetratum, ſed perpetrandum, ſiue præcognitum à Deo fore perpetrandum.

Cæterum hæc opinio diuinæ ſcripturæ, & rectæ rationi contraria eſt; quam Alphonſus à Caſtro libro ſecundo, aduerſus hæreſes titulo Adam, & Eua hæreſi tertia connumerat inter errores Adamianorum.

Dicendum eſt ergo, quod in ſtatu innocentiæ homines multiplicati fuiſſent, per carnalem propagationem; & hoc de fide tenendum eſt.

Nam hic dicitur. Creſcite, & multiplicamini, &c. quod niſi per propagationem, & coniunctionem maris, & fœminæ, fieri naturaliter haud poteſt, & infra, capitulo ſecundo, dicitur. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi: neque enim ob aliud datum eſt ei adiutorium mulieris in ſexu diuerſo, niſi ad humani generis propagationem, tum etiam colligitur ex illo erunt duo in carne vna, & per concubitum duntaxat, & carnalem commixtionem, naturaliter maſculus, & fœmina fiunt vna caro.

Hinc confutatur error Stapulenſis in Commentario in lib. Ricard. de Sancto Victore de Trinitate

ſomniantis, ſi Adam non peccaſſet ex ſe ſine fœmina ſimilem ſibi maſculum peperiſſet, quod vtique figmentum eſt, & error. Elidiiur etiam error cuiuſdam Almerici; qui inter alios errores, non ſolum in eo ſtatu negauit cum Armenis copulam carnalem, verum etiam ſexuum differentiam nullam fuiſſe futuram aſſeruit, hoc autem vltimum adeo manifeſtiſſima inſania eſt, vt non ſit opus impugnatione, cum Geneſ. 1. legitur. Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam &c. Maſculum, & fœminam creauit eos, quæ quidem ſexus differentia fuit ante peccatum.

Hanc noſtram ſententiam docet Diuus Auguſtinus, libro decimoquarto, de Ciuit. Dei, capitulo vigeſimoprimo, vigeſimoſecundo, & vigeſimotertio, & libro nono, ſuper Geneſ. ad lit. capitulo decimo, & libro primo, Retract. capitulo decimo, decimotertio, & decimonono.

Nam quod alibi dixit conſanguiniiates, & cognationes carnales profluxiſſe ex peccato, hanc habet ſententiam, eas non cępiſſe niſi poſt peccatum poſt quod Adam primo cognouit vxorem ſuam. In paradiſo enim generationi operam non dederunt, vel quod breuiſſimo tempore ibi fuerint, vel quod ad id mandatum Dei expectarent, cum nec ardore libidinis, nec titillatione vlla voluptatis ad maturandum generationis actum incitarentur, & hanc ſententiam, poſt Auguſtinum, & reliquos Eccleſiaſticos Patres, omnes fere poſteriores Theologi, Iunilius, & Beda in hunc locum. Rupertus libro ſecundo de operibus Trinitat. capitulo nono. Rabanus, Albinus, & Lyranus in primo capitulo, Gen. vt certiſſimam, ex ſenſu literæ docent, quibus accedunt etiam poſt Magiſtrum ſentent. in ſecunda diſtinct. 20. ſcholaſtici omnes, Alexand. de Ales, ſecunda parte, quæſtione quinquageſimaquinta, in 5. & quæſtio. 85. in 1. D. Thom. prima parte, quæſtione nonageſimaoctaua, articu. ſecundo, Diu. Bonau. in ſecunda, diſtinct. 20. art. primo, quæſtione prima, Ricard. eadem diſtinctione, artic. primo, quæſtione 1. & Durandus, quæſt. prima, eam ſententiam, quæ ea verba ad ſpiritualem, ac miſticum tantum ſenſum detorquebat omnino damnantes.

Patres vero, qui oppoſitam docuerunt ſententiam, hoc dixerunt, vt inſinuarent, quod Deus aliter genus humanum multiplicare potuit, quod verum eſt. Vnde non dicunt, quid faceret, ſed quid facere poſſet Deus. Vel ideo hoc docuerunt, non negando ſimpliciter coniunctionem maris, & fœminæ, ſed modum duntaxat, quo fit modo generatio, ſcilicet, cum libidine, & fœditate. Turpitudo enim & fœditas, quæ in ipſo generationis actu, nunc ineſt, ac ſẽtitur, deformitas libidinis, & ſenſus immoderatæ voluptatis, eos doctores in illam adduxit ſententiam: vel dicendum eſt, quod primus homo conditus erat, vt participaret eſſe diuinum, atque ita intentio naturæ in illo fuit perpetuatio talis eſſe; at in hoc non conſiſtebat conditoris intentio, ſed vltra intendebat, vt ex eo fieret humana propagatio, & multiplicatio numeri electorum beatificandorũ in participatione Dei in gloria. Patres ergo referentes conſiderationem ad primum finem, ſcilicet

ad

ad finem intentum à natura: quia primus homo conditus fuit immortalis, ſi non peccaſſet, vnde poterat aſſequi finem illum, ſcilicet perpetuitatem eſſe, ſine commixtione, ſiue coniunctione cum muliere, ponunt, quod non oportuit ſibi dare adiutorium mulieris, niſi fuiſſet caſus in culpam. Vnde non intelligebant abſolute mulierem non debere dari viro in adiutorium niſi peccaſſet, ſed quod non oportuit propter primum finem ſcilicet propter conſeruationem ſpeciei.

Cæterum ſi non peccaſſet debuit ſibi dari in adiutorium ad procreationem, ſiue multiplicationem numeri electorum.

Non aſſerebant itaque Gregorius Nazan. & Damaſc. mulierem non debere formari, ſiue creari in adiutorium viri, niſi cauſa, vel occaſione peccati, ſed affirmabant non oportere illam dari viro in adiutorium propter ſui perpetuationem, niſi peccaſſet, oportuit tamen propter multiplicationem numeri electorum; vnde dicentes, quod Deus præuidens tranſgreſſionem futuram, ſicut mulierem, &c. non dicunt totam cauſam productionis eius, neque præciſam, ſed vnam tantum.

Quæſ. 3. **In ſtatu innocentiæ in cōmixtione ſexuū an ſeminis deciſio.**

Quæritur tertio. An in commixtione ſexuum in ſtatu innocentiæ fuiſſet ſeminum deciſio.

Et ratio dubitandi eſt: quia ſemen eſt ſuperfluum alimenti, vbicunque autem eſt ſuperfluitas, ibi eſt vitioſitas, ſed in ſtatu innocentiæ non erat vitioſitas, ergo nec ſuperfluitas.

Reſpondent Alexand. de Ales, parte ſecunda, quæſtione octuageſimanona, in prima, ad quintum & Diu. Bonauentura vbi ſupra, quæſtione ſecunda, & Maior, diſtinctione decimanona, quæſtione prima. Quod cum generatio prolijs iuxta naturæ ordinem, habeat fieri per commixtionem ſexuum in hominibus, qui reſpectu prolis ſe habent per modum materialis, & efficientis, adeo quod ratio materialis plus reſidet penes mulierem, ſed efficientis, vel actiui reſidet penes virum; neceſſe eſt ad generationem aliquas particulas tam à muliere, quam à viro decidi, in quibus eſſet virtus, & ratio ſeminalis reſpectu corporis propagandi: quia igitur hic eſt ordo naturæ non ſolummodo lapſæ, ſed etiam inſtitutæ, ideo aſſerendum eſt, quod in ſtatu innocentiæ, & vir, & mulierē, per deciſionem ſeminum generaſſet.

Et ad id; quod dicitur de ſuperfluitate ſeminis: dicitur quod propagatio prolis de parentibus, non fit per deciſionem ſeminis, quod eſt totaliter de ſuperfluo cibo, quod patet ex verbis ſacrorum Doctorum ponentium totam poſteritatem fuiſſe ſeminaliter, ſiue materialiter in primo homine. Dicit enim Diuus Auguſtinus 13. de Ciuit. Dei, capitulo decimoquarto, omnes fuimus in illo vno, quando fuimus ille vnus, qui per peccatum lapſus eſt.

Et Anſelmus de conceptu virginali. Tota in primis parentibus erat humana natura, & extra ipſos nihil erat, & alibi in eodem libro.

Poterat Deus de Adam, in quo ſemen omnium hominum creauerat, aliam facere mulierem, &cæt.

Cæterum dicendum eſt, quod caro prolis, quæ eſt ſecundum materiam, quodammodo originaliter

eſt ex illo, quod eſt in ſemine de ſuperfluo cibi.

Superfluitas alimenti eſt duplex.

Eſt autem duplex ſuperfluitas, ſcilicet ſuperfluitas reſiduitatis, ſuperfluitas impuritatis, prima ſuperfluitas eſt in ſemine, & hæc neceſſitatem non excludit; immo idem ipſum neceſſarium eſt, quod eſt ſuperfluum, ſed neceſſarium ſpeciei, ſuperfluum indiuiduo, neceſſarium virtuti generatiuæ, ſed ſuperfluum nutritiuæ; & hæc ſuperfluitas non repugnat bonitati, & complexioni naturæ: quia non ſonat in vitium, ſed in complementum. Superfluitas autem impuritatis, ſicut ſtercus, & vrina, defluxio rehumatis, & emiſſio ſudoris, & conſimilia, & hæc eſt in duplici differentia, quædam prouenit ex debilitate virtutis, contentiuæ, & conuerſiuæ, ſicut ſudor & rehuma, & talis non fuiſſet in Adam, quia virtutes naturales in ipſo, erant in ſuis operationibus efficaces.

Alia vero eſt, quæ venit nutrimenti qualitate, & puritate, & hæc fuiſſet in Adam, qualis eſt ſuperfluitas digeſtionis, & vrinæ, quæ ſunt propter ſeparationem puri ab impuro, quod purum, & idoneum eſt aſſumitur in nutrimentum, illud vero, quod eſt minus idoneum, abijcitur exterius, licet non cum tanto fetore, & fœditate ſicut nunc.

Queſ.4. In ſtatu innocentiæ an in ſeminũ emiſſione fuiſſet delectationis intenſio.

Quando ergo dicitur, quod vbi eſt ſuperfluitas, ibi eſt vitioſitas, non eſt verum de ſuperfluitate reſiduationis, qualis eſt ſuperfluitas ſeminis.

Quæritur quarto. An in ſtatu innocentiæ in ſeminum emiſſione fuiſset delectationis intenſio. De hac re eſt duplex dicendi modus quidam dicere voluerunt, vt Diu. Thom. prima parte, quæſtione nonageſimaoctaua, articulo ſecundo, ad tertium, Ricard. in ſecunda, diſtinctione vigeſima, articulo primo, quæſtione tertia, & Maior vbi ſupra, quod fuiſset tunc delectatio maior, quam nunc, non tamen immoderata, vt nunc eſt, tanta quidem propter naturalis virtutis perfectionem, & maior, quia vis generatiua erat perfectior, & actus ſibi conuenientior, & ſenſus tactus viuacior, & deciſum fuiſſet ſemen perfectius in locis neruoſis, per quæ tranſit conuenientius. Eſſet etiam tunc maior perceptio delectationis, quam nunc eſt: quia tunc ſenſus eſſent perfectiores, & potentia magis delectaretur tunc, & facilius ſuum actum compleret. Vna quæque enim potentia, eo magis delectatur, quo facilius ſuum actum exercet: non eſſet tamen immoderata; quia non tranſgrederetur rationis regulam, & terminum præfixum propterea, quod vires inferiores erant ſuperioribus ſubditæ.

Quidam vero, vt Alexand. de Ales, parte ſecunda, quæſtione octuageſimanona, in ſecunda, & Di. Bonauentura in ſecunda, diſtinctione vigeſima, articulo primo, quæſt. 3.

Dicunt, quod non fuiſſet tunc tanta delectatio: quanta modo eſt. Quod probant authoritate Diui Auguſtini decimoquarto, de Ciuitat. Dei, capitulo vigeſimotertio, dicentis. Nuptiæ illæ dignæ fœlicitate paradiſi, ſi peccatum non fuiſſet, & diligendam prolem gignerent, & pudendam libidinem non haberent. Et ratio eſt. Quia

Quia tunc membra applicarentur generationi cum parua delectatione, ſicut manus ori modo applicatur, & idem B Auguſtinus, vbi ſupra cap. 23. ita ſcribit.

Nec ideo tamen incredibile debet videri etiam illud vnum ſine iſta libidine voluntati potuiſſe ſeruire, cui tot membra nunc ſeruiūt. An vero manus, & pedes mouemus cum volumus ad ea, quæ his membris agenda ſunt, ſine vllo reniſu tanta facilitate, quanta & in nobis, & in alijs videmus: maxime in Artificibus quorumcumque operum corporalium, vbi ad exercendam tardiorem infirmioremq; naturam agilior acceſſit induſtriā. Et non credimus ad opus generationis filiorum, ſi libido nō fuiſſet, quæ præcepto inobedientiæ tributa eſt, obedienter hominibus ad voluntatis nutum ſimiliter, vt cætera potuiſſe illa membra ſeruire? Ex eo maxime: quia tunc iuſtitia originali veluti freno cohibebatur, ne toto impetu, & conatu ſe præcipitem in delectabile ſibi obiectum daret. Nunc autem rupto freno, velut equus laſciuus, velocius, & impetuoſius currit. Fuiſſet enim homo in illo primo ſtatu in cunctis operibus ſuis totus rectus, nunquam in actu aliquo libidinē, aut tedium ſentiens. Vnde ex rectitudine illa infertur, quòd nūquam niſi ex recta ratione expetiuiſſet concubitum, nec vnquam niſi deſiderio prolis habendæ cōcubuiſſet.

Hinc nulla fuiſſet in commixtione libido, vel inordinatus concupiſcentiæ motus, nec membra genitalia ad congreſſum mota fuiſſent, niſi quando eis libuiſſet, nec vir rem vnquam habere voluiſſet, niſi & mulier idem exoptaſſet. Ex eadem etiā rectitudine, & iuſtitia in concubitu, nullus pudor, aut verecundia fuiſſet, nec puduiſſet illos concubitus omnibus etiā præſentibus, & cernentibus. Vnde de Adam, & Eua dicitur infra cap. 2. Erat vterque nudus, & non erubeſcebant, & ratio eſt, quia non plus turpitudinis, aut pudoris membris genitalibus tunc inerat, quam nūc in facie, manibus, & pedibus exiſtit. Quare ſicut modo audemus omnibus faciem exponere, manus monſtrare, & pedes denudare, ſic tunc temporis membra genitalia oſtendere, & coram omnibus iſs ad generationem viri nō erubuiſſent.

Quæſ. 5. An in ſtatu innocentiæ Heua cognita integritatem carnis amiſiſſet.

Quæritur Quinto. An ſi Eua in ſtatu innocentiæ ab Adamo cognita fuiſſet, carnis integritatem in qua condita fuit amiſiſſet. Pro huius difficultatis ſolutione aliqua obſeruanda ſunt.

Primo obſeruandū eſt duplicem eſſe corruptionem, propriè ſumendo corruptionē, vna eſt integritatis carnis, & hanc non incurriſſet Eua ſi in illo innocētiæ ſtatu à viro ſuo cognita fuiſſet, & de hac loquitur D. Auguſt. 14. de Ciuit. Dei, cap. 26. Alia eſt corruptio fęditatis, quæ propriè eſt naturæ propagatiuæ, & membrorum genitaliū quorum natura non eſt ſolūmodo corrupta, ſicut aliorum membrorum, ſed infecta, nec hanc incurriſſet. Nam vt dicit D. Aug. ſuper Gen. ad lit. potuerunt in Paradiſo eſſe nuptiæ honorabiles, & Thorus immaculatus ſine ardore libidinis. Vnde ſi Eua fuiſſet in illo ſtatu cognita à viro manſiſſet porta propagationis in eadem integritate, qua prius, & ipſa natura propagata in eadem honeſtate qua prius. Tertio modo poteſt dici corruptio nomine extenſo, ſ. ſuſceptio ſeminis, ſiue cōmixtio carnis in opere coitus, ſecūdū quod intelligitur, ꝙ dicitur inf. c. 2. Erunt duo in carne una, & hæc corru-

corruptio poteſt dici corruptio puritatis: quia facta commixtione maris, & fœminæ in coitu; fœmina non manſiſſet in ea puritate, in qua condita erat, ſecundum quod purum dicitur, in quo non eſt permixtum aliquid, quod eſt alterius naturæ: quia iam carni ſuæ eſſet permixta caro viri.

In ſtatu innocentiæ fuiſſet clauſtrorum apperitio in fœmina, ſed non corruptio.

Secundo obſeruãdum eſt, quod aliud eſt loqui de aperitione genitalis mulieris, & aliud de corruptione, nam aperitio poteſt eſſe voluntaria; corruptio autem eſt pœnalis etſi voluntaria: quia non poteſt fieri ſine læſione fuiſſet: itaque aperitio clauſtrorum in ſtatu innocentiæ; verum non violenta, ſed abſque læſione, & voluntaria: tanta enim erat obedientia omnium membrorum volũtati, quod iuxta nutum voluntatis poſſet tunc homo facere mẽbris omnibus, quod volebat.

Nam dicit D. Auguſtinus 14. de Ciuit. Dei, cap. 15. In Paradiſo, & ſi non omnia poterant ante peccatum, quicquid tamen non poterãt non volebant, & ideo poterant omnia, quæ volebant. Et hoc manifeſtius oſtendit D. Auguſtinus eodem lib. cap. 24. Fere per totum. Fuiſſet ergo illius membri tãta obedientia voluntati, quòd iuxta nutum voluntatis, & in conceptione, & in parturitione, ſecundum quod tunc exigiſſet natura omnino conſona voluntati, ſe coniunxiſſet, & relaxaſſet, ſicut videmus, quòd ſecundum quantitatem morſelli, ſumendi ad vſum alimoniæ, dilatatur, & conſtringitur os, ſine aliqua ſui læſione.

Vnde D. Auguſt. 14. de Ciuitat. cap. 26. Vt enim ad pariẽdum, non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus fœmina viſcera relaxaret, ſic ad fœtandum, & concipiendum, non libidinis appetitus, ſed voluntarius vſus naturam vtramque coniungeret.

Dicendum eſt ergo, quòd ſi vir cognouiſſet vxorem in ſtatu naturæ inſtitutę, fuiſſet ibi clauſtrorum aperitio, verum non violenta, & cum læſione, ſed voluntaria, & naturalis, ita docent Alexan. de Ales, p. 2. q. 83. memb. 4. D. Thom. par. 1. q. 98. art. 2. ad quartum D. Bonau. vbi ſupra q. 4. Riccard. quæſt. 4. & Maior vbi ſupra. De aperitione cum fractione, & violentia, loquitur. D. Auguſtinus 14. de Ciuitar. cap. 26. cum dicit, quod illas corporis partes, non ageret turbidus calor, ſed ſpontanea poteſtas, ſicut opus eſſet adhiberet, ita tunc potuiſſet vtero coniugis ſalua integritate fœminei genitalis virile ſemẽ immitti, ſicut nunc poteſt eadem integritate ſalua, ex vtero Virginis fluxus cruoris menſtrui emitti, eadem quippe via poſſet illud inijci, qua hoc poteſt eijci, vt enim ad pariendum non doloris gemitus, &c. vt ſupra. Quo in loco D. Auguſt. ſemper loquitur de fractione. Neque enim veriſimile eſt D. Auguſtinum credidiſſe ſanguinem menſtruum ſine aliqua vteri aperitione emitti, cum non detur naturaliter dimenſionum penetratio, ſed emittitur ſine fractione clauſtrorum, & violentia. Ita fieret tunc introductio ſeminis, ſcilicet ſine vlla fractione, ſed tantum per voluntariam clauſtrorum apperitionem.

Quæſ. 6. Mulier an in ſtatu innocẽtię in coitione amitteret virginitatẽ

Quæritur Sexto. An ex hac clauſtrorum aperitione incurriſſet mulier corruptionem virginitatis, & videtur quod non: quia in illo ſtatu non fuiſſet fractio clauſtri, ſiue ſigilli virginalis in commixtione, ſiue copula carnali: Tum quia virginitas eſt virtus, vel ſtatus virtutis,

tutis,quod autem tale eſt, non corrumpitur niſi per vitium, vel quod eſt ex vitio,at in ſtatu illo, neque erat vitium,neque aliquid ex vitio ergo &c.

D.Bonauentura, & Ricar. locis ſupra citatis,dixerunt quod in muliere non fuiſſet virginitatis amiſſio, ex quo non fuiſſet ibi voluntatis deordinatio, & poſt aperitionem clauſtrorum non pœnalem, fuiſſet iterum clauſtrorum recluſio, ſicut os aperitur, & poſtea clauditur,quod ita probant. Illud, quod ad dignitatem naturæ pertinet,non defuiſſet in ſtatu innocentiæ, ſed virginitas maximè pertinet ad dignitatem naturæ humanæ, eſt enim angelica portio, cui promittitur fructus centeſimus, ergo in ſtatu innocentiæ, nunquam amitteretur.

Duo req rũtur ad virginitatis perfectionē

Qualiter autem hoc eſſet poſſibile,ex eo docent,quòd duo ad virginitatis perfectionem concurrunt, ſcilicet integritas carnis,& integritas mentis; quorum alterum ſcilicet integritas mentis honorabilius eſt; alterum autem ſcilicet integritas carnis eſſentialius. In omni autem concubitu mentis integritatem ſolui contingit dupliciter, vel quantum ad habitum, & ſic ſoluitur per illicitum concubitum, qui tollit habitum caſtitatis,vel quantum ad actũ, atque ita in ſtatu poſt peccatum ſoluitur etiam per concubitum matrimonialem,eo quòd propter vehementiam delectationis,ratio in ipſo actu abſorbetur. In primo autem ſtatu, neutro modo integritas mentis ſoluta fuiſſet. Carnis etiam integritas, non fuiſſet ſoluta in ſtatu innocentiæ per concubitum, ſed fuiſſet ibi ſolum membrorum dilatatio, ſine aliqua corruptione, ſiue diuiſione. Hanc opinionem Durandus attribuit D. Thomæ. Qui.1.p.q:98. art.2. cum quartum hoc argumentum poſuiſſet. In ſtatu innocentiæ nullam fore corruptionem,at per coitum corrumpi integritatem virginalem, ergo coitum in ſtatu innocentiæ minime futurum, hanc obiectionem poſtea diluens,ſic ait.

Ad quartum dicendum, quòd ſicut Auguſt.dicit lib.14.de Ciuita. Dei. In illo ſtatu cum nulla corruptione integritatis infunderetur, gremio maritus vxoris, & memotat cætera Auguſtini verba,quæ in ſuperiori quæſtione relata ſunt.

Cæterum hæc opinio ſtare non poteſt,non enim dubium eſt, quin ex coitu, ſiue commixtione tali perdidiſſet mulier virginitatem,vt docent Alex. de Ales loco ſupracitato,& Durandus in 2.d 20.quæſt. 2. In illo enim ſtatu ſolum requirebatur ad virginitatis amiſſionem carnis commixtio, abſque fractione clauſtri virginalis (niſi velimus dicere aperitionem portæ propagationis fractionem clauſtri) ſecus autem fuit poſt lapſum hominis. Præterea ad virginitatis rationem pertinet integritas,& immunitas à delectatione venerea, in qua tria ſunt conſideranda, vt docet Diuus Thom.2.2.q 152. art.1. Vnum eſt violatio ſignaculi virginalis, alterum eſt ipſa reſolutio ſeminis ſenſibilem delectationem afferens,tertium eſt propoſitum fruẽdi ea delectatione. In his tribus primum quidem per accidens ſe habet ad actum moralem, propterea quod ſenſibiles paſſiones materia ſunt actuum moralium.

Mulier ĩ ſtatu innocẽtię per coitũ perdidiſſet virginitatẽ

Tertium vero ſe habet formaliter, & completiue: quia ratio moralium actuum,in eo, quod eſt rationis completur. Cum igitur virginitas contineat remotionem prædictæ corruptionis,conſequens eſt

inte-

Digitized by Google

integritatem mēbri corporalis per accidens ſe habere ad virginitatem, ipſam autem priuationem delectationis, quæ conſiſtit in feminis reſolutione habere ſe materialiter, denique ipſum propoſitum perpetuo abſtinendi à tali delectatione habere ſe formaliter, & completiuè in virginitate. Ergo cum duo poſteriora, quæ priores partes tenent in virginitate, excludant actum generationis ex commixtione maris, & fœminæ prouenientem concluditur neceſſario in ſtatu innocentiæ ſimul cum coniugio, & actu generationis integritatem virginitatis cohærere, & conſtare non potuiſſe.

Ad id ergo quod dicitur, quod tunc non fuiſſet fractio ſigilli, &c. dico quod verum eſt prout fractio dicit diuiſionem violentam continui, ſiue diuiſionem pœnalem; cæterum ſecundum id, quod dicit aperitionem portæ propagationis, quæ erat ante quaſi ſigillata: quia omnino intacta, ſic ibi fuit quodāmodo fractio.

Et ad id, quod dicitur, quod virginitas eſt virtus, &c. Dico quod in ſtatu innocentiæ virginitas neque fuit virtus, neque poſt, quouſque ceſſaſſet præceptum domini de multiplicatione prolis; & maximè tunc: quia nulla erat executio libidinis ad opus carnis.

In ſtatu ergo illo non fuit virginitas virtus, vel ſtatus virtutis, ſed matrimonium fuiſſet maioris gloriæ quam virginitas, officium enim matrimonij, ideſt coniunctio carnalis, erat opus obedientiæ. Datum enim erat præceptū de prolis multiplicatione, ibi. Creſcite, & multiplicamini, continentia autem virginalis, nondum erat inſpirata, neque præcepta.

Quæritur ſeptimo. Vtrum tunc coiſſent ſemper cauſa prolis habendæ, vel interdum etiam delectationis capeſcendæ cauſa.

Reſpondent, Alexand. de Ales, parte ſecunda, quæſtione 89. in 3. D. Bonau. vbi ſupra, quæſt. 5. Ricar. quæſt. 2. Duran. quæſt. prima, & Maior vbi ſupra, quod Adam nunquā cum Eua niſi cauſa prolis coiſſet, & ratio eſt: quia teſte Diuo Auguſtino, libro 9. ſuper Gen. ad lit. cap. 7. Matrimonium tunc ſolum datum fuit in officium: nam inquit Diuus Auguſtinus. Quod ægris datum eſt in remedium, datū fuit ſanis in officium; ſed officium conſiſtit in procreando prolem, coiſſent ergo ſolū prolis procreandæ, & non delectationis cauſa. *Adā nunquā coiſſet cum Eua niſi cā prolis habēdæ.*

Præterea vis generandi habebat perfectæ ſubiectionis ad rationem obedientiam. Vnde Diuus Anſelmus de conceptu virginali inquit. Cum Deus fecit Adam, fecit in eo naturam propagandi, quam ſubiecit eius poteſtati, vt ea pro ſua voluntate vteretur, quam diu ipſe vellet ſubditus eſſe Deo.

Quæritur octauo. Vtrum quoties conueniſſent, toties generaſſent. *Quaſ. 8. Adam & Eua quoties conueniſsēt, toties generaſsēt.*

Reſpondent Alex. de Ales, D. Bonau. Ricard. & Duran. locis citatis, quod ex quolibet actu carnali fuiſſet tunc proles generata, & ratio eſt, quia cum matrimonium fuiſſet tunc inſtitutum in officium, quod eſt prolis procreatio, & natura non fruſtraretur tunc temporis ſuo fine, ſequeretur ex quolibet actu, prolis procreatio, quam natura in matrimonij officio intendit.

Adde ordinis congruentia exigebat, & perfectio virtutis ad hoc ſufficiebat; exigebat autem hoc exigētia ordinis duplicis, ſcilicet virtutis generatiuæ ad rationem, & vtriuſque ad ſuum finem, vis enim generatiua

tiua ordinē habebat ad rationem (ordinem inquam) perfectæ ſubiectionis, atque adeo in actū non exibat niſi prout ratio dictabat. Ratio autem recta,& ordinata dictat nulla re eſſe vtendum niſi ad id,propter quod eſt, & quia uis generatiua data fuit hominia d prolis multiplicationem, ideo recta ratio numquam dictaſſet,& uis generatiua numquam exiſſet in actum, niſi propter prolis generationem; hoc enim congrue natura hominis exigebat. Aderat inſuper virtutis perfectio, quæ ad hoc ſufficiebat. Vis enim generatiua in viro ad generandū,erat potens,& ſufficiens, nec habebat impedimentum, ſimiliter,& in muliere pro ſuo loco,& tempore. Quare ſi ordinate cognoſceret vir mulierem,ſemper ex ea prolem ſuſciperet propter exigentiam duplicis ordinis, & ſufficientiam duplicis virtutis, ſcilicet generantis,& concipientis.

Queſ.9. In ſtatu innocentiæ: an fuiſſet ęqualis multiplicatio virorū, & mulierū.

Quæritur Nono. Vtrum æqualis fuiſſet multiplicatio virorum & mulierum. Nam magnam habet difficultatem, vt inquit Alexan.de Ales.par.2.quæſt.90.memb.4.Qua ratione in ſtatu innocentiæ fœmina generari potuiſſet. Nam fœmina, vt Auctor eſt Ariſt. libro 2. de generatione animalium cap.3. & libro 4.capitulo ſecundo fit prę ter intentionem agentis particularis, propter defectum, ſcilicet virtutis,quæ eſt in ſemine virili. Etenim omne agens intendit generare ſibi ſimile niſi impediatur; In generatione autem hominis vir eſt agens,fœmina autem patiēs, ergo vir ſemper generabit virum, niſi obſtet, vel imbecillitas virtutis eius, vel aliquod vitium, & impedimentum in muliere, quæ ſubminiſtrat materiam generationi, & in cuius vtero fit conceptus, & per nouem menſes, vſque ad partum continetur. At in ſtatu innocentiæ nullum fuiſſet futurum vitium nullus defectus, nulla infirmitas virtutis genitricis, tā virilis,quam fœmineæ, ergo nulla videtur tunc generandi fœminam ratio, & cauſa eſſe potuiſſe.

De hac re fuit quadruplex dicendi modus.

Primus fuit aliquorum dicentium, quòd in ſtatu innocentiæ plures futuras fuiſſe mulieres:quia vt Diuus Auguſtinus docet in ſermon. de aſſump. Virginis ſexus fœmineus deuotior eſt ſexu virili, & deuotio eſt maxima diſpoſitio ad gratiam obtinendam, & perficiendam, & ad maiorem gloriæ cumulum comparandum.

Quod confirmant exemplo ſanctiſſimæ Virginis, ad cuius perfectionem nulla pura creatura virilis ſexus peruenit, quæ decuit, (vt Diuus Anſelmus ſcribit) vt ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi.

Verum hæc opinio ſtare non poteſt: quoniam & ſi ſexus fœmineus ſit deuotior, ſexus tamen virilis, eſt fortior, & conſtantior, vnde illud bonum, quod eſt deuotio in ſexu muliebri, recompenſatur maiori bono in ſexu virili.

Secundus modus dicendi fuit affirmantium, quod mulier ſemper geminos conciperet, ita quod pars dextera attraheret, quod eſt magis virtutis de ſemine ad generationem viri, & pars ſiniſtra, quod virtutis debilioris ad generationem fœminæ, & hæc opinio fuiſſe videtur Beroſij vetuſtiſſimi Auctoris niſi titulus mentiatur.

Verum hæc ſententia non videtur rationi conſentanea.

Ideo

Ideo eſt tertius modus dicendi, quem docent D. Thom.1. p. q.43. art.2.ad tertium. D.Bon.vbi ſupra q.6. Ricar.art.2.q.1. Durand.q.3. & Maior vbi ſupra; hi omnes affirmant, ſi ſtetiſſent parentes noſtri, æqualem futuram fuiſſe multitudinem virorum,ac mulierum, cuius rei duplicem aſſignat rationem, vnam ex parte finis ad quē; talem ſcilicet quia diſtinctio ſexuum eſſet propter multiplicationem generis humani,& complementum numeri electorum, & illa multiplicatio ad omnes ſpectaret, & hoc ſolum ſecundum legem matrimonij;in qua tantum vna eſſet vnius, atque adeo neceſſe eſt ſi natura ſtetiſſet, quòd tot fuiſſent mulieres, quot viri, cum nulla mulier careret viro, & nullus vir careret vxore,nec vna eſſet pluriū, nec plures vnius. Alteram rationem aſſignat, ex parte principij à quo,talem,ſcilicet. Cum multiplex ſit ratio quare variatur generatiua in actu generandi,vna ſumitur ex parte animæ. Virtus enim generatiua multum cōformatur accidentibus animæ, & imaginationibus, vt patet experimento: nam ex memoria delectationis frequenter fit excitatio pruritus carnis, & ex vehementi imaginatione in ſomno fit ſeminis effuſio, velut ad præſentiā mulieris. Et vis formatiua, quæ eſt præcipua virtus in ſemine,multum adiuuatur ab imaginatiua, ſecundum quod exempla ponuntur, & ſunt in ſcriptura ſacra, & in medicina,vt patet in ouibus Iacob. Geneſ.30. & apud Hiſpanos dicitur, ꝙ Quintilianus in ſua controuerſia,qua accuſabatur Matrona, quę Ethyopem peperit, pro defenſione illius argumentatur conceptum illum, ex imaginatione proueniſſe. Et in libris Hippochratis ſcriptum reperitur, mulierē quamdam prolem pulcherrimam, vtrique parenti diſſimilem, peperiſſe,quam Hippochrates à crimine adulterij liberauit inuenta in eius cubiculo ſimili pictura filio,quē peperit. Quod ſi tēpore naturæ lapſæ, in qua corpus voluntati rationali non eſt ſubiectum,imaginatio tantū poteſt, quanto magis efficax tempore naturæ inſtituræ imaginatio fuiſſet, ad concipiendum maſculum, vel fœminam, quando voluntas rationalis hoc dictaret. His igitur rationibus dicunt, quòd ſi ſtetiſſet homo in ęquali numero fieret multiplicatio virorum,& mulierum.

Modus autem per quem factus fuiſſet ponitur iſte. Vis generatiua erat perfectè in obedientia voluntatis,& ideo quando voluiſſent parentes cōceptionem mulieris,tunc imaginarentur ſexum fœmineum, & minus forti impreſſione agerent in naturam inferiorē corporalem, & tunc decediſſent ſemen minus calidum, & forte, & magis aptum ad generationem fœminei ſexus, quod natura repoſuiſſet in loco matricis magis apto ad fœminæ generationem,& generaretur ſexus fœmineus,quando autem voluiſſent, & imaginarentur generare maſculum, virtus generatiua obediens decidiſſet ſemen calidius, & virtuoſius aptum ad maſculi generationem,quod natura repoſuiſſet in loco matricis apto pro maſculi generatione, qui locus eſt in dextera parte matricis dicente Auicenn. libro nono de animalibus capitulo de cauſa maſculinitatis, & fœmininitatis, quòd vētriculus dexter eſt habilior, ad faciendum maſculum,quam ſiniſter, quia eſt magis calidus.

Quartus modus dicendi, quem docet Alex.de Ales, vbi ſupra eſt,

quòd

quòd plures genuiſſent filios, quã filias, cuius ratio eſt, quoniam vt docet D. Auguſtinus 14. de Ciuit. cap. 10. completo numero electorum danda illis erat vita angelica, quæ eſt vita perfectæ beatitudinis; ſed ſicut idem Auguſtinus inquit lib. 9. ſuper Geneſ. cap. 3. & 5. data fuit mulier viro in adiutorium ad filios procreãdos: dicit enim. Non inuenio ad quod adiutorium facta ſit mulier viro, ſi pariendi cauſa ſubtrahitur, ſed conſtat, quod geniti ex vltimis parentibus, ex quibus compleretur numerus electorum nuptijs non vterentur, atque adeo ceſſare debuit procreatio mulierum, nec debuiſſet aliqua generari ab vltimis parentibus, ſed viri ſolummodo. Item natura ſemper appetit producere id, quod eſt minus nobile, hoc eſt, quatenus eſt ad id, quod nobilius eſt.

Vnde ſi natura inſtituta, appeteret producere mulierem, hoc fuiſſet, quia mulier debebat eſſe adiutorium viro ad ſaluandum ipſum in conſimili. Ceſſante ergo neceſſitate huius adiutorij, ſicut fuiſſet in generatione vltimo genitorum nullus erat appetitus naturæ, vt mulier generaretur, atq; adeo nullus vltimo genitorum debuit eſſe mulier.

Præterea irrationalis eſſet eorũ appetitus, & voluntas ſi ceſſante cauſa, quare mulier erat data viro appeteretur eius productio in eſſe, & non potius viri, qui eſſet nobilioris conditionis, & dignitatis maioris. Si ergo in ſtatu innocentiæ, neque ex parte naturæ, vt eſſet natura, neque ex parte naturæ, vt eſſet rationalis fuiſſet deordinatio in appetitu, neque fruſtratio in effectu, videtur, quòd vltimo generantes tantum filios genuiſſent, vel ſaltem plures.

Vnde dicendum eſt, quòd licet tertius dicendi modus ſit ſatis probabilis, quartus tamen, qui eſt Alexan. Alenſis, videtur probabilior, & rationi magis conſentaneus, vt illius ſtatus nobilitati conuenientior. Ad illud autem quod dicitur, quòd fœmina dicitur mas occaſionatus.

Reſpondent Alex. & D. Bonau. locis citatis, quòd philoſophus nõ vult dicere, quod fœmina ſit præter naturæ intentionem, ſed quod virtus naturæ aliquem defectum habet in productione mulieris reſpectu productionis viri, ille vero defectus non repugnat ordini naturæ, ſed potius ſaluat. Secundum enim ordinem naturæ, ſicut producuntur in eodem corpore, quędam membra magis fortia, quædam minus. Ita producuntur in eadem ſpecie quædam induidua vnius ſexus, quædam alterius, & licet ille defectus, qui ordinem naturæ corrumpit, vt eſt ille, qui eſt cauſa defectus membri, vel bonæ complexionis, ſit præter naturæ intentionem, generatio tamen mulieris, non eſt præter naturam, nec contra naturam, ſed ſecundum naturam.

Vel poteſt dici, vt reſpondent Ricar. & Durand. quòd duplex eſt natura, vt docet Auicen. libro 6. Met. cap. 5. videlicet natura vniuerſalis, quæ nihil aliud eſt, quam virtus infuſa in ſubſtantiam cęlorum ab intelligẽtijs motricibus ex prouidentia creatoris, & particularis, quæ eſt virtus propria regiminis vnius indiuidui, poteſt ergo dici, quod quamuis fœmina modo generetur præter intentionem naturæ particularis, non tamen præter intentionem naturæ vniuerſalis: Intendit enim natura vniuerſalis ſexum maſculinũ, & fœmininum propter

Natura eſt duplex, ſ. vniuerſalis, & particularis.

Digitized by Google

propter maiorem perfectionẽ vniuerſi,& propter numeroſiorẽ multiplicationem indiuiduorum. In ſtatu autem innocentiæ, non tantum generatio fuiſſet fœminæ de intentione naturæ vniuerſalis, ſed etiam de intentione naturæ particularis, quia tunc erat obediẽs voluntati.

Quæſt.10 In ſtatu innocentiæ, an licitũ fuiſſet primis parẽtibus cõtinere.

Quæritur Decimo. An in ſtatu innocentiæ licitum fuiſſet primis parentibus continere. Reſpondet Alex.de Ales. 2.par.q.89. membr. 4. Quod circa ſtatum virginitatis ſunt plura attendenda, vnũ eſt carnis integritas, & hæc nullo tempore fuit meritoria per ſe: quia neq; virtus, neque actus virtutis. Vnde D. Auguſtinus de bono coniugali inquit. Continentia non corporis ſed animæ virtus eſt. Aliud eſt propoſitum conſeruandi carnis integritatem, & hoc fuit meritorium in tempore aliquo, & in tempore alio non meritorium, immo illicitum, ſcilicet tempore naturæ inſtitutæ. Cum enim dominus creaſſet primum hominẽ, qui erat principium omnium, ſicut in quo erat ſeminarium totius ſuæ poſteritatis & dederat illi præceptum de multiplicatione ſui generis, quæ fieri non poterat, niſi per cõmixtionem maris, & fœminæ, & hæc illum nõ latuerunt, nullo modo poterat ſimpliciter continere; niſi fieret prævaricator diuini præcepti, & neglector voluntatis eiuſdem. Similiter tempore legis naturæ, & legis ſcriptæ continentia generalis fuit illicita, diſpẽſatione tamen licebat alicui perſonæ continere. Tempore autem legis gratiæ fuit licita, & meritoria; propter quod multi caſtrauerunt ſe propter regnum cœlorum Mat.19.

Tertium eſt habitus generalis ad omnes modos continentiæ, qui attenditur in voluntate, & deteſtatione omnis coitus illiciti, & illud ratione ſui generis, ſcilicet continentiæ, virtutis eſt. Iſte habitus ſine volũtate habentis auferri non poteſt, ſicut poteſt carnis integritas. Patet ergo, quod continentia à carnali concubitu in ſtatu primo non erat virtus, nec actus virtutis, neque propoſitum cõtinendi, non enim fuiſſet circa bonum, nec circa difficile, circa quæ eſt virtus. Licet enim in ſtatu illo virtus, ſiue actus virtutis non fuiſſet circa difficile, fuiſſet tamen circa bonum. Continentia autem tempore illo nõ fuiſſet aliquo modo bona, cum in nullo ordinaſſet ad finem, ſed potius auertiſſet à fine. quia induxiſſet præuaricationem præcepti Dei, & voluntatis eiuſdem deformitatem.

De hominis conſeruatione, quo ad indiuiduum.

Dixitque Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem ſemen ſuper terram, &c. vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus.

HIc ponitur conſeruatio, quantum ad indiuiduum, quæ fit per nutritionem, & illud ecce dedi vobis, emphaſim magnam habet, ſignificat enim vt inquit D. Chryſoſt. hom.10. in Gene. quãtã Deus prouidentiam, & curam geſſerit hominis, cui à ſe creato, omnia, quæ ei neceſſaria, vel opportuna erant etiam ad cõmode viuendum donauerit. Cumq́ue dixerit omnem herbam, & vniuerſa ligna, vt ſint vobis in eſcam, apparet arbores fuiſſe in exordio mundi creatas à Deo in perfecto ſtatu, ideſt cum fru-

fructibus iam maturis, vt homini, quem Deus perfecta ætate, & ob id, ſolido cibo indigenti, ſtatim victum ſuppeditare poſſent. Iſti autem duo cibi ſcilicet herbæ, & fructus arborum, licet dentur hominibus, & alijs animalibus, nō ſunt tamen dati indifferenter, ita quod vtrique ex æquo conuenirent. Sed fructus magis naturæ humanæ cōueniunt, ideo intelliguntur eſſe ſibi dati; herbæ autem magis conueniunt brutis, ideo eis datæ ſunt; licet aliqua animalia ſint, quæ fructibus arborum aluntur, & homines etiam aliquibus herbis in cibos vtantur. Et ex hoc etiam Dei prouidentia, & munificentia elucet, quam maxime: quia cunctas animantes, etiam minimas, atque viliſſimas, cuiuſmodi ſunt, quæ ad ſaxa adhærentes immotæ nutriuntur, ſolo tactus ſenu notabiles, quas Rupertus lib. 2. de operibus Trinit. cap. 10. deſignatas putat à Moſe illis verbis. Et in quibus eſt anima viuēs, etiam has (inquam) viliſſimas animantes ſua cura, & benignitate amplectitur. Nec enim ſat fuit Deo victum aſſignaſſe Domino ſcilicet homini: niſi etiā ſeruis, & mancipijs eius, id eſt animalibus quę hominis ſeruituti addixerat cibum abunde compararet.

Sed quare poſt hominis formationem recapitulat omnia vitam habentia, ad hominem referendo, ſiue ordinando, & non facit mentionem de luminaribus, cum tamen, & ipſa propter hominem facta ſint? Dicendum, quod de ordine luminarium non facit hic mentionem, non quia non ordinentur ad hominem, ſed quia non ordinata ſunt ſecundum ſubiectionē; hic enim loquitur de ordine ſubiectionis, quo ſubiecta fuerunt animantia, & terræ naſcentia homini, ſed luminaria, non ſic, ſed ſubijciūtur Deo, vt ſecundum nutum eius moueantur, referuntur autem ad hominem in hoc, quòd dicitur. Erunt in ſigna, & tēpora, dies & annos.

Sed cum ſupra poſuerit, quaſi quinque differētias, ſcilicet Piſces volatilia beſtias, & creaturam, quę mouetur ſuper terram, & reptile, quod mouetur in terra. Cur hic nō ponit, niſi tres differentias. Dicendum, quod ſupra diſtinxit ſecundum differentiam mobilium, ſiue motuum in locis, vnde quinque erant: nam ſunt mobilia in aqua, quæ ſuum habent motum, mobilia in aere, quæ ſuum. Mobilia vero in terra, quædam ſunt ambulantia in ſiluis, quædam in agris, & hæc ſignantur per iumenta, ſiue per creaturam, quæ mouetur ſuper terram. Quædam vero repunt ſuper terrā. Alio vero modo diuiſio accipitur, ſecundum differentias locorum, ſ. aeris, aquę, & terrę, vt aeris ſint volatilia, aquæ piſces, animantia vero deputentur ipſi terræ.

Sed cum omnia vitam habentia inquantum huiuſmodi conſimiliter ad hominem referantur. Cur diſtinctè agit de terræ naſcentibus, & animalibus, ſecūdum quod hæc ad hominem ordinantur? Dicendum, quòd licet conueniant animantia cum terræ naſcentibus in vita, nihilominus diſtinguntur in hoc, quòd animantia ſuperaddunt perfectionem animæ ſenſibilis, vnde, & animantia dicuntur. Terræ vero naſcentia licet animā habeant vegetabilem, non dicuntur animātia: non .n. habent animam ſecundū acceptionē ſumptā communiter, ſed dicitur à Philoſopho pars partis animæ eoq; non percipitur motus aliquis localis, & ideo aliter ordinantur ad hominē ter-

ræ naſcentia, quam animãtia, nam terræ naſcentia ordinantur ad vtrumque, animãtia ad hominem tantum.

Item cum prius dixerit de productione terræ naſcentium, quam animantium, quare non prius hic ad hominem retulit, ſed poſterius. Prius enim dixit dominamini piſcibus maris &c. & poſt dicit, Ecce dedi vobis omnem herbam, &cæt. Dicendum, quòd ordo mutatus eſt in fieri ipſarum rerum, & in relatione ipſarum ad hominem: quia progreſſus in fieri erat ſecundum imperfectum ad perfectum, quouſque ad perfectionem eſſet deuentum, ordo vero in ſubiectione ad hominem à magis perfecto tendit ad minus perfectum. Animantia enim ſubijciuntur homini, terræ naſcentia homini, & animantibus, atque adeo dixit. Ecce dedi vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ.

Sed quare non loquitur hic de piſcibus? Dicendum, quod de piſcibus non facit mentionem diſtincte: quia nutrimentum ſuum accipiunt in aqua, licet aliqui piſces nutriantur ex his, quæ ſunt in terra, ſed illa de quibus hic facit mentionem nutriuntur ex his, quæ de terra ortum habent, vt volatilia, & cætera, quæ mouentur in terra.

Sed cur volatilia interſerit inter animantia terræ, & ea, quæ mouentur in terra in quibus eſt anima viuens, cum hæc dicantur animantia terræ.

Dicendum eſt, quòd differentia eſt inter animantia terræ, & ea, quæ mouentur in terra: nam per animantia terræ ambulantia deſignantur, per ea vero, quæ mouentur in terra reptilia, & hoc patet in alia translatione, & omni reptili reptanti ſuper terram, quod habet ſpiritus vitæ, ordinantur ergo ſecundum nobilius, & minus nobile, inquantum plus proſunt homini.

Sed cum infra c.9. ipſa animantia tradita ſint homini in eſcã cur hic non ſunt data homini in eſcã, niſi terræ naſcentia, cum tamen vtraque natura, materialis, & poſſibilis ſit ad nutrimentum reſpectu hominis? Dicendũ, quòd quanto maior erat fortitudo viuentis, tanto cibus competebat auſterior, quanto vero maior erat fragilitas, tanto cibus ad nutrimentum competentior, vt fieret infirmitatis releuatio, & quod maior fuerit fragilitas poſt, patuit ex hoc, quòd abreuiata fuit vita hominis poſt diluuium. Quo circa.

Queſ. I. In ſtatu innocentiæ an fuiſſet in vſũ carniũ eſus.

Quæritur primo. An in ſtatu innocentiæ fuiſſet in vſum hominibus carniũ eſus. Quibuſdã durum videtur, imò nec verum, Deum ab initio prohibuiſſe homini eſũ carnium, & piſcium, & lacticiniorum cum multa animalia vix ſint in auxilium vſum hominis, quã in cibum; Quocirca dixerunt, Deum alias hæc animalia nõ fuiſſe creaturum, niſi hominem præuidiſſet peccaturum, vt ex his acciperet tandem emolumentum victus, & veſtitus, & cætera, quæ nunc in inopia conſtituti, ex animalibus capimus cõmoda.

Quod ſane ineptum eſt, & ab omni homine recto iudicio prædito prorſus exploſione dignum. Multo enim plus commodi attuliſſet, accipere ex eis ſolatium, ſcientiæ, & bonitatis Dei, quod faciebat ad perfectionem, & pulchritudinem vniuerſi.

Nam quantus eſt, vel hodierno die eorum animalium numerus, quæ nec in vſum hominis, nec in cibum veniunt?

Caie-

Caietanus negat fuiſſe à Domino Deo vetitum tunc vſum carnium in cibum. Cæterum ſi ita ſe veritas haberet. Quid eſt igitur cauſæ, quod homini Deus herbas, & fructus terræ aſſignauerat. Fruſtra enim hoc totum, ſi & carnes, & piſces, & lacticinia, volebat eos poſſe comedere. Præterquã quod D. Baſilius. Ambroſius. Chryſoſt. Aug. & cæteri clari doctores, aliter docent, nã omnes in hanc ſententiam conueniunt, Dominũ Deum dum hic certum ciborum genus aſſignarit, prohibuiſſe alia: nam dicens Dominus. Hæc do vobis, & erunt vobis in eſcam, eſt ac ſi dixiſſet expreſſe, alia in eſcam non do, nec enim quia in dominium illa dederim ſequitur etiam data eſſe in eſcam, ſed in aliud. Et ſi dicatur quod animalibus quibuſdam, quæ ſuapte natura videmus veſci aliorum animalium carnibus, ad quarum eſum naturalem habent impulſum, datæ fuerunt ſimili modo herbæ in cibum, vt & eis æque prohibitum videatur veſci carnibus; Poſſet dici, vt quidam reſpondent, Moſem non fuiſſe ad explicanda omnia ſollicitum; aut forte non habuiſſent tunc animalia eam ſeuam naturam, ſed cum alijs contenta fuiſſent herbarum fructibus. Nam, & in arca mutuo ſe pacifice habebant, nec ſe ſe denorabant, ſic Deo volente; Quid igitur mirum videri debet, ſi etiã ſic fuiſſet ante peccatum in regno pacis, vt hæc omnia, quæ inordinata videmur, profecta fuiſſe à peccato diſcamus? Sed quid de hoc ſentiamus explicauimus ſupra.

Dicendum eſt ergo ad quæſtionem, quòd cum Deus ante peccatum homini aſſignauerit victum ex herbis, & arboribus, nullum de carnium eſu verbum faciens, nullum fuiſſet vſum animalium homini in cibum, nam ſi eo tempore veſci animalibus licuiſſet homini, cum is cibus futura eſſet principalis humani victus pars, non eum Dominus tacuiſſet.

Sed cur in eo ſtatu, non licuiſſet homini veſci carnibus? Dicendũ: quia cum victus ex herbis, & fructibus arborum pręſertim paradiſi ſufficeret alendo homini, eſſetque ſaluberrimus, & ſuauiſſimus, ſuperuacaneus fuiſſet is cibus, ex carnibus animalium. Non enim erat conueniens propter ſolam gulæ delectationem hominem in eo ſtatu, in quo nihil pręter rationem recta agere debebat carnibus animalium ad cibum vti velle.

Quæſ. 2. Homo an in ſtatu innocẽtię animalia occideret.

Quæritur ſecundo. An in ſtatu innocentiæ homo animalia occideret. Reſpondetur, ꝙ homo in ſtatu innocentiæ plerumque fuiſſet animalia occiſurus, verum non ad eſum, ſed vel in venatione honeſtę oblectationis cauſa, licet Baſilius hom. 1 1. in Gen. contra ſenſiſſe videatur, vel ad pernoſcendas interiores, & abſtruſas eorum corporis partes, quarum aſpectum, & notitiam ſcientia anathomiæ nobis nunc exhibet, vel ad capienda varia experimenta earum rerum, quę ad ſciendam vim, & naturam animalium cognoſcere neceſſe eſt.

Quæſ. 3. Deus cur homini certũ potum non præſcripſit.

Quæritur tertio. Cur vt certum homini cibum præſcripſit Deus, non itidẽ certum eidẽ potum præſtituit. Reſpondetur. Quoniam in cibo magna erat varietas, & eorũ quæ terræ naſcuntur, & animaliũ, vtrumq; enim niſi vetuiſſet Deus ad victum hominis adduci potuiſſet. Quoniam autem Deus in eo ſtatu, carnibus animalium hominem veſci noluit, aſſignãdus ab eo fuit homini certus ex herbis, & fructi-

P 2 bus

bus arborum, quo vteretur, cibus. In potu autem nulla erat varietas, ſolius enim aquæ potus id temporis homini ſuppetebat, qui propter excellentem aquarum bonitatem, maximamq́ue humani corporis ſanitatem, atque firmitatem iocundiſſim⁹ ſimul, & ſalubertimus fuiſſet. Vini autem tunc nullum erat, nam licet fuiſſent vites, nõ tamen ad potum vini, ſed ad eſum vuarũ & quia tunc vino non erat opus, abunde ſufficientibus aquis humano potui, propterea nulli homini bibendi vinum inceſſiſſet cupido.

Quæſ.4. Homines an ſtatipoſt peccatũ in prima ętate carnes comederit.

Quæritur quarto. An ſtatim poſt peccatum homines in prima ætare comederint carnes. Dicendũ quod non: quia taxauit Deus cibum hominibus, ſcilicet vt carnes non comederent, ſed arborum fructibus, & folijs herbis veſcerentur, & obſeruata fuit iſta lex communiter, & vt plurimum vſque ad diluuiũ. Poſt quod dixit Deus Noe, & filijs eius, quod comederent de animalibus, vt primum infra cap.9. Nam quia vidit Dominus hominem eſſe ctũm eſſe carnem, & pronum ad omnem lapſum, & peculiariter ad eſum carnium, eas indulſit accenſæ hominum cupiditati; Nam credibile eſt multos iam ante diluuiũ, hoc Dei præceptum mirum in modum tranſgreſſos fuiſſe. Quidam hiſtorici memoriæ prodiderunt, eo attrocitatis proceſſiſſe quoſdã, vt & humanis carnibus veſcerentur, atque adeo fedata quodammodo per diluuium indignatione diuina, placuit Deo non ſic reſtringere hominum genus, atque ita carnium eſus ei conceſſit.

Quocirca poſtquam Deus expulit Adam de Paradiſo, oſtendit ei, quid comedere deberet dicens. Comedes herbas terræ infra capitulo quarto, atqueita non ſtatim poſt peccatum cõceſſit eis carnes; Sed poſt diluuium in principio ſecundæ ætatis, indulſit hominibus vt piſces, & carnes comederent, cum dixit. Omnes piſces manui veſtræ traditi ſunt, & omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum; Vnde ſi in prima ætate conſueti eſſent homines, carnes, & piſces comedere, non concederet eis Deus in principio ſecundæ ætatis. Quia omnia, quæ ab initio erant licita, intelligebantur ſemper eſſe licita, atque adeo non fuiſſet neceſſaria alia conceſſio, cum ergo poſt diluuium conceſſerit Deus hominibus carnium eſum, ſequitur, quòd non conſueuerunt homines, in prima ætate carnes comedere.

Quæſ.5. Homines quare in prima ętate non veſcebãtur carnib⁹.

Quæritur quinto. Quare in prima ætate homines non veſcebantur carnibus, & ſtatim in ſecunda ætate eis veſci cęperunt? Reſpondetur primo, quòd hoc fuit ex ordinatiſſima Dei diſpoſitione. Ipſe enim qui hominem creauerat eum conſeruare volebat meliori modo, quo poterat conſeruari; iuxta naturam ei traditam. Conſeruatio autem animalium eſt per cibum; Ideo Deus prouidit ei de cibo, & hoc apparet ex diligentia, & ſollicitudine, quam diuina ſcriptura in prouidendo, atque deſignando homini cibum, pro quolibet ſtatu, & ætate oſtendit.

Nam mox creato homine, & animantibus dicitur, quod Deus dederit eis cibum dicens. Ecce dedi vobis omnem herbam, & cæt. & quando poſitus eſt in paradiſo, vbi erat nouus ſtatus, ſtatim aſſignatur ei cibus, quia infra capitulo 2. dicitur. Ex omni ligno paradiſi comede, &c. & poſtquam de paradiſo fuit excluſus, q̃a trãſit ad aliũ ſtatum, locutus eſt etiam Deus de cibo

Digitized by Google

cibo eius dicens. Comedes herbas terræ, vt primus infra, capit. 3. Et poſt diluuium; quando incipiebat alius ſtatus, hominibus de arca egreſſis dixit Deus, quod omnia, quæ mouentur, & viuunt tradebat eis in cibum, infra, capitu. 9. Apparet ergo, quod Deus habet magnam (vt ita dicam) ſollicitudinem, & curam de homine, & de cibo prouidendo, vnde viuat.

Dedit ei itaque cibum, qui ad vitam mortalem tranſigendam conueniens erat. Sed in prima ætate herbæ, & fructus arborum erant conuenientior cibus, quam aliquid aliud, ideo hoc ei conceſſit. Quod autem iſta eſſent conueniens cib. & ſufficiens ad parandum magnas vires, & agendum longiſſimas vitas, cauſa erat: quia erant illa magnæ virtutis, quia erat principium mundi, & terra, quæ non fuerat exercitata retinebat totum ſuum vigorem, ideo terræ naſcentia producebat magnę virtutis, quæ ad viuendum ſufficiebant.

Secundo, quia ſicut tunc terræ naſcentia erant magni vigoris, ita & proportionabiliter animalia, atque adeo ſi carnes illorum ſumerentur in cibum, vel non conuenirent homini nutriendo propter excellentiam, vel eſſent tantæ virtutis, quod vitam longiorem efficerent, quam opus erat, iuxta diuinam diſpoſitionem, aut homines valde robuſtiores efficerētur, quæ roboris confidentia illis peccandi occaſio fuiſſet.

Poſt diluuium autem, fuit è contrario: quia iã herbæ, & fructus arborum non erant ſufficientia alimenta, ideo conceſſit fortiora, piſces, ſcilicet, & carnes.

Quæſ. 6. Quæritur Sexto. Quoniam hic dicitur. Dixitque Deus Ecce dedi vobis, &c. Quando hoc dictum ſit hominibus à Deo. Videtur enim quod hoc nunquam dictum fuerit, quia vel ante peccatum, & hoc non, quia tunc homo erat in paradiſo, & ibi dictum eſt de omni ligno paradiſi comede, ergo non fuit ibi dictum. Ecce dedi vobis, &c. nec etiam poſt peccatum, quia tunc datus fuit homini alius cibus, vt patet, infra, c. 3. Quia audiſti vocē vxoris tuæ maledicta terra &c.

Reſpondetur, quod dupliciter poſſumus loqui de illis verbis. Vno modo, quod verba illa non fuerint dicta, ſed ſolum id, quod per ea ſignificatur; alio modo poſſumus dicere, quod verba illa, vel equiualentia eis fuerint dicta homini, poſt peccatum cum iam expulſus fuerat e paradiſo. *Dicere Dei qd ſignificet ĩ mundi creatione.*

Si primo modo intelligamus dicendum eſt, quod nulla fuit locutio, ſed potius expreſſio eorũ, quæ facta ſunt; nec iſtud eſt inconueniens: quoniam hic multa alia aſſeruntur dicta, uelut illud. Dixit Deus fiat lux, & tamen Deus ibi nihil dixit: quia Deus non loquitur, & etiam ſi loqui uellet, nullus erat cui loqui poſſet: nam locutio non dicitur niſi ad audientem & potentem intelligere, & iſte eſt homo, certum eſt autem, quod tūc nullus homo erat, atque ita in omnibus alijs diebus dicitur. Dixit Deus; & tamen nihil dixit. Sed iſtud poſuit Moſes ad declarandũ rudibus modum talem, qualem ipſi concipere poſſent de mundi creatione, qui tamen veritati rei factæ non derogat. Deus re fecit omnia, quæ feciſſe narratur, cuius modum faciendi homines non intelligunt, nam non fecit per temporum ſucceſſiones, ſed in inſtanti; non fecit cum difficultate, non ampliando manus ad opus ſicut nos, ſed ſolũ uolendo, quod aliquid eſſet, per

ſecretam virtutem ſuam omnipotentem,ſtatim illud fuit.Non inuenit autem Moſes, neque fuit alius modus conuenientior ad declarandum hoc ſimplicioribus,quam aſſerere,quod De⁹ dixit, quod aliquid fieret, & ſtatim fiebat, ideſt quod Deus in faciendo non habebat aliam difficultatẽ,aut laborẽ, quam aliquis habet in mandando,in quo nulla eſt difficultas. Ideo adhoc ſignificandum ait, quòd dixit Deus fiat lux, &c. atque ita in operibus ſex dierũ habetur,quòd dixit Deus fiat, & tamen certum eſt quod nihil Deus dixit,ſi accipiatur dicere, ideſt loqui, & hunc modum ſequitur propheta in pſal.148.Ipſe dixit, & facta ſunt,ipſe mãdauit,& creata ſunt, ideſt nihil aliud fecit ibi, niſi dicere,& mandare. Poteſt ergo dici quod ſcriptura aſſerit, quòd Deus dixit aliquid hominibus, cum tamen nihil eis diceret, ſed illud dicere aliquid ſignificabat fieri in hominibus: quia meliori modo ſignificari non poterant, quam vt diceretur, ea Deus dixiſſe.

Cum ergo dicitur benedixit eis Deus,ideſt viro, & fœminæ,ſignificatur, quòd Deus dedit hominibus virtutem multiplicandi, vt ex illis duobus naſceretur tota humana multitudo, nam benedicere eſt multiplicare, ſicut maledicere eſt diminuere,vt patet Deut.28. & 2. ad Corint.c.8. & 9. Quod vero ſequitur,& ait: Creſcite,& multiplicamini,&c. non dixit aliquid, ſed illud fecit, dando eis virtutem adhoc,& vt appareret, quid importaretur per nomen benedictionis, & ita conſequenter intelligitur de alijs verbis.ſcilicet replete terrã, & ſubijcite eã,dominamini &c.Nam de his omnibus Deus nihil dixit homini,ſed dicitur dixiſſe,quia totam virtutem,& dignitatem ſignificatam per eiuſmodi verba ei vere cõtulit,& ſignificauit, homini fuiſſe collatam,& iſta ſignificatio fuit, dando ſibi intellectũ,quo iſta ſufficienter intelligeret,ſcilicet inquantum excelleret cætera,& quid poſſet ſuper illa, & vnde ſibi hoc prouenisſet ſcilicet à Deo,& quia non ſolum Deus dedit iſta homini, ſed etiam dedit ei illa intelligere,dicitur propriè ei dixiſſe, quod ei dederit.

Ita cum dicitur. Ecce dedi vobis omnem herbam,&c. vt ſint vobis in eſcam, &c. hoc non fuit dictum homini,ſed fuit factum:quia Deus adhoc produxit fructus, & herbas,vt homines,& alia animalia veſcerentur eis, & quia non ſolum ita fecit,ſed hominibus cognitionem hanc dedit, quod arbores, & herbæ erant ad cibum eorũ, & animalium; ideo dicitur,quòd eis dixit;Ecce dedi vobis &c. Cæteris autem animalibus dedit Deus, ita in cibum, ſed non dedit eis cognitionem,à quo iſta acciperẽt,& quo modo cibi eorum eſſent, ideo non dicitur, quòd dixit Deus beſtijs. Dedi vobis in cibum herbas, & ligna, ſed ſolum aſſeritur dictum hominibus,& ſi Deus nihil horum dixerit homini,& iuxta hũc modum dicendi,nulla eſt difficultas de iſta locutione Dei ad hominem in aſſignatione cibi:quia iſta non fuit vere aliqua locutio,ſed ſolũ aliquid, quod factum eſt,nihil dictum.

Si autem accipiatur 2.modo, ſ. quòd iſta aſſignatiò cibi fuerit locutio quædam Dei ad hominem facta per angelos, ſicut conſueuit in alijs,poteſt dici primo quod hęc locutio fuit poſt peccatum, & expulſionem hominis de paradiſo. Tum quia dixit eis: Creſcite,& multiplicamini,& replete terram, at homo

non

Digitized by Google

non fuit extra paradiſum niſi poſt peccatum,& quã diu vir,& mulier in paradiſo manebant, non erant repleturi terram, ſed paradiſum. Tum quia dicitur dominamini piſcibus maris, & tamen in paradiſo manentes non erant viſuri mare, neque ituri ad illud adhoc, quod dominarẽtur piſcibus maris. Tum quia dicitur volatilibus cœli, &c. & tamen in paradiſo ſecundum aliquos non erant futuræ aues,& multo minus cætera animalia;maxime quia dicitur, quæ mouentur ſuper terram.Tum quia dicitur.Ecce dedit vobis omnem herbam,& tamẽ in paradiſo non dedit in eſcam niſi ligna, vt patet c.2. Tum demũ: quia dicitur,vt ſint vobis in eſcam & cunctis animantibus terræ, atq; adeo dabatur ſimul homini,& pecori, ſed in Paradiſo nihil erat futurum commune homini, & pecori, quia ibi animalia non erant futura, ergo non poteſt dictum eſſe niſi poſt exitum de paradiſo.

Si modus iſte dicendi, quem docet Toſtatus in capit.13. Geneſ. à quæſt.218. vſque ad 224.teneatur, erit iſte ordo.Cum peccauerint fęmina, & vir,Deus in Paradiſo increpauit eos prænunciando pœnas, quas extra paradiſum manentes habituri erant, & inter cætera mala,quæ paterentur, dixit eis de cibo, ſcilicet comedes herbas terræ, poſthæc autẽ expulit eos Deus de paradiſo. Quocirca expulſi de loco fœlicitatis,in hunc locum exilij ſoli, & miſeri, erumnis, atque miſerijs circundati, in baratrum deſperationis cecidiſſent, niſi clementiſſimus Deus, qui non continet in ira ſua miſericordias ſuas operi ſuo compatiens, (cognouerat enim figmentum illorum) eos conſolatus non fuiſſet.

Quapropter non ſuſtinens, vt omnino perirent, aut triſtitia grauaret ſpiritum eorum inter ipſas calamitates conſolatus eſt eos,tollerabiliorem eorum miſeriam efficiens, & tunc dixit eis. Creſcite, & multiplicamini, &c. quaſi diceret, licet pauci ſitis: quia duo ſoli non credatis vos ſolos manſuros, dabo enim vobis conſolationem in poſteris veſtris: nam multiplicabimini, & multi eritis,dixit etiã eis replete terrã: quia ſcilicet multi eritis replebitis terram; Sequitur dominamini volatilibus cœli, &c. hoc dixit ad conſolationem, quia duo ſoli manebant inter tot animalia, à quibus cito poterant deuorari, & conſumari, ideo ait dominamini, ideſt eſtote domini; non enim nocebunt vobis, neque conſument, ſed potius habebunt vos,vt dominos. Adiunxit autem Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. In quo prouidit eis de cibo, ſcilicet vt comederẽt de omnibus fructibus arborũ, & de herbis terræ,quæ communia erunt tam eis, quam pecoribus, & omnibus animalibus, & non ſolum de eis, quæ ſponte naſcerentur,ſed de eis,quæ per cultum germinarent, nã poſt peccatum, prænunciatum fuerat homini, quod terram in ſudore coleret, atque ita cibos de ea haberet.

Hoc autem motiuum ad dicendum hoc ex Dei clementia eſt valde rationabilẽ,nam ſimile factum eſt cum quibuſdam alijs,ſicut cum Caim, & cum filijs Noe poſt diluuium, nam Deus, vt conſolaretur Caim dixit. Nequaquam ita fiet, ſed omnis, qui occiderit Caim ſeptuplum punietur, & vt conſolaretur filios Noe dixit.Nequaquam maledicam vltra terram propter homines, & promiſit, quod non mitteret amplius diluuium.

tione, & recapitulatione.

Secundo dici poteſt hæc verba, haud quamquam dicta eſſe per anticipationem, velut docuit modus iſte dicendi, ſed homini exiſtenti in paradiſo, & ante peccatum, neque motiua alterius ſententiæ cogunt aliter ſentire.

Non enim putandum eſt cũctos homines naſcituros, ita in vno ſolo paradiſo concludendos, vt omnis reliqua terra futura eſſet abſq; incolis ſuis, cum tam exerte dictũ ſit. Replete terram, & ſubijcite eam, &c. Ineptum autem valde eſt accipere hæc fuiſſe dicta poſt peccatum, aut ſola conſideratione ad illud tempus. Adam enim ipſe, qui iſta capiebat, non cogitabat tunc ad peccatum. Credibile eſt igitur ex propagatione hominum repleri terram debuiſſe, & nihilominus Paradiſum illum præſertim propter lignum vitæ, & propter alios fructus, & pulchritudinem futurum fuiſſe certis, & alternis temporibus cunctis habitaculum, atq; ſolatium, qualis fuit poſtmodum Iudæis Ieruſalem, & Syon, ad quã vndique ex omni parte terræ ſuis temporibus proficiſcebatur. Neque vllam habet veri ſimilitudinem exiſtimare quo vis modo hũc vniuerſæ terræ orbem, vacuum, & vanum fuiſſe remanſurum.

Quæſ. 7. Quæritur Septimo. Si teneatur prior dicendi modus, quod hæc dicta fuerint per anticipationem, qui non eſt improbabilis omnino; Cũ Moſes potuiſſet ponere rem, eo ordine quo facta eſt, vt ſcilicet poneret hæc verba poſt expulſionem hominis de paradiſo, quare ita non fecit.

Scriptura ſacra, quando vtatur anticipa-

Dicendum eſt, quòd cum anticipatio, & recapitulatio, ſint contra naturalem rei ordinem, nunquam ſcriptura ſacra, & alij ſcriptores eis vtuntur, niſi propter aliquam neceſſitatem, vt pote, quia aliqua acciderent inconuenientia, ſi non mutaretur ordo, nempe fieret confuſio, & obſcuritas in intelligendo, vel frequens repetitio, aut non referẽtur ſingulares ſecũdum conditionem ſuam, & interdum impoſſibilis narratio fieret, nam interdum multæ res, ſimul tempore fuerunt factæ, & tamen multa ſimul narrari nequeunt, & ob id, ſi nihil aliud eſſet, neceſſaria eſſet anticipatio, & recapitulatio in ſcripturis, atque ita fit in omnibus libris hiſtoricis, neque aliter ſcribi poſſent.

In propoſito autem ita fuit. Poterat quidem Moſes ſcribere poſt expulſionem de paradiſo ea, quæ hic ſcripta ſunt, de quibus eſt nobis in præſens ſermo, & tamen nõ ſcripſit: quia non conueniebat rei de qua agebatur; deſcribebat enim hominem, vt conſtitutum in miſeria propter peccatum, ideo non debuit de eo tũc dicere aliquid, quod ad eius excellentiam pertineret.

Homo habuit tres ſtatus.

Vnde pro ampliori intelligentia obſeruandum eſt, quod homo habuit tres ſtatus, vel ſaltẽ ſecundum illos conſiderare potuit, quia ſecũdum rem, & veritatem, duos tantum habuit.

Primus ſtatus eſt, prout homo conſideratur ſecundum ea, quæ ſunt ſibi pure naturalia, non addita miſeria, neque appoſita fœlicitate.

Secundus eſt prout conſideratur homo in quadam excellentia paradiſi, gratis ſibi data.

Tertius eſt, prout conſideratur in miſeria, quam habuit poſt peccatum. Duo ſtatus iſtorum fuerunt in actu, & in veritate, nã vere fuit homo aliquando in paradiſo, tam vir, quam mulier, & vere fuit in miſeria poſt peccatum.

Primus

Primus autem ſtatus eſt tantum ſecundum conſiderationem, quatenus ſecundum naturam competeret homini aliquis ſtatus, cæterum numquam homo habuit illum de facto: quia ſtatim, vt Adam formatus eſt, poſitus fuit in Paradiſo, & mulier formata fuit in Paradiſo, atque ita in ipſo primo ſtatu homines numquam fuerũt, ſed fuiſſent, ſi Deus ex liberalitate ſua hominẽ mox formatum in Paradiſum non tranſtuliſſet.

Et quoniam in quolibet ſtatu competit homini habere omnia illa, per quæ viuat licet differenter, inquantum ipſi ſtatus differunt, poſuit Moſes de quolibet iſtorum, quid homini in illo competeret. De primo ſtatu intelliguntur ea, quæ habentur hic; nã habere vim generatiuam, ſecundum quam homo poſſet multiplicari per indiuidua, in terra morari, de qua formatus eſt, colere terram, & eam ſibi ſubijcere tamquam dominus, competit homini ſecundum naturam, non addita ſibi vlteriori virtute; Et ideo dicitur: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam. Item habere dominium ſuper omnia animalia, quo ad habitum, & iuriſdictionẽ competit homini, ex natura, vt diximus ſupra, & ideo ſubditur. Dominamini piſcibus maris, &cæt. Item comedere herbas, & arborum fructus pertinebat ad ſtatum ſecundum naturam, nam licet homo comedat carnes: magis tamen naturale eſt comedere herbas, & fructus, quam comedere carnes in ſtatu naturæ conditæ, ſecus autem in ſtatu naturæ lapſæ, vt dictum eſt. Ideo dixit.

Ecce dedi vobis omnem herbam, &c.

De ſecundo ſtatu intelliguntur ea, quæ habentur infra capitulo ſecundo. Nam iſte ſtatus erat melior naturali ſtatu, cum homini competeret ex gratia, atque adeo ſicut erant ibi homines in meliori loco, ita debuit ei dari melior cibus, & ponitur ſolum eſus lignorum, & non herbarum, & illa ligna, non erant ligna terræ, ſed Paradiſi, & præcipuè: quia eſuri erãt de ligno vitæ. Talia autem debuit ſcribere Moſes pro illo ſtatu, tam excellenti.

De tertio ſtatu, qui eſt poſt peccatum intelliguntur ea, quæ habentur infra capitulo tertio. Nam quoniam pro peccato erat ei pœna infligenda, & multæ inflictæ ſunt: Non debuit ibi aliquid poni, niſi quod ad pœnam pertineret, licet pro illo ſtatu relinquerentur homini alia, quæ non eſſent pœnalia, ſcribere tamen illa inter pœnalia inartificioſum erat, atque adeo rationabiliter facta fuit anticipatio, non ſeruando in ſcribendo eum ordinem, quem res habuerunt in eſſendo.

De vniuerſi perfectione.

Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, &c.

QVoniam in viſibilibus non ſolum lumen condidit, ſed tenebras aduerſas luci, & non ſolum diem, ſed & noctem contrariã diei. Et in ſeminibus, quæ ex terra naſcuntur, non ſolum herbas vtiles, ſed & pernitioſas, & arbores non ſolum fructuoſas, ſed & infructuoſas, & animalia non ſolum manſueta, ſed & ſylueſtria, & truculenta. Et in his, quæ aquæ produxerunt, non ſolum piſces, ſed & cete, & alias marinas beluas.

Item

Item terra non ſolum habitabilis eſt, ſed etiam inhabitabilis, & non ſolum planities ſunt, & campi, ſed etiam montes, & colles.

Et inter aues non ſolum domeſticæ, & vtiles, ſed etiam feræ, nullumque commodum per ſe afferẽtes, & Milui, & Vultores, & aliæ quædam.

Præterea in his, quæ terra profert; non ſunt tantum iumenta, & innoxia animalia, ſed etiam ſerpentes, & lacertæ, & dracones, & leones, & pardi. Quin & aere non ſolum pluuiæ, & venti vtiles, ſed & grandines, & niues. Et ſi quis ſingula pertractare vellet, multa in vnaquaque creaturarum inueniet, quæ non ſolum non vtilia, ſed nociua extimentur.

Atque adeo vt nulli poſt hac liceat ob creaturas accuſare conditorem, & dicere quare hoc, & hoc; & ad quid iſtud? hoc factum eſt bene, hoc non bene. Sacra ſcriptura omnes ingratos, & loqui tentantes compeſcitura, ſexto die ab ſolutis creaturis omnibus inquit, Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Idoneis itaque, & crebris argumentis perſuaſum ſit, quod omnia ratione quadam, inquit D. Chryſoſtom. cuius ſunt hæc verba in hom. 10. in Gen. & miſericordia ab eo producta ſint, & in ſumma nihil temere, & abſque cauſa factum; & licet nos ob noſtræ rationis imbecillitatem ignoremus factorum cauſam, ipſe tamen iuxta ſuam ſapientiam, & potentiſſimam miſericordiam, omnia produxit. Pro horum tamen verborum clariori intelligentia.

Quæſ. 1. Creata à Deo cur, nedũ bona, ſed valde bona eſſe dicantur.

Quæritur primo. Cur non dixit tantum erant bona, ſed addidit, valde bona? Nam cum de ſingulis ageret, dicebat tantum. Vidit Deus, quia bonum eſt, cum autem de omnibus dicitur, parum fuit dicere bona, niſi adderetur, & valde. Huic difficultati reſpondens D. Auguſt. lib. 1. de Gen. contra Manicheos, cap. 21. & lib. 3. de Geneſ. ad lit. c. vltimo dicit, quod non fruſtra eſt additum valde: quia & corporis membra etiam ſi ſingula pulchra ſunt, multo ſunt tamen in vniuerſi corporis compage omnia pulchiora: nam omnis pulchritudo, quæ partibus conſtat, multo eſt laudabilior in toto, quam in partibus: ſicut in corpore humano ſi laudamus oculos, naſum, caput, manus, pedes, ſi ſeparata à corpore videremus, non diceremus tam pulchra, quam in illa membrorum commixtione cum loco ſuo poſita in vniuerſo corpore cernuntur; & ſi ſolos oculos, naſum ſolum, ſolas manus, aut ſolum caput, aut ſolas genas, vel ſolos pedes, & cætera; ſi pulchra inquam ſingula, & ſola laudamus, quanto magis totum corpus, cui omnia membra, quæ ſingula pulchra ſunt conferunt pulchritudinem ſuam? Imo tanta eſt vis, & potentia integritatis, & vnitatis, vt ea etiam, quę peccando amittunt decus proprium, nullo tamen modo efficiunt, vt non etiam ipſa rectè ordinata, cum toto, atque vniuerſo bona ſint.

Quæſ. 2. De hoĩe cur nõ ſit dictũ vidit Deus qđ eſſet bonum.

Quæritur ſecundo. Quare non dixit ſingillatim de homine, & vidit Deus quod eſſet bonum, cum multo fortius melior ſit in genere ſuo, rationalis creatura, quam vegetabilis, & ſenſibilis. D. Auguſt. lib. 3. de Gen. ad lit. ca. 24. Iunilius, & Beda, in hunc locum, & Rupertus, lib. 2. de operibus Trinit. capit. 11. rationem à lapſu hominis afferunt.

Cum enim præuideret Deus homi-

minem caſurum, idcirco non probauit eum diſtinctè, vt rem bonam, ſed cætera cuncta ſimul, quã quidem, & ſi aliqua particulatim inueniantur de forma, ſimul tamẽ iuncta ſemper ex Dei ordinatione ſunt bona.

Non dixit itaque de homine ſingillatim, vt innueret quid futurum eſſet de homine ſingillatim accepto, præſciebat enim Deus hominem peccaturum, & in ſuæ imaginis perfectione haud manſurum, atque adeo non ſigillatim, ſed cum cæteris dicere voluit bonum; quia in vniuerſo ſemper habuit bonitatem, & habet.

Et ſi dicatur quod pari ratione dicendum eſſet de luce, per quam ſignificatur Angelus cum Deus peccatum eius præuideret.

Reſpondet Alexan. de Ales, par. 2. quæſt. 55. in 6. §. 2. quod factura lucis licet eius commendatio taceretur, propter hanc rationem, ſcilicet quo ad Angelos apoſtatas, non tamen taceretur, quo ad commendationem corporalis lucis, & quo ad Angelos bonos, quod de homine locum non habet, qui totus corruit, & peccauit.

Cæterum hæc ſententia non placet. Nam deordinato homine, quod erat maximum in creaturis, etiam cæterea reddita ſunt non valde bona.

Quod ſi dicas, quod ob eam cauſam valde bona dicenda ſunt, quia Deus erat reparaturus hominem, etiam de homine iſto, iuxta hanc opinionem idem dici poterat, vide licet quod bonum erat. Et re vera ipſe Moſes, qui Dei opera commendabat, non debebat ob caſum hominis futurum, eis commendationes ſuas dettahere tanquam minus bona eſſent ex Deo, potiſſimum cum homo non a Deo, ſed à ſeipſo fuerit malus.

Catharinus rationem ex eo adducit: quia homo ſexto die ſolus creatus fuit, quem cum non eſſet bonum, eſſe ſolum, non debuit eo tantum creato adijci. Et vidit Deus, quod eſſet bonũ, licet enim dicat maſculum, & fœminam creauit eos, hoc tamen (inquit) dicitur per anticipationem. Verum hæc ſententia falſo initiur fundamento, ſcilicet mulierem die ſeptimo, conditam fuiſſem, quod eſſe falsũ infra, capit. 2. apertiſſimè oſtendemus.

Dicendum itaque eſt dominũ Deum, cum in homine cuncta quodammodo continerentur, voluiſſe in omnium commendatione intelligi ſummè eſſe commendatum hominem, tamen non quid particulare, ſed quaſi quid vniuerſum: quoniam de vniuerſo participat.

Et ſi vera eſſet opinio, quæ dicit hominem conditum fuiſſe in puris naturalibus, poſſet dici, quod cum homo ab initio creatus non habuerit perfectionis ſuæ dona, quæ in Paradiſum exceptus habuit, proptea factus ſpiritualis, idcirco non conueniebat vt diceret eſſe bonum quod nondum erat perfectum. Verum hæc opinio, vt videbimus infra ferè ab omnibus Theologis refellitur, & ſi Catharino valde placuerit.

Et ſi dicas cur poſt primam vniuſcuiuſque rei commendationem ſingulis diebus factam in fine ſextæ diei dixit Moſes. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat &c.

Reſpondet Alexan. de Ales, vbi ſupra, quod ad complementum ſingulorum conueniebat quandã bonitatem vniuerſo attribuere, vt nihil remaneret, quod non ordinaretur ad bonum.

Vn-

Vnde inquit D. Auguſt. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. vlt. Deus naturarũ optimus conditor; peccantium vero iuſtiſſimus ordinator eſt, vt etiam ſi qua ſigillatim ſunt delinquendo deformia, ſempe tamen cum eis vniuerſitas pulchra ſit.

Quæſ. 3. Quã bonitatem vnaquæque res hẽat, vt de ſingulis dictũ ſit vidit Deus qđ eſſet bonum.

Quæritur tertio. Quam bonitatem habeant res ſingulæ, vt conditione earum ſingulis ſex diebus, de vnaquaque ſeparatim dixerit Moſes. Vidit Deus quod eſſet bonum.

Dicendum, quod in qualibet re, ſi per ſe conſideretur duplex eſt bonitas, altera ſubſtantialis, altera accidentalis; prior ſalua natura, & ſpecie, nec augeri, nec minui poteſt: nam quidditates rerum omnium teſte phyloſopho ſunt ſicut numeri; poſterior vero ſalua, & integra rei natura, aliquatenus variari poteſt.

Bonitas accidẽtalis cuiuſlibet rei triplex eſt.

Hæc autem accidentalis perfectio triplex eſt, prima appellari poteſt bonitas ſtatus, qualibet enim res generabilis, & corruptibilis maxime ab imperfecto tendit ad perfectum. Indicia autem perfecti ſtatus duo ſunt, ſcilicet finis, & terminus naturalis incrementi, & vis ad generandum ſibi ſimile.

Altera bonitas accidentalis in proprietatibus, & accidentibus rei conſiſtit, vt ea res perfecta dicatur, cui naturaliter inſunt, quæ ei naturaliter conueniunt. Tertia bonitas poſita eſt in propria cuiuslibet rei operatione, per quam vnumquodque finem vltimum adipiſcitur; quæ ſi perfecta fuerit, rẽ quoque cuius operatio eſt perfectam eſſe, & arguit, & facit; ſecundum has tres bonitates Deus in exordio mundi res omnes fecit non bonas modo, ſed etiam optimas, quippe condidit eas in ſtatu perfecto, & in omnibus accidentibus, & proprietatibus perfectis, denique tales, vt eſſent perquam idoneæ ad omnes ſuas actiones, & munera perfecte obeunda, & explenda. Hæc Pererius.

Quæſ 4. Mũdus q̃ bonitatẽ habeat.

Quæritur quarto. Quam bonitatem habet mundus; prout mundus vniuerſitatem rerum omnium creatarum dicit, vltra ſingularum rerum bonitatem. Hæc rerum vniuerſitas, vſque adeo in ſignem, & eximiam bonitatem, & decorem, accepit à Deo, vt eius comparatione propria cuiuſuis bonitas perexigua, & nullius propemodum momenti exiſtimari poſſit.

Bonitas vniuerſi octo modis declarantur.

Eius autem bonitatem declarant primo, rerum, quæ in ea cõtinẽtur varietas: nam res, quas complectitur, aliæ ſunt incorporeæ, vt Angeli, aliæ corporeæ, vt cœli, & elementa, & aliæ mixtæ, vt homo. Inter ipſos Angelos, quis non videt varietatem, quippe cum in hierarchias, & nouem choros diuidantur, & cum ferè ſint innumerabiles, nec duo quidem ſunt eiuſdem ſpeciei, ſi vera eſt B. Thomæ opinio.

Corpora autem alia ſunt ſempiterna, & incorruptibilia, vt cœli, & ſydera, quorum varietatem, & pulchritudinem, ſine vlla ſatietate miramur.

Alia sũt generabilia, & corruptibilia, quorum alia ſunt inanimata, alia animata, & hæc vel vita tantum vegetatiua, vel etiam ſentiente, & inter animantia, quis varietatem non miretur? Demum quis colligere poſſet, omnem, quæ in hominibus eſt varietatem, in forma, & vultu, ingreſſu, in voce, ingenio, lingua, ſtudijs, moribus, legibus, inſtitutis, & religionibus?

Secundo declaratur bonitas vniuerſi,

uerſi, ex ordine, & aptiſſima omnium rerum diſpoſitione; ordo autem mundi in eo cernitur, quòd omnes eius partes locũ ſibi aptum atque congruentem teneant, nam pro ratione nobilitatis, & dignitatis rerum, aliæ res ſunt inferiores, aliæ ſuperiores, quædam inter has mediæ, & aliæ per alias aguntur, ſeruantur, & reguntur.

Tertio vniuerſi bonitas ex rerum plenitudine apparet: omnia enim mundus amplexu ſuo continet, ob idque appellatur vniuerſum. At quinque modis intelligi poteſt omnia eſſe in mundo.

Primo ſecundum generales gradus rerum, qui quattuor ſunt, eſſe, viuere, ſentire, & intelligere.

Secundo penes cuiuslibet horum graduum genera omnia, & ſpecies ſubalternas.

Tertio quod nihil ſit vſpiam, nihilque factum ſit à Deo, quod non in mundo contineatur, & ad mundum aliquo modo pertineat.

Quarto ſecundum ſpecies infimas rerum, & poſtremo ſecundum indiuidua cuiuſque ſpeciei. Primis tribus modis intelligendum eſt omnia eſſe in mundo, non autem duobus vltimis; complures namque ſpecies infimæ proceſſu, & decurſu temporis, quæ non fuerant in exordio mundi, poſterius, aut ex diuerſarum ſpecierum commixtione, aut per ſolertiam, & induſtriam hominum extiterunt. Vniuerſitas etiam indiuiduorum cuiuſque ſpeciei, vt ſimul in mũdo ſit, fieri non poteſt.

Quarto reſplendet bonitas vniuerſi, ex miranda rerum commiſtione, atque connexione, quę adeo arcta eſt, vt non modo ſecundum quantitatem, vt nihil ſit vſquam inane, & vacuum, ſed etiam in ſerie, cõtextuq; naturaliumſpecierũ, vt nulla videlicet ſit interruptio.

Quinto ex eo bonitas vniuerſi apparet: quia res aliquæ mutuam habent ad inuicem conuenietiam aliæ vero cum alijs naturalem diſcordiam, & repugnantiam.

Sexto dignoſcitur vniuerſi bonitas ex eius pulchritudine, ex mirabili proportione rerũ omniũ, tũ inter ſe, tũ cum ipſo mundo effloreſcente. Septimo mundi bonitatem indicat optima eius adminiſtratio, moderatio, & rectio, qua omnia ex infinita Dei prouidentia in ſuum finẽ diriguntur. Cum ergo tantam contineat Vniuerſum bonitatẽ, iure optimo inducit Moſes Deum dixiſſe. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Octauo addere poſſumus, ꝙ vniuerſi bonitatem indicat mirabilis elementorum ordo, quattuor .n. ſunt partes principales mundi, ſ. natura intellectualis, vt angelus, rationalis, vt homo, natura cœleſtis, in qua primum locum obtinet cęlum Empyreũ, & natura elementaris, vt quattuor elementa. Ex optimo aũt ordine elemẽtorũ colligi ẽr poteſt optimus ordo aliarũ partium principalium mundi, nã ſi ordo elementorũ eſt optimus, multo magis ordo cęlorũ, angelorũ, atq; hominũ erit optimus. Quod aũt elementa ſint optimè conſtituta, atq; ordinata, conſtat primo quantũ ad ſuas formas ſubſtantiales, quas S. Bona. in 1. d. 44. art. 1. q. 3. vocat nobiles formas: quia sũt alijs perfectiores, incorruptibiles, & ſimplices, reliqua autem inferiora ſunt compoſita ex iſtis, ſecundo ſunt bene ordinata, quãtum ad eorum qualitates, quæ ſunt caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, quodlibet enim elementum habet duas ex iſtis vnã in ſummo gradu, & alteram prope ſummum, tertio ſunt optime ordinata, quantũ ad ſitum, & locũ, quẽ habent, nã vnũquodq; elementum ſecun-

Quattuor sũt principales mũdi partes.

Elemẽta sũt optime cõſtituta, & ordinata.

ſecundum perfectionem ſuæ naturæ eſt in ſuperiori loco.

Quarto dicuntur optime ordita, quo ad proportionem, quã inter ſe ſeruant, ſiue vt dicit. D. Bonau. loco ſupracitato ſecundũ proportiones naturales: nã eamdem proportionem habent inter ſe elementa, quam habent iſti numeri, ſunt enim ignis, & terra tamquam duo elementa extrema colligata per alia duo media, ſcilicet aer, & aqua, ſicut ligãtur inter ſe iſti duo numeri. 8. & 27. per alios duos numeros intermedios nempe 12. & 18. ad 12. & octauo, quia vbique eſt proportio ſexquialtera, ideſt cõtinẽs vnam partem cum dimidia; nam 27. continet 18. & alteram mediam partem, ſ. 9. & 18. continet 12. cum media parte, & 12. continet 8. & mediam partem, eodem ergo modo iudicandum eſt de elementis, quæ ligantur inter ſe per qualitates ſymbolizantes: nã ignis eſt calidus, & ſiccus, & aer calidus & humidus, aqua frigida, & humida, & terra frigida, & ſicca: atque ita duo.

Prima conueniunt in caliditate, duo intermedia in humiditate, & duo vltima in frigiditate; ſed ignis, & aqua in nulla qualitate conueniunt, nec aer, & terra. Ignis autem, & terra in ſiccitate conueniunt, ideo ſunt optime ordinata, & inter ignem, & aquam mediat aer, & inter aerem, & terram mediat aqua, ne ad inuicem corrumpantur & deſtruantur.

Quæſ. 5. Mundus an potuerit fieri melior.

Quæritur Quinto. An mundus potuerit fieri melior, quam eſt factus. Hæc quæſtio vtrum Deus potuerit facere mundum meliorẽ, vt notant Alex. de Ales. 1. p. q. 21. memb. 3. art. 1. & 2. S. Thom. 1. p. quæſt. 25. art. 6. Ricar. Durand. & alij ſcholaſtici, memb. 1. d. 44. includit in ſe quattuor quæſtiones:

Prima eſt vtrum mundus potuerit eſſe melior ex parte agentis, ideſt an potuerit fieri à meliori agente.

Secũda an potuerit fieri melior ex parte finis, ideſt ad meliorem finem ordinatus.

Tertia an mundus potuerit eſſe melior ex parte modificiendi, ideſt an potuerit fieri meliori modo, quam factus eſt.

Quarta an mundus in ſe conſideratus ſimpliciter, & abſolutè loquẽdo potuerit eſſe melior ex parte ipſarum rerum integrantium; ita vt partes ipſe eſſent meliores, quam ſunt. Hæc omnia includuntur ſub hac quæſtione. Nam cum Mundus iſte ſe habeat ad modum exercitus, ſicut exercitus poteſt quadrupliciter meliorari, ita & mundus.

Mundus ſe habet admodũ exercitꝰ.

Primo ex parte Ducis, ita vt habeat meliorem Ducem, quam habeat.

Secũdo poteſt meliorari ex parte finis, ita vt ordinetur ad meliorem finem quàm ordinatur.

Tertio poteſt meliorari ex parte modi gubernandi illum, ita vt gubernetur meliori modo, & prudentia, quam gubernatur.

Quarto poteſt meliorari exercitus ex parte ipſarum partium quas habet, ideſt ipſorum militum, ita vt habeat meliores milites, quam habet. Ad eumdem ergo modum poſſumus hæc quattuor inquirere de mundo, & quidem ad omnia hæc eſt facilis reſponſio: nam ad primam quæſtionem, vtrum mundus poſſit meliorari ex parte agentis, reſpondetur negatiuæ: quia mundus non poteſt fieri à meliore agente, quam eſt factus, cum ſit factus à Deo optimo maximo. Similiter reſpõdetur ad ſecundas quæſ. quod

quod mundus non potuit fieri melior ex parte finis: quia finis vniuerſitatis creaturarum Deus eſt. Vniuerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt dominus, vt dicitur Prouerb. 16. Ad tertiã autem quæſt. reſpondetur eodem modo negatiue, ſcilicet quod mundus non potuit fieri meliori modo, quam factus ſit, quia non potuit fieri meliori ſapientia, meliori bonitate, & meliori potentia, quam factus eſt; ſapientia enim bonitas, & potentia, ipſe Deus. Ad quartam autem quæſt. Vtrum mundus ipſe potuerit eſſe melior ex parte ipſarum partium integrantium, quas habet, ita vt partes ipſę eſſent meliores. Reſpondetur cum D. Thom. D. Bonau. Ricar. & alijs affirmatiue, ſcilicet quod Deus partes huius mundi abſolute, & ſimpliciter potuit facere meliores.

Mundus potuit fieri melior, quã ſit fact⁹ quatuor modis.

Potuit enim hic mũdus fieri melior, quam ſit factus quatuor modis. Primo ſecundum quantitatem, hoc eſt, tam ſecundum magnitudinem, quam ſecundum numerum; nam & cœli, & elementa potuerunt fieri maiora, quam ſint, & potuit Deus facere multo plures cœlos, & in his plura grandiora, & pulchriora ſydera. Secundo penes plenitudinem, & vniuerſitatem rerum, etenim infimæ rerum ſpecies longe plures, quam ſunt; creari potuerunt. Tertio ſecundum durationem, potuit enim ita fieri mundus, vt antiquior eſſet, quam hic eſt, & futurus eſſet diuturnior. Quarto ſecundum perfectionem accidẽtalem rerum naturalem, quæ perfectio magis, magiſque poteſt intendi.

Mundus non potuit fieri melior quinque modis.

Ex aduerſo autem mundus non potuit fieri melior, alijs quinque modis.

Primo ſecundum ſubſtantialem rerum perfectionem, quæ nullatenus augeri poteſt.

Secundo penes ordinem, & diſtinctionem partium mundi, & aliorum quæ in eo ſunt, qui ordo vſque adeo bonus eſt, vt melior eſſe non poſſit, atque nullus huic mundo conuenientior, & decentior.

Tertio in Regimine, & gubernatione mundi, quæ optima, & præſtantiſſima eſt.

Quarto ſecundum proportionẽ, & conuenientiam, atque aptitudinem partium mundi inter ſe, & cum ipſo mundo.

Quinto & poſtremo reſpectu eius finis propter quem mundus eſt à Deo factus, eius enim comparatione aliter mundus fieri melior, nec debuit, nec potuit.

Quęſ. 6. Mundus an potuerit fieri melior, quo ad proprietates partium integrantium.

Quæritur Sexto. Vtrum mundus potuerit fieri melior quantum ad proprietates partium integrantium. Pro ſolutione obſ. eſt primo quod proprietates partium integrantium ſunt in duplici differentia.

Quædam enim ſunt proprietates eſſentiales, quę ſunt de eſſentia rei, vel quæ eſſentiam rei neceſſario conſequuntur, vt rationale, & riſibile reſpectu hominis, & iſtę proprietates nõ poſſunt mutari, ſicut nec eſſentia rei, & de his non eſt quæſtio. Aliæ ſunt proprietates rerum accidentales, quæ per accidens conueniunt rei, vt claritas, motus, & quies, & huiuſmodi, & de iſtis eſt quæſtio, an partes integrales vniuerſi, poſſint fieri meliores, quo ad proprietates ſuas accidentales.

Et videtur quod non; quia optimi eſt optima adducere ex Diuo Dionyſio in lib. de diuinis nominibus cap. 4. Sed Deus eſt optimus ergo debuit oĩa optima facere. Et confirmatur ex Platone in Timeo: quia

quia ab optimo omnis inuidia relegata eſt, ergo dedit vnicuique creaturę tantum de bonitate, quantum potuit capere, nec valet reſponſio, ſi dicatur, quòd Platonis ratio non cogit, quia inuidia non eſt reſpectu inferioris, hæc reſponſio inquam non valet: quia D Auguſtinus lib.4. ſuper Gen.ad lit.capitulo 16. ait. Si bona facere non poſſet, nulla eſſet potentia, ſi poſſet,& nollet magna eſſet inuidia, ergo pari ratione ſi poſſet facere meliora,& nollet eſſet inuidus.

His tamen non obſtantibus dicendum eſt, quòd mundus quo ad proprietates accidentales partium integrantium potuit fieri melior. Diſtinguendum eſt tamen, quod partes vniuerſi ſunt duplices, quædam ſunt permanentes, quædam ſunt trāſeuntes: partes permanentes appello, quæ non poſſunt corrumpi, vel deſtrui virtute agentis naturalis, & quæ ſunt immediate productæ à Deo, & quæ ſunt de conſtitutione, & integritate mundi, ſine quibus mundus eſſe non poteſt, cuiuſmodi ſunt naturæ intellectuales, vt angelus, rationalis, vt homo, cœleſtis, vt cœlum,& elementaris, vt quattuor elementa. Iſtæ ſunt partes manentes vniuerſi, quibus cōueniunt prædictæ conditiones. Partes autem tranſeuntes illæ ſunt, quæ poſſunt corrumpi, & deſtrui virtute agentis naturalis,& quæ non ſunt immediate à Deo productæ, nec ſunt de integritate vniuerſi, vt indiuidua corruptibilia, ſcilicet hic equus, hic leo, ſine quibus mundus eſſe poteſt, & non ſunt immediate à Deo productæ, ſed à Deo, & ab agente particulari producuntur. Hoc ſtante ſit.

Partes vniuerſi ſunt duplices.

Prima conclusio partes permanētes vniuerſi, abſolute, vt ſecundum ſe conſideratæ poſſunt fieri meliores, quantū ad ſuas proprietates, & conditiones accidentales, & de facto meliorabuntur,& renouabuntur poſt iudicium, hæc concluſio probatur Iſaiæ.30.

Partes p manētes vniuerſi abſolute poſſunt fieri meliores.

Erit lux lunæ, ſicut lux ſolis, & lux ſolis, ſicut lux ſeptem dierum. Idem etiam habetur Apocalip. 21. Vidi cœlum nouum,& terram nouam, & prima terra abijt, & mare iam non eſt.

Secunda concluſio. Partes iſte permanentes ſi conſiderentur, in ordine ad ſeipſas, & in ordine ad vltimum finem ipſarum, qui eſt Deus non poſſunt fieri meliores, quo ad ſuas proprietates, quas habent hæc concluſio probatur: quia proprietates, quas modo habent, conueniunt illis ratione finis ipſarum, & ratione ordinis, quem inter ſe habent, ſed finis,& ordo iſtarum eſt optimus, ergo & proprietates, quas habent, ſunt optimæ, & per conſequens non poſſunt meliorari: quia finis ipſarum non poteſt eſſe melior.

Secundo probatur authoritate D.Auguſtini 11. ſuper Gen. ad lit. cap.7. dicentis, quòd meliores iudicauit Deus homines creando eſſe liberos, vt ei libere ſeruirent, ex quo ſic argumentor. Deus creauit hominem propter Deum, vt illi ſeruiendo vitam æternam conſequeretur, ſed ad hoc melior eſt, quòd homo eſſet liber, ita vt poſſet peccare,& non peccare, ergo reſpectu finis optimas habet homo proprietates.

Tertio Deus ordinauit, vt omnes homines naſcerentur ex vno homine, ſed ad hoc neceſſarium erat, quòd homo haberet corpus animale, ita vt homines per generationem corporalem producerentur, ergo reſpectu huius finis optimas

mas habet homo proprietates.

Quarto Deus fecit hominẽ propter ſe, & reliquas creaturas corporales propter hominem, ſed ad hoc neceſſarium fuit, vt reliquæ creaturæ corporales, poſſent corrumpi,& generari,& eſſent mutabiles,ergo reſpectu huius finis habent creaturæ proprietates optimas,atque adeo meliores eſſe non poſſunt.

Quæſ. 3. Partes vniuerſi tranſeũtes,vt in pluribus meliora ri poſſunt.

Tertia concluſio.Partes trãſeuntes.& in pluribus quantum ad proprietates,quas habent poſſunt fieri meliores probatur. Quia huiuſmodi partes, non ſunt de ſubſtantia, & integritate vniuerſi,alioquin mundus aliquando eſſet integer, aliquando non; quia iſtæ partes, quotidie corrumpuntur, & generantur ergo abſque præiudicio mundi poſſunt proprietates illarum, fieri meliores, quia per hoc non tolleretur natura, nec ordo vniuerſi. Secundo probatur; quia huiuſmodi partes tranſeuntes non ſunt immediate productæ à Deo ſolo,ſed à Deo,& ab agente particulari, ſed hoc agens particulare, poteſt impediri, & deficere, ergo proprietates harum partiũ poſſunt facile meliorari, & mutari, quod quidem verum eſt tã de proprietatibus in eſſe naturæ, quam in eſſe moris,nam,vt experientia cõſtat, indiuidua ſpeciei humanæ, quotidie meliorantur, & peiorantur, quo ad proprietates naturales,ſcilicet quantum ad ſanitatẽ,& ægritudinem,& etiam quantum ad vitia, & virtutes. Huiuſmodi concluſiones ſunt ab omnibus receptæ.

Ideo ad rationes in oppoſitum reſpõdetur,& ad primã ex D.Dionyſio reſpondet D.Bona.in 1.d.44. art.1.q.2. quòd illa authoritas intelligitur de optimo in ordine, id eſt quod debuerit Deus omnia optimo ordine facere, non quod omnia deberent eſſe optima, ita quod non poſſet facere meliora, quia hoc non eſt neceſſarium, eademmet reſponſio habetur, & explicatur ab Alex.loco citato.mem. 3.art.1. vbi reſpondens eidem auctoritati dicit, quod optimum dicitur tripliciter, vnũ eſt optimum ſimpliciter,vt Deus, aliud eſt optimum ſecundũ genus,& ſecundum ſtatum, vt Chriſtus, qui in genere creaturæ, & in ſtatu conditionis eſt optimus. Aliud eſt optimum in ordinem,& non ſimpliciter, vt vniuerſitas rerum; optimi eſt ergo optima adducere, ſi intelligatur de optimo ſimpliciter verificatur illa ſententia in proceſſione perſonarum. Quia optimus Pater generauit optimum filium. Si autem intelligatur de optimo in genere,& in ſtatu conditionis, verificatur in productione Chriſti,qui eſt optimus inter omnes creaturas. Si vero loquamur de optimo in ordine,verum habet illa ſententia in creatione vniuerſi,in quo Deus ſeruauit optimum ordinem. Optimũ tripliciter dicitur.

Ad ſecundum ex Platone reſpondet S.Bonauen.eodem modo, quòd illa ſententia Platonis, ab optimo ſunt optima, non eſt vera niſi de optimo ſecundum ordinẽ. Secundo dicit quod à Deo optimo omnia ſunt optima, quantum ad bonitatem eſſentialem, quia eſſentiæ rerum non poſſunt fieri meliores. Tertio dicit quod ratio illa Platonis, non eſt neceſſaria, ſed ſolum eſt perſuaſio quædam in ſimili. Nam ſicut ſolet contingere, quod homo, qui poteſt alijs benefacere, non benefaciat ex inuidia.

Ita putabat Plato, quòd ſi Deus non faceret optima, quæ poſſet

Q eſſet

Digitized by Google

eſſet iudicandus inuidus, quod quidẽ non eſt verum: quia quamuis non faciat optima, quæ poteſt facere, non prouenit ex inuidia, ſed ex ſumma eius ſapientia, & gratia, & ita inquit D. Bonauentura intelligendus eſt Diuus Auguſtinus.

Alex. vero de Ales loco citato, reſpondet huic authoritati D. Auguſtini quod Auguſtinus loquitur ibi ſuper Gene. ſecundum opinionem Platonis, qui dicebat, quod ab optimo relegata eſt inuidia, ideo dedit vnicuique creaturæ de bonitate, quantum capere poteſt. Secundo dicit, quod illa authoritas D. Auguſtini quod ſi Deus non feciſſet omnia valde bona, vel non poſſet, vel eſſet inuidus, poteſt intelligi de bonitate, quæ dicitur in creatura denominatiue à ſummo bono, ita vt creatura dicatur bona & valde bona: quia eſt à ſummo bono, & quia ordinatur ad ſummum bonum, non autem dicuntur valde bonæ propter inhærentiam bonitatis: quia ſcilicet inhæreat creaturæ ſumma bonitas, ſed reſpectu cauſæ, & finis dicuntur valde bonæ, denominatione inquam extrinſeca, non intrinſeca, & hac ratione non poteſt mundus fieri melior, ideſt à meliori cauſa, nec ad meliorem finem, qui eſt Deus, & in hoc ſenſu loquitur D. Auguſtinus, quia per inhęrentiam ſcilicet vt res dicantur valde bonę propter bonitatem, quæ eſt in eis, bene poteſt Deus facere res meliores, vt ſcilicet res fiant in meliori modo, ſpecie, & ordine in particulari, quam factę ſint, in quibus tribus conſiſtit tota bonitas creaturæ ſcilicet, vt res fiãt debito modo, ſpecie, & ordine, quod in alijs verbis ſolet dici, in numero pondere, & menſura.

Quaeſ. 7. Quæritur ſeptimo. Cur non ante creatum hominem, ſed ſtatim poſt eius creationem, dictum eſt. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Reſpondet Rupertus lib. 2. de operibus Trini. cap. 11. Quod propria, & vera ratio iſtius eſt: quia iſtud dici non debuit, nec potuit, niſi conſumatis iam omnibus mundi operibus; homo autem cũctorum Dei operum extremus factus eſt; quare nõ debuit illud dici, niſi poſt creatum hominem, vel quia homo eſt quodammodo finis omnium, & in omnia poteſtatem, & imperiũ à Deo accepit. Vel quia quæcumque à Deo ſunt facta inueniuntur in homine dupliciter, vel ſecundum eſſe reale; prout in vno homine omnes gradus aliarum rerum continentur: habet enim homo eſſe commune cum lapidibus, vitam cum plantis, ſenſum, motumque cum animantibus, mentem atque intelligentiam cum angelis, vel ſecũdum eſſe intelligibile; eſt enim anima rationalis, vt tradit Ariſt. 3. de anima, quodammodo omnia, cum habeat in ſe imagines, & ſimilitudines rerum, quas intelligit, & intelligens fit quodammodo ſimilis rebus intellectis.

Adde, quod homo eſt ligamen, & vinculum, & nexus vniuerſi, in eo enim conſociantur inter ſe, atque coniunguntur res incorporeę, cum corporeis, & immortales, cũ mortalibus. Poſtremo propter hominem ſimul, & Deum Dominum Ieſum Chriſtum creaturæ omnes per hominem erant deificandæ, nã propter vnionem hypoſtaticã verbi cum humana natura, deificata Chriſti humanitate, vnà quoq; omnes creaturæ, quæ in ea continentur mirabiliter ſunt deificatæ. Ex his itaq; patet, quomodo creato ho-

to homine ingens quædam multiplicis bonitatis, & excellentiæ acceſſio ad cæteras res oēs ſit facta, atque adeo cur homine condito, & non ante dictum ſit. Vidit Deus cuncta quæ fecerat &c.

Quæſ.8. Quæritur octauo. Vtrum Deus poſſit quacūque ſpecie rerum creata aliā perfectiorē producere. De hac re duplex eſt opinio, vna affirmatiua, altera negatiua. D. Tho. 1. p.q. 25. art. 6. & cū eo omnes Thomiſtæ Caiet. Capreolus, Ferrata, & alij, & D. Bonauen. in 1. d. 44. art. 1. q. 4. in corpore quæſtionis, & ad quartum affirmant, quod quacumque ſpecie data, Deus poſſet aliam efficere meliorem, adeo quod in creaturis numquam poteſt dari ſtatus, vltra quē diuina potentia non poſſit ſe extendere: quia ſicut in numeris, quāuis in actu detur ſtatus, ſemper tamen poteſt dari maior, & maior, ita dicendum eſt de mundo, & de omnibus alijs creaturis, quod quamuis de facto detur ſtatus, Deus tamen de potentia abſoluta, poteſt creare aliū, & alium mundum iſto meliorem, atque ita in infinitum. Tum quia quæcumque creatura producta habet finitam, & limitatam perfectionem, ergo quacumque data poteſt Deus aliam perfectionem creare; quia qualibet creatura producta, cum inter Deum, & illam ſit infinita diſtantia, poterit Deus aliā, & aliam perfectiorem creare. Tū quia quacumq; creatura perfectiſſima creata, adhuc remanet in Deo infinita potentia ad creandum perfectiorem illa, alias eſſet in Deo finita potentia, quod eſt hæreticum. Tum quia quacumq; creatura data, nulla eſt repugnātia nec ex parte Dei, nec ex parte creaturæ, quin Deus poſſit aliam perfectiorem creare, ergo poteſt. Quod non ex parte Dei patet, quia eſt omnipotens; quod non ex parte creaturæ probatur: quia ex hoc non ſequitur, quod detur aliqua creatura infinite perfecta, & licet quælibet creatura determinet ſibi certam perfectionē, tamen non repugnat, quòd detur alia, & alia creatura perfectior illa.

Deus an poſſit quacūq; ſpeciere rū creata perfectiorem producere.

Oppoſitam ſententiā tenet Durandus in 1. diſtinc. 44. q. 3. dicens valde probabile eſſe, Deum produxiſſe iam omnes ſpecies poſſibiles rerum, & idem docet diſt. 43. q. 2. Idem tenet Aureolus mem. 1. d. 43. q. 1. Herueus, quol. 5. quæſt. 2. Et Doct. ſub. in 3. d. 13. quæſt. 1. & idem tenet maxime de gratia Chriſti, qua non poteſt dari alia maior.

Pro ſolutione huius difficultatis cauendus eſt in primis error Vuicleph hæretici qui dicebat, quod diuina potentia iſtis rebus conditis abſoluitur, & limitatur; quem errorem commemorat Thomas Valden. lib. 1. doctrinalis antiquæ fidei à cap. 10. vſque ad decimumnonum.

Quod idem ſenſit Petrus Abailar. vt conſtat ex D. Bernardo epiſtola 190. & Caluinus in Com. ſuper cap. 23. Ezech. & lib. de æterna Dei prædeſtinatione, & libro i. Inſt. cap. 16. ſect. 3. qui idcirco reijcit, quod de potentia Dei abſoluta tradunt Theologi. Argumentū Vuicleph, & Abailar: vt patet ex Valden, vbi ſupra, & ex Hugo Victorino libro primo, de ſacramentis. Chriſt. fidei. part. ſecunda, capitulo vltimo, erat huiuſmodi. Deus id ſolum poteſt facere, quod ab æterno præſciuit, & decreuit ſe aliquando facturum; ſed illa ſolum, quæ aliquando fecit præſciuit, & decreuit ſe aliquando facturum, ergo illa ſolum poteſt facere,

cere, & nihil aliud. Cui tamen ſic breuiter, & faciliter occurritur. Deum quidem ex hypotheſi,quod non præſciuerit, nec decreuerit aliqua ſe facturum,quæ nunquam fecit non poſſe illa facere: quia non poteſt mutari. Mutaretur autem ſi aliquando ſciret, & ſtatueret facere,quod ab æterno non ſciuit, nec ſtatuit ſe facturum.

Cæterum abſolute, & ſimpliciter, illa etiam,quæ non decreuit facere, poteſt facere, quia illa etiam abſolute, & ſimpliciter potuit ab æterno ſcire,& ſtatuere,ſe aliquādo facturum.

Secundo cauendum eſt etiam id,quod docet Soto.3.phyſ.quæſt. 4. vbi docet. Quod illud à Deo fieri non poteſt, quod ſtatim, atque propoſitum fuerit intellectus noſter reſpuit, etiamſi non implicet contradictionem, atque id ſolum à Deo fieri poteſt,quod intellectus noſter poteſt concipere, iuxta illud Angeli Lucæ 1. Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum, ideſt quod mente concipi poteſt.

Hæc enim ſententia falſa eſt, nam vel loquitur Sotus de conceptione intellectus apprehenſiua, vel adhæſiua,ſi de apprehenſiua, & omne id poteſt à Deo fieri, quod ab intellectu noſtro poteſt concipi, ideſt apprehendi,cum etiam ea, quæ contradictionem inuolunt intellectus noſter apprehendat, Deus, quæ contradictionem inuolūt efficere poſſet, quod ipſe etiam, recte cū omnibus phyloſophis, atque Theologis negat. Si vero loquatur de conceptione adhæſiua, ſequeretur, pleraque myſteria fidei, eſſe impoſſibilia, cum ea noſter intellectus, iam nullo modo adhæſiue capere poſſit, ſed reſpuat omnino, niſi cōfirmatus lumine fidei. Nec fauet, Soto dictum illud angeli. Verbū enim vocat,quicquid vel à nobis,vel ab aliquo denique intellectu, ſine implicatione contradictionis intelligi poteſt. Ita quod regula ad iudicādum,quid nam à Deo poſſit fieri ab ipſa re imprimis ſumi debet, vt id omne à Deo fieri poſſe cenſeamus, quod per ſe contradictionem non implicat.His ſic ſtantibus pro ſolutione pono has concluſiones.

Quæſ.1. Prima concluſio Deus non poteſt facere mundos infinitos numero actu eiuſdem rationis cum iſto: quia infinitas in numero, ſiue multitudo actu infinita non eſt poſſibilis, hæc concluſio eſt Diu. Thomæ.1.part.quęſt.7.articulo 3. Doct.ſub. in 2. diſt.1.quæſt.3. Eſt autem hæc concluſio contra Greg. de Arim.in 1.d.44.Ocham in 2.q. 8.& Franciſcum de Macyr. in 1.d. 41.q.10.

Quæſ.2. Secunda concluſio Deus non poteſt facere iſtum mundū maiorem extenſiue in infinitum: quia corpus actu infinitum non poteſt facere Deus, hæc concluſio eſt S. Th.loco citato art.2.& Sco.loco citato;eſt autē contra Greg.Ocham, & Franciſcum vbi ſupra.

Quæſ.3. Tertia cōcluſio Deus non poteſt facere iſtum mundum meliorem in infinitum bonitate accidentali, quia qualitatem intenſiue infinitam non poteſt producere Deus, vt docet Sco. in 3. d.13. eſt autem hæc cōcluſio contra Greg. & Franciſcum vbi ſupra.

Quæſ.4. Deus nō pōt facere infinitos mundos ſpecie diſtīctos.

Quarta concluſio Deus non poteſt facere infinitos mundos, ſpecie diſtinctos: quia ſi multitudo numeralis in actu non poteſt dari, multo minus dabitur multitudo infinita ſpecierum in actu.

Quinta

Quinta concluſio. Quoniam vt docet Scot. memb. tertio, diſtinctione decimatertia, quæſt. 2. ad tertium de facto datur ſumma gratia, ita quod maiorem Deus creare non poteſt & hæc eſt gratia habitualis animæ Chriſti Domini, ſi ēt ſumma natura ſit creata, de qua re Doct. ſub. vbi ſupra, & in Reportatis libro primo, diſtinctione 44. quæſt. ſecunda remanet dubius; licet magis videatur declinare ad illam partem, ſcilicet quod ſumma natura ſit creata, & ſic. Deus non poteſt facere alium mūdum meliorē iſto, eſſentialiter, ſed tenendo quod non ſit creata ſumma natura, tunc Deus poteſt facere alium mundum iſto meliorem eſſentialiter.

Deus nō pōt facere alium mūdum meliorē eſſentialiter.

Ex his ſequitur reſponſio ad quæſtionem, quod in perfectionibus ſpecificis creaturarum non eſt poſſibilis proceſſus in infinitum, ſed eſt data, vel dari poteſt creatura, ita perfecta, qua non poteſt dari perfectior.

Ad fundamenta oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum dicitur, quod ſimilitudo non eſt ad propoſitum: quia proceſſum in infinitum in numeris, non eſt per acceſſum ad vnitatem, cum ſit dare numerum propinquiſſimū vnitati, ſcilicet dualitatem, ſed per receſſum à dualitate. Econtrario proceſſus, qui poneretur in infinitum in ſpeciebus rerum, non eſt per receſſum earum à Deo, cum ſit dare infimam ſpeciem maxime diſtantem à Deo, ſed eſſet per acceſſum ad Deum.

Vel dicendum eſt, quòd eſt ſtatus in ſpeciebus, quæ ſunt de perfectione vniuerſi; ſed numeri, & figuræ non ſunt eiuſmodi, quia in numeris, & in ſpeciebus quantitatis continuæ, & in figuris nulla eſt perfectio, nec etiam in numeris eſt ordo eſſentialis dependentiæ poſterioris ad prius, nam licet numerus maior dependeat à minori, quantum ad vnitates materiales, non tamen quantum ad vnitatem formalem, à qua numerus eſt per ſe vnus; quæ vnitas ſequitur quidditatem ſpecificam, ſicut paſſio ſuum ſubiectum, atque adeo non inconuenit in numeris proceſſus in infinitum. In eſſentialiter autem ſubordinatis, vbi eſt ordo eſſentialis dependentiæ, impoſſibilis eſt proceſſus in infinitum, vt probat Ariſt. 2. Methaf. ac proinde in ſpeciebus vniuerſi, non poteſt dari proceſſus in infinitum.

Vel dicatur, quòd ſpecies numerorum, non vadunt in infinitum, nec etiam ſpecies figurarum: quia numeri non diſtinguuntur ſpecie, nec etiam figuræ; Quod poteſt dupliciter explicari primo ſic: quia numeri, & figuræ non dicunt ſecundum ſe aliquam naturam; ſed modos rerum qui variari poſſunt in infinitum, abſque variatione rerum ſecundum ſpeciem, vt numeri variantur per ſolam plurificationem indiuiduorum ſub ſpecie, & figuræ per variam poſitionem partium. Figura enim non eſt aliud, quam talis, vel talis poſitio partium in toto, nec dicit aliquam rem ſecundum ſe, niſi modum rei, qui eſt ordo partium, qui variari poteſt in infinitum, nulla natura ſpecifica variata, & ideo proceſſus numeri, & figurarum in infinitum non arguit proceſſum naturarum ſpecificarum in infinitum.

Species numerorum, nec ſpecies figurarum non procedūt in infinitū.

Secundo poteſt dici, q̄ omnes numeri ſunt eiuſdē ſpeciei, ſicut linea maior, & minor, hoc videtur

eſſe de mente Ariſt.8. Metho. qui comparat definitiones numeris, tex.cap.10.

Vnde ſicut vnitas in numero addita, vel variata, conſtituit numerum maiorem, vel minorem ſuperiorem, & inferiorem, ita differentia addita, vel variata in definitione; ſed ratio, & definitio ſuperioris, & inferioris non diſtinguūtur ſecundum ſpeciem, vt definitio animalis, & hominis, & omnes numeri habent vnam formam ſpecificam, & hoc videtur proſequi commentator in com.2. tamen reſponſio videtur melior, quæ ſi teneatur oportet reſpondere ad com. allegatum, quod additione vnitatis numerus transfertur ad aliam naturam, hoc eſt verum, quātum ad eſſe materiale in numero, nō quantum ad eſſe formale, & hoc ſufficit commentatori.

Ad ſecundum dicitur, quòd petit principium, cum aſſumit quod omne finitum poteſt excedi à finito: quia hoc, non eſt verum niſi ponatur poſſibilis proceſſus in infinitum: ſi enim eſt ſtatus, tunc eſt dare ſupremum finitum, quod nō poterit excedi, niſi ab infinito, & quia de proceſſu in infinitum, quæritur; ideo illud aſſumere eſt petere, quod erat in principio.

Vel dicendum eſt clarius, quod dicere, quodlibet finitum, ratione qua finitum abſolute poteſt excedi à finito implicat contradictionem: quia ſi excederetur ab alio finito iam non eſſet ſupremum inter finita, ſed ponendo ſtatum in gradibus rerum ponitur ſupremū, atque adeo eſt clara contradictio dicere, quod quodlibet finitū poſſit excedi ab alio finito, & propter hoc eſt petitio principij: quia quęſtio de proceſſu rerum in infinitū, eſt quęſtio, an ſit in eis dare ſupremum, vel non, quare aſſumere, quod non ſit dare ſupremum ſicut recte aſſumitur, cum dicitur, quod quodlibet finitum poteſt excedi ab alio finito eſt aſſumere quod petitur.

Et per hoc patet reſpōſio ad aliud, nam licet in Deo ad ſupremā creaturā creatā, remaneat infinita potentia: non tamen ad ea, quæ contradictionem inuoluūt; producere autem perfectiorem creaturam perfectiſſima ſuprema, implicat contradictionem: quia aliàs illa non fuiſſet ſuprema, & perfectiſſima, atque adeo licet non ſit repugnantia ex parte Dei, eſt tamen repugnantia ex parte creaturæ: quia implicat dari creaturam perfectiorē ſuprema, & perfectiſſima, vt recte conſideranti patet.

Quæritur nono. Vtrum Deus potuerit facere Adamum, meliorem quam fecerit. Alex. de Ales.1. p.q.21.memb.3.art.4. *Quæſ.9.* Deus an potuerit facere Adamū meliorē.

Reſpondet diſtinguendo, quòd hominis ſtatus poteſt conſiderari, quantum ad ſe, & quantum ad ordinem vniuerſi, item poteſt conſiderari quantum ad præſens meritum, & quantum ad futurum præmium. Dicit ergo Alex.1. quòd ſi conſideretur homo, quantum ad eſſe ſimpliciter & abſolute, melius eſt illi, non poſſe peccare, quā poſſe peccare, ſi tamen conſideretur homo in ordine ad vniuerſum, melius eſt quod homo habeat naturā liberam, qua poſſit peccare, & non peccare: quia ad perfectionem vniuerſi hoc ſpectat, & quia bonū vniuerſi, eſt melius bono particulari, ideo melius eſt, quod homo fuerit creatus, cum libertate peccandi, quam ſine illa.

Secundo dicit Alex. quòd ſi homo conſideretur in ſe, & quantum ad præſens ſtatum, melior, & nobilior

Digitized by Google

bilior eſſet natura eius, ſi non poſſet peccare; non tamen eſſet ei melius, quantum ad ſtatum gloriæ futuræ: magis enim meretur, qui poteſt peccare, & non peccat, quam qui non poteſt peccare. Vnde homo habet modo meritum gloriæ per gratiam Dei, & per merita ſua ſi autem nō poſſet peccare, ſolum haberet gloriam per gratiam Dei, & non per merita ſua, atque adeo cedit ad maiorem gloriam, & coronam hominis quod bene operetur, cum tamen poſſet peccare, quàm ſi non poſſet peccare.

Eodem fere modo reſpondet S. Bonau. mem. 1. d. 44. dub. 2. circa lit. Mag. quod aliquid poteſt dici melius dupliciter, vno modo ſimpliciter, alio modo in ordine ad finem. Si loquamur ſimpliciter; melior eſt homo confirmatus in gratia, quam ille, qui poteſt labi. Si loquamur in ordine ad finem, qui ordo conſiſtit in perueniendo ad finē per merita ſua, ſic melius fuit facere hominem in libertate peccandi, ſed tamen primum eſt melius ſimpliciter, hoc autem eſt melius ſecundum quid.

Sed contra hoc videtur eſſe id, quod docet Magiſter in 1. d. 44. dicens. Si Deus feciſſet hominem, qui nec peccare poſſet, nec vellet, quis dubitat eum fuiſſe meliorē? Sed Deus potuit facere talem ergo &c.

Et cōfirmatur ex D. Auguſtino 11. ſuper Gen. ad lit. cap. 7. Vnde Magiſter accepit hanc ſentētiam. Dicendum eſt quod ſententia Magiſtri, & D. Auguſtini intelligēda eſt de meliori ſimpliciter. Cum D. Auguſtinus 12. de Ciuitat. Dei. dicat, quod nobilior eſt creatura, quæ peccare poteſt, quàm, quæ peccare non poteſt, quod intelligendum eſt de meliori ſecundum quid. Duplici enim de cauſa poteſt contingere non poſſe peccare, aut quia caret voluntate, & hoc modo melius eſt poſſe peccare, id eſt habere voluntatem, quam non poſſe, id eſt carere voluntate. Alio modo poteſt contingere non poſſe peccare, quia caret vertibilitate voluntatis, & hoc modo non loquitur D. Auguſtinus; quia ſimpliciter melius eſt non poſſe peccare, licet ſecundum quid ſit melius poſſe peccare, quam non poſſe peccare.

Et ſi dicatur, quòd Eccleſiaſ. 31. laudatur iuſtus, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, &c. Reſpon. D. Bon. quod illa eſt laus, ſeu gloria accidētalis iuſti, & non eſſentialis, quia Chriſtus non potuit peccare, & tamen erat glorioſiſſimus. Vel dicatur, ſecundum Alex. quod reſpectu gloriæ futuræ melius eſt pugnare, & certare, & melius eſt poſſe mereri, quam non poſſe, & poſſe tranſgredi, quam non poſſe; quia omnia iſta redundant in maiorem gloriam hominis.

Quæ. 10. Chriſtus an ſecūdum naturam humanā potuit fieri melior.

Quæritur decimo. Vtrum Chriſtus, ſecūdum humanam naturam potuit fieri melior. Pro ſolutione huius difficultatis, notanda eſt doctrina quædam ſingularis, quam docet S. Thom. in 1. ſent. d. 44. q. 1. art. 3. Vbi dicit, quod ſicut quolibet bono creato, eo quod finitum eſt, poteſt aliquid eſſe melius addas tu, ſi illud non ſit ſupremum, & perfectiſſimum iuxta ea, quæ docuimus ſupra. Ita bono increato, eo quod infinitum eſt nihil poteſt melius eſſe, & ideo bonitas creaturæ, poteſt dupliciter conſiderari, aut bonitas propria ipſius creaturæ in ſe abſolute conſideratæ, & ſic qualibet creatura (ſi non ſit ſuprema) poteſt eſſe aliquid

Digitized by Google

melius intra limites creaturæ. Secundo poteſt conſiderari bonitas creaturæ, per comparationem ad bonum increatum, & ſic dignitas creaturæ recipit quamdam infinitatem, & ex infinito bono increato, cui comparatur. Hoc ſuppoſito.

Alex. de Ales, 1. part. quæſt. 21. mem. 3. art. 5. reſpondens ad hanc difficultatem dicit, quòd humanitas Chriſti, poteſt conſiderari in eſſe naturæ, & in eſſe gratiæ, & in eſſe vnionis. In eſſe naturæ, adhuc dupliciter, ſecundum ſe, & in ordine. Si conſideretur Chriſtus per humanam naturam ſecundum ſe: melior potuit fieri, quia potuit fieri impaſſibilis, & immortalis. Si cõſideretur in ordine ad noſtram redemptionem, propterquã factus eſt homo, non potuit fieri melior: quia melius fuit noſtræ miſeriæ ſanandæ, vt eſſet mortalis, & paſſibilis.

Item ſi loquamur de bonitate gratiæ, dicendũ eſt, quod Chriſtus fuit ita bonus, quòd nullus fuit melior. Sed ſi dicatur optimus, quo nullus potuit eſſe melior diſtinguẽdũ eſt, quod nullus potuit eſſe melior de potentia paſſiua recipiẽtis, potuit tamen eſſe melior de potentia actiua operantis, cuius omnipotentia eſt infinita, quãuis non poſſit intelligi. Scotus vero diceret, quod eſt optimus etiam de potentia actiua operãtis; quia Deus non poteſt meliorem gratiam creare gratia animæ Chriſti, cum illa ſit ſumma gratia, & poſitiue, & negatiue memb. 3. d. 13. q. 2.

Si autem loquamur de eſſe vnionis, ſic non potuit eſſe melior: quia non poteſt maior participatio bonitatis diuinæ inueniri, quam illa, quæ eſt in Chriſto per vnionem.

Sanctus Thom. loco ſupra citato, dicit, quòd humanitas Chriſti, ex hoc, quod eſt vnita Deo habet quamdam dignitatem infinitã ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius ea.

Sanctus Bon. mem. 1. d. 44. dub. 3. circa lit. Magiſtri dicit quod tripliciter poſſumus loqui de Chriſto, aut quantum ad vnionem, aut quantũ ad gratiam ſingularis perſonæ, aut quãtum ad proprietates naturæ; primo modo quantum ad vnionem, nec Deus poteſt plus dare, nec creatura plus recipere, quia vnionis gratia ex parte alterius extremi eſt dignitatis infinitæ, ſcilicet quod homo ſit Deus. Quãuis ex parte humanitatis, quicquid eſt ſit finitum, & ideo non ponitur limitatio ex parte Dei, nec ex parte creaturæ ponitur capacitas infinita niſi per vnionem, videlicet quia vnitur homo bono infinito, ita quod homo eſt Deus, quod eſt bonitatis infinitæ. *Chriſtus tripliciter cõſiderari poteſt.*

Si autem loquamur quantum ad gratiam ſingularis, perſonæ, ſic concedendum eſt, inquit ipſe, quod Deus potuit plus dare, (ſed hoc non concederet Scotus) cæterum rationalis creatura, non potuit amplius recipere: non quia capacitas animæ ad gratiam, per collationem gratiæ minuatur: quia nec minuitur, nec augetur, ſed conſumatur, & completur, & ideo non eſt poſſibilis ad amplius.

Si vero loquamur, quantum ad proprietates naturæ.

Sic Deus potuit de bonitate dare, & creatura recipere, quantum ad ea ſcilicet, quæ ſunt corporis: quia nunc plura habet, quam quando factus eſt: quia modo eſt immortalis, & impaſſibilis;

ſed

Digitized by Google

ſed non potuerunt fini, & ſaluti noſtræ effici congruentiores. Nunquam enim ſalus noſtra potuiſſet per ſubſtantiam incorruptibilem, & immortalem ita reparari, ſicut per mortem, & paſſionem eius reparata eſt, & hoc ſtante decreto diuinæ voluntatis, & hæc eadem fere reſponſio eſt cum illa Alex. de Ales.

Durandus memb. primo, diſtin. 44. quæſt. quarta, articulo tertio. Dicit, quod Deus potuit facere, & fecit aliquid melius humanitate Chriſti, quantum ad gradum naturæ ſcilicet angelum, & quantum ad dona gratiæ gratis datæ, ipſam meliorauit in reſurrectione quantum ad corpus, & quantum ad animam, ſecundum inferiores vires. Sed nec ipſam, nec aliam creaturã potuit vnire meliori ſuppoſito, propter quod gratia vnionis illius humanitatis fuit tanta, quod maior ea eſſe non potuit, ſimilia cum D. Thom. dicit Egidius Roman. memb. 1. d. 44. quæſtio. 3. atque ita patet quomodo melior potuit eſſe Chriſtus, & quomodo non.

Queſ. 11. Potuit fuiſſe, vt pura creatura. Quæritur vndecimo. Vtrum Virgo Maria vti pura creatura melior potuit fuiſſe, & videtur, quod ſic: quia Beata Virgo eſt pura creatura, & habuit gratiam finitam, ergo eam potuit Deus facere perfectiorem, tam quo ad naturam, quam quo ad gratiam. Sed in contrarium eſt ſententia Anſelmi decimiquarti, de conceptu virginali, vbi dicit. Licebat vt illius hominis conceptio de Matre puriſſima fieret, quæ tanta puritate niteret, qua maior ſub Deo nequeat intelligi, ergo videtur, quod Deus non potuerit illam facere meliorem.

Alexan. de Ales loco ſupra citato articulo 6. reſpondens dicit, quòd poſſumus conſiderare bonitatem Beatę Virginis ſecundum ſe atque ita potuit eſſe maior bonitas in ea, & in ordine ad finem, & ſic nõ potuit B. Virgo fieri melior, ſcilicet quantum ad eſſe gratiæ, quod in ea conciperetur Chriſtus, & quod etiam ipſa eſſet Mater Chriſti, & hoc modo intelligi debet, quod dictum eſt, ſcilicet quantum erat ex parte ſua, licet poſſet de potentia agentis Hæc Alex.

Sanctus Thomas, dicit, quod B. Virgo ex hoc quod eſt Mater Dei habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius, ea, ſicut non poteſt eſſe aliquid melius Deo.

Dinus Bonau. loco citato dub. quarta, ſic reſpondet, quod de B. Virgine poſſumus loqui, quantum ad tres conditiones, quas habet, ſcilicet quantum ad gratiam conceptionis, quantum ad gratiam iuſtificationis, & quantum ad naturam corporis, ſi quantum ad cõceptionem prolis; ſic quia fuit Mater Dei, quo nihil nobilius cogitari poteſt, & Mater nobiliſſimi filij; Sic tantam habuit bonitatis dignitatẽ, quod nulla mulier amplius capere potuit. Si enim omnes creaturæ quantumcumque aſcenderent in gradibus nobilitatis, eſſent præſentes, omnes haberent reuerentiam Matri Dei.

Si autem loquamur, quantum ad gratiam iuſtificationis, tantam habuit, quantam pura creatura humana, ſiue rationalis, quæ facta eſt recipere potuit. Si quantum ad corpus, naturalia optima habuit ſecundum quod fini competens fuit, ſimpliciter tamen meliora potuit recipere, & Deus dare, atq; ita

ita patet, quod in nullo creato habet inſtantiam, verbum Magiſtri, quod Deus ea, quæ fecit potuit facere meliora. Patet etiam, quòd in aliquibus, Deus capacitatē gratiæ compleuit, & impleuit, ſed in Chriſto per omnem modum; In matre ſecundum quod capit pura creatura rationalis in ſexu fœmineo, quantum ad ea, quæ ſpectant ad corpus, & in anima humana, quantum ad ea, quæ ſunt gratiæ. Hæc S. Bona.

Durādus loco citato dicit, quod Deus potuit facere, & fecit aliquid melius B. Virgine, & quātum ad gradum naturæ, vt angelum, & quātum ad dona gratiæ, vt humanitatē Chriſti, non potuit tamen facere, quod ipſa, vel alia eſſet mater melioris filij, quoad ſuppoſitum.

Ad rationem in oppoſitum dicendum eſt, quod B. Virgo quantum ad naturā potuit fieri melior, ſed quantum ad gratiam maternitatis, non potuit eſſe melior: quia non poteſt eſſe mater melioris filij. Sed quantum ad gratiam iuſtificantem dicimus illam eſſe finitam, eſt tamen maior gratia cuiuſuis puræ creaturæ de potentia ordinaria: quia de potentia abſoluta non eſt dubium, quin Deus potuerit producere maiorem gratiam, quam fuerit gratia habitualis B. Virginis, & hoc modo intelligendi ſunt, Alex. & S. Bonauent. quando dicunt, quod habuit tantam gratiam, quantam pura creatura poteſt recipere: quia nulla creatura poteſt recipere maiorem gratiam, ea quam recepit mater Chriſti.

Ad ſecundam partem eiuſdem argumenti de puritate B. Virginis reſpondet S. Thomas in 1. diſtin. 44. q. 1. art. 3. ad tertium, quod puritas intenditur per receſsū à contrario, & ideo poteſt aliquod creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali, immunis fuit, fuit tamen ſub Deo, inquantum erat in ea potentia ad peccandum. Sed bonitas intenditur, per acceſſum ad terminum, quod in infinitum diſtat, ſcilicet ſummum bonum. Vnde quolibet finito bono poteſt aliquid melius fieri. Hæc Sanctus Thomas. Nota dictum D. Thomæ pro immaculata Virginis cōceptione.

Egidius Roman. in eadem, d. q. 3. ad tertium reſpondet, quod B. Virgo fuit puriſſima, non quia eſſet actus purus, vel qūia eſſet ipſum eſſe propter quod ei competeret omnis ratio eſſendi, & omnis ratio bonitatis, ſed erat puriſſima quia erat munda ab omni contagione peccati.

Igitur perfecti ſunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum.

Capitulum II.

Senarium numerum conſtat eſſe perfectum: quia primis ſuis partibus impletur, ſexta videlicet quod eſt vnum, & tertia quæ ſunt duo, & dimidia quę ſunt tria. Vnum enim & duo, & tria ſex faciūt, quale in nonadibus numeris, nuſquam præter hic inuenies, ſed neque in decadibus, præter vigeſimum, & octauum numerum. Sex ergo diebus perfecit Deus omne ornamentum cœli, & terræ, vt qui omnia in menſura nume-

numero & pondere conſtituit, ipſo etiam numero, in quo operabatur ſua opera doceret, eſſe perfecta.

De perfectione autem numeri ſenarij ſi plura deſiderat Lector legat Phylonem Iudeum in libro de opificio mundi, & D. Auguſtinum lib. 4. de Gen. ad lit. à. cap. 1. vſque ad tertium.

Libet hic tamen cum Catharino hoc vnũ annotare, ſcilicet ſex dies à Domino nobis ad operandum eſſe præſcriptos, præſertim ipſum ſextum vltimum, ac proximum ſtatutæ quieti. Nam, & hoc natura eſt inſtitutum, vt vnumquodque tanto velocius procedat quanto vicinius ſuo loco appropinquat. Tales nos comparare debemus, vt quanto magis inſtat illa dies æterni ſabbati, quando non licet vlterius operari, tãto accidius per bonorum operum merita comparare nobis æternæ glorię coronam eniteremur. Vnde per hos ſex dies ſignificatur totũ tempus nobis præſtitutum ad operandum, & explendum curſum peregrinationis noſtræ. Etenim Dominus noſter, quodammodo ſe ſe nobis in exemplum exhibuit, qui ſex diebus operatus eſt, vt hominem proferret in mundo, & ſeptima die ab operibus ſuis quieuit. Hic ſextus Domini dies vere fuit natalis hominis, ac totius generis humani, vt ſabbato in paradiſum transferretur, ſed in hoc die ſexto corruit homo primus, & factus eſt mancipium Sathanæ, & in eadem ſexto die, quem Chriſtiani ſextam feriam vocant, Ethnici autẽ diem veneris, reſtitutus eſt ac redẽptus, nam & in hac die conceptus eſt Chriſtus, ideſt 25. Martij, ſicut & 25. eiuſdem menſis crucifixus eſt, vt quidam probabiliter docent.

Hoc igitur eſt, quod à nobis repetit Dominus, vt quemadmodum pro nobis ſex dies operatus eſt, & ſeptima quieuit, ita & nos iam à peccato reſtituti, & in pactum nouum ingreſſi, totam hanc vitam quæ myſtice ſex diebus concluditur operemur Deo, vt inueniamus optimum tandem ſabbatiſmum ſeruatum populo Dei.

Fini itaque diei ſextæ etiam finem formãdi creaturas Dominus addidit, & propter hoc dixit Moſes, & perfecta ſunt cœlum, & terra & omnis ornatus eorum, quibus verbis inquit D. Chryſoſt. homil. 10. in Gen. ſignificantur omnia, quæ in cœlo, & quæ in terra ornatus enim terræ ſunt ea, quæ ab illa proferuntur, vt herbarum germina, fructuum prouentus, arborum fructus, aliaque omnia, quibus Deus illam ornauit. Ornatus autem cœli ſol, luna, ſtellarum varietas, creaturæque omnes intermediæ, & idcirco ſacra ſcriptura cœlum terramque commemorans, omne Dei opificium per hæc elementa complectitur. Vnde pro ampliori intelligentia.

Quæritur primo. Cur non fecit Moſes mentionem de primæ materiæ cœleſtis, & elementalis creatione, ſed ſolum de rerum diſtinctione? Dicendum quod tantum de rerum diſtinctione loquitur, & præſertim de cœlo, & terra: quia ſunt partes principales vniuerſi, per quas ipſa materia condita fuit, & primo dicit de cœlis, quia ſunt prima pars, & principaliſſima vniuerſi, & accipiuntur hic omnes cœli, ſiue Empyreũ, quod pertinet ad primam creationem, quæ ſine die nominatur, & cœlum chriſtallinum, & firmamentum, continens octo orbes. *Quæſ. 1.* Toſt. in 1. c. Gen.

Quæritur ſecundo. Cur dicit perfe- *Quæſ. 2.*

Digitized by Google

perfecti ſunt, & nõ dixit facti ſũt. Reſpondetur: quia perficere importat facere,& deinde complere, atque adeo non conuenit ſimplici, & ſubitæ productioni, vnde ſi Deus mundum ſubito, ita vt eſt, adeſſe per creationem deduxiſſet; non diceretur proprie, quod perfecerit mundum, ſed quod fecerit mundum. Cœlo autem bene conuenit,quod perfectum fuerit:quia ſucceſſiuè, vel per plures operationes, cœli ad totale eſſe perducti ſunt. Primo enim materia cœli cũ materia elementali creata eſt,deinde in 2.die cœlum chriſtallinũ, & firmamentum octo orbium inde formatum eſt, & poſt in 4. die ſtellis magnis,& paruis firmamentum deornatũ eſt, & hoc eſt,quod dicit,& omnis ornatus eorũ, nam aſtra dicuntur orbium ornamenta, quæ in quarto die producta ſunt, & in hæbreo legitur, omnes militiæ vel turbæ eorum,& ſignificantur eadem aſtra, quæ dicuntur diſcurrere per cœlum, tamquam milites,& exercitus.

Quæſ.3. Quæritur tertio. De qua perfectione loquatur Moſes cum dicit igitur perfecti ſunt, an de prima,vel de ſecunda: pro ſolutione obſeruandum eſt cum Alexan. de Ales, par.2.quæſt.55. mem.6. §.4. & q.56.memb. 1.& D.Thoma.1.p. quæſt.73. artic.3. quòd duplex eſt rei perfectio, vna formalis, quatenus res habet ea,quæ ad ſui perfectionem concurrunt, altera eſt perfectio rei finalis, vt quãdo res, eſt ſuum finem conſecuta,qui quidem finis interdum eſt ipſius rei operatio, vt finis intellectus eſt cõtemplatio,quandoq; vero aliquid, quod per operationem efficitur,vt finis edificationis eſt domus.

Prima perfectio ſpectat ad ſextam diem.

Secundam vero, mundus in fine ſeculi ſortietur, quando intellectualis natura fuerit perfectam fœlicitatem adepta; nam cæteræ creaturæ ad creaturam intellectualem ordinantur. Perfectio ergo iſta, de qua hic loquitur Moſes, deſignat conditionem cœlorum, & terræ quantum ad materiam, & quantum ad formam,ideſt,quoad primam perfectionem, quantum ad materiam cum dictum eſt. In principio creauit Deus cœlum, & terram, & quantum ad formam, cum dictum eſt. Fiat lux &c.

Quæſ.4. Quæritur quarto. Cur dicit pluraliter cœlos,ſingulariter vero terram; Reſpondet Alex. vbi ſupra, quod cœlos dixit pluraliter, & terram ſingulariter: quia terra eſt ad modũ centri,cœli vero admodum ſpherarum, quæ voluuntur circa centrum, centrum vero eſt vnum plures vero ſunt orbes circa illud centrum, maiores, & minores, ita eſt de cœlis vt circa terram ſit cœlorum diuerſitas, vt vnum ab alio contineatur.

De Dei quiete, & Sabbati Sanctificatione.

Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat.

SEptuaginta interpretes habent hoc loco,& perfecit Deus die ſexto opus ſuum,quod fecerat, at hebraice eſt die ſeptimo, & idem habet caldaica paraphraſis,& vulgata tranſlatio latina. Cæterum hæc diſcrepantia inquit Toſtatus eſt verborum magis, quam ſententiarum, vtrumque enim verũ eſt: Nam completionis terminũ accipiendo fuiſſe poteſt dupliciter dici,aut

ci,aut

ci, aut pro tempore in quo fit, & vltra inſtans, quo clauditur illud tempus res non fiet; aut pro tempore in cuius principio res fit, ſed paulo ante fiebat, accipiendo primo modo terminum dies ſextus fuit terminus completionis: quia die ſexto Deus condidit aliquam ſpeciem creaturæ, poſtquam nullam ſpeciem condidit, atque adeo dies ſextus fuit terminus in quo Deus agere deſinit.

Si autẽ accipiatur ſecundo modo, dies ſeptimus eſt terminus cõpletionis: quia in die ſeptimo Deus non creauit nouam ſpeciem creaturarum, & in die immediato ante illum creauit aliquam ſpeciem nouam. Igitur die ſeptimo compleuit, vel creare deſijt, & clarius dicitur, quòd mundus abſolutus eſt die ſexto, videlicet incluſiue, die autem ſeptimo excluſiue. Sexto namque die vltimum opus mundi factum eſt, quo perfecto mundus eſt cõſumatus, die autem ſeptimo vacauit Deus à fabricatione mundi.

Comple tio alicu ius rei eſt duplex.

Vel dicendum eſt cum Lyrano, & Toſt. quod duplex eſt completio alicuius rei, prima eſt quando aſſequitur formam debitam ſubſtantialem, & qualitates ipſam formam naturaliter conſequentes, ſicut ignis quando per generationem aſſequitur formam ignis, & qualitatum concomitantium, & ſecundum iſtum modum res dicitur perfecta in ſe ipſa. Alia eſt perfectio, ſeu completio vltimata, quando exit in operationem ſibi debitam, ſicut quando ignis calefacit, vel generat ignem.

Prima perfectio appellatur actus primus.

Secunda vero actus ſecũdus, & prima perfectio ordinatur ad ſecundam: quia actus primus eſt ad ſecũdum; Deus autem in operibus ſuis duo agit principaliter, ſcilicet rem ipſam producit, & conſeruat; Per productionem dat rei formã ſubſtantialem, vel actualem, quæ pertinet ad primam cõpletionem, ſeu perfectionem. Per conſeruationem autem dat rei ſecundam perfectionem, quæ eſt agere, vel generare, cum res applicantur ad ſuas operationes, dum in ſuo eſſe conſeruantur. Dicitur ergo compleuiſſe Deus opera ſua. Sexto die completione prima, quæ eſt aſſecutio formæ ſubſtantialis, vel actualis: quia in ſex diebus creauit, vel produxit omnes nouas naturas, tam in ſubſtantiali, quam in accidentali perfectione. Septimo die compleuiſſe dicitur: quia in illo die dedit illis perfectionem ſecundam, quæ eſt agere; quia à ſeptimo die dicitur incepiſſe tempus adminiſtrationis, & gubernationis rerum. Sicut ſex dies pręcedentes dicuntur tempus productionis, ita dies ſeptimus, & deinceps dicitur tempus gubernationis, per quam res applicantur ad ſuas operationes.

Quæſ. 1. Opuscõſeruationis qũo incepit à die ſeptimo.

Quæritur primo. Cum res non habeant continuitatem in eſſendo à ſe ipſis, ſed à creatore, & res conditæ, ſint ante ſeptimum diem, quomodo dicitur, quòd opus conſeruationis incepit à ſeptimo die? Reſpondet Toſtatus, quòd hoc non eſt intelligendum ſimpliciter, ſcilicet quod ſimpliciter opus cõſeruationis, & gubernationis inceperit à ſeptimo die: quia conſeruatio, & gubernatio Dei, non incepit à ſeptimo, ſed à primo die: nam ſtatim, quod aliqua res creata fuit, immediate oportuit eam conſeruari à Deo: aliàs ſtatim in nihilum redijſſet. Quando ergo dicitur, quod

quod in ſeptima die incepit opus conſeruationis, non eſt intelligendum præciſe: ſed quod ante in ſex diebus concurrebant, iſta duo opera ſimul, ſcilicet productio, & conſeruatio. In ſeptimo autem die incepit gubernatio, ſeu conſeruatio ſola eſſe.

Quæſ.2. Quæritur ſecundo. Cum completio, ſeu perfectio in ſex diebus intelligatur facta, cum præmiſſum ſit perfecti ſunt cœli, & terra, &c. Cur dicitur, quod ſeptimo die cõpleuit. Reſpondet Alex. de Ales. p.2.q.26.mem.1. quod duplex eſt completio, vna ſecundum materiam, & formam, & hæc fuit in ſex diebus; Altera eſt completio in fine; ſecundum quod omnia opera accipiunt quietem in eo, qui eſt finis omnium, prout dicitur Prouerb.16. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Vel perfectio in ſex diebus, fuit quantum ad genera, & ſpecies rerum; hæc autem completio quantum ad gubernationem, & multiplicationem.

De⁹ q̃uo 7. die cõpleuit opus ſuũ.

Quæſ.3. Quæritur tertio. Quomodo dicitur, quod Deus requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, ſi eadem die compleuit opus ſuum quod fecit, nam quicumque complet opus ſuum aliquid facit. Pro explicatione huius difficultatis obſeruandum eſt, quod Iudæi in quodam libello eorum qui dicitur Perequin, vel Perechin, dicunt, vt refert Toſtatus. in 22. capitulo lib. numerorum, q.4. quod Deus in veſpere ſabbati conſumauit opus ſuum creando tunc res decem. Nã dies ſecundum hebræos incipit à veſpere præcedente diem. Creatio autem incepit die dominica, quę fuit prima dies ſeculi, & durauit per ſex dies incluſiue, harum vltima eſt ſexta feria, quę dicitur dies veneris, in qua creatus eſt homo, & conſumata eſt creatio. Dicunt ergo hæbrei, quod in ſexta feria ad ſolis occaſum incipiente iam ſabbato creauit Deus decem res, & primum horũ fuit, os terræ, quod deuorauit Datham, & Abiron.

De⁹ q̃uo requieuit die ſeptimo.

Secundum fuit os putei: qui ſemper patebat Iudeis viuẽte Maria ſorore Moſis, & pręcedebat eos in deſerto.

Tertium fuit os Aſinæ Balaam ad loquendum.

Quartum fuit iris apparens in cœlo, de quo Gen.3.

Quintum fuit Aries, quem immolauit Abraham pro Iſaac.

Sextum fuit Virga Moſis, qua diuiſit mare rubrum.

Septimum fuit manna de quo Exod.16.

Octauum fuerunt tabulæ legis primæ, non ſcriptæ, ſed planatę ad ſcribendum.

Nonum ſunt ipſæ Dæmones apparentes hominibus; aliqui etiam dicũt, quod fuerunt creata decem præcepta ſcripta in igne nigro, & albo.

Decimum ſunt ipſe forcipes, ſiue tenaculæ, vt ait Rabbi Iehuda; dicit enim primas forcipes de cęlo deſcendiſſe, nec potuiſſe aliter fieri, & ſecundum iſtam inſaniam ſoluta eſt vulgaris quæſtio, ſcilicet quid fuerit prius martellus, an tenaculæ.

Sed valde errant iſti miſeri, nullum lumen intellectus habentes, & apparet in eis aliquid mirandũ, ſcilicet quod ex eo tempore, ex quo generatio iſta peruerſa, atque incredula Chriſtum ſuum, qui eſt lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum recipere noluit, quẽ nos gratis ſuſcepimus, non ſolum praua eorũ voluntas, & intellectus operatiuus

ratiuus in malo obcecati ſunt, ſed etiam intellectus ſpeculatiuus in eis ligatus eſt, vt in expoſitionibus ſacrarum ſcripturarum ſupramodum errent, ſed nugas eorum miſſas faciamus.

Ad difficultaté ergo dicendum eſt, cum D. Thom. vbi ſupra ad ſecundum quod ſeptima die Deus aliquid operatus eſt, non nouam creaturam condendo, ſed creaturã adminiſtrando, & ad propriam operationem eam mouendo, quod aliqualiter pertinet ad inchoationem quamdam ſecundæ perfectionis, vt diximus ſupra.

Vel dici poteſt cum Iunilio, & Beda admittendo, quod Deus aliquid fecerit die ſeptimo, nempe ipſum diem ſeptimum, atque in eius factura opus ſuum compleuit, vel poteſt rectè intelligi compleuiſſe die ſeptimo opus ſuum, quod fecereat, & quod in eo dié ipſum benedixit, & ſanctificauit, neque enim nullum opus eſt benedictio, & ſanctificatio, neque Salomõ nihil operis feciſſe dicendus eſt, cũ templum quod fecerat dedicauit, immo eximium opus Dei eſt, cum ea, quæ fecit benedictione, & ſanctificatione æterna glorificat. Et ad id quod dicitur, quòd Deus requieuit.

Reſpondet Alex. vbi ſupra §. 2. quod verum eſt, quo ad ea, quæ ſpectant ad creationem rerum factam in ſex diebus, & non de ipſis diebus.

Quæſ. 4. habuit veſpere, Dies ſeptim⁹ an & mane. Quæritur quarto. Quare iſto die non dicitur ſicut in præcedentibus factum eſt veſpere, & mane &c. Numquid iſta dies non habuit mane, & veſpere. Reſpondet Alex. de Ales. par. 2. q. 56. memb. 1. §. 1. Quod D. Auguſtinus lib. 4. de Gene. ad lit. cap. 18. Ita videtur partiri dies iſtos, vt prima dies habuerit veſperam, & non mane; medij mane, & veſperam, vltimus vero mane, & non veſperam. Nam ſecundum quod dies deſignat cognitionem angelicæ creaturæ: angelica autem creatura non poterat cognoſcere ſe antequam eſſet: non poterat ſcilicet cognoſcere ſe faciendam, in verbo, quod ad mane pertinet, ſed ſe factam in proprio genere, & ita veſpere habuit, & computatur cum illo mane ſequentis diei, quia cognouit in verbo firmamentum faciendum, atq; ita deinceps. Cum autem deuentum eſt ad ſeptimum diem, veſpere eius fuit cognitio creaturarum ſenſibilium, & ipſius hominis in proprio genere: mane vero pertinebat ad cognitionem gubernationis, & continuationis rerum in eſſe, per multiplicationem, & quia illud quantum eſt de ſe, non habet finem, niſi cũ adeſt voluntas conditoris, ideo non habet veſpere, ſed mane.

Poſſet etiam dici, quod ſicut ſex diebus conſumatus eſt mundus, ita ſex diebus omnis vita noſtra, quæ ſex ętatibus terminatur videtur finiri: Nam cum intelligimus dominum Deum fuiſſe operatum, vt poſtmodũ quieſceret, iũ & nos quoque admonemur, & inuitamur eſſe nobis pariter laborandum, & operandum, ſi velimus ad vnum diem, qui ſempiternus eſt, inuariabilis, & incommutabilis peruenire, in quo erit requies perpetua ab omni opere, & labore, quandoquidem ſolum erit tunc receptio mercedis, & præmij, & ob iſtam cauſam ſolus hic dies ſeptimus nõ deſcribitur per mane, & veſpere, ſicut omnes reliqui dies quoniam perfectam habet claritatem.

Quæritur quinto. Quid dicendum eſt ſi non ad diẽ ſpiritualem, aut *Quæſ. 5.*

aut

aut tropologicum ſenſum hæc referamus.

Quid inquam dicendum eſt de die ſeptimo, qui ſub alia forma deſignatur, quam alij. Cum enim dies dicatur ad modum aliorum, dies autem ſit ſecundum reuolutionem alicuius lucis ſuper terrã, neceſſe eſt, quod habeat mane, & veſperam, quare ergo non dicitur de ſeptimo die factum eſt veſpere, & mane, ſicut in præcedentibus. Reſpondet Alex. vbi ſupra, quod licet iſte dies, ſicut, & præcedentes habeat mane, & veſpere, tamen in iſto die non ſit expreſſio, ſicut in præcedentibus, ne credatur requies Dei in ſe ipſo habere principium, & finem, ſicut creaturæ de quibus actum eſt; in alijs diebus habuerunt principium, & finem, & ideo dies dicitur ſine aliqua diſtinctione, vt notetur plena illuminatio, in qua nihil oritur, nihil occidit.

Et requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat.

Qvod autem dicitur Deum requieuiſſe die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrauerat non eſt accipiendum (inquit D. Chryſoſt. homil. 10. in Gen.) vt intelligamus, Deum more noſtro ex fabricatione mundi quaſi laſſum, & defatigatum cepiſſe requiem à labore, ſed ſcriptura humano more, & quadam attemperatione ad noſtram imbecillitatem loquitur, alioquin niſi hac ratione vſa fuiſſet, non poſſibile erat, vt aliquod dictorum ſuorum, intelligeremus, nam dicimur nos ab opere quieſcere, cum ceſſamus operari. Ita requieuit Deus, ideſt ſubſtitit, & ceſſauit, à formandis, producendiſq; ex nihilo rebus, vt eſſent: omnia quæcumque oportebat produxerat, & eum, qui his fruiturus erat formauerat, nam poſtquam ſubſtitit opifex, & omnia quæcumque voluit ſecundum miſericordiam ſuam, ſuo præcepto produxit in medium, tunc finem formandi fecit die ſexto, nihil enim aliud die ſeptimo producere voluit, eoque omnia, quæ facere voluerat iam perfecta erant.

Deus quõ requieuit die ſeptimo.

Vel dicendum eſt cum Ariſtobolo ex libro 13. de præparat. Euangelica Euſebij, cap. 6. Deum, quieuiſſe die ſeptimo eo quod conditis à ſe rebus quietem dedit, hoc eſt, ſtabilitatem, permanẽtiã, perpetuitatem, ordinemq́ue ratum, fixum, & immutabilem, vel quod quæcumque facere decreuerat, prorſus ita, vt deſtinauerat perfecta fuerint, ſicut dixit Dauid. Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo, & in terra.

Vel dici poteſt cum D. Auguſtino lib. 4. ſuper Gen. ad lit. cap. 15. & 11. de Ciuita. Dei, cap. 31. Quod Deus requieuit, hoc eſt adimpleuit ſuam voluntatẽ, & deſiderium nam quies in prima ſui acceptione, vt notat. D. Thom. 1. par. q. 73. art. 2. opponitur motui, ſed quia, vt, inquit Philoſophus 12. Metap. tex. 51. Motus eſt cauſa laboris, idcirco conſequenter, quies opponitur labori, ſed quoniam res per proprium motum, & operationem acquirit ſuum finem, in quo quieſcit, ideo etiam finis accipitur pro conſecutione vltimi finis, in quo res quieſcit, & eius deſideriũ completur. Hæc autem adimpletio intelligitur in effectu operis creati: non autem ita, quod diuina voluntas non fuerit ab eterno ſatiata, quantum ad omne deſideriũ ſuum

circa

Digitized by Google

circa proprium obiectum. Adimpletio itaque rerum ipſarum, & completio ſuarum perfectionum, quæ per diuinam operationẽ facta eſt. die ſexto, dicitur adimpletio diuinæ voluntatis,& deſiderij, atque ita incipiente die ſeptimo, dicitur Deus requieuiſſe; quãdo ceſſauit ab operatione completiua perfectionum totius vniuerſi, quã tum ad totalitatem naturæ. Hæc explicatio colligitur ex D. Auguſtino locis citatis. Nam numerus ſeptenarius vniuerſitatem dicit, ſed deſiderium cuiuslibet voluntatis, non ſatiatur niſi in bono, quod cõtinet omne bonum: atq; adeo cum hæc vniuerſitas ſignificetur per diem ſeptimum, rationabiliter dicitur, quod Deus requieuit die ſeptimo.

Poteſt etiã dici, quod Deus requieuit, &c. quia facit nos requieſcere. Inde obſeruãdum eſt, quod in ſcriptura ſacra ſępe aliqua actio vel proprietas attribuitur Deo, quatenus illam efficit in nobis. Ita docent D. Auguſt. lib. 2. de bono perſeuerantiæ. ca. 23. q. 63. in Gen. Tract. 43. in Ioan. ſerm. 1. ſuper Pſal. 33. & lib. 5. ſuper Gen. ad lit. c. 19. & alibi ſæpe. & D. Greg. lib. 9. Moral. c. 29. & lib. 14. cap. 7. exempla videantur in D. Auguſt. lib. 4. de Gen. ad lit. c. 9. Dicitur itaque Deus requieuiſſe: quia creaturę rationali, in qua, & hominem creauit requiem tribuit, ſic enim recte dicitur Deus facere, quicquid ipſo in nobis operante fecerimus, ita recte Deus dicitur requieſcere, cum eius munere requieſcimus. Et hoc quidem recte intelligimus; quia & verũ eſt, & non magna intentione indiget, vt videamur ita dicere requieſcere Deũ, cum nos requieſcere facit, ſicut dicitur cognoſcere, cum efficit, vt cognoſcamus: neque enim Deus tẽporaliter cognoſcit, quod antea non nouerat, & tamen dicit ad Abraham. Nunc cognoui: quoniam times Deum, vbi quid aliud accipimus, niſi nunc feci, vt cognoſceretur? Neque impugnatio D. Thomæ 1. p. q. 73. art. 2. conuincit oppoſitum: quoniam etiam in operibus creationis, quæ nobis poſſunt competere ea, quæ Deus dicitur facere explicantur, ita vt ſit ſenſus, vt faciat nos illa operari, ita etiam explicat D. Auguſtinus illa verba cõpleuit Deus, ideſt fecit nos complere hoc eſt, operando conſumare. Circa hanc litteram.

Quæritur primo, ſi Deus die ſeptimo requieuit ab vniuerſo opere quod patrauerat, quomodo ergo intelligitur id, quod Saluator dicit Ioan. 5. Pater meus vſque modo operatur, & ego operor; Iuxta ſententiam D. Chriſoſt. hom. 10. in Gen. & D. Aug. lib. 4. de Gen. ad lit. c. 12. Iunilij, & Bedæ in 1. cap. Gen. Intelligi poteſt Deum requieuiſſe à condendis generibus creaturæ: quia iam vltra non condidit aliqua genera noua deinceps autem, vſque nunc, & vltra operatur eorundem generum adminiſtrationem, quæ tunc inſtituta ſunt: non enim die ſeptimo, potentia eius à cœli, & terræ, omniũque rerum, quas condidit gubernatione ceſſauit, alioquin cõtinuo dilaberentur; Creatoris namque potentia, & omnipotentis omnitenentis virtus, cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata ſunt regendis, ſi aliquando ceſſaret, ſimul, & illorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret. Neq; enim ſicut ſtructura ædium, cũ fabricauerit quis, & abſceſſerit, atque illo ceſſante, Queſt. 1.

atque abſcedente ſtat opus eius, ita mundus, vel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei Deus regimen ſui ſubtraxerit. Proinde, & quod dominus ait. Pater meus, vſque nunc operatur, continuationem quandam operis eius, qua vniuerſam creaturam continet atque adminiſtrat oſtendi.

Duplex eſt vniuerſi perfectio.

Vel poteſt dici cum Alex. de Ales p.2.q.56.m.1.§.3.& D.Bona. in 2.d.15. art. 2. q.3. & in dubijs circa lit.Mag.dub.4. quod duplex eſt vniuerſi perfectio, vna præcipua ſecundum eſſe permanens: quæ attenditur in completa exiſtentia principiorum, & completo numero ſpecierum; quæ quidem ſpecies naturam generis participant, ſecundum rectam, & ordinatam intentionem naturæ. Altera eſt ſecundum ipſius eſſe decurrens, quæ conſiſtit in rerum productione, quæ per tempora decurrunt, & ſibi ipſis conſequenter ſuccedunt, ex cuius ſucceſſionis ordinatione, reſultat quædam vnitatis pulchritudo, & perſectio. Quoniam igitur ſecundum primã perfectionem, Deus vniuerſum in ſex diebus ad eſſe produxit, ſcilicet quantum ad completã exiſtẽtiam principiorum, & quãtum ad completum numerum ſpecierum, ideo dicitur requieuiſſe ab omni opere quod patrauerat. Quia vero continue operatur ad rerum ſucceſſionem per propagationem, & indiuiduorum multiplicationem, ideo dicitur operari vſque modo.

Vel poteſt dici cum D. Tho. 1. p.q.73.art.1.ad tertium, & D.Bonau. vbi ſupra, ac etiam Ricar. in 2.d.15.art.5.q.1. quod Deus poſt conditionem rerum in ſex diebus requieuit: quia poſt illos primos ſex dies nihil fecit omnino nouũ; quod in operibus illorum ſex dierum non contineretur, ſcilicet aut materialiter, vt Eua in coſta Adæ (ſiquidem putant quidam Euam die ſeptimo eſſe creatam, vt videbimus infra) aut cauſaliter, & effectiue ſicut omnia induidua cuiuſque ſpeciei in primis illis indiuiduis, ſecundum quamlibet ſpeciem in exordio mũdi productis; aut potentialiter, velut animalia, quæ generantur ex commixtione diuerſarum ſpecierum in illis ſpeciebus vnde generantur, aut virtualiter, vt ea, quæ fiunt ex putri materia: continebantur enim in virtutibus ſtellarum, & elementorum aliorum corporum, quibus eas virtutes Deus indidit cũ mundum fabricauit; velut ſunt bibiones, qui exhalationibus vini generantur, & papiliones ex aqua, & vermes, qui ex corruptionibus humorum generantur, & apes, quæ ex cadaueribus iumentorum naſcũtur, & ſcarabones. ideſt muſcæ grandes, quæ ſonant volando, & ſcarabei, ideſt muſcæ virides, quæ ex equis, vel canibus mortuis naſcuntur. Quemadmodum, & Scorpius de carnibus Cancri mortui, & de medulla ſpinæ humanæ ſerpens, & teredines ex putredine lignorum, quando ligna non abſcinduntur tempore debito, & vocantur vernacula lingua (Tarli,) & tineæ ex herbarum corruptione, & gurguliones, ex fabis, & corruptione fructuum: quæ omnia nõ ſunt à Deo immediate creata; ſed poſtea naturaliter ex corruptione formata ſunt, Deus tamen ſeminarias cauſas horum indidit rebus, aut ſecundum ſimilitudinem ſpeciei, quemadmodum omnes animę rationales deinceps creatæ, & creandæ, quodammodo erant in prima anima Adæ; omnes namque ſunt eiuſdem ſpeciei; gloria item beato-

rum.

Digitized by Google

rum hominum in gloria ſanctorum angelorum præfulſit; & gloria humanorum corporum futura poſt reſurrectionem, quodammodo præfulſit in claritate, & gloria cœli empyrei.

Sed contra Deus de nouo multa facit, ſcilicet glorificat homines, & humanam naturam ſibi vniuit, & ſacramenta inſtituit, & etiam multa noua eſt facturus, velut eſt opus iuſtitiæ punitiuæ, quale apparebit in die Iudicij, & ipſummet vniuerſale Iudicium eſt quoddam opus Dei maximum, quod tamen non præceſſit in operibus ſex dierum.

Dicendum, quod conſumatio operum, de qua hic agitur, eſt ſecundum perfectionem naturæ. Inde nihil prohibet ad perfectionem gratiæ, & gloriç, alia de nouo poſtmodum Deum feciſſe, vel facturum eſſe, verumtamen huiuſmodi perfectiones ſupernaturales vniuerſi præceſſerunt aliquo modo in operibus ſex dierum, vel ſecundum potentiam obediẽtialem creaturæ, vel ſecundum aliquam ſimilitudinem, & participationem donorum, quæ fuerunt in angelis, & in protoparente Adam. Quomodo autem miraculoſa opera, præceſſerint aliquomodo in natura prius cond.ta, explicant aliqua exempla, quæ adducit D. Auguſt. lib. 1. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ à c. 16. vſque ad 24. & lib. 2. c. 31. vbi multis argumentis probat, miracula, quæ olim Deus faciebat eſſe cõſona naturæ rerum, in quibus Deus illa patrabat.

Vel poſtremo dici poteſt: quod non dixit Moſes Deum ſeptimo die requieuiſſe ab omni opere ſimpliciter, ſed cum hac additione ab omni opere, quod patrarat, videlicet ſex primis diebus, & quidem conſulto, ne quiſquam ſuſpicaretur, ita ceſſaſſe Deum ab operãdo, vt nihil amplius in poſterum operaretur, ſed ceſſauit à fabrica, & molitione mũdi, quam ſex diebus abſoluit, vt nihil, quod ad integritatem, & ornatum mundi pertineret vltra ſex illos dies factum ſit: Hoc autem propterea Moſes addidit, vt manifeſtum eſſet cuiuis fabricam mundi ſex illis diebus fuiſſe omnino completam, alioqui Deus non ammouiſſet manum ab opere quoad ei quaſi faſtigium impoſuiſſet: non enim decebat tantum opus, inchoatum, & imperfectum dimittere.

Quæſt. 2. Deus cur dr̃ quieuiſſe ab operib. & non in operibus ſuis.

Quæritur ſecundo. Cur dictum eſt quieuiſſe Deum die ſeptimo ab operibus ſuis, & non in operibus ſuis. Vt intelligamus (inquit D. Auguſtinus lib. 4. in Gen. ad lit. c. 15. & Beda in Hexam.) Deum non eſſe adductum ad res creandas vlla neceſſitate, vel indigentia, ſed ſua duntaxat bonitate, & munificentia, ſcilicet, vt bona ſua, cũ alijs etiam communicaret. Non igitur requieuit in opere ſuo, ex illo vtilitatem vllam, aut voluptatem capiens; ſed requieuit ab opere, hoc eſt perfecto opere requieuit, nempe in ſe ipſo, ſicut ante creationem mundi, in ſe ipſo requieſcebat ſe ſolo fruens; & ſe ſolo contentus, ac beatus; Requieuit ergo ab opere ſuo, ideſt requieuit in ſe ipſo, non indigens ſuo opere, cum ſit in ſe perfectè beatus, & perfectè delectabilis, vt ait Ariſt. 12. Met. 1. c. 39. & ideo dicitur requieuit ab opere, & non in opere ſuo, ideſt licet iſta opera magna, & mirabilia Deus creaſſet, tamen non habuit gaudiũ ſuum in eis, ſed ab eis, ideſt præter ea, vel ſine eis, in ſeipſo requieſcit: non enim eſt magis beatus, vel perfectus Deus poſtquam mun-

Digitized by Google

dum creauit, quam ante quam creaſſet.

ALij tradunt, vt Iunilius, & Beda, quietem hanc Dei in die ſeptimo poſt effectionem mundi, fuiſſe figurā quietis Chriſti in ſepulcro, die ſabbati, poſtquam die ſexto opus noſtræ redẽptionis per paſſionem, & mortem ſuam conſumaſſet, ita etiam docet D. Auguſt. lib.4.ſuper Gen.ad lit.c.12.

Sed nolo prætermittere huius loci mirabilem Ruperti Abbatis explicationem. Is enim lib. 2. de operibus Trinit.c.13.vſque ad 17. inquit, quod dies ſeptimus eſt ſplẽdor paternæ gloriæ, lux lucis, & fons luminis, dies dierum illuminans, Sol ipſe verus, & indeficiens, Vnigenitus Dei filius, Dies non factus, ſed omnem diem efficiens, qui à cæteris diebus differt, quod veſpere, & mane non habet. Non enim dixit ſcriptura, quod factum eſt veſpere, & mane dies ſeptimus, ſicut dixerat factum eſt veſpere, & mane dies ſextus: neque dixit factus eſt dies ſeptimus, quia dies iſte natus, non factus eſt, genitus non creatus eſt. Hoc die ſeptimo compleuit Deus opus ſuũ, quod fecerat, ſed non omne opus ſuum, quod fecerat: etenim non omne opus Dei, quod fecerat ipſe, hoc fœlici, & glorioſo die completur, ſed ſolum rationalis creaturæ opus, gloria eius impletur; non enim firmamentum, vel cœlum, non mare vel arida, non terræ germina, non ſol, & luna, non reptilia maris, ſiue volatilia cœli, non iumenta, aut beſtiæ; non denique irrationales creaturæ, ſed ſola rationalis natura, id eſt angelica lux, & homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus, ſanctā huius diei claritatem intuetur.

Requieuit autem ab omni opere ſuo, quod patrarat: ab omni (inquam) opere ſuo requieuit: quia nullam deinceps nouam creaturæ fecit ſpeciem. quoddam autem opus id eſt angelicam creaturam iam tunc, in hoc ſeptimo die compleuit in quo, & ipſe requieuit. Quandoque completurus eodem die, eadẽ fœlicitate ſapientiæ prælectam, & ex illis duobus maſculo, & fœmina naſcituram multitudinẽ humani generis. Quæ eſt enim completio creaturæ rationalis, niſi videre æternaliter, ſiue immortaliter claritatem huius diei? Verum in illo die tam bono, tam fœlici, aliter nos, aliter Deus requieſcit. Nos enim verè laſſi, verè peregrini, & captiui, ſoluta captiuitate præſenti reſpirabimus illic, ſicut conſolati, & hic, poſt labores, & onera reficiemur, inuenientes requiem animabus noſtris. At vero Deus in illo die, ſic requieſcit, vt tamen nequaquam laborauerit, quippe qui dixit tantum, & facta ſunt. Dicitur autem Deus in illo die requieſcere, vt comparatio fiat huius diei ad cæteros dies: nam præter angelum, & hominem, nihil eſt, quod in ſe ipſo nouerit parare locum Deo. In angelis vero, & hominibus Deus quidem inhabitat, ſed oportet, vt prius ſibimet in illis, mãſionem paret ipſe Deus, vt in brachio ſuæ fortitudinis operetur, & gratia conſtruat, in qua ad requieſcendũ nomini ſuo, gloriam digne collocetur. Nullus enim angelorum, vel hominum aliter niſi per operoſã ipſius, gratiam habitationi eius fit idoneus; operatur itaque in illis ipſe prius, & antequam domus, & manſio ſua perficiatur, quaſi laborat. At vero ſolum hunc diem id eſt vnicum filium ſuum, ſicut non creauit, ſed genuit, ita nec accidentali

bono,

Digitized by Google

bono, bonum facit, ſed eſſentiali bonitate, bonum ſemper habuit. Soluſque hic eſt, in quo iuſtificando nihil omnino laborauit, aut profectum eius expectando patienti patientiam aliquando habuit. Hic igitur vnus eſt, in quo Deus requieſcit, & ſic ſuper nos requieſcit, non niſi pro quanto conformamur huic, pro tanto ſuper nos requieſcit, ait itaque ſacroſancta ſcriptura. Et requieuit Deus die ſeptimo ab omni opere ſuo, quod patrarat. Hæc Rupert. Ex his patet erraſſe turpiter Iudeos Thalmudiſtas; qui in ſuo Thalmud ordine 2. tract. 3. d. 4. finxerunt Deum creaſſe ignem in ſabbato, hoc eſt die ſeptimo. Repugnat enim huic commento aperte ſcriptura, cum hic teſtatur ceſſaſſe Deum die ſeptimo ab vniuerſo opere ſuo & Exod. 20. & 31. Requieuiſſe eum die ſeptimo, & ideo die ſabbati fuiſſe à labore ceſſandum.

Secundo ſequitur non eſſe ſatis probabilem ſententiam, quã Chriſoſt. & Origenes, & Eucherius in hunc locum, atque D. Tho. 1. p. q. 93. art. 2. ad tertium tenuiſſe videntur, nempe Euam poſt ſextũ diem fuiſſe conditam, ex coſta Adæ, & multo minus fuiſſe conditam ipſo ſeptimo die, vt ſenſit Catharinus. Etenim ſup. c. 1. Cum Moſes narrans opus ſextæ diei dixiſſet Deũ in illo creaſſe hominem continuo ſubiungit Maſculum, & fœminam creauit eos, & quod ad vtrumque Deus tunc locutus ſit addit his verbis. Benedixit Deus, & ait creſcite, & multiplicamini, &c. Præterea Exo. 20. aperte dicitur, ſex diebus feciſſe Deum cœlum, & terram: & omnia, quæ in eis ſunt. Non igitur poſtea primum fecit mulierem. Nec ſane videntur hæc omnia narrari à Moſe per anticipationẽ, ſed tanquam tunc viro, ac mulieri dicta, ſicut, & quinta die animalibus vtriuſque ſexus dictum fuit. Creſcite, & multiplicamini. Adde quod perfecto opere diei ſexti dicitur. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona; Non autem fuiſſent valde bona, ſi humana ſpecies, quæ cæterorum finis erat, nec dum perfecta, tunc fuit per viri ac mulieris creationem. Quo circa D. Aug. li. 6. ſuper Gen. c. 5. & 6. confirmat ſexta die productum fuiſſe virũ, & mulierem, ſicut narrat Moſes. licet ipſe quidem Auguſtinus in modo, quo, & homo, & alia animalia tũc producta ſint diſcrepet ab alijs patribus, vt ſupra annotauimus. Idem quoque ſenſit D. Ambr. lib. 6. Hexam. c. 10. cum ait Die ſexto perfectum fuiſſe hominem ſicut deſcribit Moſes. Itẽ Theodoretus. q. 21. in Gen. Iunilius, Caiet. & alij in hunc locum.

Nec obſtat, quod infra in hoc capitulo deſcribitur productio mulieris ex coſta viri: commemorat enim Moſes tunc rurſus, per recapitulationem productionem mulieris, vt ibi explicabimus. Non eſt tamen negandum, quin aliqua mora interceſſerit inter productionem viri, & mulieris, tametſi intra ſextum diem, vt contra Caiet. infra demonſtrabimus.

Digitized by Google

Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus, vt faceret.

QVoniam priorum ſex dierum quilibet habuit opus aliquod à Deo factum, ſeptimus autem nullus, ideo, ne ob id ſeptimus dies exiſtimaretur ocioſus, & ignobilis, ſingularē inquiunt Chriſoſt. hom. 10. in Gen. & Theod. q. 21. illi Deus benedictonē impertiuit, videlicet, vt oſtenderet diem hunc indicem eſſe perfectionis, & abſolutionis vniuerſi. Quid igitur? Non erāt, & cæteri dies benedicti? etiam profecto; ſed ſufficiebat illis pro omni benedictione, quod in ſingulis illis creaturæ productæ fuerunt, & ideo de illis nō inquit, & benedixit, in ſolo autē ſeptimo hoc dixit, & appoſuit, ſed.

Quæſt. 1. Deus cur diē ſeptimū benedixit. Quæritur primo. Cur Deus hūc diem ſeptimum potiſſimum benedixit? Vt innueret diē hunc multis, & egregijs Dei beneficijs, & præclariſſimis factis eſſe honeſtatum, atque decoratum: nā Deum alicui benedicere: non aliud eſt, quam benefacere, & quidem large, & abundanter. Cæterum Deus hunc ſeptimum Diem ab omni labore, & ſeruili opere exemit: ita vt cæteri dies in operando, & laborando conſumarentur, hic autem dies eſſet vacationis & requiei. Hunc diem Deus ad cultum ſuum applicauit, vt homines à laboribus & curis terrenis feriati, meditationi rerum diuinarum vacuo, & libero animo vacare poſſent. Hoc die per omnes ſynagogas exponebatur lex Moſis, & verbum Dei explicabatur, vt patet Actuum 15.

Diei ſeptimi prærogatiuæ ſingulares. Ab hoc die cæteri omnes hebdomadæ dies numerabantur, & nominabantur: apud Iudæos enim prima ſabbati dicebatur dies dominicus, ſecunda ſabbati dies lunæ, tertia ſabbati dies Martis, & ſic deinceps, Erat dies hic optatiſſimus ſeruis, ancillis, mercenarijs, & alijs, qui laborando, & ſeruiendo duriter vitam agebant; in eo namque requies ab omni labore dabatur omnibus.

Ad huius diei ſimilitudinem, quilibet ſeptimus annus erat annus quietis terræ, & tranſactis ſeptem hebdomadibus annorum, vltimus ſeptimæ hebdomadæ annus initium dabat Iubileo, quo nihil erat, apud Iudęos optatius. Danielli quoque per ſeptuaginta annorum ſeptimanas, tempus Meſſię aduentus definitum fuit.

Vel dicendum eſt, cum D. Auguſtino lib. 4. ſuper Gen. ad lit. c. 15. & Alex. de Ales. p. 2. q. 56. m. 2. quod non eſt data benedictio, nec ante diem 5. Quando in principio creauit Deus cęlum, & terram, nec in die aliquo, quæ benedictio ſit cum ſanctificatione: quia creatura in ſe non ſanctificatur, ſed ipſo ſcilicet Deo, ad quem referenda ſunt omnia bona, & hoc, in hoc ſeptimo die deſignatur, atq; adeo huic ſolum diei datur benedictio. Vnde D. Auguſtinus inquit. Nimirum, quia virium eſt, & infirmitas animæ, ita ſuis operibus delectari, vt potius in ipſis quā in ſe requieſcat ab eis, cum procul dubio: melius aliquid in illo ſit, quo ea facta ſunt, quam quæ facta ſunt, inſinuatur nobis per hanc ſcripturā, quæ dicitur requieuiſſe ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit, nullo opere ſuo ſic delectatus, quaſi faciendi eius eguerit, vel minus futurus niſi feciſſet, vel beatior cum feciſſet.

Quia

Digitized by Google

Quia enim ex illo eſt, quicquid ex illo eſt, vt ei debeat, quod eſt, ipſe autem nulli, quod ex ipſo eſt, debeat, quod beatus eſt, ſe rebus, quas fecit, diligendo prępoſuit; non ſanctificans diem, quo ea facienda inchoauit, nec illum, quo ea perfecit, ne illis, vel faciendis, vel factis, auctum eius gaudium videretur; ſed cum, quo ab ipſis in ſe ipſo requieuit, & ipſe quidem nunquam iſta requie caruit, ſed nobis eam per diem ſeptimum oſtendit. Hęc Auguſtinus.

Quæſt. 2. Deus cur diem ſabbati ſanctificauit.

Quęritur ſecundo. Cur Deus diem ſabbati ſanctificauit. In diuina ſcriptura inquit. D. Chriſoſt. hom. 10. in Gen. ſanctificare idem ſignificat, quod ſeparare à pollutione, immunditia; & profano vſu: & ad Dei cultum applicare. Sic ſanctificabantur primogenita vaſa templi, veſtes ſacerdotales, & ipſi Leuitæ. Sanctificauit igitur diem ſabbati: quia cum reliquos dies deſtinaſſet labori, hunc aſſignauit otio, & quieti, ſuoque cultui addixit.

Quæritur tertio, adhuc. Cur Deus diem ſeptimum ſanctificauit, eoq; inquit D. Chriſoſt. requieuerat ab omnibus operibus: nam poſtquã dixit, & ſanctificauit illum, ſtatim adiunxit: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo. Iam ab initio doctrinam hanc nobis inſinuat Deus erudiens in circulo hebdomadis, diem vnum integrum ſegregandum, & reponendum, in ſpiritualem operationem, quippe ob hoc dom.nus, completo in ſex diebus opificio ſuo, ſeptimum benedictione dignatus eſt, & ſanctificauit, eoquod in illo quieuerat ab omnibus operibus ſuis, quæ facere ceperat.

Vel dicẽdum eſt cum D. Bona. in 2. d. 15. in dub. circa litteram. dub. 5. quia ſicut Dies dicitur eſſe malus non ratione ſui, ſed quia menſura eſt actionis malæ, ſicut. dicit Apoſtolus ad Epheſ. 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt, ſic dies dicitur benedictus, & ſanctus: quia eſt menſura alicuius operationis, in qua eſt benedictio, & ſanctificatio, & nihil aliud eſt, diem aliquem benedicere, & ſanctificare, quam diem tali actioni, vt menſuram deputare. Quoniam igitur Deus omnia fecit, propter hominis inſtructionẽ, vt hominem nõ ſolum verbo, ſed etiam opere erudiret, ſicut ſex diebus dedit homini licentiam operandi, & intendendi operibus inferioribus, & ſicut ſeptimo die ab omni opere ceſſauit, ſic voluit qđ ſeptimo die homo ab omni opere ceſſaret, & etiam per contemplationem inhæreret, & inhærendo quieſceret: & quia in hac inhæſione, homo obtinet à Deo ampliationem benedictionis, & ſanctitatis, ideo dies ſeptimus dicitur à Deo bened ctus, & ſanctificatus, non ratione ſui, ſed ratione illius, qđ dominus deputauit in illo fieri. Vel dicatur cum D. Thom. 1. p. q. 73. art. 3. prout etiam dictum eſt ſupra quod Requies Dei in die ſabbathi dupliciter accipitur, primo, quo ad hoc, quod ceſſauit à nouis operibus condendis, ita tamen quod creaturam conditam conſeruat, & adminiſtrat. Alio modo ſecundum quod poſt opera requieuit in ſe ipſo. Quãtum ad primum competit. 7. diei benedictio: quia, vt ſupra dictum eſt benedictio ad multiplicationem pertinet multiplicatio autem fit per adminiſtrationem rerum, ſecundum quam ex ſimilibus, ſimilia generantur. Quantum vero ad ſecundum competit ſeptimæ diei ſanctificatio: maxime

Digitized by Google

me autem ſanctificatio cuiuslibet attenditur in hoc, quod in Deo requieſcit, vnde & res Deo dicatæ ſanctæ dicuntur.

Poſtremo dici poteſt cum Lyrano, quod hic deſcribitur ipſius hominis finis, ad cuius intellectum obſeruandum eſt, quod experientia docet, appetitum hominis non quieſcere totaliter, in adeptione cuiuslibet boni finiti, ſed illo adepto vlterius tendit per deſiderium. Adepto autem fine vltimo totaliter quieſcit, ſicut lapis in centro, & ex hoc patet, quod finis vltimus hominis non conſiſtit in adeptione cuiuslibet boni finiti, ſed ſolũ in adeptione boni infiniti, quod eſt ſolus Deus. Vnde dicit D. Auguſtinus in lib. Confeſſ. Inquietũ eſt domine cor meum donec requieſcat in te ſcilicet per cognitionem, & amorem. Item experimur, quod quantumcunque cognoſcatur Deus ab homine per effectum, non terminatur hominis deſiderium, donec cognoſcatur per ſe ipſum, ex quo concluditur vlterius, quod vltimus finis conſiſtit in viſione Dei per eſſentiam prout tamen includit fruitionem. Iſta autem beatitudo in præſenti vita, quodammodo inchoatur per hoc, quod mens humana à terrenis ſubleuatur, & occupatur in cõtemplatione ſui creatoris, in enigmate tamen: perficitur autẽ per hoc, quod homo perducitur finaliter ad æternam viſionem, & ad hoc deputatur dies ſeptima, vt homo vacet à terrenis, & circa diuina occupetur. Et hoc eſt, quod dicitur, & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum ideſt ad diuina obſequia applicauit: ſanctificatio enim in vna ſignificatione, idẽ eſt quod applicatio ad diuina obſequia. Vnde etiam res inanimes, quæ per benedictionem, vel conſecrationem, applicandæ ſunt diuino cultui, ſcilicet eccleſiæ materiales, & veſtes dicuntur ſanctæ, vel ſanctificatæ, & hoc eſt quod dicitur; quia in ipſo ceſſauerat, requieſcendo in ſe ipſo, per quod datur intelligi, quod homo die ſeptimo debet ceſſare ab operibus terrenis, & requieſcere in Deo, per contemplationẽ, & amorem.

Quæſt. 4. Quæritur quarto, an hæc Lyrani explicatio ſit litteralis, & videtur, quod non: tum quia Magiſter in 2. d. 15. inquit. Dicitur Deum illum diem ſanctificaſſe, & benedixiſſe: quia miſtica præ cęteris benedictione, & ſanctificatione dotauit eum. Tum quia ſi in ſenſu litterali huiuſmodi benedictionis, & ſanctificationis habetur, quod homo die ſabbati deberet ceſſare ab operibus terrenis, &c. ſequeretur, quod ſancti Patres ante legem datam fuiſſent obligati ad ſabbati obſeruantiã? quod minime reperitur ante legem. hæc Burg. in additione, ad 2. cap. Gen.

Deus an i exordio mũdi ſabbati obſeruãtiã præcepit.

Pro ſolutione obſeruandum eſt, quod eſt quæſtio: an ex his verbis Moſis intelligendum ſit Deũ iam tunc in exordio mundi obſeruationem ſabbati præcepiſſe. De quare duplex eſt opinio, altera affirmans, altera negans. Primam ſequitur Phylo lib. 3. de vita Moſis. vbi inquit, quod Dies ſabbati habet ex natura ſua hoc priuilegium ante mundum viſibilem conditũ, vt obſeruetur, & ideo à principio mundi putat obſeruari cæpiſſe. Cui videtur aſſentire Lyranus. in 15. cap. Nume. & Chacharinus in Gen. c. 2. Nam Moſes hic narrat in ipſo mundi exordio Deum ſanctificaſſe Diem ſabbati, quod nihil aliud eſſe videtur, quam ſanxiſſe, vt is dies in diuino cultu ponere-

tur

Digitized by Google

tur omiſſis laborioſis operibus.

Secunda ſententia affirmat id præceptum diuinum non extitiſſe ante legem promulgatam per Moſem,ſolumque ad populum Iudęorum pertinuiſſe. Ita Tertullianus lib.aduerſus Iudæos,& Iuſtinus in dialogo cum Priphone, Abulẽſis in hunc locũ,& Pererius, nec non Burgen.in add.ad.2.capit. Gen.& in add.ad cap.15.Numer.& communiter Theologi, quorum ſententia.eſt ,ante legem ſcriptam ſatis fuiſſe hominibus ſeruare legem naturalem cum ſupernaturali fide id,quod etiam ex Apoſt.colligi poteſt ad Roman.2. Lex autem naturæ,etſi aliquo modo colendum eſſe Deum dictat, non tamen magis hoc,quod illo die.

Quod vero ait Moſes Deum ſanctificaſſe diem ſeptimum, nõ euincit iam inde ab initio mũdi Deum lege ſanxiſſe obſeruationem ſabbati;quæ facta ſit non initio mundi, ſed tempore quo data eſt lex ſcripta populo Iudæorum, vt interpretatur Beda in Hexam. & Abulenſis: nam poſt id tempus putant hi auctores librum Gen. ſcriptum à Moſe, ſicut Theodoretus. quæſt. 1. in Gen. Secundo poteſt etiam id dictum Moſis referri ad mundi initium, quo ceſſauit Deus die ſeptimo ab illius creatione,ſed ſic tamen, quod illa ſanctificatio, non fuerit tunc aliquod præceptũ nec deſtinatio quędam eius ad cultum diuinum, de quo eſſet poſtea ſuo tempore dandum præceptum populo hebræorum, & hæc poſterior expoſitio commodior videtur quæ æque habet locum, ſiue liber Geneſis fuerit à Moſe ſcriptus poſt legem datam,ſiue antea,vt placuit Euſebio Cæſarienſi.lib.7. de præparatione Euangelica. c.2.

Cæterum poſſet inter iſtas opiniones ſic mediari, vt dicamus, quod duplex eſt ſabbatum morale vnum, ceremoniale, & Iudaicũ alterum;morale ſabbatum pertinet ad decalogum, & implicite obligabat ante legem, & poſt ſcilicet in conſideratione creaturæ non requieſcere,ſed eam in opificem redigendo, & ibi ſiſtere in contemplatione, & ſic ſex dies pertinent ad vſum, ſeptima vero ad fruitionem, cui competit benedictio miſtica ideſt diuina.Sabbatum autem ceremoniale,& iudaicum nõ obligauit,niſi poſt legem datam,& ſolum vſque ad Chriſtum,quod ſabbatum velut alia ceremonialia in Chriſti paſſione conſumatũ fuit. Et ad id, quod dicitur, quod Magiſter dicit ſeptimæ diei expoſitionem eſſe miſticam, dicendum, quod hoc non dicit Magiſter, vt patet conſiderãti dictum eius, ſed benedictionem dicit eſſe miſticã, ideſt diuinam: nam miſticũ vno modo ſecundum Britonem dicitur diuinum.

Sabbatũ eſt duplex

Quæritur quinto. Quod nam ſit diſcrimen inter benedictionem & ſanctificationem,cum de benedictione fecerit mentionem in aliquibus diebus præcedentibus, vt in quinto, & ſexto, de ſanctificatione autem minime,ſed duntaxat in ſeptimo. Reſpondet Alexan. de Ales, vbi ſupra,quod hæc eſt differentia inter benedictionem,& ſanctificationem: quia benedictio magis communis eſt,quam ſanctificatio: nam eſt benedictio quædam temporalis, ſicut, quæ conſiſtit in rerum multiplicatione, & talis fuit quidem in quinto, & ſexto, die. Alia eſt benedictio ſpiritualis, & illa eſt duplex,gratiæ,& in hac eſt appropriata benedictio homini,& gloriæ ſiue quietis æternæ, & hæc recte dicitur hic benedictio cum ſan-

Quæſt. 5. Benedictio, & ſanctificatio differunt.

ſan-

ſanctificatione. Rupertus Abbas lib.2.de oper.bus Trinit.c.16.proſequens ſuam expoſitionem dicit Deum benedixiſſe diem ſeptimũ, nempe vnigenitum filium ſuum ipſo Saluatore hoc atteſtante Ioan. 10.vbi loquens Iudæis dixit. Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt,& non poteſt ſolui ſcriptura;quem Pater ſanctificauit, & miſſit in mũdum,vos dicitis, quia blaſphemas: quia dixi filius Dei ſum? Numquid ſine authoritate, & ſcripturæ teſtimonio dixit? Hãc ſicut interrogatus ab eiſdẽ Iudęis dicentibus. Tu quis es? ad hanc ſcripturam reſpexit & dixit. Principium qui, & loquor vobis. In principio quippe non alio, quam in Verbo ſuo creauit Deus cœlum, & terram ſic cum dixiſſet. Ego,& pater vnum ſumus,dicentibus illis quod blaſphemaret,& hanc reſpiciens ſcripturam hæc dixit.Quem Pater ſanctificauit,& miſſit in mũdum,vos dicitis,&c.Non enim ſic dixit. Quem Pater miſſit,in mundum, & ſanctificauit, ne dictum putes de benedictione aſſumptæ carnis, ſiue ſanctificatione humanæ naturæ, quam aſſumpſit. Sed ſanctificauit(inquit)& deinde miſſit in mũdum & propheta in Pſal. Venturum eſſe hunc diem,& illuminaturum omnem mundũ. Hæc eſt(inquit) dies quam fecit dominus exultemus, & lœtemur in ea, & cõtinuo; O domine ſaluum me fac, O domine bene proſperare, benedictus qui venturus eſt in nomine domini. Hunc diem, quem fecit Dominus benedictum dixit, eumdemque venturum eſſe in nomine domini;de quo clarum, certumque eſt: quia iã venit.Et ſubinde gratulabundus Deus,(inquit)& dominus ſubauditus, eſt hic dies, & illuxit nobis. Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, vſque ad cornu altaris. ideſt. vacate à ſeruili opere peccati, contemplando in condenſis,vſque ad cornu altaris. ideſt. vacate à ſeruili opere peccati, contemplando in condenſis ideſt multiplicitate bonorum operum. Hunc diem eſſe principem alteris,qui cum ſit Deus, & dominus recte debeat adorari. Sed non ne,& cunctos dies hunc diem precedentes fecit Dominus? vtique; ſed aliter hunc, aliter illos fecit, nam alios creando, hunc autem diem de ſemetipſo fecit gignẽdo. Hæc Rupertus.

Quæritur ſexto. Quid ſibi velit Moſes in illis verbis. Quod creauit Deus,vt faceret.Rupertus.lib.2. de Trinit.& operibus eius,c.18.ad hunc modum interpretatur.Creauit Deus prius in verbo æterno, quod poſterius fecit in opere externo,creauit Deus externaliter in ſua eſſentia, quod tẽporaliter creauit in propria quodque natura. ſecundum illud,quod eſt in lib. Eccleſ.cap.18. Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul. Verum hoc dictum Ruperti dignum eſt cenſura; nam res prout ſunt in Deo, non fiunt,vel creantur à Deo, ſed ſunt coeternæ Deo,quinimo idem ſunt prorſus quod ipſe Deus. *Quæſt. 6.* *Deus quo creauit vt faceret.*

Catharinus diſtinguit triplicem Dei operationem,generalem, atq; principalem,prima eſt creatio, qua res,quæ nihil erant, primùm incipiũt eſſe; altera eſt reſtauratio principalis creaturæ huius mundi.,hoc eſt hominis, tertia erit,& hominis, & mundi renouatio, & glorificatio: quoniam igitur creatio terminata eſt ad effectionem mundi, ideo dixit Moſes, quod creauit Deus,vt faceret.

Sic autem explicat hæc verba Catharinus: cũ ſint Dei duo opera

ra præcipua, alterum opus creationis, & factionis hominum, & cæterorum, quæ gratia hominis videntur condita. Alterum vero opus recreationis, & refectionis. Poſtquam homo deſtruxit opus Dei ideſt ſeipſum, ideo dicit, quod creauit, vt faceret, ideſt quod creauit faciens, non autem reficiens, quem ſenſum videntur verba hæc porrigere. Quod ſcilicet Deus ceſſauit ab omni opere, quod creauit, vt faceret, ideſt, quod erat creationis, & factionis, vt ſeruaretur opus recreationis, ſeu reſtaurationis, & refectionis, ſi forte oportuiſſet, quemadmodum, etiam oportuit. Propterea dicit Dominus. Pater meus vſque modo operatur, & ego operor, tamquam dexerit nobis. Corrupiſtis enim primam creationem veſtrã, vnde me adegiſtis ad opus recreationis, & inſtaurationis. Quã ob rem dictum eſt hic, quod requieuit Deus ab omni opere, quod parrarat vt faceret ipſum: non autem ab opere illo, quod pertinet non tam ad factionem, quam ad refectionem, & inſtaurationem. Venit enim inſtaurare dominus collapſa omnia per peccatum noſtrum, ideo etiam dictum eſt. Faciet dominus nuuum in terra, fœmina circundabit virum, quod factum eſt poſtmodum.

Alij quia hæbraice ad verbum ſic eſt, quod creauit Deus, producendo, ſeu producendum, in his verbis nullum voluit latere myſterium, ſed eſſe purum hebraiſmum ſicut alias dicit ſcriptura. Iurando iurauit, percutiendo percuſſit, ita faciendo fecit. Ita Bannes. in 1. q. 73. art. 2. ad tertium.

Alij ſic interpretantur. Creauit, vt faceret: quia non ſolum perfecit vt opus exiſteret, quod non erat, ſed etiam indidit ei vim, & poteſtatem faciendi aliud ſimile ſui, & illud itidem aliud, atque ita deinceps, quo ad mũdus perduret: ne. vid. neceſſe eſſet ſemper Deũ noua opera facere, & ex nihilo creare, ergo, & fecit res, & fecit, vt illæ alias ſibi ſimiles facere poſſent, eaque ratione, & perpetuitati rerum, mundique diuturnitati cõſuleret, & res ipſas, hac dignitate nobilitauit, vt non ſolum eſſent, ſed etiam res alias facerent. Caietanus in Gen. inquit q᷑ his verbis, denotatur cuiuſque rei creatæ finis; qui non eſt rem eſſe, ſed eſt propria, & perfecta eius operatio: nã vt Ariſt. ait. lib. 2. de Cœlo. t. c. 17. Cuiuſcunque rei eſt aliquod opus, ea res eſt gratia illius operis. Sic Paulus ad Epheſ. 2. de chriſtianis, & ſanctis loquens. Ipſius (inquit) ſumus factura creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.

Nec deſunt qui dicant, quod illud, vt faceret ſtat pro eo, quod eſt vt diſponeret, & ad certum vſum, & finem deſtinaret: quaſi eo verbo declaretur, res omnes non modo creaſſe, & abſoluiſſe, ſed ſuum cuique finem præſtituiſſe, & ſuis quaſque res vſibus deſtinaſſe: nã verbum hæbreum, quod latinus Interpres vertit, vt faceret, proprie ſignificat ordinationem, diſpoſitionem, & ad aliquid certum deſtinationem, & adaptationem.

Alex. de Ales. 2. p. q. 56. m. 1. §. 3. ad tertium dicit, quod cum dicitur. Creauit, vt faceret, creare ſumitur pro condere. duplex eſt auautem condere, ſcilicet in eſſe ſui generis, vel ſpeciei, & in permanentia ratione multiplicationis indiuiduorum: vbi neceſſaria eſt multiplicatio ad conſeruationem, condidit ergo Deus, vt ſic faceret, & multiplicaret ad conſeruationẽ.

Digitized by Google

Fortaſſe etiam poſſet dici;quod illud creauit,vt faceret, ſignificat, quod Deus libere res produxit: nõ quia illis indigebat,vel aliquid vtilitatis accideret ipſi Deo: ſed quia ita placuit illi creare,ſolum, vt faceret, & communicaret creaturis aliquam bonitatem: hoc verbum ergo, vt faceret, videtur liberam quamdam Dei voluntatem creandi ſignificare,vt ſiquis roget eum. Cur feciſti? ſatisfaciat hoc ſolum reſpondens.Ideo feci, vt facerem, ac ſi dixerit,quia libuit facere: ſeu quia mihi cõplacui in ipſo facto.

Vel ſi hoc magis placet accipe. Creauit vt faceret ideſt creauit ad faciendum,ſiue ad operandum,volens,vt opus ſuum,quod fecit ideſt homo,ſimiliter faceret,& operaretur ſex diebus, quatenus, & ipſe poſſet exemplo domini Dei ſui quieſcere, & ſabbatizare ſua die. Hæc expoſitio multis placet, quæ & iuuatur ab hæbraica veritate, quæ ſic habet.Quod creauit ad faciendum, vt opus ſit finis creaturæ. In hoc enim creata eſt,vt non ſit otioſa, ſed vt operetur. Et hoc debent hæretici perpendere, qui tanta impudentia negant opera, contra manifeſtam rerum naturã, & rationem, quam & Phyloſophi cognouerunt. Aſſerunt enim omne quod eſt per ſuam operationẽ eſſe, operatio autem cuiuſque rei finis eius eſt, ſine qua operatione res manet inutilis,otioſa, & vana, vt pote quæ ſuum finem non aſſequitur. Quare vehementer metuens B. Paulus, ne in tam graue periculum Corintij,otio,& corpori dediti, præcipitarentur ſola fide nitẽtes ad eos ſcripſit.2.ad Corint. 6.Hortor vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Et pſalmiſta laudat eum,qui non accipit in vanum animam ſuam.

Iſtæ ſunt generationes cœli,& terræ quando creata ſunt in die, &c.

POſtquam Moſes per partes enarrauit creaturas omnes, & ſex dierum pertractauit opera, & formationem hominis,poteſtatẽq; viſibilium omnium illi conceſſam, nunc iterum ſummatim omnia recapitulans inquit. Iſtæ ſunt generationes cœli,& terræ ideſt iſta, quæ ſupra memorauimus, ſunt cœlum,& terra genita, vel formata: nominat hic cœlum,& terram quia accipit per terram omnia elementa.

Sed cur dicit generationes cœli, & terræ, cum cœlum, & terra non ſint genita, ſed formata? ſeu producta? (Generatio dupliciter.) Reſpondet Toſtatus in 2.cap.Gen. quod hic accipitur generatio communiter,prout dicitur de generatione proprie dicta, & de productione,& formatione,& ſtat hic generatio pro formatione, ſeu productione; Nam generatio proprie eſt mutatio naturalis ad ſubſtantiam ſeu formam ſubſtantialem, ad quam materia naturaliter diſpoſita, eſt in potentia naturali: Verum materia de qua formata ſunt cœlum,& terra; nõ erat in potentia naturali ad formam cœli,& terræ,ſed in potentia obediẽtiali. Sicut lignum non eſt in potentia naturali ad formam ſtatuæ: quia natura non poteſt educere talem formam de potentia ligni, ſed eſt in potentia obedientiali artificis, vt inducat formam, quam voluit in materiam ſecundum artem: & iſtæ formæ non dicuntur eductæ de potentia materiæ, ſed inductæ in materiam potentem obeditiue recipere. Sic dicimus in propoſito de Deo: quia eſto, quod

Digitized by Google

quod formas rerum non creaſſet, ſcilicet de nihilo, tamen non eduxiſſet de potentia materiæ, vt agentia naturalia, ſed induxiſſet eas in potentiam materiæ: quoniam materia prima, quam creauit Deus ab initio erat in potentia obeditiua Dei, ſicut materia artificialis eſt in potentia obeditiua Artificis. Cum ergo dicit. quando creatæ ſunt, vult dicere, quando productæ, vel formatæ ſunt: quia ſola materia prima, cœlum Empyreum, angeli, & animæ hominum, creata ſunt, cætera autem formata, vel producta: quia præſupponebant materiam.

Sed quid ſignificat illud aduerbium quando; Dicit Toſtatus vbi ſupra, quod poteſt ſtare relatiue, vt ſit ſenſus, quãdo creatæ ſunt, ideſt quæ creatæ ſunt. poteſt etiam accipi proprie, & eſt ſenſus. Iſtæ sũt generationes cœli, & terræ. id eſt iſta memorata ſunt cœlum, & terra genita, & non dicuntur iſta generationes cœli, & terræ, ſimpliciter, vel in omni tẽpore, ſed ſolum pro illo tempore, quando creauit Deus cœlum, & terram. q. d. Non fuit facta aliqua generatio cœli, & terræ; quia iſtæ generationes ideſt formationes, computantur pro tempore illo, quo Deus iſta formauit, antequam aliqua naturaliter oriantur in terra, adeoque ſit ſenſus, quod iſta, quę commemorata ſunt primo capitulo, ſunt generationes cœli, & terræ, quas fecit Deus; cæteræ autem generationes rerum, quæ ſequuntur, non ſolum pertinebunt ad Deum, ſed etiam ad naturam, quod declaratur per ea quę ſubiunguntur.

In die quo fecit Deus cœlum, & terram, &c.

HAEc dictio in die, poteſt pro prima die intelligi, in qua ſafacta ſunt cœlum, & terra; ſiue cœli iuxta veritatem hæbraicam, & licet addatur, omne virgultũ agri, quod cõſtat eſſe factum tertia die, potes ſic accomodare, vt ſatis prima die dicãtur creata omnia: quoniam locus omnium, & elementa, vnde omnia generata ſunt fuerũt condita; aut quod magis placet, diei appellatione non vna dies, ſed certum tempus ſignificatum accipiatur, vt illi ſex dies pro vna die accipiantur, ita vt ponatur hic ſingulare pro plurali, vt ſæpe fit ſecundum conſuetudinem hębraici ſermonis; vt Exo. 8. Venit muſca grauiſſima, ideſt multitudo muſcarum: nam ſequentiſſime ita ſcripturæ loquuntur, vt vbi legimus ſecundum diem tentationis in deſerto. Item Abraham exultauit, vt videret diem meum. Itẽ in hac die, quæ ad pacem tibi. Item dies feſtus ſcenophegia pro toto tempore illius fęſti, vnde, & ſubiunxit Iam autem die fęſto mediante, ſiue in medio diei fęſti, & alibi. In die belli, & ſicut in die Madian. Item in die bona fruere bonis, & in die Iuuentutis memẽto Creatoris tui; & Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Iterum Ecce nunc dies ſalutis, imò, & totum hoc ſeculum, non ſecus ac vna dies, diei vocabulo ſignificatur. Vnde Dominus, me oportet operari donec dies eſt. Sed hæc nimis nota ſunt, dicta tamen propter eos, qui hinc volunt probare, vna die fuiſſe cuncta creata; at non fuit vna dies, qua Deus fecit cœlum, & terram quia in ſex diebus creata, diſtincta, &

orna-

ornata fuerunt cœlum, & terram, quod plane oſtendũt verba ſuperiora. Compleuit Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & requieuit die ſeptimo, & benedixit diei ſeptimo,&c. nam quomodo ſeptimus vocatus fuiſſet dies (nam hic de certo die loquitur) niſi ſex præceſſiſſent. Ita explicatur hic locus iuxta vulgatam lectionẽ ſed ſecundum tranſlationem. 70. aliter exponitur ſic enim ſecundum illam legitur.

Hic eſt liber generationis cœli, & terræ cum factus eſt dies, quo fecit Deus cœlum, & terram.

Quæſt.1. Scriptura ſacra cur liber generationis cœli & terræ appellatur.

PRo cuius explicatione Quæritur primo. Cur ſcriptura librum hunc vocauit cœli, & terræ cum multa alia in ſe contineat, & doceat nos de pluribus alijs; nempe de iuſtorum virtutibus, de miſericordia Dei,& indulgentia, quam erga Protoplaſtum, & totum humanum genus declarauit? Reſpõdet D. Chriſoſt. hom. 11. in Gen. quod mos eſt ſcripturæ ſacræ, vt non vbique omnia particulatim enarret, ſed cum generaliſſima, & ea, quæ plurima complectuntur dicere ceperit, relinquat ſequentia ſtudioſis auribus conſideranda; atque adeo cum in ſuperioribus nos docuerit particulatim formationem omnium; nunc, non omnium meminit, ſed inquit. Iſte eſt liber generationis cœli, & terræ, &c. ſolum ſermonem ad cœlum, & terrã conuertens, vt in illas alia omnia nobis contuenda relinquat, Cum ergo dicit cœlum,& terram, omnes creaturas ſimul compræhendit, tam ea, quæ in cœlo, quam quæ in terra ſunt. Sicut igitur in enarratione creaturarum, non omnia, quæ ſequuntur dicit, ſed maxime generalia tãtum commemorat. & non adhuc ſigillatim enarrat, ita, & librum totum libellũm generationis cœli,& terræ appellauit, noſtræ memoriæ quod reliquũ eſt, conjectandum relinquens, cõtineri in hoc libro de viſibilibus, tam his, quæ in cœlo, quam quæ in terra.

Vel dicendum eſt, cum D. Auguſtino lib.2. de Gen. contra Manicheos c.1. quod Ideo meruit appellari liber Creaturæ cœli, & terræ quidquid ſuperius dictum eſt, licet ſit parua pars libri: quia vniuerſi ſeculi à capite, vſque ad finem, quaſi breuis quædam imago in his diebus ſeptem figurata eſt.

Quæſt.2.

Quæritur ſecundo. Quomodo accipitur hic cœlum,& terra; accipitur, ne, ſicut ſupra cum dicitur. In principio creauit Deus cœlum, & terram, an ſicut cum factũ fuit firmamentum, quod Deus cælum appellauit, & diſtinxit aridam ab aquis, quæ ſunt ſuper firmamentum. nam videtur quod accipiatur primo modo: quia dicit creaturæ cęli, & terræ: nam in principio creauit Deus cęlum,& terram: Tum quia ſequitur,& omne viride agri, antequam eſſet ſuper terram, nam cũ terra facta ſit 3. die, & viride agri factum ſit cum terra, non poteſt accipi hic dies, pro 3. die, ſed ſicut in principio. Tum etiam: quia cum factum eſt firmamentum,& facta eſt terra, tunc erat dies, hic autem dicitur, cum factus eſt dies ideſt cum fieret dies.

Reſpondet Alex. de Ales. 2. p. q. 56. in 3. ex D. Auguſtino lib. 5. ſuper Gen. ad lit. c.1. quod accipitur hic cęlum,& terra, ſicut facta ſunt, ſeu ſicut formata ſunt de materia illa informi, atque adeo non accipiuntur cœlum,& terra, ſicut cum

dici-

Digitized by Google

dicitur In principio creauit Deus cœlum, & terram, quod patet ex hoc, quod ſequitur, cum factus eſt dies, fecit Deus cœlum, & terram: cum enim non ſimul factus eſt ſermo de die, cum crearet cœlum, & terram in principio, & fecit mentionem de die, cum fuit formatum firmamentum 2. die, & fuit formata terra 3. die, relinquitur, quod ſic accipit cœlum, & terram, ſicut cum facta ſunt in diebus. Et cum dicitur creaturæ cœli, & terræ, aut ſimul intelligitur creatio, & factio, aut nomine creaturæ factura deſignatur. Nec huic obuiat, quod dicitur, omne viride agri, antequã eſſet: quia illud poſt facturam terræ nominatur, licet in eodem die, Vnde poſtquam facta eſt terra dictum eſt. Germinet terra, &c. vt primo ſit eſſe terræ, & poſt generatio ex ea. Nec illud etiam obſtat, quod dictum eſt, cũ factus eſt dies: quia aliter fiunt tempora, & aliter fiunt res permanentes; Temporũ enim eſſe eſt cum fiunt; rerum vero permanentium eſſe, nõ ſemper eſt cum fiunt; Vnde quando dicitur. Cum factus eſt dies ideſt cum fuerit dies, tunc cœlum, & terra facta ſunt: quia in die facta ſunt, ſed creata ſunt ante diem; Et ideo ſermo ille ſcilicet cũ factus eſt dies, ad hoc inducitur, vt de factura cœli, & terræ intelligatur. Cum ergo inquit. Hic eſt liber creaturæ cœli, & terræ, &c. cum factus eſt dies; ſatis oſtenditur, non ita hic ſe commemoraſſe cœlum, & terram, ſicut in principio. antequam fieret dies cum tenebræ eſſent ſuper abyſſo, ſed quomodo factum eſt cœlum, & terra; cum factus eſt dies. ideſt iam formatis, atque diſtinctis partibus, & generibus rerum, quibus vniuerſa creatura diſpoſita, reddidit hanc ſpeciem, quę mundus vocatur. Illud ergo cœlum hic commemoratum eſt, quod cum creaſſet Deus firmamentum, vocauit cũ omnibus quæ in illo ſunt, & ea terra, quæ cum abyſſo vnum obtinet locum, cum omnibus, quæ in ea ſunt.

Quæſt. 3. Quo intelligatur hæc verba cum factus eſt dies.

Quæritur tertio. Cum nulla facta fuerit mentio diſtincte de aliquo die, cum fecit cœlum, & terram, cœlum enim factum eſt 2. die, terra 3. die, & dies non ſit factus cum die; cur dicitur cum factus eſt dies: nam cum dies non ſit ſimul factus cum die, non ſunt facta cœlum, & terra, cũ factus eſt dies: niſi accipiatur hic dies communiter, vt ſimul fieret tempus cũ temporali, Reſpondet Alexan. de Ales ex D. Auguſtino vbi ſupra, quod dies duobus modis accipi poteſt, vno modo ſpiritualiter, atq; ita dies eſt intellectualis creatura, ideſt angelus: nam cum primam conditionem creaturarum cogitamus, à quibus operibus ſuis Deus in die ſeptimo requieuit, nec illos dies ſicut iſtos ſolares, nec ipſam operationẽ, ita cogitare debemus, quemadmodum nunc Deus operatur in tempore, ſed quemadmodum operatus eſt vnde inciperent tempora, quemadmodũ operatus eſt omnia ſimul, pręſtans eis etiam ordinem, non interuallis temporum, ſed connexione cauſarum; vt ea, quæ ſimul facta ſunt, ſenario quoque illius diei numero, præſcripto, atque repetito perficiatur.

Non itaque temporali, ſed cauſali ordine prius facta eſt informis formabiliſque materia, & ſpiritualis, & corporalis, de qua fieret, qđ faciendum eſſet; cũ & ipſa priuſquam inſtituta eſt, non fuiſſet, nec inſtituta eſt, niſi ab illo ſummo Deo, & vero, ex quo omnia, quæue cœli, & terræ nomine, quæ in prin-

principio fecit Deus, ſiue nomine terræ inuiſibilis, & incompoſitæ, atque abyſſi tenebroſæ, ea ratione, quam diximus in 1. cap. appellata ſunt.

Ex his autem, quæ iam ex informitate formata ſunt, euidentiuſq; appellantur creata, vel facta, vel cõdita, primum factus eſt dies, oportebat enim primatum creaturæ obtinere illa naturã, quæ creaturam per creatorem, & non Creatorem per Creaturam poſſet agnoſcere. 2. firmamentum, vnde corporeus incipit mundus. 3. ſpecies maris, & terræ: atque in terra potentialiter (vt ita dicam) natura, herbarum, atque lignorum. Deinde poſtquę hęc velut habitatio rerum condita eſt. 4. die luminaria, & ſydera creata ſunt, vt prius pars mundi ſuperior, rebus, quæ intra mundum continentur viſibilibus ornaretur. 5. aquarum natura, quia cœlo, aerique coniungitur produxit ad Dei verbum indigenas ſuas ſcilicet natatilia, & volatilia 6. terreſtria animalia, tamquam ex vltimo elemento mundi vltima.

Hunc omnem ordinem creaturæ ordinatè dies ille cognouit, & per hãc cognitionem ſexties, quodammodo præſentatus, tamquam ſex dies exhibuit, cũ ſit vnus dies, ea quæ facta ſunt in Creatore primitus, & in ipſis cõſequenter agnoſcens, nec in ipſis ſiſtes, ſed eorum etiam cognitionem poſteriorem, ad Dei referens dilectionem, veſperam, & mane, & meridiem in omnibus præbuit, non per moras temporum, ſed propter ordinem conditorum. Poſtremo quietis ſui Creatoris, qua in ſe requieſcit ab omnibus operibus ſuis notitiam repræſentans, in qua non habet veſperam, benedici, & ſanctificari ab hoc meruit.

Hic ergo eſt liber creaturæ cœli, & terræ: quia in principio fecit Deus cœlum, & terram, ſecundum materiam quamdam, (vt ita dicã) formabilem, quæ conſequenter verbo eius formanda fuerat, præcedens formationem ſuam, non tempore ſed origine: nam vtique cum formaretur, primũ factus eſt dies, & cum factus eſt dies ideſt angelus, fecit Deus, cœlum & terram, &c.

Secũdo modo accipi poteſt dies temporaliter, & hoc communiter, & indiſtinctè; quilibet enim dies factus eſt, & ſimul cum temporali. Vnde D. Auguſtinus loco citato in primis verbis. c. 5. inquit, factæ creaturæ motibus ceperunt currere tempora; vnde ante creaturam fruſtra tempora requiruntur, quaſi poſſint inueniri ante creaturam tempora: Motus enim ſi nullus eſſet, vel ſpiritualis, vel corporalis creaturæ, quo per præſens, præteritis futura ſuccederent, nullum eſſet tempus omnino: moueri autem creatura non vtique poſſet, ſi non eſſet; potius ergo tempus à creatura, quam creatura cepit à tẽpore, vtrumque autem à Deo. Ex ipſo enim per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.

Nec ſic accipiatur quod dictum eſt, tempus à creatura cepit, quaſi tempus creatura non ſit, cum ſit creaturæ motus, ex alio in aliud conſequentibus rebus ſecundum ordinationem adminiſtrantis Dei cuncta, quæ creauit.

Et

Et omne virgultum, antequam orire-tur in terra, omnemq; herbam regio-nis, priuſquam germinaret, vel ſe-cundum ſeptuaginta. Et omne vi-ride agri, antequam eſſet ſuper ter-ram, et omne fenum agri, antequam exortum eſſet.

QVadruplex eſt huius loci explicatio. Primo explicatur à Phylone lib. de opificio mundi, hoc pacto, ſcilicet, ꝙ in ipſo Dei Verbo facta ſunt omnia, antequam exorirentur in terra, ſic enim ſcribit. An non manifeſte incorporeas, & intelligibiles Ideas memorat: quibus tamquam anulis ſignatorijs exprimi res ſenſibiles contingit. Prius enim quam terra virgultū prodiret (ait) in rerum natura, virgultū ipſum fuiſſe, & priuſquam herba in agro exſteret, herbam fuiſſe inuiſibilē. Sub intelligēdum autem, quod & ante ſingulas res alias, quas ſenſus indicant, antiquiores effigies, menſuræque quibus effigiantur, & metiantur, iam fuerent: nam etiā ſi particulariter præceſſiſſent omnia. Vt alioqui breuitate ſtudioſus, ſi quis alius, nihilominus, iam dicta pauca, hæc eſſent exempla naturæ vniuerſorum, quæ abſque incorporeo exemplar., nihil in reb. ſenſibilibus perfecit.

Cæterum hanc Phylonis explicationem impugnat D. Aug. lib. 5. de Gen. ad lit. c. 4. in hunc modum. Si hoc modo facta ſunt; Non cū factus eſt dies, ſed antequam fieret dies facta ſunt, aperte autem ſcriptura dicit. Cum factus eſt dies, fecit Deus cœlum, & terram, & omne fœnum, antequam exoriretur. Si ergo cum factus eſt dies; non vtique antequā fieret dies, ac per hoc non in verbo, vel per ideas, quæ ſunt in verbo, quod patri coæternum eſt, antequam dies, antequam omnino aliquid fieret, ſed cum factus eſt dies: nā illa, quæ in verbo Dei noſtri, ante omnem creaturam ſunt, non vtique facta ſunt, hæc autem facta ſunt, cum factus eſt dies, ſicut ſcripturæ verba declarant. Hanc tamen Phylonis ſententiā, quam hic impugnat D. Aug. ſecutus eſt poſtea eodem lib. c. 15. & 16.

Secunda explicatio eſt eiuſdem D. Aug. loco citato, quam etiam refert Alex. de Aleſ. p. 2. q. 57. m. 1. dicentis, ꝙ intelligitur de ſeminibus herbarum, et fructuum, cum enim terra facta eſt, grauida erat ſeminum lignorum, & herbarum, & ad facturam terræ hoc pertinebat, ſed aliud eſt fieri terræ, & aliud herbarum, & arborū ex terra naſcentium. Cum ergo in illo die non fieret niſi, quod pertinebat ad terram grauidam fetuum, non aliud intelligitur, cum dicitur, antequam fenum agri oriretur, niſi quod eſſet ratio ſeminalis in ipſa admixta cum aqua; nam ſemina in die, quo Deus creauit terrā, non erant ſuper terram, ſed infra terram, & ideo antequam exorta ſunt, facta ſunt; quia tunc exorta ſunt, cum ſemina gemina ſunt, & acceſſa incremētorum auras erupet unt, quod per moras temporum nūc fieri videmus, ſuo cuique generi diſtributas. Semina ergo facta ſunt tunc, cum factus eſt dies, & in ipſis erat omne viride agri, & omne fenum, nedum ea ſpecie, qua ſunt ſuper terram iam exorta, ſed ea, in qua ſunt in rationibus ſeminum.

Sed & iſta explicatio à D. Aug. exploditur. Non enim ita ſcriptura loquitur, cum dicat. Et produxit terra, herbam pabuli, & herbam feni ſeminantem ſemen, ſecundum genus, & ſecundum ſimilitudinem, & lignum fructuoſum faciens fructum, cuius ſemen in ſe ſit ſecundum genus ſuper terram: his enim verbis magis apparet, ſemina eſſe exorta ex herbis, & lignis, non autem illa ex ſeminibus, ſed ex terra. Præſertim, quia, & ipſa verba Dei ſic habēt: non enim ait germinent ſemina in terra herbam feni, & lignū fructuoſū, ſed ait. Germinet terra her-

bam feni ſeminātem ſemen, vt ſemen ex herba, non herbam inſinuaret, ex ſemine.

Tertia explicatio eſt etiam D. Aug. vbi ſupra. Vbi inquit, quod aliud fuit eis fieri, cum cœlo, & terra, quando factus eſt dies ille inuſitatus, atque incognitus nobis, quem primum Deus fecit; & aliud exoriri ſuper terram, qđ non fit niſi per hos dies, quos circuitus Solis facit per temporum motas, ſuo cuique generi accommodatas; qđ cum ita ſit. Longe aliter nota eſt angelis creatura Dei, aliter nobis, excepto, quod eā in verbo nouerunt, per quod facta ſunt omnia, etiam in ſe ipſa; dico longe aliter eiſque notam eſſe, quam nobis; illis enim primordialiter, (vt ita dicā) vel originaliter, ſicut eam Deus primitus condidit; & poſt eam conditionem à ſuis operibus, requieuit, non condendo aliquid amplius. Non autem ſecundum rerum cōditarum adminiſtrationem, iam per ordines temporum, ſecundum quam Deus iam illis rebus per ſenariam perfectionem conſumatis, vſque modo operatur. Cauſaliter ergo dictum eſt produxiſſe terram herbam, & lignum, ideſt producendi accepiſſe virtutē. In ea quippe iam, tamquam in radicibus, (vt ita dixerim) temporum facta erant, quæ per tempora futura erant. Ex quibus verbis datur intelligi, quod cum dicitur germinet terra herbā virentē, &c. hoc attenditur, quod in opere conditionis herbarum, & lignorum cū terra, non attenditur tantum ſeminum grauidatio, ſed ipſarum ſpecierum productio, quæ habebant in ſe rationem ſeminalem: cum autem dicitur antequam fenum agri eſſet exortum, hoc intelligitur ſecundum curſum naturę, quomodo herba producitur naturaliter, & planta ex planta ex ſemine.

Quarta explicatio eſt Lyrani, atque Toſtati in 2. c. Geneſ. quod productio herbarum facta fuit à Deo antequam naturaliter in terra aliquid oriretur, cum non dum virtus generatiua terræ data fuiſſet. Item quia eadem die terra creata fuerat, omnemque herbam regionis, ideſt totius terræ, antequā germinaret, ideſt antequā naturaliter dilataretur, vel emitteret germina, quia etiā terra ad productionem tertię diei pertinet. Significant itaque hæc verba, fecit Dominus Deus herbam regionis, prius quàm germinaret, illam Dei procreationem herbarum, atque plantarum fuiſſe primam omnium, non vi naturæ, ſed potentia Dei perfectam; quæ explicatio maximè quadrat, cum verbis ſequentibus.

Non enim pluerat Dominus ſuper terram, & homo non erat, qui operaretur terram.

HIc rationem reddit, quare antequam exortum eſt, fecerit Deus fenum agri, quæ ſcilicet non dū pluerat ſuper terrā. Si enim poſt pluuiam fenum feciſſet Deus, pluuia magis exortum, inquit D. Chriſoſt. hom. 11. in gen. quam ab ipſo Deo factum videretur, hæc itaque recapitulando commemorat: quoniam quādo fecit Deus omne viride agri, & omne fenum, nō dum pluerat ſuper terram, & nō dum erat homo. Tertio quippe die fecit iſta Deus, hominem autem ſexto. Sed cum fecit Deus omne viride, atque omne fenum agri, antequam exortum eſt ſuper terram, non ſolum homo nō erat, qui operaretur terram, ſed nec ipſum fenum erat ſuper terram, quod vtique ante dicit factum, quam exortum.

Sed die tertio fecit forte Deus iſta, quia non dum erat homo, qui operando terram faceret ea? quaſi vero tam multa ligna, & tam multa genera herbarum, ſine vllo hominis opere non naſcerentur ex terra. Dicendum quod ob hoc vtrumque poſitum eſt, & quia non dum pluerat ſuper terrā, & quia

non

non dum erat homo, qui operaretur terram: nam licet quædam per pluuiã naſcantur, vbi opera humana non eſt, tamen ſunt quædam, quæ etiam ꝑ pluuiam non naſcuntur, niſi humana opera accedat: atque adeo nunc vtrũque adiutorium neceſſarium eſt, vt cuncta naſcantur. Tunc autem vtrum que defuit. Ideo fecit Deus hæc potentia verbi ſui ſine pluuia, ſine opere humano: nam etiam nunc ipſe facit, ſed iam per pluuiam, & hominũ manus: quamuis, neque qui plantat ſit aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. His ergo verbis inquit Nico. de Lyra cauſam reddit Moſes, quare non orta fuerunt virgulta, & herbæ: quoniam ea, quæ in terra gignuntur, ex duobus principijs maximè generantur, ſcilicet ex humido, tamquã ex materia, & ex calore tamq̃ ex actiuo digerente, & conſequenter ex diſpoſitione artis humanæ per agriculturam iſta duo adiuuante; cum ergo deficeret pluuia humectans, & labor humanus diſponens, ceſſabat pullulatio, vel ortus plantarum; ideo dicit. Non enim pluerat Dominus ſuper terram, id eſt in quattuor diebus, qui fluxerunt à die, quo herbæ, & arbores, vſque ad diem quo homo poſitus fuit in paradiſo, non pluit, & hoc quoad deffectum pluuiæ humectantis; & homo non erat ſuper terrã, &c. & in hoc erat defectus ſecundi, ſcilicet artis, & laboris, humorem, & calorem adiuuantis.

DE CAVSA MVLTIPLIcationis, & collocatione hominis in Paradiſo.

Sed fons aſcendebat è terra irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ.

HIc dicere incipit, de cauſa multiplicationis, & collocatione hominis in paradiſo, & cum omnia creata ſint quodammodo propter hominem, ideo primo epilogauit aliorum creationem aliquid ſuperaddendo cũ dixit. Iſtæ ſunt generationes cœli, & terræ, &c. Sed cur incepit ab origine ex parte aquæ? Inquit D. Aug. lib. 5. de Gen. c. 7. Quod ab eo incipit elemento, ex quo cuncta genera naſcuntur, vel animalium, vel herbarum, atque lignorum, vt agunt temporales numeros ſuos naturis proprijs diſtributos: omnia quippe primordia ſeminum, ſiue vnde omnis caro, ſiue vnde omnia fructeta gignuntur humida ſunt, & ex humore creſcunt. Vtrumque tamen datur intelligi: nam ea, quæ fiũt, ex commixtione fiunt aquæ, & terræ adiunctis alijs elementis, ſed hæc duo ſunt manifeſtiora, igitur de his duob. facit mentionem; rationem etiam corpulentiæ (non dico corporeitatis) accipiunt ab elementis iſtis principaliter, ſed terra eſt vnde plus accipiunt de materia, humor vero, qui ex aqua eſt, vnde plus accipitur multiplicatio.

Sed quia duplex eſt humor, vnus qui deſcendit ex nubibus aeris, & alius, qui oritur in terra. Quare cauſam multiplicationis deſignat penes fontalem humorem primo, & non penes pluuialẽ, cum videamus manifeſtius cauſam multiplicationis eſſe ex humore pluuiali, quam fontali in vniuerſa terra? & præſertim cum humor ſit pluuialis, ſit minutatim terræ irrigatio, vnde magis videbatur conuenire à principio.

Reſpondet Alex. de Ales p. 2. q. 57. m. 3. Quod cum non legatur de pluuia niſi cum introductum eſt diluuiũ, nec de arcu ſiue Iride, niſi in ſignum reconciliationis, videtur quodammodo in pœnam, poſt peccatum pluuia introducta. Fit enim pluuia ex vapore aquoſo eleuato in nubibus: In vapore autem eſt quædam confuſio elementorum, vnde introductio vaporis videtur eſſe ſignum confuſionis crea-

Pluuia videtur introducta ĩ pœnã poſt peccatũ

turæ humanæ, quæ iam venerat in confuſionem peccatorum. Prius enim erat aer ſerenus in cōditione operum primorum, ſed poſt factus eſt nubiloſus. Rectè ergo eſt primo facti multiplicatio ex humore fontali irrigāte ſuperficiem terræ. Si cui autem videtur fuiſſe pluuia, (licet de hoc non faciat mentionem Sacra ſcriptura) nihilominus oportet eum intelligere, primo, quòd humor aqueus imbibitur terrę, antequam fiat vaporum eleuatio, & conſequenter pluuiarum deſcenſio, q; enim dicitur ligatio aquarum, vt non pariter erumpant deorſum, non videtur ad primum ſtatum referri. Cæterum.

Quæſ.1 Quæritur primo, ſuppoſito ex ſcriptura, quod humor aqueus, qui ī terra oritur, ſit principium irrigationis primæ; quare dicitur eſſe fontalis, cū ex conditione operum ſex dierum habeamus, quod aquæ inferiores congregatę ſunt, & congregationes dictę ſint Maria. Vnde videtur, quod irrigatio totius terræ ſit ex illis maribus: mare enim accipitur communiter pro congregatione aquarum. Quid ergo eſt quod dicit fons aſcendebat?

Fōs qui aſcendebatè terra irrigās vniuersā ſuperficiē terrę, qs nam fuerit.

Item ſuppoſito, quod fons, ſecundum rationem aliquam fontis irrigaret, cum non videatur de alio fonte facere mentionem, niſi de illo fonte paradiſi, qui diuiditur in quattuor capita, videtur impoſſibile, quod totam ſuperficiem terrę irrigauerit; cum non legatur de illis quattuor capitibus, niſi quod per terras currunt determinatas, & illas irrigent, aliæ vero ſunt terræ, ad quas non extenditur eorum irrigatio, Si vero fuerit alius fons maior illo, mirum eſt vbi modo ſit. Si enim obſtruſus eſt propter primorum parentum peccatum, videretur alicubi, in ſcriptura fieri mentio de iſta obſtructione.

Præterea multiplici genere peccati peccauit homo ante diluuium, & tamen non legitur, quod ante diluuium fuerit aliud genus irrigationis, ergo relinquitur, quòd ſi obſtruſus eſſet, hoc non eſſet propter peccatū primorum parentum.

Reſpondet Alex. de Ales, vbi ſupra iuxta mentem D. Aug. lib. 5. de Gen. ad lit. c. 7. Quoniam Latinus, & Græcus interpres vocabulum hæbreum. Ed. expoſuerunt vocabulo fontis, per obſcura eſt ſententia, quis enim fuerit fons ille vniuerſam irrigans terram, difficilem habet explicationem; poteſt tamen dici opinando ſecūdum illud, quod introducit D. Aug. quòd potuit per fontem intelligi Oceanus, inquantum per diuerſas partes rimis ſuis extenditur, & diuerſi ſunt meatus ſubterranei, per quos fiunt exalationes aquarum, cuius vnus ramus fuit fons, qui irrigabat Paradiſum, & dicitur fons irrigare ſuperficiem terræ; non quod inundaret ſuper eam, ſed quod in maiori parte irrigauerit, vel (vt inquit Nicol. de Lyra) quia aquæ latentes ſub terra, diſcooperta aquis diuina voluntate, aſcendebant vſque ad ſuperficiem terræ per modum fontis, in qualibet parte terræ, vbi erant plantæ, & herbæ producendæ, atque ita ex aqua, & terra ſimul commixtis, productæ ſunt diuina voluntate herbæ, & plantæ perfectę ſecundū ſpecies ſuas & fructus; & talem commixtionem aquæ cum terra, vocat hic irrigationē, cum dicitur irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ; & hoc intelligendum eſt referendo iſtam literam ad terræ naſcentia, producta tertia die, in qua oſtenditur modus, quomodo facta eſt illa productio ex parte materiæ.

Secundo poteſt dici, vt docet D. Aug. vbi ſupra, c. 10. Quoniam dixit Moſes fons aſcendebat, &c. & non dixit vnus fons, poteſt intelligi, quòd hoc nomen fons vniuerſaliter cōprehendat omnem fontem, ſiue aquæ ductū. Vnde D. Aug. ſuper Gen. inquit.

Quod

Quod ſi ipſius abyſſi magnitudinem, ea parte excepta, quę mare dicitur, & euidenti amplitudine aqua maris ſubtêrrā ambit, in ea ſola parte, quam reconditis ſinibus terra continet, vnde ſe omnes fontes, & omnes aquæ diuerſis tractibus, venisque diſtribuunt, & ſuisque que locis erumpūt, fontem voluit appellare ſcriptura, non fontes propter naturæ vnitatem, cumq; per innumerabiles vias antrorum, atque rimarum aſcendentem de terra, & vbique diſpertitis, quaſi crinibus irrigantem omnem ſuperficiem terræ. Non continua ſpecie, tamquam maris, aut ſtagni, ſed ſicut videmus ire aquas per alueos fluminum, fluxumque riuorū, & eorum exceſſu vicina perfundere, quis non accipiat, niſi qui contentioſo ſpiritu laborat? & iterum ibidem, pro numero plurali poſuit ſingularē, vt intelligamus fontes multos, per vniuerſam terram, loca, vel regiones proprias irrigantes, ſicut dicitur miles, & multi intelliguntur, ſicut dicta eſt locuſta, & rana, in plagis quibus Aegiptij percuſſi ſunt, cum eſſet innumerabilis locuſtarum numerus, & ranarū.

Quidam autem putauerunt, vt refert D. Aug. vbi ſupra, c. 10. ſic fieri irrigationem, quemadmodū Nilus quodam tempore anni irrigat terram, vt aliquo tempore effundatur ſuperficiē terræ, aliquo vero tempore contrahatur. nam certo tempore per plana Aegipti Nilus reſtagnat, & alio tempore ad ripas ſuas redit. Quod ſi iſte neſcio cuius ignotæ, ac lōginquæ partis mundi aquis, & pruinis hiemalibus, anniuerſaria credatur incrementa colligere. Quid de Oceani alternis eſtibus? quid de quibuſdam littoribus, quæ late nudantur fluminibus, viciſſimque operiuntur dici poteſt? Omittā quod de quorumdam fontium mira viciſſitudine perhibetur, certo annorum interuallo, ſic eos inundare, vt totam illam regionem rigent, qui alio tempore vix, ex alijs puteis ad potādum ſufficientem præbent aquam. Cur ergo ſit incredibile, ſi ex vno Abyſſi capite, alterna innundatione fluente, atq; refluente, tunc vniuerſa terra rigata eſt.

Hæbrei autē, vt refert Nicol. de Lyra, in c. 2. Gen. & Pererius lib. 1. in Gen. dicunt vocem ſed, ſignificare vaporē, talem ſcilicet, qualis eſt ex quo vi Solis, è terra in ſublime attracto pluuia generatur, quam interpretationem ſecutus eſt Paraphraſtes, Aquila, & Theodoretus; licet Theodoretus explicans qualis fuerit vapor ille; putat terram à princ. non eſſe irrigatam imbribus, ſed humore, ſeu vapore, qui poſt generalem illam aquarum à terra ſegregationem tertio die factam, aliquandiu in ipſa remanſit, & vicem pluuiæ, ad eam perfundendam, & fecundandam impleuit. Cęterum hæc Theodoreti ſententia verbis Moſis minimè quadrat: ait enim vaporem aſcēdiſſe de terra, & omnem ſuperficiem eius irrigaſſe, verbum enim aſcendendi, & irrigandi, humori ex aquis in terra relicto nequaquam congruit. Volunt itaque hæbrei, quod non debet dici fons, ſed nubes, & dicunt, quę eſt veritas litteræ, & nubes aſcendet de terra.

Verum Toſtatus dicit, quod melius legitur. Fons; quia ſi dicamus, quod nubes aſcendebat, cum nubes reſoluta eſt, pluuia fit, quod videtur diſſonare textui dicenti, quod non pluerat Deus, & ſubdit, quod vox hæbrea; ed, ęquiuoca eſt ad fontem, vel nubem; Sed ad Toſtatum poſſet dici, quod iſta littera non eſt referenda ad terræ naſcentia producta tertia die, ſed ad ea, quæ poſtea producta ſunt virtute naturæ per pluuiæ humorem; illæ tamen, quæ poſtea producuntur virtute naturæ, ſic producentur, quod aſcēdet nubes per vapores de terra, & conuertetur in pluuiam irrigantem terrā

ad plantarum, & herbarum germinationem. Nec obſtat quod dicit Toſtatus, quod illa aduerſatiua, ſed, facit referri, hoc ad illa immediatè, ſcilicet nō pluerat Deus ſuper terram, & ſit ſenſus, licet non eſſet pluuia, tamen fons aſcendens de terra irrigabat loco pluuiæ: quoniam ſecundum veritatē hæbraicam, non dicitur aſcennebat, ſed aſcendet nubes, &c. & ei, quod dicit quod vox, ed, eſt ęquiuoca ad fontem, & nubem reclamant hæbrei; Germana igitur huius loci explanatio, ea videtur eſſe, primam quidem generationem plantarum à ſolo Deo immenſa eius potentia, non autem per cauſas naturales eſſe factam, cæteras vero, q̄ deinceps conſecutæ ſunt ſtirpium generationes, factas eſſe modo, & generatione naturali, videlicet per culturā hominis, & vim pluuiæ, cuius materiam generationis locum, item finem, atque vſum eius, his paucis verbis Moſes aperuit materiam, cum dixit. Vapor. ex vaporibus enim gignitur pluuia, locum cum inquit; aſcendebat è terra; ex vaporibus enim ſublatis ex terra in ſuperas aeris regiones pluuiæ generatio exiſtit; finem autē, & vſum eius, cum adijcit, & irrigabat vniuerſam ſuperficiem terræ.

DE FORMATIONE humanis Corporis.

Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.

SVpra iā dixerat Moſes, quod Deus creauit hominem, ſed non dixerat quomodo, & vnde fecit eum: Dixerat etiam quod maſculum, & fęminam creauit eos; ſed nō dixerat, quod fęminam fecit de maſculo. Et quidem de creatione maſculi, & fœminę ſi nihil amplius diceret, quam quod ſupra dixerat. Maſculum, & fœminam creauit eos, forte vt de iſto ſimuliter opinaremur, quod ita Deum maſculum, & fœminam creauerit ſimul, vt neuter altero prior crearetur repente exorti, mutuo ſibi præbuerint conſpectus; ſicut verbi gratia de Sole, & Luna, hodie inter doctos diuerſas ſententia eſt, alijs dicentibus, quod Lunam creans Deus ſtatim plenam, oſtenderit ſoli oppones remotam dimidia parte cœlialijs è contra aſſerentibus, quod vtrumque, vt ſimul fecit, ita & in coitu poſuerit, vt paulatim Luna de ſub latere Solis emergeret, cū cremento mutuati luminis. Sublata eſt huiuſmodi dubitatio hiſtorica narratione, quæ ſic inchoatur. Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ. Solum namque maſculum hic intelligi oportet: quia poſtmodum de maſculo fœmina formata eſt.

Addetis, quod ſupra Moſes enarrans opus ſextę diei, ſummatim memorauerat creationem hominis, ea dumtaxat ratione, qua homo pertinebat ad opus ſextæ diei; quo ſcilicet die, tam homo, quam animalia terreſtria procreata ſunt. Abſoluta igitur ſex dierū hiſtoria, de integra Moſes creatione hominis, tam viri, quam fœminæ ſubtiliter, diſtinctè, & accuratè deſcribenda ſuſcipit, tum quod in generatione hominis multa ſane præclara, & eximia, ac ſingularia obſeruanda, & admiranda ſunt, tum quod propter hominem præcipuè ſcriptio huius libri, à Moſe ſuſcepta eſt.

At quoniā de corporis humani formatione tractat hic Moſes, ideo conſiderandum eſt, de eo primo quantum ad innocentiæ ſtatum, deinde quantum ad ſtatum naturæ lapſæ. Et primum, quo ad ſtatum innocentiæ conſiderandum eſt de ipſo, & conditionibus eius dupliciter, ſcilicet quo ad fieri, & quo ad eſſe, quo ad fieri quadrupliciter, ſecundum quattuor genera cauſarum, & primo quo ad cauſam efficientem; ſecundo quo ad cauſam materia-

materialem; tertio quo ad cauſam formalem,& quarto quo ad cauſam finalem: nam humani corporis, quemadmodum cæterarum omnium rerũ naturalium quattuor ſunt cauſæ: materia, forma, finis, & efficiens, quas omnes Moſes generationem hominis deſcribens indicauit. Efficiẽtem quidem dicens. Deus; materiam cum ſubdit de limo terræ, formam cum dicit formauit,& finem cum ſubdit,& factum eſt homo in animam, &c.

De humani Corporis Formatione, quo ad cauſam efficientem.

Quæſ.1 Corpus Adæ fuit format° à Deo.

QVæritur primo, an Corpus Adæ fuerit formatus à Deo. Dicendũ eſt cum D. Aug. lib.9. de Gen. ad lit. c.15. & Alex. de Ales 2.p.q.75.m.1. Quod corpus primi hominis fuit conditus à Deo, non ab Angelo, vel alia creatura, vnde dicit Aug. formare, vel edificare coſtam, vt mulier eſſet, vſque adeo non potuit, niſi Deus vt nec illud quidem carnis ſupplementum in corpore viri, quod in illius coſtæ locũ ſucceſſit, ab Angelis factum eſſe credi der m; ſicut nec ipſum hominem de terræ puluere. Ratio autem quare dicebat diuinam prouidentiam, vt homo etiam (ſecundum corpus) eſſet à Deo, eſt quædam ex duabus completa. Prima eſt ſumpta à cauſa exemplari. Secũda à cauſa finali. Prima eſt hæc. Homo ſecundũ corpus eſt imago Dei: quia ſicut Deus eſt principium, vt docet Mag.2.ſent.d.16.in fine. Proximitas enim imaginis ad illud cuius eſt imago omnem renuit mediationem in creando, ſicut in imm tando. Altera eſt hæc, cum Deus ſit α, & ω. principium, & finis Apoc.1. voluit, vt homo, quantum ad vtramque ſui partem à nullo alio ſortiretur eſſe, vt ſe totum ſciret Deo eſſe obnoxium, quem etiam quantum ad corpus, tantum nobilitauit, vt illi ſoli ſeruiret, vt eum aſſequeretur, quaſi finem, nec eſt contra hoc, quod omnes homines ſunt Deo obnoxij; quia omnes in primo homine quodãmodo conditi ſunt. Non enim conditus ſuit primus homo, etiam quantum ad corpus, vt res quædam ſingularis, ſed potius, vt generale principiũ omnium corporum generis humani. Præterquam quod ſucceſſores primi hominis, non ſunt ea ratione imago Dei quo ad corpus, qua ipſe, vnde tota ratio, qua conuenit primum hominem immediatè à Deo formari, non conuenit eis. Hæc aſſertio eſt de fide certa, contra quoſdam Phyloſophos, & Hæreticos, qui exiſtimauerunt res corporales à Deo fuiſſe productas mediantibus Angelis, vt vidimus ſupra. Item eſt hęc aſſertio contra Phylonem in lib. de opere ſex dierum, vbi ex Platonis ſententia in Timeo, ait corpus hominem, &c. quia ſcilicet ille animam, illi corpus formaturi eſſent. Et confirmatur ex D. Aug. lib.3. de Trinit. c.8. & 9. Vbi generatim docet, nullas res naturales ab Angelis fieri poſſe, niſi per accidens, ſi nimirum per motum localem applicent actiua paſſiuis. Item ex Baſilio hom.9. in Gen. ſub finem, & D. Cyrillo contra Iulianum poſt medium; qui aſſeuerant verbis illis, faciamus hominem, &c. ſermonem inter ſolas perſonas diuinas ſignificari, atque adeo hominem à ſola Sanctiſſima Trinitate fuiſſe conditum, ſine vllo alio adiutore, contrariamque ſententiam appellat Iudaicum errorem, vt etiam D. Ambroſ. lib.6. Hexam.c.7.

Quæſ.2 Corpus Adæ an ab angelis formari potuerit.

Quæritur ſecundo, an corpus Adæ ab Angelis formari, vel condi potuit. Et videtur, quod ſic: quia eiuſdem eſt potentiæ, & amplioris, reformare corpora mortuorum ex puluere, & formare ex puluere, vtrobique enim videtur eſſe potentia paſſiua, vel obedientia materialis tantum, primum autem fiet miniſterio Angelorum, ſicut dicitur; ergo videtur, quod & ſecundum fieri poſſit;

Digitized by Google

poſſit,atque adeo,quod corpus primi hominis, potuit formari de luto, vel pulueribus miniſterio Angelorum.

Prætereà, cum nulla eſt in Angelis potentia,vt aliquid creetur ſecundum D.Aug.9. ſuper Gen. ad lit.c.15. ergo Angeli potuerunt corpus Adæ deducere in eſſe. Item corpus Adæ fuit in temporibus ſex dierum ſeminaliter, ſcilicet in quattuor elementis, ſecundum D.Aug. vbi ſupra; ergo ſi Angeli cognouerunt proportiones elementorum, quę requirebantur ad productionem corporis humani,& cõſtat,quod miniſterio eorum poterant coaptari,& compingi in tali proportione, relinquitur, quod poterant corpus primi hominis formare.

Reſpondet Alex. de Ales vbi ſupra m.2.art.1. quod Angeli non poterant per eorum miniſterium educere corpus humanum,nec ad hoc erat potentia eorum ordinata, & hoc dicit D.Auguſt. lib.9. ſuper Gen.ad lit.c.15. Formare, vel edificare coſtam, vt mulier eſſet, &c.vt ſupra.

Et confirmatur ratione D.Thomæ, 1.p.q.31. art.2. Formæ in materia non poſſunt introduci naturaliter à ſolis formis,quales ſunt Angeli,ſed à compoſitis agentibus; vt oſtendit Ariſt. lib.7. Meth.tit.26.& ſequent. Corpus autem humanum productum eſt per introductionem formæ in materiam, cum à forma vtique habeat, quod ſit humanum corpus. Adde quod vt docet D.Thomas,art.2.ad 3. inſtar miraculi fuit,quod in materia limi,a terrę, & aquæ, immediate introducta fuerit forma humani corporis cum ſuis diſpoſitionibus requiſitis.Quare hoc nõ ab Angelis, aut vllo agente naturali, ſed à ſolo Deo fieri potuit.

Concedit tamen D. Aug. lib.9. ſuper Gen. ad lit. c.15. potuiſſe fieri, vt aliquod miniſterium ſuum Angeli in formatione hominis adhibuerint, idque conſonat cum eo, quod lib.3. de Trinit. c.4. docet. Corporalia regi, & adminiſtrari per ſpiritualia, ſed lib.9. ſuper Gen. cap. 15. loquens de corpore ait, non poſſe ſciri quale nam fuerit id miniſterium. Quale (inquit) miniſterium exhibuerint Angeli in illa mulieris formatione,quis audeat affirmare? atque idem videtur eſſe Aug. iudicium eo loco,de miniſterio, quod forte Angeli exhibuerunt informatione corporis Adæ. Sed quamuis nihil certè de eo miniſterio Angelorum affirmari poſſit, tamen non improbabiliter D.Thom. loco ſupra citato ad primum indicat illud fuiſſe,quod Angeli pulueres illos aliquomodo collegerint,& in limum cõpegerint.Sic enim ait. Potuit fieri, vt aliquod miniſteriũ informatione corporis primi hominis Angeli exhiberent, ſicut exhibebunt, in vltima reſurrectione, pulueres colligendo.

Non eſt etiam abſurda cogitatio eorum, qui putant fieri potuiſſe,vt ex limo fieret quoque effigies hominis in modum ſtatuæ,ex qua Deus verũ corpus humanum formaret, illã videlicet in hominem transformando, quamq̃ ex ſcriptura quidem minimè conſtat, vtrum ex tali limo, ſcilicet ad hominis ſimilitudinem effigiato, Deus hominẽ formauerit, ſed tantum quod ex limo illum fecerit. Nam quod legimus hic. Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ,& factus eſt homo in animam viuentem, non ſignificat fuiſſe prius in limo effigiem faciei humanæ,in quam Deus immiſerit deinde animam, ſed ſignificat ipſam informationem totius corporis humani per animam, quam ſimul ei Deus indiderit,cum illud formauit, vt optimè explicat D.Thom.loco citato, art.4.ad 4. vbi ſapienter ait; ideo per informationem faciei ſignificatam eſſe illo loco totius corporis humani formationem; quia in facie eſt illuſtrior vitæ operatio ob ſenſus in ea vigentes.

Sed

Sed qualecumque fuerit illud miniſterium, quod Angeli Deo exhibuerint informatione corporis humani, conſtat tamen non ob id cenſeri debere humani corporis fuiſſe conditores: quia forte materia ex qua illud conderetur aptauerint, quam rem aliquot exemplis illuſtrat, & confirmat rectè D. Aug. lib. 9. ſuper Gen. ad lit. c. 15. vt patebit in reſponſione ad ſecundum.

Ad primum in oppoſitum dicitur, quod non eſt ſimile de formatione, & reformatione: nam in pulueribus ex quibus erit reformatio, erit quædam aptitudo, ſeu appetitus adhoc, quod ſimul vniantur in corpore, & vlterius ad vnionem cum anima, cui atteſtatur ordinatio corporis ad neceſſitatẽ non moriendi: quæ quidem aptitudo non erat in pulueribus, vel in luto, ex quibus formabatur corpus primi hominis.

Dicitur ſecundo, & melius cũ Doc. ſub in 4. d. 43. q. 3. art. 3. & q. 4. art. 1. & 2. quod collectio cinerum, ſeu partium corporum fiet vtique miniſterio Angelorum in corporum reſurrectione: ſed corporis formatio: quoniam fiet in inſtanti; fiet immediate virtute diuina: nam Angelus non poterit illã formam ſubſtãtialem inducere in materia in momento, & ſine preuijs diſpoſitionibus, atque adeo, ita ſoli virtuti actiuæ diuinæ ſuberit productio ſecunda, ſicut eidem ſoli ſubeſt prima hominis productio.

Ad ſecundum dicitur, quod Angeli creare non poſſunt, poſſunt tamen iuſſu Dei, inquantum voluntati eius obediunt, de rebus ſubiectis tamquam materiam miniſtrare, vt aliquid creetur, vnde D. Aug. lib. 9. ſuper Gen. ad lit. c. 15. Cum Deus vniuerſam creaturam ſuam bipartito quodam modo, opere prouidentiæ, & in naturalibus, & in voluntarijs motibus adminiſtret, creare naturam tamen nullus Angelus poteſt, quam nec ſe ipſum. Voluntas ergo angelica obedienter Deo ſubdita, eiuſque executa iuſſionem, naturalibus motibus de rebus ſubiectis tãquam materiam miniſtrare, vt ſecundũ illas principales in Verbo Dei non creatas, vel ſecundum illas in primis ſex diebus cauſaliter creatas rationes, aliquid in tempore creetur, more agricolandi, vel medendi pôt. Et eſt exemplum Aug. de Medico, qui ægro corpori alimentum adhibet, & vulnerato medicamentum: primum non de rebus, quas creauit, ſed quas creatas opere Creatoris inuenit, deinde cibũ, vel potum præparare potuit, & miniſtrare, & implaſtrum formare, & medicamẽtum illitum apponere. Num etiam ex iis, quæ adhibet operari, & creari vires, vel carnem poteſt? nam id agit interiore motu, nobiſq; occultiſſimo; ſicut opus eſt Agricolæ, vt ſurculus euellatur ex arbore, terræque mandetur; at non eius opus eſt, vt ſuccum imbibat, vt germen emittat, vt aliud eius ſolo figat, quo radicem ſtabiliat, aliud in auras ꝓmoueat, quo robur nutriat, ramoſque diffundat, ſed illius, qui dat incrementum.

Ad vltimum dicitur, quod & ſi Angeli ſciant proportiones elemẽtorum, quæ requiruntur ad formationem corporis humani, & elementaria materialia humani corporis debita formatione membrorum compingere, tamen corpus humanum formare nequeunt; illam enim armoniam, & diſpoſitionem, qua aptum eſt ad ſuſceptionem animæ rationalis, & ita tamquam propria, & debita proportione perfici, imprimere, ſiue inſerere non poſſunt, qđ neceſſario requiritur, ad corpus humanum, ſicut infra melius patebit.

Quæſ. 3 Corpus Adæ an formari potuit à Demonibus.

Quæritur tertio, an Corpus Adæ à Demonibus in eſſe deduci potuit. Reſpondet Alex. de Ales vbi ſupra, quod nullam rem cuius propriè natura eſt cauſa, poteſt Angelus bonus, vel malus educere de potentia ſeminali in actum,

Digitized by Google

ctum, vel in eſſe. Cuius ratio eſt hæc: Quoniam cũ duplex ſit operatio creaturæ; quædam ſcilicet agentis à neceſſitate, vt illa, quæ eſt naturæ, & quædam agentis per electionem, vt illa, quæ eſt voluntaria, illa, quæ eſt Angeli cadit ſub ſecunda differentia. Vnde D. Aug. lib. 8. ſuper Gen. ad lit. c. 9. In ipſo mundo gemina operatio diuinæ prouidentiæ reperitur, partim naturalis, partim voluntaria; naturalis quidem per occultam Dei adminiſtrationem, quæ etiam lignis, & herbis dat incrementum. Voluntaria per Angelorum opera, & hominum. Eſt ergo operatio angelica quantum ad ea, quæ operatur in mundo voluntaria, vnde, & artificialis: maximè cum operatur in mundo circa hæc inferiora, producendo illa in eſſe, vel perficiendo. Vnde Angelus in talibus eſt agẽs, vt Artifex, & operatio eius operatio artis, & ab eo operatum artificiale.

Quocirca nihil, quod propriè eſt producendum in eſſe ſecundum decretum naturæ poteſt, ab Angelo produci in eſſe, ſicut nec naturale poteſt eſſe artificiale: poteſt tamen Angelus naturam expedire, & in productione rerum naturalium in eſſe; opus illud accelerare, ſed illud in eſſe producere non poteſt, ſicut, nec agricola ſegetes, vel arbores. Quod manifeſte patet: quia ſi in huiuſmodi producendis in eſſe, multa ſollicitudine Angelus operaretur, ceſſante operatione naturæ in nulla proficeret. Vnde D. Anſel. de conceptu Virginali. Sicut creata natura nihil per ſe facere poteſt, niſi quod volũtate Dei accepit, ſi. voluntas creaturæ nequit, quidquam per ſe operari, niſi quod natura adiuuat, vel concedit. Eſt ergo Angelus agens, vt Artifex, propter quod ab Aug. comparatur medico, vel agricolæ, ſicut ſupra dictum eſt. Vnde corpus compoſitum ab Angelo, ſiue bono, ſiue malo, ad effigiem corporis humani, eſt corpus artificiale, non naturale; vnde nec eſt corpus humanum, quod per ſe eſt corpus naturale, ſicut nec corpus artificiale ad effigiem corporis humani compoſitum, vt ſtatua, vel huiuſmodi.

Quæritur quarto, an natura inferior, vt virtus cœlorum, aut aſtrorum, vel etiam ipſamet virtus corporib. inferioribus inſita, Adæ corpus in eſſe producere poterit, & videtur, quod ſic, quia Aug. in Gloſſa Exo. 7. inquit. In ſunt rebus corporeis per omnia elementa mundi, quædam occultæ ſeminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis, & finib. ex hoc verbo Aug. patet, quod ea, quorum ſunt rationes ſeminariæ occultatæ in rebus ſeminalibus, vel elementaribus, data temporis opportunitate exeunt in eſſe, & conſtat, quod iſte exitus eſt per operationem naturę ergo cum corpus primi hominis ſecũdum ſeminalem rationem eſſet in reb. operum ſex dierum videtur, quod data temporis oportunitate eductum eſſe adeſſe per operationem naturæ, ſed hoc fieri haud poſſet, ſi natura non poſſet. *Queſ. 4* **Corpus Adæ an potuerit ab influentia cælorũ produci**

Reſpondetur cum Alex. de Ales loco citato. m. 3. quod nulla natura inferior poterat corpus primi hominis deducere in eſſe, quia hoc non fuit alicui creaturę inferiori, nec ſuperiori datum à Deo. Vt enim dicit D. Aug. contra Fauſtum; Illud erit, cuique rei naturale, quod ille fecerit, a quo omnis modus, & numerus, & ordo naturæ; vnde natura inferior nihil poteſt, niſi quod eſt ei naturale.

Et ad id, quod obijcitur ex D. Aug. dicendum, quod licet corpus primi hominis ſecundum ſeminalem rationem eſſet in elementis, non debuit operatione naturæ produci in eſſe, ſicut alia, quæ ſecundum eamdem rationem erant in elementis. Et hæc eſt ratio ſumma potentia, quæ in elemẽtis

mundi,

Digitized by Google

mundi, cauſales rationes, & ſeminales inſeruit, non indidit illis, ſiue eorum naturæ, vt illorum operatione omnia huiuſmodi ineſſe educerentur, ſed eductionem quorundam ſibi reſeruauit, de quorum numero erat corpus humanum, ſiue primi hominis. licet enim præfixerat in primis rerum cauſis, vt corpus primi hominis fieret, tamen non præfixit, vt operatione illorum fieret, vel ſic fieret. Poteſt ergo dici cum D.Thom. 1.p.q.91.art.2. ad quartum, quod aliquid præexiſtere ſecundum rationes ſeminales in creaturis, poteſt intelligi dupliciter, vno modo ſecundum potentiam actiuam, & paſſiuam, vt non ſolum ex materia præexiſtenti fieri poſſit, ſed etiam, vt aliqua præexiſtẽs creatura facere poſſit. Aliomodo ſecundum potentiam paſſiuam tãtum, vt ſcilicet de materia præexiſtenti fieri poſſit à Deo: & hoc modo ſecundum D. Auguſtinum corpus hominis præexiſtebat in operibus ſex dierum ſecundum cauſales rationes. Legat Lector q.1.lib.5.quæſtionum naturalium, Andreæ Ciſalpini. Clariſſimi Phyloſophi.

De humani corporis formatione quo ad cauſam formalem.

APpello hic cauſam formalem non eam, quæ rei compoſitæ pars eſſentialis, nec quæ eſt exemplaris; hoc enim magis pertinet ad eſſe corporis, quam ad eius fieri, ſed formam hic dico, prout in fieri cõſideratur modus exeundi in eſſe. & iuxta hoc

Quæſ. 1 Corpus Adæ an creatũ fuerit.

Quæritur primo. Vtrum corpus Adæ per creationem productum fuerit. Pro huius difficultatis ſolutione obſeruandum eſt primo iuxta Alex. de Ales. p.2.q.76.m.1. quod in productione rerũ poteſt multiplex eſſe defectus in principijs. Vno modo poteſt eſſe defectus, quia neutrum eſt aliquo modo, vt quando tam materiale, quam formale principium ſimpliciter non eſt; aliomodo poteſt eſſe defectus, quia etſi principia aliquo modo ſint, tamen non ſunt ſufficientia, & hæc inſufficientia poteſt eſſe, vel ex parte principijs formalis tantum, vel tãtum ex parte principij materialis, vel ex parte vtriuſque, ſcilicet materialis, & formalis. Quandocunque enim eſt defectus ex parte principij materialis, eſt etiam defectus ex parte principij formalis, & non econuerſo.

Inſufficientia autem ex parte principij materialis, poteſt eſſe, ne dum quia nulla eſt materia: ſed quoniam res materialis, de qua aliquid educi debet, eſt imperfectæ quantitatis reſpectu rei educendæ, ſicut fuit coſta Adami reſpectu corporis Euæ. Si contingat defectus priori modo, hoc eſt ſi neutrum dictorum principiorũ aliquo modo eſt, ſicut fuit in productione rerum aliquo modo creatarum tunc eſt vere, & ſimpliciter creatio, de qua Gen.1.dicitur. In principio creauit Deus cœlum, & terram. Si autem defectus contingat ſecundo modo, tũc eſt creatio ſecundum quid, ſicut fuit informatione corporis Adæ de limo, ſicut dicitur Eccleſ.18. Deus creauit de terra hominẽ; & informatione Euæ de coſta Adæ, de qua inquit D. Auguſtinus lib.9. ſuper Gen. ad lit. natura quippe mulieris creata eſt, quamuis ex viro, qui iam erat.

Secundo obſeruandum eſt, quod quando aliquid educitur in eſſe ſecũdum legem propagationis naturalis, neceſſaria eſt ſufficientia in principijs, & quantum ad principium materiale, & quantum ad principium formale. Vbi autem aliquid educitur in eſſe, cum defectu horum duorum, vel alterius, eſt potius curſus ſecundum legem creationis, quam naturalis propagationis, vel eductionis eorũ, & tũc non poteſt eſſe eductio alicuius in eſſe niſi ab aliquo, qui poteſt creare.

Poteſt

Digitized by Google

Poteſt ergo dici ad difficultatem, quod corpus Adæ fuit creatum: quia in limo erat defectus principij actiui, non enim habuit limus vnde corpus humanum ex eo fieri poſſet. Secundo, poteſt dici corpus Adæ creatum quemadmodum ſcriptura, illud dicit eſſe creatum, cuius materia creata eſt. Vel tertio poteſt dici creatum ratione eductionis formæ in eſſe, ſicut dicitur Gen. 1. Creauit Deus cete grandia; Fuit itaque creatum nõ creatione ſimpliciter, ſicut ſubſtantię ſpirituales, ſed creatione ſecundum quid.

Quæſ. 2

Duplex eſt potẽtia materiæ, ſiue ſubiecti trãſmutationis

Quæritur ſecundo. Vtrum maioris potentiæ fuerit creare corpus Adæ de nihilo, vel formare de limo. Reſpondet Alex. vbi ſupra m. 2. quod duplex eſt potẽtia materiæ, ſiue ſubiecti tranſmutationis; ſcilicet actiua, & paſſiua, paſſiua quæ nihil cooperatur formæ inducendæ in materiã ipſam, ſed eſt tantũ potentia recipiendi formam; actiua, quæ aliquo modo cooperatur ipſi agenti ad inductionem formæ: quia aliquid formæ latet in materia; vel quia appetitus materiæ habet inclinationem ad illam formã; ſicut eſt in omnibus illis, in quibus eſt ratio ſeminalis ad alia producenda in eſſe ex illis.

Quandoque ex parte materiæ, ſiue ſubiecti, eſt defectus potentiæ, ſiue principij actiui, ſicut fuit in limo, in quo non erat, vt fieret ex eo corpus Adæ: quia non erat in illo potentia formalis, ſiue actiua, quæ cooperatur eductioni illius in eſſe potentia creatoris educente illud ex eo; Quandoq; eſt duplex defectus, ſcilicet diminutio ex parte materiæ, & carentia principij actiui, ſicut fuit in coſta. In eductione autem rei, ſiue formæ de materia, ſiue ſubiecto primo modo ſumpto, poteſt natura in eductionem rei de ſubiecto, at in eductionem de ſubiecto ſecundo modo ſumpto non poteſt; & multo fortius nec tertio modo, ſed ſolus Creator. Secundũ hos igitur gradus eſt facile, vel magis facile, ſeu difficile, & minus difficile educere res in eſſe: quia ex materia, vel ſubiecto primo modo ſe habente eſt modus facillimus; ex ſecundo modo ſe habente difficilis, & ex tertio adhuc difficilior. Cęterum producere aliquid in eſſe ſimpliciter ex nihilo, difficillimum eſt, & magis mirabile eſt.

Vnde Hugo, magis eſt mirabile de nihilo aliquid facere, quam de aliquo plus facere. Hæc autem vltima tria genera operum ſunt de genere mirabilium, & non niſi in ſolo Deo eſſe poſſunt. Cum ergo quæritur. Vtrum maioris potentiæ ſit creare, &c. dicendum, quod neque maioris, neque minoris; ſed omnino indifferentis: quia diuina potentia, quæ eſt idem cum ipſo, omnino ſimplex eſt, & impartibilis in ſe, opus tamen, ſiue effectus eius, qui eſt productus in eſſe ex nihilo ſimpliciter, eſt maius, & mirabilius eo, quod producitur in eſſe ex aliquo, ſicut ex limo.

Quæſ. 3

Productio corporis Adæ de limo terræ, an ptineat ad vniuerſi pfectionem.

Quæritur tertio. An modus hic producẽdi corpus primi hominis de limo pertineat ad vniuerſi perfectionem. Nam dicitur hic. Igitur perfecti ſunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum, hæc autem eſt concluſio, quæ infertur ex eis, quæ educta ſunt in eſſe in operibus ſex dierum, cuiuſmodi fuerunt, conditio, diſtinctio, & ornatus, & ad hæc pertinebat formatio corporis humani de limo, ſicut in ſexto die determinatur; non fuiſſet ergo completio vniuerſi ſine iſta productione.

Pro ſolutione obſeruandũ eſt, quod vniuerſum, vt patet ex nominis ſignificatione vniuerſitatem dicit, & continentia eius non artatur ad ſubiectorum vniuerſitatem, ſed comportat tẽporis generalitatem; continet enim omnia, quæ nunc ſunt, & omnia, quæ aliquo tempore fuerunt. Vnde ad comple-

complementum vniuerſi, non ſuffi-ciunt, quæ nunc ſunt tantum; ſed re-quiruntur, quæ à mundi exordio exti-terunt, ideſt à primo exitu rerum in eſſe.

Quæ autem à primo exitu rerum in eſſe extiterũt ſunt ſub duabus dif-ferentijs, quarum quædam ad perfe-ctionem generum rerum pertinent, quædam ad ipſa genera producta. Quæ ad genera rerum producta ſpe-ctant principaliter ſunt tria, penes quæ exprimitur veſtigium Condito-ris omnium, ſcilicet eſſentia, ſiue ſub-ſtantia, virtus, & operatio; eſſentia Patrem repræſentat, virtus Filium, operatio Spiritum Sanctum; operatio autem à virtute educitur, virtus vero in eſſentia radicatur.

De completione ergo vniuerſi ſunt hæc, eductio generum rerum in eſſe, ſubſtantia, virtus, & operatio educto-rum. Nec dico hæc cum præciſione eſſe de completione hac, ſed ſimplici-ter hæc eſſe neceſſaria: nõ enim poſ-ſet compleri vniuerſum, niſi genera rerum, quæ ſunt eius partes producе-rentur in eſſe; nec perpetuarentur in eſſe partes, niſi eis data eſſet virtus ſe multiplicandi, ſiue ſuam ſpeciem in ſibi ſimilibus; adhuc autem requiri-tur egreſſio operationis à virtute.

Concedi ergo poteſt, quod eductio primi hominis pertinet ad comple-tionem vniuerſi; hæc autem eductio, ſiue modus educendi differens fuit ab alijs ſecundum ſpeciem, vt oſten-dit Alex. de Ales, vbi ſupra m. 3. Præ-terquã quod non fuit eductio rei tan-tum ſingularis, imo quodammodo ge-neralis, eo quod in ipſo corpore com-pleto ſua perfectione, ſcilicet anima rationali, erat ſeminaliter totum genus humanum. Vnde ratione, qua mo-dus educendi differebat ab alijs ſecun-dum ſpeciem, & rationẽ, qua educe-batur res non omnino ſingularis, ſed quodammodo vniuerſalis, non imme-rito debet dici eſſe de complemento Vniuerſi.

Et confirmatur: quoniam Antithe-ta, ideſt oppoſitiones, vt inquit D. Au-guſt. 11. de Ciuit. Dei c. 18. valent ad ordinem vniuerſi, vbi notatur ordo vnius contra vnum. Sed ſecundum Anſel. lib. 2. Cur Deus homo. Quod-dam eſt corpus humanum eductum in eſſe de viro, & non de fęmina, vt corpus Euæ, aliud ergo reſpõdere de-buit ex oppoſito, ſcilicet, quod eſſet eductum de fœmina, & non de viro, & hoc fuit Corpus Chriſti Domini. Tertium fuit de viro, & fœmina, vt corpus Abel, ergo ex oppõſito reſpon-dere debuit. Quarta corporis diffe-rentia, ſcilicet, quod neque de viro, neque de fœmina eſſet, & hoc fuit corpus Adæ de limo, alter eſſet dimi-nutio, & defectus.

Et ſi dicatur, quod D. Auguſt. dicit lib. 3. de libero arbitrio, quod ſi deeſ-ſent animæ, ſiue peccarent, ſiue non peccarent, nihil vniuerſitatis ordini diminueretur. ergo multo fortius ſi non eſſet, vel fuiſſet exitus corporis humani in eſſe, nihil vniuerſitatis or-dini deeſſet, dicendum, quod Augu-ſtini intentio eſt, quod ſi quędam ani-mæ deeſſent, nihil minueretur ordini vniuerſi, ſed non intellig t, quod ni-hil deminueretur integritati vniuerſi. Vel dicendum eſt, & melius, quod D. Auguſt. loquitur ibi de ordine officio-rum: quædam enim ſunt officia An-gelorum, quædam animarum, ſeu ho-minum; officia autem hominum om-nia continentur, & comprehendun-tur in officijs Angelorum. Vnde vult dicere Auguſtinus, quod ſi animę de-eſſent nihil deperiret ordini vniuer-ſitatis, ſcilicet quantum ad ordinem officiorum: quia Angeli habent exer-cere omnia officia, ſcilicet in genere, vt hominum ſunt.

De

De humani corporis formatione quo ad Cauſam materialem.

Quæſ.1 Corpus Adæ an de materia cœleſti produci potuerit.

QVæritur primo. An corpus Adæ produci debuerit de natura pure cœleſti. Reſpondetur iuxta Alex. de Ales,2.p.q.77.m.1.art.1. ad vltimum. D.Thom.1.p.q.91.art.1. ad ſecũdum. & D.Bonau.in 2. diſt.17. artic.2. q.1. Quod Corpus Adæ non fuit formatũ de natura cœleſti, ſicut innuit hic textus, qui dicit illud formatum de limo terræ; nec debuit pure de natura cœleſti formari: imo de natura elementari: nam hoc requirebat ordo ipſius hominis in ſe ipſo: quia enim homo conditus fuit, vt multa cognoſceret, nõ ſolum cognitione intellectiua, ſed etiam ſenſitiua, ideo debuit, & dari corpus multiforme, vt diuerſa organa diuerſitate ſenſuum deſeruirẽt ad diuerſa obiecta cognoſcenda. Quia etiã fuit conditus homo in vertibilitate liberi arbitrij, vt potens viuere in iuſtitia,& mori per culpam, dari debuit ei corpus, quod non tantum eſſet habile ad viuendum,ſed etiam, quod poſſet fieri habile ad corrumpendum, ſiue moriendum, atque ita ordo hominis in ſe requirebat, vt corpus daretur homini multiforme, & ad corruptionem poſſibile, atque adeo non cœleſte,ſed elementare.

Secundo, hoc requirebat ordo hominis ad creaturam inferiorem: quia enim corporales naturæ factæ ſunt,vt deſeruirent creaturæ rationali; factæ ſunt etiam,vt mediante illa, quodammodo perducantur in finem; hinc eſt, quod debuit fieri rationalis creatura taliter compoſita, quod obſequiũ inferiorum creaturarum eſſet ei vtile, & quod mediante illa, creatura inferior quodammodo perduceretur ad beatitudinem: atque adeo, vt naturæ inferiores poſſent homini deſeruire, & in homine quodammodo glorificari, debuit homo non tam ex naturã ſuperiorum corporum,quam ex natura elementorum conſtitui.

Tertio hoc requirebat ordo ad creaturam parem ſcilicet ad Angelum. Sicut enim facta eſt vna rationalis creatura prope Deum, & in loco ſupremo,vt in Empyreo,ſic debuit fieri alia rationalis creatura in loco infimo, ſcilicet in terra; & ideo corpus eius conſtitui debuit ex natura tali habitationi conuenienti, ac proinde magis ex natura elementari, quam cœleſti.

Poſtremo ordo ad Deum, finẽ hoc requirebat,debebat enim homo ſubijci,vt per humilitatẽ ſubiectionis aſcenderet, vnde Angelus ceciderat per ſublimitatem elationis,atque adeo debuit ſibi dari corpus conſtitutum ex natura inferiori,vt ſe ipſum puluerem reputans, Deo per omnia ſubiaceret; vnde & ſcriptura maluit eum dicere de limo terræ productum, vt ex hoc homo proficeret, & aſcenderet per humilitatis meritum.

Quæſ.2 In corpore Adæ nihil fuit de natura cœleſti ad eius eſſentiã ſpectãs.

Quæritur ſecundo. Vtrum aliquid de natura cœleſti fuerit de eſſentia corporis Adæ, & videtur quod ſic: quoniam Philoſophus lib.2. de generatione animalium, cap.3. dicit,quod in ſemine triplex eſt calor,ſcilicet cœleſtis,igneus,& animalis,ſed accidens non eſt ſine ſubiecto, ergo in ſemine eſt aliqua ſubſtantia cœleſtis, atque adeò à ſimili aliquid de ſubſtantia cœleſti eſt de cõpoſitione humani corporis. Pro ſolutione obſeruandum eſt, cum D. Bonau. vbi ſupra q. 2. & Riccard.in 2.d.17.art.2.q.1. Quod fuit aliquorum opinio præter quatuor elementa aliquid etiam de materia cœleſti venire in compoſitionem humani corporis, & hoc velut medium, & quoddam vinculum, propter quod incorporeus, & immortalis animus, cum terreno, ac mortali corpore copuletur, atque colligetur; aliter enim nulla videretur eſſe proportio,& conuenien-

uenientia inter corpus,& animam rationalem.

Verum hæc,vt falſa,& ſanę doctrinæ contraria reſpuenda ſunt, atque dicẽdum, quod nihil de eſſentia corporis Adæ, nec alicuius alterius humani corporis, eſt aliquid cœli: non enim eſt generabile,& corruptibile ipſum cœlum, nec aliqua eius pars, nec ita poteſt proportionari, vt cum alijs elementis poſſit conſtituere aliquid vnum per eſſentiam informabile,vna compoſitiua forma. Virtus tamen eius cooperatur ad mixtionem: quoniam cum elementa ſint contraria,& contraria naturaliter, & per ſe à ſe refugiant, nunquam concurrerent ad mixtionem elementa per naturam, niſi per virtutem corporum cęleſtium conciliarentur, & ad proportionem naturæ mixti concordata reducerentur. Cum itaque cœleſtis ſubſtantia ſit plene incorruptibilis, nihil ex ea decerpi, & deſecari, neque cum alijs elementis permiſceri, aut in rei partibilis, & mortalis compoſitione adhiberi poteſt. Si quidem mixtio non fit Auctore Ariſt. niſi alteratis,& corruptis aliquatenus his,quæ miſcentur.

Appellat autem Ariſt. calorem,qui eſt in animantibus cœleſtem, non tamen natura ipſa,ſed quadam proportione, & ſimilitudine: habet enim proprietates quaſdam, & effectus calori ſyderum ratione quadam reſpondentes. Vel calorem animalem in ſemine appellat Ariſtot. calorem cauſatum virtute animæ generantis, & calorem igneum, calorem cauſatum per actionem virtutis ignis, & calorem cœleſtem vocat, calorem cauſatum in ſemine, virtute ipſius cœli,& eſt ſecundum aliquos idem calor, ad cuius productionem concurrunt tria agentia prædicta.

Quæſ.3 Corpus Adæ an Quæritur tertio An corpus primi hominis debuit formari ex quatuor elementis. Reſpondent Alex.de Ales, vbi ſup. m. 1.art. 1. & D. Bona.loco citato.q.1. Quod prout legitur in lib.de fonte vitæ. Corpus humanum inter omnia corpora compoſita, compoſitiſſimum eſt; Cuius ratio, vt ibidem ſcribitur eſt: quia quanto ſubſtantia aliqua eſt magis à materia immunis, tanto plurium operationum eſt effectiua, anima autem intellectiua cum maxime ſit expers materiæ, eo quod à materia haud dependet ſecundum eſſentiam; & ſit multarum operationum effectiua, cum iſtas operationes ex ſe habere non poſſit ſed duntaxat quatenus organis vtitur, oportuit ipſum corpus, per quod eas exercet etherogenum eſſe,& maxime compoſitum. conſtet ex quatuor elementis.

Quæſ.4 Corpus Adæ magis de terra q̃ de alijs elementis formatũ dicitur. Quæritur quarto. An recte corpus primi hominis de terra, vel limo formatum dicatur, magis quam de alio trium elementorum, ex quo fuerit ex quatuor elementis compoſitum. Reſpondet Alex. de Ales,vbi ſup.art.2. Quod quatuor ſunt cauſę quare corpus humanum de terra formatũ eſſe dicitur. Prima eſt Phyloſophi: quoniam ſecundum Phy. plus eſt de terra in compoſitione mixti: quia minus habet de ſpecie, & magis de materia, quod ex hoc patet: quia motus ſequitur naturam prædominantis ſecundum quantitatem, atq; adeo dicitur factum potuis de terra.

Secunda eſt D. Aug. quoniam hęc duo ſunt elementa habilia ad patiendum ſcilicet, humor, & humus,& duo ad agendum magis, vt ignis, & aer; & quia fieri ex hoc dicit rationẽ paſſibilis, & terra inter alia eſt paſſibilior. Ideo potius dicitur fieri de terra.

Tertia ratio eſt D. Bernardi: quia terra eſt viliſſimum elementum, ideo ad humilitationem, & cohibitionem elationis dicitur homo factus de terra limoſa,quæ eſt viliſſima,vel de puluere iuxta aliam tranſlationem.

Quar-

Quarta ratio eſt D. Baſilij: quoniam in terra reperiuntur omnia alia elementa; nam ex ferro, & lapide ignis per excuſſionem ſolet excuti, quæ vtiq; de tellure naſcuntur, aquarum quoq; naturam venis ineſſe terrarum foſſores indicant puteorum, aerem etiam permixtum eſſe, ex eo cognoſcere poſſumus, quod cum fuerit humectata tellus, & temperiem ſolis acceperit, mox vapores exhalat largiſſimos Et ſi quæratur cur dicitur, quandoq; materia corporis Adę terra, interdum limus, quandoq; puluis. Dici poteſt, quod materia corporis Adę poteſt conſiderari, vel vt eſt quædam maſſa ſimpliciter non dum in formatione accepta, & ſic dicitur terra, vel vt eſt informatione corporis aſſumpta, atq; ita dicitur limus, vel vt eſt terminus reſolutionis ipſius corporis, & ita puluis appellatur. Vel poteſt dici, quod limus dicitur prout eſt materia informatione, puluis, vt eſt terminus reſolutionis: nam Phyloſophus ponit tria in quæ alia reſoluuntur, & ipſa vlterius non in alia. ſ. puluis, cinis, & harena; terra vt eſt communis ad vtroq;. Vnde Eccleſiaſt. 17. Deus creauit de terra hominem, ſecundum imaginem ſuam fecit illum, & conuertit illum in ipſam, ideſt in terram.

Quæſ. 5 Quæritur quinto. An elementa ſecũdum æqualitatem molis fuerint in corpore Adæ. Pro ſolutione obſeruandum eſt cum Alex. de Ales, loco citato m. 2. art. 1. & D. Bona. q. 3. Quod ſecundum Medicos duobus modis dicitur æqualitas miſcibilium in mixto. ſ. à pondere, & à iuſtitia. Aequalitas à pondere tribus modis ſumi poteſt; vno modo dicitur æqualitas à pondere, quando miſcibilia adæquãtur, & quantum ad quantitatem molis, & quantum ad quantitatem virtutis, & hæc duo ſunt incompoſſibilia, nedum ſecundum rem; ſed etiam ſecundum intellectum; cum elementũ, quoad plus habet de materia, minus habeat de ſpecie, & è conuerſo; nam ſicut eſt impoſſibile, quod verum aurum æquetur argento in quantitate, & valore; ita impoſſibile eſt elementa actiua, & paſſiua, æquari adinuicem æqualitate ponderis in aliqua mixtione, & atq; ita iſta æqualitas nõ fuit in corpore Adę.

Elementa an ſecũdum æqualitatẽ molis fuerint in corpore Adæ.

Alio modo poteſt dici æqualitas à pondere ſecundum adæquationem miſcibilium, in quantitate molis ſolum, & eiuſmodi æqualitas eſt etiam impoſſibilis: tum quia corpus illud nõ eſſet durabile: quia elementa actiua ſtatim paſſiua conſumerent: ſi enim adæquarentur in ſubſtantia, adeo actiua excederent in virtute, vt potius eſſet conſumatio, vel conſumptio, quã mixtio: nec ſolum corpus illud, non eſſet durabile, imo non eſſet nec graue, nec leue cum motus grauis, vel leuis ſequatur prædominans, quantum ad quantitatem molis; atq; adeo corpus illud nec quieſceret, nec moueretur: ſi enim quieſceret in terra, tunc terra vinceret, ſi quieſceret in aere, aer prædominaretur, ſi moueretur ab aere in ignem, prędominium haberet ignis, ſi vero moueretur ad terrã, terra tunc eſſet vincens, atq; ita de ſingulis; conueniret itaq; ei, vt nec quieſcat in loco, nec moueatur ad locum, quod eſt impoſſibile. Item cum quædam elementa magis habeant de materia, & quædam magis de forma, quę magis habent de materia, magis comprimuntur, quæ magis de ſpecie, magis extenduntur, quare non poteſt eſſe æqualitas molis, ſed de neceſſitate inæqualitas.

Aequalitas duplex a põdere, & a iuſtitia.

Tertio modo dicitur æqualitas à pondere, æqualitas à quantitate virtutis, quæ adhuc non eſt in rerum natura poſſibilis: tum quia ſi eſſet omnimoda æqualitas virtutum, virtus vnius tantum reſiſteret, quantum virtus alterius ageret, atq; ita non eſſet

præ-

prædominatio, & conſtrctio vſq; ad minima, ac proinde non eſſet mixtus; tum quia ſi daretur eiuſmodi æqualitas, corpus illud careret operatione calidi, & frigidi, & aliarum elementarium qualitatum, atq; ita fruſtra eſſet ex diuerſis conſtitutum. Quomodocunque ergo modo accipiatur æqualitas à pondere, non potuit eſſe nec debuit in corpore Adæ. & hoc ſatis apparet cum corpus Adæ magis eſſet graue, quam leue, & magis idoneum ad agendum, quam patiendum.

Alia eſt æqualitas à Iuſtitia, quæ attenditur in commenſuratione miſcebilium ſecundum debitam proportionem, & exigentiam formæ introducendæ, & hæc æqualitas reperitur in humano corpore: quia nobilior debet eſſe eius proportio, & armonia miſcebilium, quanto ad nobiliorem formam diſponitur, hæc tamen æqualitas non eſt æqualitas punctualis, ſed latitudinem habet, & gradus, & hoc ſecundum diuerſos ſtatus.

Eſt autē triplex ſtatus ſcilicet Innocentiæ. miſeriæ, & gloriæ. ſecundū ſtatum innocentiæ, qui eſt ſtatus medius congruebat corpori humano æqualitas media, quæ à diſcordia, & repugnantia miſcebilium erat aliena in actu per intrinſecum auxilium animę gubernantis, & per extrinſecum adiutorium alimenti nutrientis, erat tamen hæc æqualitas poſſibilis ad inæqualitatem, ſiue ob defectum virtutis continentiæ, vel etiam ob defectum alimoniæ; nullus tamen horum defectuum fuiſſet in homine ſi non præceſſiſſet obedientiæ transgreſſio.

Secundum ſtatum miſerię, qui eſt ſtatus imperfectus, debetur humano corpori æqualitas, ſed diminuta, quæ permiſceri habet inequalitati, & diſcordiæ non ſolum poſſibilitate, ſed quadam neceſſitate. Secundum vero ſtatum gloriæ, qui eſt perfectus, debetur humano corpori æqualitas à iuſtitia, æqualitas (inquam) perfecta, in qua non cadit diſcordia, nec repugnantia neq; actu, neq; potentia. Ex his ergo patet, quod corpus primi hominis conſtitutum fuit in æqualitate à iuſtitia, quaſi media inter æqualitatem, quæ nunc eſt in miſeria, & æqualitatem, quæ nunc eſt in gloria, ſecundum quod ſtatus animæ exigebat.

Quæritur ſexto. An elementa in corpore Adæ erant æqualia ſecundū virtutem qualitatum elementarium. *Quæſ.6* Elementa an in corpore Adæ erant æqualia ſecundum virtutē. Reſpondet Alex. de Ales vbi ſup. art. 2. Quod virtutes elementares bifariā conſiderari poſſunt, vno modo in relatione ad elementa, quorum ſunt virtutes, altero modo in relatione ad elementa contraria in quæ agunt, & quibus agentibus reſiſtunt, & eodem modo duplex eſt æqualitas virtutis, vna virtutum relatarum ad propria elementa, in quibus radicantur, & hęc non eſt in elementis pro vt ſunt in mixto; ignis enim ſicut plus habet de ſpecie, & minus de materia, quā terra, ſic abundat in virtute activa reſpectu terræ, alia eſt æqualitas ipſarū ſecundum quod conſiderantur in relatione ad elementa contraria, reſpectu quorum eſt mutua actio, & reſiſtentia; & hæc æqualitas eſt, quando ita proportionantur virtutes, quod quantum vna poteſt in agendo, tantum poteſt alia in reſiſtendo, vel quādo ita eſt, quod non eſt ibi actio aliqua, neque reſiſtentia, & hec æqualitas (inquit Alex.) potuit eſſe in corpore Adę. vnde in corpore eius erat æqualitas complexionis, & virtutis, eo modo quod dictum eſt.

Ceterum contrarium docet D. Bon. vbi ſup. q. 3. & Ricar. vbi ſup. q. 3. qui docent æqualitatem à pondere ſecundum quantitatem virtutis non eſſe in natura poſſibilem, tum quia virtus vnius tantum reſiſteret, quantum virtus alterius ageret, atq; ita non eſſet

profundatio, neque confractio vſque ad minima, nec per cõſequẽs mixtio, tum etiam: quia corpus illud careret operatione calidi, & frigidi, & aliarũ qualitatum elementarium, atque adeo eſſet fruſtra ex diuerſis conſtitutum. Sed poſſet dici ſuſtinẽdo opinionem Alex. quod non ſequitur (ſi qualitates in aliquo corpore eſſent ſecundum æqualitatem virtutis) quod non eſſet ibi mutua actio, & paſſio. Nam videmus, quod agens debilius quamuis ab agente fortiori patiatur, tamen aliquam tranſmutationem facit in agente prædominante, ſi illa duo agentia communicant in materia: omne enim tale agens Phyſicum in agendo patitur. Fortius tamen agens patitur ratione alicuius, quod eſt in eo inferius, inferiori agente. Vnde quamuis ignis ſit fortius agens, quam terra, ratione tamen ſuæ materiæ, quæ eſt inferior, quã forma terræ, patitur à terra; Quapropter ſi poneremus formas duorũ elementorũ, vt ignis, & aquæ in punctuali æqualitate, adhuc ignis pateretur ab aqua ratione ſuæ materiæ, & è conuerſo.

Ideo poſſet opinio D. Bonauenturę ita comprobari. Certum eſt enim, quod tanta portio de eſſentia caliditatis virtuoſior eſt, quam eadem tanta portio de eſſentia frigiditatis: quia caliditas, eſt qualitas magis actiua, quam frigiditas: Vnde ſi caliditas, & frigiditas æquarentur in eſſentijs, eſſent inæquales in virtute, & ſi ęquarentur in virtute eſſent inæquales in eſſentijs. Quocirca impoſſibile eſt, quod illæ duæ in vtroque ſimul æquentur. Qualitates etiam paſſiuæ annexæ frigiditati, ſicut eſt humiditas aquæ, & ſiccitas terrea, virtuoſiores ſunt, quam illæ, quæ ſunt caliditati annexæ; vnde ſiccitas terrea præualet humiditati aereæ, & humiditas aquea ſiccitati igneæ: atque adeo ſi talis fieret proportio, vt caliditas ignea æquaretur in virtute frigiditati aquæ, humiditas aquea excederet in virtute ſiccitatẽ ignis: maxime quia tunc oporteret ibi plus eſſe de eſſentia frigiditatis aquæ, quam caliditatis igneæ, & ex conſequenti plus de eſſentia humiditatis aqueæ, quam igneæ ſiccitatis. Atque ita apparet, quod ſi eſſet æqualitas in virtute in qualitatibus actiuis, eſſet inæqualitas ſecundum virtutem in qualitatibus paſſiuis, & è conuerſo. Quia tamen ſiccitas ignea coadiuuat caliditatem igneam, & è conuerſo, & humiditas aquea frigiditatem aqueã, & è conuerſo; forte poſſet virtus caliditatis igneæ excedere virtutem frigiditatis aqueæ, & virtus humiditatis aqueæ virtutem ſiccitatis igneæ in tali proportione, quod coniunctam ex virtute caliditatis, & ſiccitatis igneæ æquaretur coniunctæ ex virtute humiditatis, & frigiditatis aqueæ.

Fuerunt ergo qualitates in corpore Adæ in maxima æqualitate proportionis, quam ſupra appellauimus æqualitatem iuſtitiæ; per comparationem ad naturales actus ipſius animę. Vnde corpus illud ita nobiliſſime fuit complexionatum, quod nobilius complexionari non potuiſſet; qualitates tamen in illo non fuerunt inæqualitate virtutis, ſeu æquipatantiæ, vt ſupra oſtenſum eſt: nec in aliquo mixto in tali æqualitate eſſe poſſunt. *Corpus Adę fuit nobiliſſime cõplexio natum.*

Quæſ. 7 Quæritur ſeptimo. A quo habuiſſet corpus Adæ in ſtatu innocentiæ illam æqualitatem miſcibilium, quam pro eo ſtatu habiturũ fuiſſe diximus. Dico cum Alex. de Ales loco citato, art. 3. §. 1. quod eam habuiſſet à Diuina iuſtitia, ea ſcilicet, qua Deus ſecundum ſe iuſtus dicitur, quæ eſt ſuæ bonitatis condecentia. Nam Deus ſecundum Dionyſ. cap. 8. de diuinis nominibus. Iuſtitia velut omnibus, quæ ſunt ſecundum dignitatem diſtribuẽs laudatur, & menſurationem, & formam, & ordinationem, & diſpoſitionem; *Corpus Adæ in ſtatu innocẽtię habuiſſet à deo miſcibilium æqualitatem.*

nē;ex quibus verbis deſumunt Theologi hanc iuſtitiæ rationem,Iuſtitia eſt habitus æqualitatis diſtributorius. Itē Diuina iuſtitia (ſecundum D.Dionyſ. ibidem) eſt ſecundum quam omnis æquitas menſuratur,& terminatur,& ponit æquitatem pro æqualitate. Si ergo omnis æqualitas menſuratur à iuſtitia, & æqualitas primi hominis à iuſtitia menſurabitur. Vnde Abbas Vercell. inquit ibidem. Deus dicitur Iuſtitia, tamquam diſtribuens omnibus ſecundum ſingulorum congruentiam, & pulchritudinem, & bonam ordinationem.

Sed fuit ne à Diuina iuſtitia ſublata æqualitas miſcibiliū in corpore Adæ, æqualitatem inquam qualitatum miſcibilium. Reſpondet Alex. de Ales vbi ſupra, §.2. quod æqualitas qualitatum à corpore Adæ à Diuina iuſtitia ſublata fuit, & proinde inæqualitas ſecuta; non quidem aliquid in eo efficiendo, ſed ob eius demeritum illā conſeruare deſiſtendo, nec vlterius in poſterum præſtando. Nam, vt inquit D. Auguſtinus in lib. de Ciuit. Dei ſumma ſanitas erat in corpore Adæ ante peccatum, poſt peccatum infirmus effectus eſt, infirmitatem autem ſequitur huiuſmodi qualitatum inæqualitas. Nam ſi corpus aliquod infirmatur ſequitur, quod in illo ſint qualitates mixtorum inæquales. Subtracta fuit itaque à corpore primi hominis æqualitas præhabita propter peccatum; ſed omne quod redditur pro meritis,aut ſubtrahitur pro demeritis,iuſte redditur,iuſteq; ſubtrahitur: atque adeo hæc ęqualitas à diuina iuſtitia, fuit ei ſublata.

Sed fuit ne æqualitas illa, à diuina iuſtitia ſublata propter peccatum, eidem reſtituta per gratiam. Reſpondet Alex. loco citato, §.3. Quod non, Quoniam vt habetur Roman. 9. Stipendia peccati mors, & hoc iuſto Dei Iudicio, ſcilicet, quod primus homo peccando iuſte fuit ſubiectus neceſſitati moriendi; Ad caſum autem ab ęqualitate, & carentiam illius ſequitur diuiſio, & pugna ipſorum mixtorum in corpore illius, quæ præparant, & diſponunt ad diſſolutionem, & animæ ſeparationem, quibus executum eſt decretum diuinæ iuſtitiæ de pœna debita peccato.

Dominus ergo, qui iuſto iudicio decreuit hominem pro peccato morte plectendum,defectum inducentem mortem reparare non debuit; ne ſic impediret, quod futurum decreuerat. Vt enim dicit D. Aug. lib. 6. de Gen. ad lit.c.18.Tam non fecit Deus contra cauſam,quam ſine dubio volens præſtitit, quam contra voluntatem ſuam non facit: Quia ergo non præſtitit contra voluntatem ſuam, quod eſſet cauſa mortis,nec debet aliquid facere, vnde mors non ſequatur peccatum; propter quod dicitur Gen. c.3. Nunc ergo ne mittat manum ſuam,& ſumat de ligno vitæ, & comedat,& viuat in ęternum, emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis.

Quæſt. Quæritur octauo. An grauitas, & leuitas ſecundum æqualitatem erant in corpore Adæ.Dicendum eſt ſecundum Alex.de Ales vbi ſupra,§.1.& 2. Quod cum æqualitas grauitatis,& leuitatis ſequatur æqualitatem molis; & in corpore Adæ nulla fuerit molis æqualitas; nec grauitatis,nec leuitatis aliqua fuit æqualitas in corpore Adæ. Si quidem huiuſmodi corpus nullibi, neque ſurſum, neque deorſum eſſe potuiſſet: Nam cum proprietas leuis ſit ferri ſurſum,graui deorſū, ſi æqualiter participaret grauitatem,& leuitatem, æqualiter moueretur ſurſum, & deorſum: atque adeo ſi corpus Adæ fuiſſet tale, eius locus fuiſſet neque ſurſum, neque deorſum; neque ſi eſſet deorſum aſcendere poſſet per naturam, neque ſi ſurſum deſcendere, quod inconueniens eſſet. Non igitur

Grauitas,& leuitas à ſecundum æqualitatem fuerint in corpore Adæ.

Digitized by Google

tur æqualitatem habuit leuitatis, & grauitatis.

Quæ ergo iſtarum prædominabatur in illo? grauitas, vel leuitas? Dicendum, quod in corpore primi hominis erat prædominatio duplex: quædam enim elementa prædominabantur in illo quantum ad molem, quædam quantum ad virtutem, quantum ad molem terra, & aqua, quantum ad virtutem, aer, & ignis: grauitas, & leuitas conſequuntur molem, ſiue materiam, propter quod dominabatur in illo grauitas, & non leuitas.

De humani corporis formatione quoad cauſam finalem.

Quæſ. 1

Corporis Adæ non eſt voluptas carnalis finis.

QVæritur primo. An voluptas carnalis fuerit cauſa finalis corporis Adæ. Reſpondet Alex. de Ales p.2.q.78.m.1. Quod corpus quatenus eſt corpus ſimpliciter non informatū, neque motum ab anima, nullo modo habet pro fine voluptatem carnalem. Nam, vt docet D. Anſel. de conceptu virginali, c.4. nihil pœnam ſentit, & delectationem, niſi quod habet voluntatē, atque ita nihil eſt voluptuoſum, & delectabile corpori ſimpliciter, ſed ſolummodo rei habenti voluntatem, vel appetitum. Vnde corporis Adę, vt talis non eſt voluptas carnalis finis.

Quæſ. 2

Anima rationalis à fuerit finis corporis Adę.

Quæritur ſecundo. Vtrum anima fuerit finis corporis Adæ. Reſpondent Alex. vbi ſupra, m.2. & D.Tho. p.1.q.91.art.3. Quod ſumendo finem proprie, prout definitur cuius gratia ſunt alia, & quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione: anima non fuit finis corporis Adæ. Si autem accipiatur finis, vt dicatur finis ſub fine, ſiue propinquus, ſiue remotus, ſic poteſt dici anima, ſiue potius vnio corporis cum anima, fuiſſe finis corporis illius: nam materia eſt propter formam.

Corpus Adæ tripliciter conſiderari poteſt.

Verum pro ampliori huius difficultatis intelligentia obſeruandum eſt, quod corpus Adę tripliciter conſiderari poteſt, vno modo quantum ad ſtatum conditionis, in quo condebatur; ſecundo quantum ad ſtatū vnionis cum anima, & tertio quantum ad ſtatum remunerationis. Si conſideretur quoad primum ſtatum, eius duplex eſt finis, ſcilicet primarius, nimirum vnio cum anima; & ſecundarius ſcilicet aptitudo ad meritum beatitudinis. Propter hoc enim fecit Deus corpus Adæ, vt animæ vniretur, & mediante illa vnione, efficeretur aptū admerendum beatitudinem ipſi animæ cooperando. Si vero conſideretur quoad ſtatum coniunctionis, multiplex eſt eius finis, duplex ex parte animæ, & duplex ex parte ipſius; ex parte animæ primus finis eſt bonarū operationum exercitium, eiuſdem miniſterio ordinatarum: non operationum voluptatis, quæ nullo modo ſub fine conditionis illius, neque vnionis cum anima cadunt. Non enim Deus corpus illud condidit, neque animæ vniuit hoc fine, vt conuerteretur ad opera voluptatis explenda. Secundus eſt augumentum meriti, debite, atque ordinate huiuſmodi opera exercēdo; propter hoc autē voluit Deus, vt corpus animę vniretur, vt anima illo mediante ordinate operaretur, & operando mereretur. Sic enim docet Greg. Nazianz. Vna cauſa (inquit) quare Deus colligauit animam corpori, (quā ego opinor) eſt, vt per agones certaminum, quæ ſunt aduerſus terrena, cœleſtis gloriæ hæreditatem petat, & ſicut aurum igni præſentis vitæ erumnarum probetur examine: quo virtutis præmia non ex Dei dono tantum ſperet, ſed vt vere virtus ſummum ei bonum ſit, ſic eam opere, & labore cōquirat, vt á Creatore nobis naturaliter inſitum videatur bonum, à nobis autē voluntate noſtra, ac propoſito excul-

tum.

Digitized by Google

tum, & liberi arbitrij motu exterius propagatum. Ex parte autem corporis primus eſt obedientia, & cooperatio animæ mouenti, ſecundus dignitas ad beatitudinē. Propter hoc enim vniuit Deus corpus Adæ animę, vt illi imperanti obediret, & operanti cooperaretur, atque ita obediendo, & cooperando efficeretur dignum beatificatione.

Si autem fiat ſermo de fine remunerationis, ipſe eſt vtriuſque beatitudo; beatitudo enim corporis ex animæ beatitudine dependet. Vnde inquit Greg. Nazianz. Alia cauſa quare Deus colligauit animam corpori eſt, vt hanc deteriorem ſubſtantiam corporis, ſecum traheret, & ſurſum in ſupernis ſedibus collocaret, & complemētum gloriæ ipſius animæ quodam modo dependet ex corporis gloria, prout docet D. Auguſt. lib. vlt. ſuper Gen. ad lit. Ineſt animæ quidam naturalis appetitus, corpus adminiſtrandi, quo appetitu retardatur quodam modo, ne tota intentione pergat in illud ſummum cœlum, quam dici non ſubeſt corpus, cuius adminiſtratione appetitus ille conquieſcat.

Quæſ. 3 Deus an ſit finis corporis humani.

Quæritur tertio. Vtrum Deus ſit finis corporis humani. Pro ſolutione obſeruandum eſt cum Alex. de Ales, vbi ſupra m. 3. quod cum idem ſit definire, & terminare finitum, & terminatum, nomen finis & termini cōcurrunt in idem: Cum ergo ſit terminus rei permanentis, & rei ſuccedentis, & rei dependentis, ſiue inclinantis, erit tripliciter dictus finis, nempe extenſionis, ſiue rei extenſæ operationis, & appetitus ſiue inclinationis. Finis autem extenſionis rei eſt duplex, vltimus & pars, ſicut cutis corporis, & terminus agri; & vltimus, & non pars, velut punctus eſt finis lineæ. Finis etiam operationis ſimpliciter eſt duplex, quidam eſt per modum efficientis, ſicut cōſumentis, ſicut finis combuſtionis candelæ dicitur ipſa conſumptio, quomodo etiam finitur panis in comedendo. Quidam eſt per modum conſumentis, & perficientis, ſicut complementum operis, vt conſumatio domus, eſt finis ædificationis. Finis vero inclinationis eſt duplex: quidam eſt reſpectu appetitus mobilis, quidam reſpectu appetitus motoris, reſpectu appetitus mobilis forma eſt finis; reſpectu appetitus motoris, vtilitas eſt finis, vel etiam honeſtas. Secundum enim quod appetitus motoris fertur ad finem ſub fine, vtilitas eſt finis, quia vtilitas eſt occaſio ducens in finem; Si autem motoris appetitus feratur ad vltimum finem, ſic eſt finis honeſtas: quoniam honeſtum eſt propter ſe appetibile, & maxime illud in quo conſiſtit laus, & honor Dei, qui eſt ſumme honeſtus, & hic eſt finis vltimus, qui ab omnibus debet intendi, & propter quē vniuerſa operatus eſt Dominus, Prouerb. 16. Et propter hunc finem inter alia corpora, ſpecialiter, & præcipue fecit Deus corpus primi hominis, ſcilicet in laudem ſuæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis, laus quidem ſuæ potentiæ apparet in eius creatione, ſiue conditione, laus ſapientiæ in debita, proportionata, & ordinata ſpecie, & corporis coniunctione; laus vero bonitatis in eius glorificatione, hæc autem dicta ſunt per appropriationem; Ex his patet quomodo Deus fuit finis corporis primi hominis, ſcilicet Adæ.

De corpore Primi hominis Quo ad eſſe.

Quæſ. 1 Corpus Adæ an vere fuerit corpus humanum.

QVæritur primo an corpus Adę vere corpus humanum fuerit. Pro ſolutione obſeruandum eſt cum Alex. de Ales q. 80. m. 1. Quod quicquid in corporibus humanis immutabile intelligitur, primę conditionis eſt proprium; quicquid vero mutabi-

Digitized by Google

le,& varium, illud ſuperaditum eſt, & extra naturam ſubſtitutum, quantū ad ſtatū conditionis. vnde vniuerſaliter in omnibus corporibus humanis vna, & eadem forma communis intelligitur, & ſemper incommutabiliter ſtat: variabiles enim differentiæ, quæ eidem formæ accidunt, ex primę conditionis ratione non contingunt.

Status naturæ humanæ ſunt tres.

Secundo obſer. eſt, quod tres ſunt naturę humanę ſtatus ſcilicet naturę conditę per ſtatum immutabilitatis ipſius formę; Naturę lapſæ per varium paſſionum variabilitatem circa eſſentiam, & formam. Naturæ reparatę per ſubtractionem mutationis, quæ accidit circa eſſentiam, & formā. Ita docet Greg. Naz. de Imagine. c. 28. Non per omnia quod eſt (inquit) noſtrum influxu, & tranſmutatione eſt: ſi enim eſſet, reprehenſibile eſſet vniuerſaliter, quod nullum ſtatum habet ex natura, ſed iuxta ſubtiliorem rationem eorum, quæ in nobis ſunt, quoddam quidem ſtat, quoddam vero ex mutabilitate accidit. Mutatur enim ſecundum augumentationém, & diminutionem corpus veluti veſtimenta quędam, ſecundum conſequētes ętates induta. Stat vero per omnē conuerſionem intranſmutabilis in ſe ipſa forma, inſitis ſibi ex natura ſemel ſignis non deſiſtens, ſed in omnibus ſecundum corpus tranſmutationibus cum ſuis notionibus apparet. Subtrahetur per verbum domini, videlicet ipſa, quæ ex paſſione eſt mutatio, quæ formæ ſuper accidit.

Tertio obſer. eſt, quod mortalitas, pugna, & diſſolutio non ſunt proprietates ſimpliciter corporis humani, ſed habito reſpectu ad ſtatum humanæ naturæ lapſę. In corpore enim primi hominis, ante quam lapſus eſſet, erat tanta virtutum elementalium æqualitas; quod non erat ibi actio abijciens à ſubſtantia; ſed potius pax, & armonia, ſecundum optimam eorum commenſurationem.

Quarto obſeruandum eſt, quod licet Adam in ſtatu innocentiæ non habuerit quaſdam proprietates accidentales, quas poſtea habuit in ſtatu naturæ lapſæ; non ſequitur ex hoc, quod in ſtatu conditionis ſuæ non habuerit verum corpus humanum: quoniam proprietates accidentales non variant eſſentiam rei.

Dicendum eſt ergo, quod Adæ corpus tam etſi per diuerſos ſtatus ſcilicet inſtitution s, & deſtitutionis tranſmutetur, verumtamen corpus humanum fuit, quia eſſentia ſemper eadem permanſit.

Quæſ. 2 Corpus Adę, an fuerit animale.

Quæritur ſecundo. An corpus primi hominis animale fuerit. Dicendū quod hoc nomen animal, quandoq; ſumitur generalius, quandoq; ſpecialius. Interdum enim diuiditur, vt genus in Duo, quorum vnum habet nomen proprium, & aliud non; Illud autem diuidentium, quod proprio caret nomine, retinet nomen generis, ſicut patet cum dicitur animal diuidi, in rationale & irrationale, animal rationale habet nomen propriū, irrationale autem minime, atq; adeo irrationalia nomine generis appellantur, & animalia dicuntur.

Cum ergo animal dupliciter dicatur, vno modo eſt nomen generis cōmunis ad rationalia, & irrationalia, alio vero modo eſt nomen brutorum. Item animale, deriuatum ab eo, quod eſt animal, dupliciter dicitur: nam ſi deriuatur ab animali, quod eſt genus ad homines, & bruta, tunc conuenit homini ſecundum omnem ſtatum ſiue innocentiæ, ſiue culpæ, ſiue gratiæ. Si autem deriuatur ab animali, quod eſt nomē brutorum. Tunc dicitur homo animalis id eſt, ſimilis brutis, iuxta illud Apoſt. Animalis homo non percip. t &c.

Et hoc dupliciter: quia vel dicitur ſimilis brutis ſecundum corpus, vel ſecun-

ſecundum animam, ſi primo modo, ſic nunc dicitur homo animalis, ac etiam Adam in Paradiſo exiſtẽs, quia cibis indigemus, vt bruta, & cibis indigebat Adam ſecundum corpus: ita docet D. Augu. 14. de Ciuit. Dei c. 25. Cibus erat ne eſuriret, potus ne ſitiret, lignum vitæ, ne illum ſenectus diſſolueret. Si vero dicatur homo animalis ſecundo modo; ſcilicet ſecundum animam, eo quod eſt ſimilis bruris bifariam accidere poteſt, vt docet D. Aug. lib. 83. q. Dicitur enim homo animalis, vel uita, vel animi ſenſu; vita animalis dicitur, quando fuit diſſoluta laſciuia ſuæ animæ, quam inter naturalis ordinis metas ſpiritus rector non continet, eo quod ipſe ſe Deo regendum, non ſubijcit; & ſic animalis idem eſt quod carnalis. Animi uero ſenſu animalis dicitur, qui de Deo iuxta corporis Phantaſiam, uel legis litteram, uel rationem Phyloſophicam, iudicat, & de tali intelligitur illud. 1. Corint. 2. Animalis homo non percipit &c. his duobus ultimis modis nõ erat Adam animalis in Paradiſo. Concedimus ergo, cum Alex. de Ales, p. 2. q. 82. m. 1. Magiſtro ſent. in 2. d. 19. c. 1. & D. Bona. in 2. d. 19. dub. 1. circa lit. Magiſtri, quod corpus Adæ erat animale ideſt indigens alimonijs ciborum. Ita etiam docet D. Aug. lib. 6. de Gen. ad l. t. c. 19.

Quæſ. 3 Quæritur tertio. An conueniebat corpus primi hominis magis eſſe ſpirituale, quæ animale. Dicendum eſt cum Alex. de Ales, ubi ſup. m. 2. ex D. Augu. lib. 6. ſuper Gen. ad lit.a ca. 19. uſq; ad finem: Quod decuit corpus humanum eſſe animale ad manifeſtãdam ſapientiam conditoris, quæ ex hoc manifeſtatur ordine multiplici. Primo ex ordine producendi ab imperfecto ad perfectum: iuxta enim ordinem rectum imperfectum præcedit perfectum, & prius eſt quod eſt animale, deinde quod eſt ſpirituale.

Corpus Adæ an magis erat animale vel ſpirituale.

Secundo propter ordinem meriti ad præmium: cum enim homo prius debeat poni in ſtatu meriti, quã pręmij, debuit eius corpus tale fieri, quod eſſet aptum, & efficax ad merendum, ſed corpus animale maxime competit ſtatui merendi, ſpirituale ſtatui premij, Ideo prius animale, deinde ſpirituale eſſe debuit. Tertio propter ordinem lapſus ad reſurrectionem: quia enim habuit homo liberum arbitrium potens labi, & reſurgere, debuit habere corpus, quod poſſet etiam labi in mortem, & poſtea anima facta inuertibili, ipſum per reſurrectionem omnino fieret immortale, & ideo prius animale deinde ſpirituale. Quarto propter ordinem, qui attenditur in comparatione vnius creaturæ ad alteram, vt ſicut homo in terris factus fuerat, vt ſeruetur perfectus ordo ex comparatione hominum ad angelos, qui facti ſunt in cœlis, atq; ita decebat, vt prius haberet corpus terreſtri habitationi competens, magiſq; cœleſti, atq; adeo prius animale, quæ ſpirituale. Quinto propter ordinem principij ad principiata in generis humani propagatione: propter hoc enim conditum fuit corpus Adę, vt ab eo propagaretur genus humanum ſecundum corpus, quod fieri non potuit niſi eſſet animale. Propter ergo iſtum multiplicem ordinem in prima conditione, ſcilicet propter ordinem imperfecti ad perfectum, meriti ad præmium, lapſus ad reſurrectionem, vnius ſpiritus rationalis ad alterum, ſiue hominis ad angelum, principij ad principatum in generatione hominum decebat, animæ rationali dare corpus animale.

Quæritur quarto. An iure condiderit Deus hominem quo ad corpus erectæ figuræ Reſpondent Alex. de Ales vbi ſup. m. 2. D. Thom. 1. p. q. 91. ar. 3. ad tertium, & Sco. in 4. d. 49. Quod habere ſtaturam rectam conueniens *Quæſ. 4*

Digitized by Google

fuit homini propter quatuor. Primo quidem quia ſenſus ſunt dati homini, non ſolum ad vitæ neceſſaria procuranda, ſicut alijs animantibus, ſed etiam ad cognoſcendum: vnde cum cętera animalia non delectentur in ſenſibilibus, niſi in ordine ad cibos, & venerea; ſolus homo delectatur in ipſa ſenſibilium pulchritudine ſecundum ſe ipſum. Et quia ſenſus præcipue vigent in facie, alia animalia habent faciem pronam ad terram, quaſi ad cibum, quærendum, & prouidendum ſibi victum; homo vero habet faciem erectam, vt per ſenſus, & præcipue per viſum, qui eſt ſubtilior, & plures differentias rerum oſtendit, libere poſſit ex omni parte ſenſibilia cognoſcere, & cœleſtia, & terrena, vt ex omnibus intelligibilem colligat veritatem. Secundo vt ſenſus interiores liberius ſuas habeant operationes, cum cerebrum; in quo quodammodo perficiuntur, non ſit depreſſum, ſed ſuper omnes partes corporis eleuatum. Tertio quia vt docent Lactantius lib. de opificio Dei c.2. & Greg. Niſſenus lib. de opificio hominis, à cap.7. vſq; ad decimum oporteret, quod ſi homo haberet pronam ſtaturam vteretur manibus loco anteriorum pedū, atq; ita vtilitas manuum ad diuerſa opera perficienda ceſſaret. Quarto quia ſi haberet pronam ſtaturam, & vteretur manibus loco anteriorum pedum, oporteret, quod cibum caperet ore, & ita haberet os oblongum, & labia dura, & groſſa, & linguam etiā duram, ne ab exterioribus læderetur, ſicut patet in alijs animalibus, & talis diſpoſitio omnino impediret locutionem, quæ eſt proprium opus rationis. Poteſt etiam addi quinta ratio, quæ eſt ſatis communis apud ſanctos patres, quam etiam habet Ariſt. in 2. lib. de partibus animalium c.10. & li. 4. c. 10. videlicet ad ſignificandum, quod inter omnia animantia, ſolus homo eſt particeps diuinitatis, cuius proprium eſt intelligere, & ſapere; quam rationem pluribus verbis proſequitur Cicero lib.1. de legibus, & lib.2. de natura deorum; ſed inter omnes D. Aug. lib.1. de Gen. contra Manicheos c.17.

Corpus Adæ an iure formatum fuerit erectæ figuræ.

Et ſi dicatur, quod etiam plantæ habent ſtaturam erectam, ergo ex huiuſmodi rectitudine in corpore humano nulla eſt dignitas in homine, Dicitur, quod per ſtaturam rectam homo maxime diſtat à plantis: nam homo habet ſuperius ſui id eſt caput, verſus ſuperius mundi, & inferius ſui, verſus inferius mundi. Plantæ vero habent ſuperius ſui, verſus inferius mundi: nam radices ſunt ori proportionales; inferius autem ſui, verſus ſuperius mundi: animalia vero bruta medio modo: nam ſuperius animalis eſt pars, qua accipit alimentum, inferius autem eſt pars, qua emittit ſuperfluum.

Vel dicitur, quod non atteſtatur dignitati corporis humani habitus rectitudinis, ſed erectionis: habitus enim rectitudinis erectæ indicat ad quid conditum eſt corpus humanum: ſignum eſt enim perfectionis eius formæ nobilis, & cœleſtis, & aliorum, quæ ſupra tacta ſunt, & appetitus beatitudinis obtinendę in cœlo. Non ſic eſt de plantis: quæ licet rectæ ſint, non ſunt tamen erectæ, ſed potius demiſſæ per fixionem partis à qua habent vitam, & motum in terra. Homo enim & planta in contraria poſitione ſe habent vt diximus propter quod homo appellatur arbor euerſa.

Quæſ. 5 Corpus Adæ an creatū fuit poſt ſextum diem.

Quæritur quinto. An corpus Adæ fuerit creatum poſt ſextum diem, vel in ipſa ſexta die. De hac re eſt duplex opinio. Vna D. Auguſtini Qui lib.6. ſuper Gen. ad lit. c.5. arbitratur corpus Adæ in eſſe actu, & completo poſt opera ſex dierum factam eſſe, & ſi antea, puta, inter opera ſex dierum for-

formatum aliquando legatur, non niſi in cauſis primordialibus, & ſeminaliter intelligendum autumat: Nam cum in duobus ſacræ ſcripturæ locis fiat mentio de corporis Adæ conditione 5. Gen.1.ibi. Maſculum, & fœminam creauit eos, ſcilicet inter opera ſex dierum; & hic. Gen.2.formauit Deus hominem de limo terræ: hæc formatio ſecundum Auguſtinum nõ enumeratur in operibus ſex dierum, ſed potius inter opera illa de quibus dicitur Ioan.2.Pater meus vſq; modo operatur, & ego operor. prima conditio fuit in cauſis primordialibus, in quibus ſeminaliter fiebat. ſecunda conditio fuit in eſſe actu, & completo.

Altera eſt opinio, quam docent Alex. de Ales 2.p. q.60. m.2. ar.1. & 2.& q.83.m.1.D.Bona.d.18.art.1.q.2. ad primum, Nicol.de Lyra, Toſtatus, in 2. cap. Gen. Pererius lib. 4. ſuper Gen. & ceteri omnes Theologi, quæ aſſerit Adamum conditum fuiſſe ſexto die. Quod manifeſte tradit ſcriptura quippe quæ in lib. ſapientiæ c.10. docet, Adamum primum, & ſolum fuiſſe creatum. & Paulus. c.2. prioris epiſtolæ ad Thymot. Adam (inquit) primus creatus eſt deinde Eua; omnia autem dei opera in creatione mundi facta, ſexto die fuiſſe abſoluta, & conſumata colligitur ex illis poſtremis verbis.c.1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, & mox ſubditur, & factum eſt veſpere, & mane dies ſextus. & in exordio capitis 2. Requieuit (inquit) deus die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat, & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo. Idemq; clariſſimis verbis, confirmat in Exo.c.2.Memento (inquit) vt diem ſabbati ſanctifices, ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptimo autem die ſabbatum domini eſt, non facies omne opus in eo &c. & rationem reddens eius præcepti ſubiungit: ſex enim diebus fecit dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo. Ex hoc loco perſpicue intelligitur, omnia illa primeua dei opera creationis mundi inter illos primos ſex dies eſſe facta. Adam ergo non poſt ſex dies; ſed die ſexto procreatus fuit, licet ergo formatio corporis Adæ poſt diem ſextum narretur, hoc dictum eſt per recapitulationem: recapitulat enim ſcriptura, vt addat.

Quæſ.6 — Adã an creatus ſit à deo pfectus ſecũdũ ætatem, & ſecundũ molem corporis.

Quæritur ſexto. An Adam creatus ſit à Deo perfectus ſecundum ætatẽ, & ſecundum molem corporis. D. Auguſt. lib. 6. de Gen. ad lit. c.13. hanc eamdem quæſtionem ponit, & in vtramq; partem argumentatur, expreſſe tamen, & affirmate neutram quæſtionis partem definit, licet ex verbis eius colligi poteſt, ad eam partem propenſiorem fuiſſe Auguſtinum, quæ Adamum perfecta ætate creatum facit, & in hanc partem interpretatus eſt ſententiam D. Auguſt. Magiſter Sent. in 2. d.17. vbi ſic ſcribit. Auguſtinus ſuper Gen. dicit, quod Adam in virili ætate continuo factus eſt, & hoc ſecundum ſuperiores cauſas non inferiores, ideſt ſecundum voluntatem, & potentiam Dei, quam naturæ generibus non alligauit. Qualiter, & virga Moſis conuerſa eſt in draconem; nec talia contra naturam fiunt, niſi nobis, quibus aliter naturæ curſus innotuit, Deo autem natura eſt, quodcunq; facit. Sic ergo factus eſt Adam, non ſecundum inferiores cauſas, quia non erat in rerum cauſis ſeminalibus, vt ita fieret; ſed ſecundum ſuperiores, non contra naturam operantes: quia in rerum cauſis naturalibus erat, vt ita poſſet fieri. Hactenus Magiſter.

Huic autem rei magno debet eſſe argumento, quod ſtatim, vt creati ſunt Adam, & Eua dixit Deus. Creſcite, & mul-

Digitized by Google

& multiplicamini, &c. quo licet intelligere Adamum, & Euam firma iã ætate ad generandum idonea eſſe procreatos. Sed

Adam qua ætate creatus fuit. Qua ætate creatus ſuit? Quidam opinati ſunt fuiſſe creatum ætate iuuenili, ea videlicet ætate, qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus è mortuis reſurrexit, hoc eſt inter trigeſimum, & quatrageſimum annum. Quidam vero dicunt creatum fuiſſe ætatis annorum quinquaginta: nam ætatem hominis perfectam eo tempore, non ante quinquageſimum annum fuiſſe futuram exiſtimant, ex eo, quod tunc eſſet lōgiſſima hominis vita, atque adeo ſingulæ ætates longiores erant tunc, quam nunc ſint. Comparatione igitur, & proportione totius vitæ nongenteſimum annum ſupergreſſæ, iuuenilis ætas primi hominis non ante quinquageſimum annum contingere ei potuiſſet.

Adam quanta corporis mole fuerit creatus. De mole autem corporis Lucidus lib. 1. de emendatione temporum, c. 4. Exiſtimat Adamum proceritate corporis fuiſſe gigantem, quinimo omnium gigantium, qui vnquam fuerũt maximum. Idq; probare contendit ex lib. Ioſue c. 14. vbi in extremis verbis legitur. Nomen Hebron ante vocabatur Cariethabre. Adam maximus ibi inter Enacim ſepultus eſt. Enacim autem fuiſſe Gigantes, patet ex lib. Num. c. 13. Si igitur Adam maximus erat comparatione Enacinorũ gigantum, liquet eum fuiſſe maximum gigantem.

Huic ſententiæ adſtipulantur Auctores illi, quos refert Moſes Barcephas in libro, quem ſcripſit de Paradiſo, à quibus proditum eſt, cum Adamus in Paradiſo terreſtri, qui immenſo Oceano interfuſo a noſtro orbe diſiunctus erat, locatus à Deo eſſet, eum poſtea propter peccatum à paradiſo eiectum, ſuis pedibus (tãta erat proceritate corporis) tranſmiſſo Oceano in hunc noſtrum orbem veniſſe.

Cæterum parum firma, parumq; probabilis eſt hæc opinio, ne dicam parum conſentanea ſacræ Scripturæ, ex cuius narratione, quæ eſt in cap. 6. lib. Gen. Facile eſt intelligere gigantes non ante mortem Adę, cum videlicet genus humanum immaniſſimis flagitijs, atque ſceleribus maiorem in modum corrumpi cepeꝛat, extitiſſe. Sic enim ibi legitur, Gigantes erant ſuper terram in diebus illis: poſtquã enim ingreſſi sũt filij Dei ad filias hominum, illæq; genuerunt; Iſti ſunt potentes à ſeculo viri famoſi. Nec locus ille Ioſue opinionem iſtorum iuuat. Nam vocabulum illud Adam nõ eſt proprium primi illius hominis, ſed eſt commune; Idem ſignificans apud hæbreos, quod apud latinos vocabulum hominis; vt ſit ſententia illius loci, ſecundum hæbraicam veritatem, quæ ad verbum Latinè reddita ſic habet. Nomen Hebronis olim fuerat Cariatharbe is fuerat homo inter Enacinos maximus.

Dicendum eſt igitur de mole corporis Adæ ſimiliter, atq; dictum eſt de ætate; cum ſcilicet pactum eſſe perfecti corporis magnitudine; quæ ſcilicet naturalis viuentium accretionis terminus eſſe ſolet, & quæ homini in perfecta ætate contingit; Primũ enim hominem, vt ſcriptura non obſcure ſignificat, & Patres concordi ſententia confirmant perfectum animo, & corpore, beatumq, (quantum nempe hominis in terris viuentis beatitudo eſſe poteſt) à Deo eſſe procreatum, pro comperto habendum eſt.

Quæſ. 7 **Corpus Adæ an prius tẽpores formatum, ſit quam ſit creata anima.** Quæritur ſeptimo. An corpus Adę prius tempore formatum ſit, quam ſit creata anima, & corpori infuſa. De hac re duplex eſt opinio, vna quæ aſſerit prius tempore factum eſſe corpus Adæ, quam creata ſit anima rationalis, & cum corpore coniuncta. & hoc tradit D. Chriſoſt. ho. 12. in Gen.

his

his verbis. Cogita obſecro formationis Adæ ordinem, & expende tecum antequam inſpiraretur à Domino ſpiraculum vitæ, quis erat formatus ille? ſimpliciter inanimis quędam imago, operatione carens, & ad nihil vtilis; Id autem quod hominem in tantum prouheit honorem, non aliud eſt niſi ſpiraculum illud vitæ à Deo inſpiratum; Idem in hom. 13. illuſtr oribus verbis hoc ipſum declarat in hunc modum ſcribens. Et forte diceret aliquis. Quare ſi anima dignior eſt corpore, indignius primo formatum eſt, & poſtea quod eminentius? Non vides dilecte, quod & in creaturis hoc idem vſu venit? Sicut enim cœlum, & terra; Sol, & luna, & cętera omnia formata ſunt, & irrationalia animalia, & poſt hæc omnia, homo, horũ principatum ſuſcepturus; Ita & in hac hominis formatione, prius corpus producitur, & poſtea anima; quæ eſt dignior, & ſicut animalia miniſterio hominis vtilia futura; ante hominem formantur, vt paratum haberet miniſterium is, ad cuius vſum creabantur, ita etiam corpus ante animam formatur, vt cum ſecundum ineffabilem conditoris ſapientiam anima produceretur poſſet ſecundum ſuas potentias operari per corporis motionem. Id videtur etiam innuere D. Augu. lib. 13. de Ciuit. Dei c. 24. Toſtatus in hunc locum, Gennadius hic, & Alphonſus à Caſtro contra Hęreſes, verbo anima hæreſi tertia.

Altera opinio eſt, corpus humanũ non eſſe formatum ante animam, ſed ſimul id eſt eodem puncto temporis, & corpus, & animam, & hominem eſſe factum. Hanc opinionem docet Greg. Niſſenus lib. de homine c. 29. & 30. Damaſ. lib. 2. de fide. c. 12. Idemq; videtur innuere Augu. lib. 1. de Gen. contra Manichees. c. 8. & eſt in ſcholis Theologorum recepta ſententia; quam docent Alex. de Ales. p. 2. q. 60. m. 2. art. 1. & 2. D. Thom. 1. p. q. 91. art. 3. ad tertium, & D. Bona. in 2. d. 17. ar. 1. q. 3. Et eam licet ex verbis Moſis colligere; ait enim Deum formaſſe hominem de limo terræ. Si igitur formãdo corpus humanum dicitur formaſſe hominem, & corpus non eſt homo ſine anima, efficitur, cum formauit corpus ſimul etiam creaſſe animam, & ita verum eſt formatum eſſe hominem; licet enim & formatio corporis, & creatio animæ, & procreatio totius hominis vno, & eadem puncto temporis perfecta ſint, diſtincte tamen, & ſeparatim explicanda erant. & prius quidem formatio corporis: quoniam præcedit ordine generationis. Idem enim punctum temporis, ſeu vt ſcholaſtice loquar inſtans, terminat vltimam diſpoſitionem, & formationem corporis, & inchoat, & metitur creationem, & infuſionem animæ rationalis, & hominis generationem. Nec videtur infringere hanc rationẽ, quod ait D. Augu. lib. 13. de Ciuit. Dei. c. 24. ſolum corpus humanum potuiſſe ibi appellari hominem, vt cum dicitur homo mortuus requieſcere in ſepulcro, vbi tantummodo requieſcit eius corpus. Primo quia non obtinuit cõſuetudo loquendi, vt vel corpus, vel anima ſeorſum appelletur homo, antequam hæc duæ partes hominis fuerint vnitæ in toto compoſito, quod propriè nominatur homo, atq; ita ſolum corpus Adæ non videtur à Moſe appellatum homo pro tempore, quo nõdum fuiſſet cum illo anima vnita, vt nec iam aliquis appellaret hominẽ corpus humanum in vtero materno ante animationem, quantumuis iam ante per vim ſeminalem, formatum. Deinde quia videtur ibi Moſes repetiuiſſe, & explicaſſe latius, quo ad modum productionis id, quod ſupra. c. 1. dixerat ſummatim illis verbis. Creauit Deus hominem ad imaginem &c. Quibus verbis certum eſt Moſem, nõ

de

Digitized by Google

de corpore tantum, ſed de homine toto loqui; cum is, non ſecundum corpus, ſed ſecundum animam ſit Dei imago. Quare de homine etiam toto videtur locutus etiam poſtea, cum ait Deum formaſſe hominem de limo terræ, nimirum ſecundum corpus, atq; ita non infringitur per dictum illud D. Auguſt. uis eius rationis, quam ex hoc loco adduximus.

Adde Auguſtinum illic, quamuis dixerit, poſſe nomine hominis intelligi eo loco ſolum corpus, non tamen dixiſſe corpus Adæ fuiſſe productũ ante animam: maxime cum alias ſenſerit, animam potius fuiſſe actu productam, cum corpus ſolum eſſet potentialiter, ſeu cauſaliter productum in prima productione rerum, vt notat D.Tho.1.p.q.90.art.4. ex D. Aug. ſententia lib.7.ſuper Gen. ad lit.c.24. vbi id.D.Auguſt.aſſerit. In lib. etiam de Gen. contra Manich.c.8. vbi Aug. rem hanc attingit nihil in alterutram partem determinat.

Nec eſt difficile reſpondere ad fundamentum contrariæ opinionis, deſumptum ex verbis Moſis, ex eo quod prius dicitur, Deum formaſſe hominẽ ex limo terræ, & deinde inſpiraſſe in faciem eius ſpiraculum vitæ &c. nã dicimus cum D.Thom.1.p.q.91.ar.4. ad tertium, ſcripturam non ideo commemoraſſe inſpirationem animæ in corpus poſt commemorationem formationis corporis ex limo, quia formatio durat one fuerit prior, quam inſpiratio; ſed vt clarius explicaret modum formationis illius, quod ſcilicet fuerit facta per inſpirationem animæ in corpus. Adde quod & ſi non tempore, tamen natura fuit prior formatio corporis in genere quidem cauſę materialis, atq; adeo ob hoc etiam potuit commemorari prius.

Quæſ.8 Quæritur octauo de loco formationis corporis Adę; an ſcilicet fuerit formatum in Paradiſo? Dicendum, prout docent Alex. de Ales, 2.p.q.84. m.1. D. Bona. in 2. d. 17. dub. 2. circa lit. Mag. & Toſt.in cap.13. Gen. q.133. quod certum eſt Adam non eſſe formatum in Paradiſo; neq; de terra Paradiſi, ſed foris; & patet primo, quia infra dicitur. Plantauerat Deus Paradiſum &c. in quo poſuit hominem; vnde ſi ibi fuiſſet formatus, non diceretur quod ibi fuit poſitus: quia hoc præſupponit exiſtentiam. Secundo quia dicitur in quo poſuit hominem, quem formauerat, atq; ita formatio poſitionẽ præceſſerat; at non fuit Adam in Paradiſo, antequam ibi poneretur, ergo prius formatus eſt, quam poſitus in Paradiſo, & per cõſequens non eſt formatus in Paradiſo. Tertio quia dicitur. Tulit Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo, ergo eſt aliunde allatus, vt eſſet in Paradiſo, & per conſequens non fuit ibi à principio ſui eſſe.

Corpus Adæ an formatum fuerit in Paradiſo.

Quæſ.9 Quæritur nono. Cur non fuit homo formatus in Paradiſo? Reſpondẽt Magiſter ſent.in 2.d.17. Alex.de Ales, & D. Bona. locis citatis, & Toſtatus vbi ſup. q. 134. Quod fuit primo ad oſtendendum, quod non manſurus erat ibi ſemper; ſed caſurus inde, hanc tamen cauſam, haud cognouit homo: quia Adam non fuit præſuis ſui caſus. Secundo ad ſignificandum, quod Paradiſus non debebatur homini ſecundum naturam, ſed ex gratia, & liberalitate Dei; Tertio vt homo haberet humilitatis incentiuum, ne ex hoc quod vniuerſę creaturæ erat præpoſitus ſuperbiret. Quarto vt præmoſtraretur ei reuocatio: quia enim Deus ſic eiecit eum, vt reuocaret, non ita debuit homo fieri, vt omnino eiceretur extra locum ſuum, ſicut Lucifer in ſignum eiectionis irreuocabilis in nullum locũ ſibi proprium fuit eiectus, id eſt in nullam partem cœli; atque adeo alius fuit locus habitationis, & alius conditionis, vt eiectus de loco habi-

Adã quare non fuit conditus in Paradiſo.

Digitized by Google

habitationis, inſignum reuocationis inueniret locum conditionis ſuæ. Quinto fuit propter congruentiã reſolutionis corporalis, quia res debu t reſolui in id, vnde facta eſt. Adam autem merito peccati moriturus erat, & in puluerem, ſeu terram reſoluendus in hac parte terræ, ideo ex ea fieri debuit. Sexto fuit propter alleuiationem afflictionis: nouit enim Deus inſitam homini afflictionem ad originem ſuã, ſcilicet ad locum, & terram de qua eſt. Vnde Poeta, Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui. Qua propter ſi hominem primum feciſſet Deus in Paradiſo, & de limo paradiſi, ſemper haberet naturalem inclinationem ad illum, atq; ita magis affligeretur ex elongatione ab illo, atq; adeo eſſet ei, miſeriæ augumentum. Septimo vt homo magis Deum laudaret, & ſe ei deuictum agnoſceret. Si enim homo in Paradiſo crearetur, quia non vidiſſet locum alium minus nobilẽ, in quo fuiſſet, non habuiſſet ex hac parte, de quo Deum laudaret, eiq; gratias ageret. Octauo vt homo cautior efficeretur ad Dei mandata ſeruandum; ne Paradiſum amitteret: Si enim illum ex formatione habuiſſet, ſibi videretur eſſe naturalis locus: naturali autem maxima cum difficultate pereunt. Poſtremo vt non haberet homo ius quærelę cum è Paradiſo expelleretur: Nam ſi formatus fuiſſet in Paradiſo, & propter peccatum inde fuiſſet expulſus, exiſtimare potuiſſet, ſecum iniuſte actum eſſe: quia naturalia propter peccatum nõ pereunt, & locus generationis naturalis eſſe videtur. atq; adeo eo priuari non debuiſſet.

Cæterum videtur quòd huiuſmodi rationes haud ſint efficaces ad oſtẽdendum Adam non debuiſſe formari in Paradiſo: quoniam nec Eua mãſit in Paradiſo, neq; ei debebatur Paradiſus ex natura, ſed ex gratia; atq; ita de aliis cauſis dici poteſt, & tamẽ Eua, vt videbimus infra in Paradiſo fuit formata. Reſpondent Alex. de Ales, & Toſt. locis citatis, quòd illę rationes ſunt conuenientes, & optime oſtendunt, Adam non debuiſſe formari in Paradiſo. Et quod obijcitur de Eua non obſtat. Quoniam Eua non fuit per ſe formata de terra aliqua; ſicut Adam, ſed formata fuit de coſta Adæ, quæ erat in Paradiſo; atq; adeo, non poteſt comparari Adę in formatione, quo ad hoc, quòd intus, vel foris formaretur: Tum quia tota natura humana cenſebatur eſſe in Adam, atq; adeo, eo formato extra Paradiſum, videbatur, quicquid erat naturæ humanę extra formatum; atq; etiam cum ſignificaretur, non dari homini Paradiſus, tamq; debitus ex natura, ſed ex gratia, hoc ſatis repreſentabatur in Adam extra paradiſum formato: quia Eua non erat tamquã ipſa natura humana, vel aliquid eius, cum tota natura eſſet in Adam, & non in Eua; & Eua non fuit ex terra tamq; ex principio, ſed ex viro: atq; adeo per illum ſumebatur iudicium pro tota ſpecie, & omnibus eius indiuiduis.

Quæritur decimo. Cum Adam nõ fuerit formatus in Paradiſo, in quo loco fuit formatus? Reſpondent Alex. de Ales, & Toſtatus locis citatis. Quod extra Paradiſum in aliqua parte terrę, ſed in qua nondum conſtat. Aliqui tamen dicunt, quòd fuit formatus in ciuitate Hebron, vel apud illam in cãpo Damaſceno. Eſt campus Damaſcenus (vt dicunt) locus quidam campeſtris iuxta ciuitatem Hebron; quæ non erat quando Adam formatus eſt, ſed poſtea longo tempore cõdita fuit; eo in loco, in quo formatus fuit Adã, & fuit formatus de terra rubra, quæ in agro Damaſceno, quando ſubtrahitur, creſcit.

Quæ. 10
Adam quo i loco fuit formatus.

Adam formatus fuit de terra rubra.

For-

Formauit (itaq;) Deus hominem de limo terræ.

HAebraice, & caldaice ſic legitur. Finxit Deus hominem puluerē de terra. Septuaginta interpretes ita vertunt. Formauit Deus hominem, puluerem accipiens e terra; apertius explicantes ſententiam lectionis hæbraicæ. Hoc enim ſignificat hominē eſſe factum puluerem de terra, id eſt factum eſſe puluerem, ſumpto puluere ex ipſa terra. pro verbo formauit hæbraice eſt (Iaſſar) proprie ſignificans fingere, quod eſt figulorum. S. Aug. lib. 13. de Ciuit. Dei c. 24. lectionem huius loci explicans, ita hunc locum citat, & declarat; formauit Deus hominem puluerem de terra; quę quidem ad verbum, vt diximus eſt lectio hæbraica. ſubiungit Aug. Hoc quidam planius interpretandum putantes dixerunt. Finxit Deus hominē de limo terræ: quoniam ſuperius dictum fuerat. Fons aſcendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ, vt ex hoc limus intelligendus videretur, humore ſcilicet terraq; concretus. Vbi enim hoc dictum eſt, continuo ſequitur, formauit Deus hominem puluerem de terra, ſicut græci codices habent. Vnde in latinam linguam ſcriptura ipſa cōuerſa eſt. Subdit autem Auguſt. Siue autem. (inquit) Formauit, ſiue finxit, quis dicere voluerit, quod græce dicitur ἔπλασεν, ad rem nihil intereſt, magis tamē proprie dicitur finxit, ſed ambiguitas viſa eſt deuitanda ijs, qui formauerit dicere maluerunt, eoq; in latina lingua, illud magis obtinuit cōſuetudo, vt ij dicantur fingere, qui aliquid mēdacio ſimulante componunt. Hæc Auguſtinus

Ita etiam legit D. Ambr. ſuper pſal. 118. ſer. 10. in illa verba manus tuę fecerunt mę & plaſmauerunt me, & D. Auguſt. 12. de Ciuit. c. 23. & congruit iſta lectio cum eo, quód ſequitur infra c. 3. Quia puluis es, & in puluerē reuerteris, & Eccleſ. 12. donec reuertatur puluis ad terram vnde erat.

Pro illo de limo terræ hebraicę eſt, Aphar, ſignificans puluerem, & terram, nec quemlibet puluerem, ſed val de tenuem, ac minutum. Inducit igitur hoc loco Moſes Deum quaſi quēdam figulum, puluerem vnde facturus erat hominem colligiſſe, & preparaſſe, & ex eo feciſſe hominem, quemadmodum figulus vas aliquod facturus comparat mater am ex luto, vel argilla. Noſter interpres non puluerem, ſed limum vertens declarare voluit, materiam ex qua formatum eſt corpus hominis, non fuiſſe purum puluerem, quippe qui nimiū tenuis, & diſſipabilis ſit, nec ſua vi ſolidum aliquod in corpus compingi queat, ſed fuiſſe puluerem mixtum cū aqua, vel terram limoſam, ac cenoſam, quali nempe vti ſolent figuli.

Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. & factus eſt homo in animam viuentem.

VErbum hębreum napach ſignificat inſpirare, inſuflare, vel flatū emittere, ſiue dum quis viuit, ſiue dū moritur: nam etiam latine dicimus exhalare, ſiue efflare animam. Quod autem proxime ſequitur in faciē eius, hæbraica phraſis eſt, nam vox hæbrea Aph. deſcendit a radice Anaph, & proprie ſignificat iram, vt Oleaſtro placet: at quoniam ira maxime in naſo oſtenditur, conſequenter etiam naſum, vel nares ſignificat. Adhibetur etiam eadem vox ad ſignificandum faciem, velut infra. c. 19. Incuruauit ſe in faciem ſuam; verum non videtur ſignificare faciem niſi per nares, quę in ea ſunt. Pręcipue autem Moſes nominauit faciem, ſeu nares: quia in facie

cie

Digitized by Google

cie maxime apparet vita, quæ per inſpirationem, & reſpirationem or s, & narium fit. Tum quia in facie potiſſime vigent ſenſus, tam interiores, quã exteriores: denique quia in facie interiores animi motus, & affectus extant, & cognoſcuntur.

Alij pro in faciem vertunt ex hæbreo in nares, quam lectionem ſequutus Caiet. propterea putant Deum in in nares inſufflaſſe, ſpiraculum vitæ: quia Naſus ſit organum reſpirationis: reſpiratio enim & inſpiratio per eas exercetur, in quibus vis animæ viuentis eſt aſſidue, vnde & Iob. 27. dixit. Donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis. Et quidem longe commodius, & purius quam ipſum os, quod patet. Tum quia Naſus à natura factus ſit patens, & apertus, os autem clauſum, quo fit, vt dormientes etiam clauſo ore, abunde, & recte, quantum ſatis eſt per nares ſpiritum ducunt. Tum quia aer in ipſo ore inquinatur vaporibus ex ſtomaco in os exhalatis, vt manifeſtum eſt in his, quibus os, & anhelitus fœtet; Qui autem per nares trahitur ſpiritus; abſque vlla contagione purus ad pulmonem perlabitur, & inde purus itidem redditur.

Pro ſpiraculo hæbraice eſt vox (Naſſamah) ſignificans halitum, & inter Naſſamah, & Ruach, quæ vox ſignificat ventum, hoc intereſt, quod ventus eſt ſine colore, & inuiſibilis, halitus vero, & ſpiritus, ad modum fumi, ſeu nubis eſt aſpectabilis; ob idque animam rationalem ſpiraculum vitæ appellauit, quod tantiſper viuit homo dum ſpirat, ac ſimul cum deficit reſpiratio, etiam vita deſtruitur, & ab anima deſeritur.

Illud autem ſpiraculum vitæ hæbraica phraſi poſitum eſt, pro eo quod eſt ſpiraculum vitale, ſeu viuificans. Illud poſtremo, Et factus eſt homo in animam viuentem, & hæbraiſmum continet, qui ſic explicari debet; & factus eſt homo habens animam facientem ipſum viuere, vel animæ vocabulo ſignificatur hic, vt ſæpe alias in ſcriptura ipſe homo, vt ſenſus ſit per illam Dei inſpirationem, qua anima eſt infuſa corpori, factus eſt Adam in hominem viuentem, ideſt homo viuens.

Poſſet etiam dici, quod his verbis egregie exprimit Moſes hominis finẽ, qui eſt vita per animam; ac ſi dixerit, factus eſt homo, vt viuat, & operationes vitæ exerceat. Forma enim hominis finis eſt eius, & operatio eſt formæ finis, non omnis quidem operatio, ſed excellens illa, quæ eſt ſecundum potẽtiam intellectiuam. Vnde recte legitur hæbraice in animam vitæ. Non dixit vitarum, vt illa ſolum vita, quæ eſt ab intelligentia rerum ſignificaretur.

Caldæus Paraphraſtes vertit in ſpiritum loquentem: quo loquendi modo tria ſignificantur, primo id ipſum, quod diximus. Adam ſcilicet factum eſſe hominem viuentem, nam loqui, & ſermocinari manifeſtum eſt ſignũ vitæ humanæ deinde ſignificat Adamum accepiſſe animam, non quamlibet, ſed rationalẽ, cuius proprium eſt loqui, & fingere. Tertio inducit hominem creatum eſſe ætate perfecta, ſiquidem apte, & prudenter loqui, non cuiuslibet ætatis eſt.

De anima rationalis creatione eſſentia, & proprietatibus. & primo.

Quæritur quid intelligatur hic per ſpiraculum vitæ. Athanaſius lib. 11. de fide Trinit. Cyrillus lib. 9. ſuper Ioan. c. 47. & lib. 13. Theſauri. c. 3. Baſilius contra Eunomium, & Phylaſter in lib. de hæreſibus. c. 99. Docent, quod cum dicitur formauit Deus hominem de limo terræ, referendum eſt ad vitã animalem, cum vero dicitur & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ refe- *Quæſ. 1* Spiraculum vitæ qd ſignificet.

referendum eſt ad vitam gratiæ. Illud enim ſpiraculũ erat ſpiritus ſanctus, de quo dicitur Ioan.6. & 2.ad Corin. 2.ſpiritus eſt, qui viuificat. confirmat D. Cyrillus hanc ſententiam ex illo Eccleſ. 4. ſapientia filijs ſuis vitam inſpirat,& ex illo Iob. 32. ſpiritus eſt in hominibus, & inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam. Et D. Thom. quol.1.art.6.ad primum refert in eandem ſententiam D.Baſilium, quamuis non referat locum, in quo eam doceat, videtur autem eam inſinuaſſe lib. 5. contra Eunomium prope finem. Phylaſter etiam loco citato inter hæreſes numerat aſſertionem dicentium ſpiraculum illud eſſe rationalis animæ ſubſtantiam, per quam homo non ſolum viuens animal,ſed rationis quoq; particeps effectus eſt,nullo tamen nominato aſſertionis au ctore, aitque ſpiraculum illud eſſe,nõ ipſam animam, ſed inſpirationem diuini ſpiritus, hoc eſt g atiam ſpiritus ſancti infuſam animæ Adæ,iam creatæ, & iam corpori vnitæ,qualem,& apoſtolis dedit poſt reſurrectionem, vel qualem Deus largitur omnibus iuſtis.

Cæterum D. Auguſtinus lib.23.de Ciuit.Dei.c.23.& 24. ex profeſſo confutat hanc ſententiam ex ipſo contextu: nam ſtatim ſequitur, & factus eſt homo in animam viuẽtem, & videtur manifeſte comprobari hæc expoſitio ex illo ſapientiæ 15. Ignorauit eum, qui ſe finxit, & qui inſpirauit illi animam,& inſufflauit ei ſpiritum vitalẽ. D.etiam Chr.ſoſt.hom.12.& 13.ſuper Gen. & communiter vniuerſi ſancti Patres interpretantur hunc locum in ſenſu litterali, de productione animæ rationalis,& non de infuſione ſpiritus ſancti.

Videtur etiam hæc opinio repugnare dictis Apoſtoli.Qui.1.ad Corint.15. dicit. Factus eſt primus homo Adam in animam viuentẽ,nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem,ſed nõ prius quod ſpirituale eſt,ſed quod animale; Ibi enim paulus diſcrimen ponit inter primum,& ſecundum Adam. ſ.Chriſtum. Quod ſi ſpiraculum illud, quo primus homo factus eſt in animam viuentem, eſſet quædam ſpiritualis gratia; etiam primus homo eſſet factus in ſpiritum viuificantem: atque ita non eſſet tale inter eos, quale Paulus aſſignat diſcrimen.

Quantum autem ad Phylaſtrũ ſpectat.D. Auguſt. in præfatione libri de hæreſibus ad quod vult Deum,ſcribit Phylaſtrum multas aſſertiones inter hęreſes annumeraſſe, quæ hæreſes non ſunt,de quarum numero hanc eſſe exiſtimandum eſt,præſertim cum D. Auguſtinus 15.de Ciu.Dei.ca. 24.derideat eos, qui credũt ſpiraculum,quod ſpirauit Deus in faciem Adæ eſſe quãdam gratiam animæ Adæ,collatam,& non potius ipſam animam. Et contra Phylaſtrum agit Alphonſus à Caſtro lib.2.contra hæreſes verbo anima hæreſi.2.& Sixtus ſenenſ.lib.5.Bibiliothecæ annot.27.& 29. Et quo ad Athanaſium, & Cyrillum, dicendum eſt eorum expoſitionem non eſſe litteralem, ſed allegoricam; Cum ergo locus iſte communiter intelligatur de anima rationali.

Quæritur ſecundo, An anima rationalis ſit. Negare animam rationalem eſſe, pluſquam hæreticum eſt. Nam qui animam rationalem eſſe negaret, innumerabiles errores, quos longum eſſet recenſere profiteretur. Colligitur autem eius exiſtentia ex manifeſtiſſimis eiuſdem animæ actibus: nam ratiocinari; verum à falſo,bonum à malo diſcernere,libere velle,interpretari,artes inuenire,& alij id genus actus, indicant in homine eſſe aliquod principium,quod in alijs viuentibus non reperitur. Hoc idem etiam figura corporis humani ſignificat. Prona enim cum ſpectent animãtia cetera terram, os homini ſublime dedit, &c. vt Beatus

Quæſ.2 Anima rationalis an ſit

tus Greg. Naz. apud Alex. de Ales. 2. p. q. 59. m. 1. docet: Corpus enim humanum ad cęlum naturaliter erectum indicat principiū formale eſſe intrinſecum, quod ad ſuperiora, & cœleſtia ordinatur; Ex ipſa etiam differentia membrorum hoc deprehenditur, ex lingua, quæ eſt instrumentum locutionis, manu quæ eſt organum organorum, & huiuſmodi, Ex ipſa etiam diſtinctione corporis, ſecundum dextrā, & ſiniſtram, ante, & retro, ſurſum, & deorſum in corpore humano depræhenditur motor interior, qui eſt perfectio eſſe intellectualis, ſolum enim cœlum, & corpus humanum hanc diſpoſitionem habent, vnde vtrumque corpus habet motorem intellectualem. ſiue rationalem. Ex ipſa demum notitia naturali: quæ nihil nouit tantum, quantum Deum eſſe, & ſe, (ſicut dicit Auguſtinus,) colligitur ipſam eſſe.

Quæſ. 3 **Anima rationalis quid ſit definitiuè.** Quæritur tertio. Quid ſit anima rationalis. Anima rationalis, de qua tantum eſt hic ſermo ſecundum diuerſos reſpectus diuerſimode definitur, & primo definitur per comparationem ad cauſam efficientem; hoc pacto. Anima eſt deiforme ſpiraculum vitæ. Deiforme dicitur ad differentiam animæ irrationalis, ſpiraculum vitæ dicitur, ad differentiam angeli. Angelus enim & ſi ſpiretur a Deo, vt vita, non tamen vt ſpiraculum vitæ reſpectu corporis.

Quod autem hæc ſit animæ definitio traditur à ſanctis patribus, & ab omnibus interpretibus ſacrarum literarum ſuper hunc locum Gen. Ita docet Chryſoſt. hom. 2. in Gen. Ambroſ. in lib. de Noe. c. 24. D. Aug. lib. 13. de Trinit. c. 24. Eucherius, & Lyranus ſuper hūc locum, & omnes alij interpretes, de quo vide Caſtrum lib. de hæreſibus verbo anima hæreſi. 2. Cæterum in hac definitione multa myſteria includuntur. Primum eſt, quod anima rationalis veniat deforis, & creetur ab ipſo Deo immediate: hoc re ſignificatur in hoc, quod dicitur. Inſpirauit Deus, & per conſequens ſignificatur, quod anima non educitur de potentia materiæ; nec in illa continetur. Secūdum eſt, quod anima eſt forma ſubſtantialis hominis: nam conſtituit hominem viuum, & ſic dicitur quod per hoc ſignaculum factus eſt homo in animam viuentem. Tandem ſignificatur, quod anima ſit ſubſtantia ſpiritualis, in hoc quod dicitur ſpiraculū Dei, vbi ſpiritualitas omnimoda ſignificatur.

Secundo definitur in comparatione ad corpus, quod ſuſcipit eam; & ſic definit eam D. Aug. in lib. de ſpiritu, & anima, in hunc modum. Anima eſt ſubſtantia quædam incorporea rationis particeps, regendo corpori accomodata. quæ definitio perfectè animę naturam delineat, nam ſubſtantia ab accidētibus, in corporea à corporibus, rationis particeps à brutis, regendo corpori accomodata ab angelis illam ſegregat.

Tertio definitur reſpectu vtriuſque à Caſſiodoro cum dicitur. Anima eſt ſubſtantia ſpiritualis à Deo creata, ſui corporis viuificatrix. quæ etiam optima eſt, nam illa pars à Deo creata poſita eſt ne quis animam, Dei ſubſtantiam eſſe credat, & pars. propria ſui corporis viuificatrix apponitur, vt à non viuentibus ſeparetur.

Quarto definitur per reſpectum ad ſuum finem in hūc modum a Seneca. Anima eſt ſpiritus intellectualis ad beatitudinem in ſe, & in corpore ordinatus; quæ eſt etiam rectiſſima, modo rationalis animæ propria intelligatur, quod denotatur per hoc, quod dicitur ad beatitudinem ordinatus: nam animæ brutales ad beatitudinem minime ordinantur, & per hoc, quod dicitur in ſe, & in corpore diſtinguit animam rationalem ab angelo. Angelus enim eſt ſpiritus in ſe ordinatus ad beatitudinem; anima vero eſt ſpiritus

V in

Digitized by Google

in ſe, & in corpore ad beatitudinem ordinatus.

Quinto definitur per comparationem ad vires quibus operatur in corpore, cum dicitur. Anima eſt ſpiritus intellectualis, rationalis, ſemper viuẽs, ſemper in motu, bonæ, malæque voluntatis capax. Quæ definitio habetur à D. Auguſtino in lib. de ſpiritu, & anima, & à D. Damaſceno; quæ erit perfecta ſi duæ priores differentiæ intellectualis nempe, & rationalis cognitioni accomodentur, prima tamen eſt etiam angelo communis, ſecunda vero, ſcilicet rationalis animæ propria, ſecundũ quod rationis, eſt ratiocinatio. Tres autem poſteriores differentię, ſcilicet ſemper viuens, ſemper in motu, bonæ malęque voluntatis capax motui, accomodentur, ita tamen, quod prima dicit continuam influentiam admouẽdum à primo, ſcilicet Deo, ſecũda continuã motionem naturę, tertia motionem voluntatis; vel prima, & ſecunda, pertineant ad eſſe; tertia vero ad bene eſſe: Quæ vero eſt ad eſſe, eſt ſub duabus differentijs, quo ad eſſe proprium, quo ad primam; & quo ad influentiam ſuper corpus, quo ad ſecundam, licet nõ ſemper influat ratione corruptibilitatis in corpore, Vnde dicitur ſemper in motu, non quod ſemper moueat corpus propter corporis defectum: ſed quia ſemper moueret ſi corpus ſibi ſemper coniunctum eſſet.

Sexto definitur ſecundum quãdam conuenientiam eius ad omne, ſecundum quod dicitur. Anima eſt omnium ſimilitudo, quam definitionem explicat D. Augu. in lib. de ſpiritu, & anima hoc pacto: Quia anima, aut ſecundum eſſe, aut ſecundum cognitionem cum rebus omnibus quodammodo conuenit: nam conuenit cum ſubſtantijs corporibus inanimatis in eſſe, licet non in corporeitate, nam ſimilis eſt lapidibus per eſſentiam; arboribus per vitam, animalibus per ſenſum, & immaginationem, hominibus per rationem, angelis per intellectum. Deo per intelligentiam; ſimilis eſt terræ per ſenſum, aquæ per imaginem, aeri, per rationem, firmamento per intellectum, cœlorum cœlo per intelligentiam.

Definitur tandem quatenus ſeparabilis eſt à corpore hoc pacto, Anima eſt ſubſtãtia ſpiritualis, ſimplex, & indiſſolubilis, in corpore paſſibilis, atq; mutabilis. Hęc definitio recta eſt. Subſtantia namque animę eſt media inter inferiores, & ſuperiores ſubſtantias, vnde ratione ſuperiorum nempe angelorum, incorporea, paſſibilis, & mutabilis dicitur, ratione vero inferiorum, ideſt prout ab inferioribus ſubſtantijs diſtinguitur, ſpiritualis, ſimplex, & indiſſolubilis nominatur.

Quęritur quarto de cauſa efficiente ipſius animę. Vtrum anima rationalis ab alio quam à Deo eſſe poſſit. Fuit Auicennę ſententia. 9. Met. c. 4. vt referunt Alex. de Ales 2. p. q. 61. m. 2. D. Thom. 1. p. q. 90. art. 3. & D. Bona. in 2. d. 18. q. vltima dicentis, quod principium cuiuslibet motus, qui eſt in mundo, eſt motus cœli; & cuiuslibet animę, cuiuſcunque animati principium eſt anima cœli; Vnde dicebat, quod omnes virtutes, quę proueniunt a cœlo ad mundum iſtum, ſunt quatuor. Prima eſt aptatrix compoſitionis, & coniunctionis; quę ſufficit in compoſitione liquabilium. Secunda dat animam augumentatiuam, tertia dat animam viuam cuilibet viuo, & vocat animam viuam animam ſenſibilem; quarta vero dat animam rationalem cuilibet loquenti. Hęc vero omnia fiunt mediante luce, & mediante virtute cœli ſuper terrã; & ſicut ſi quieſceret cor à motu ſuo, quaſi in ictu oculi moreretur homo, & deſtruerentur omnia, quę in ipſo ſunt, & ſicut humanum corpus conſtitutum ex membris habet vnam animam, ita cœlum cum ſuis con- *Quæſ. 4* *Anima rõnalis an ab alio, quã à Deo produci poſſit.*

tentis

tentis habet vnam animam, quæ dicitur anima mundi, & hæc anima mundi eſt, quæ creat animas, quam etiam appellat datricem formarum.

Cæterum hæc opinio falſa, & hæretica eſt, Non enim intellexit quod iſta corporalia facta fuerunt propter animæ rationalis ſubſtantiam, quæ eſt ſeparabilis, & non è conuerſo; nec quod tunc erit veriſſimum eſſe cœli, & ſuperiorum, & ipſius hominis, cum nullus erit motus; ſicut erit poſt iudicium; & quod in homine eſt principium mouendi ſecundum voluntatem, non dependens à motu cœli. Nullatenus ergo cauſam efficientē eſt ponere animę rationalis niſi Deum. Ergo nec angelus, nec anima mundi, (niſi ipſe Deus dicatur anima mundi.) Vnde licet Angelus rationem habeat aliquomodo mouendi animam, non tamen per modum imperij, ſed per modum conſilij; & ſicut eſt in optione eius, cui conſulitur conſentire, vel non conſentire; ita eſt in optione animæ conſentire, vel non conſentire angelo conſulenti. Falſa eſt etiam poſito antiquorū Phyloſophorum, per quam peruenerunt ad hoc, vt dicerent mediantibus intelligentijs fieri animas rationales, prout colligitur ex.2.de generat. & corrupt. c.56.& clarius ab Auer.12.Met.Cōm. 44. contra Auic. & in lib. deſtructionum diſp.25.& pręcipua eorum ratio erat; quia à cauſa inuariabili, & eodem modo ſe habente, nō poſſunt emanare diuerſi effectus; & ab vno ſimplici immediate prouenire non poteſt niſi ſimplex. Deus autem omnino ſimplex, & inuariabilis eſt, & codē modo ſemper ſe habens, ergo ipſe immediate nō poteſt producere niſi vnum effectum; diuerſitas autem effectuum ex diuerſis cauſis oritur, atque adeo Deus immediate produxit primam intelligētiam, ac mediante illa ſecundam, &c. Intelligentia itaq; angelica immediate fuit à Deo, anima vero rationalis mediante angelo. Falſa eſt in quam, imo omnino impoſſibilis hæc opinio: nam anima rationalis produci nequit niſi per creationē, at ſolus Deus creare poteſt: quia ſolius primi agentis eſt agere nullo præſuppoſito, cum ſemper agens ſecundum præſupponat effectum aliquem primi agentis, quod autem agit aliquo præſuppoſito, agit tranſmutando, atque adeo creare non poteſt. Anima ergo rationalis, quæ per tranſmutationem alicuius materiæ produci nō poteſt: à ſolo Deo per creationem producitur.

Præter hunc phyloſophorum errorem fuerunt etiam in hac parte alij hæreticorum errores: (nam vt refert D. Augu. & impugnat lib.de hæreſibus.ca.59.) Seleuciani aſſerebant non Deum, ſed angelos eſſe creatores animarum. Et Epyphanius lib.2.aduerſus hæreſes.c.28.dicit. Fuiſſe hæreſim Cherintianorum, quod Angeli ſunt creatores omnium rerum, & poſt.c.39. affirmat eamdem fuiſſe hæreſim Sethianorum. Sed omnes iſtos errores conuincit ratio ſuperius adducta, nempe, quod anima non poteſt produci niſi per creationem, & quod ſolius Dei eſt poſſe creare.

Phylo in lib.de opificio ſex dierum, & in lib.de profugis, vt notat Sixtus ſenen.lib.5. Bibliothecæ annot.17. & 95.opinatus eſt, quod in productione primi hominis Deus produxit animā rationalem, cæterum animam ſenſitiuam non produxit Deus, ſed angeli: contra quam doctrinam agit D. Chriſoſt.hom.8. ſuper Gen. & Theoderetus,q.19.ſuper Gen. & falſitas eius patet, quia in homine ſenſitiua, & rationalis non ſunt duæ animæ, ſed vna, imo vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis ſunt vna anima, & vegetatiuam & ſenſitiuam continet rationalis virtualiter, vt oſtendimus.2.de anima.

Digitized by Google

De eſſe animæ rationalis, quo ad cauſam materialem.

Quæſ. 1 QVæritur primo, an Anima ſit de Dei ſubſtantia. Quidam putauerunt, vt referunt Alex. de Ales, 2. p. q. 60. m. 1. D. Thom. 1. p. q. 90. art. 1. D. Bona. in 2. d. 17. art. 1. q. 1. Animã eſſe, aut Dei ſubſtantiam, aut ex Dei ſubſtantia. Quod monſtrum, inuentum eſt, vt docet Caſtro lib. 2. de hæreſibus verbo anima hæreſi. 3. quorundam hæreticorum, qui Gnoſtici ſunt appellati, quorum Princeps fuit Carpocrates; eumdem errorem ſuſcitauerunt poſtea Manichei, quorum dux fuit Manes. Dicebant autem Manichei, quod in homine eſt duplex anima (ſicut teſtatur D. Auguſt. in lib. de duabus animabus) quarum vna inclinat ad bona, & alia inclinat ad mala; & illa, quę facit mala, nunquam poteſt eſſe bona; & illa, quæ inclinat ad faciendum bonum, eſt de Dei natura.

Aliorum etiam fuit opinio, quod intellectus humanus non erat aliud, quam intellectus diuinus, ſed diuinus intellectus dicebatur, prout conſiderabatur in ſe, humanus autem prout perficiebat corpus aliquod. Verum vtraque opinio ridicula eſt, & abſurda nedum falſa, & hæretica. Nam proprietates, quas Deo tribuimus, etiam animę conuenirent, vt omnipotentia, & immortalitas, vel immutabilitas, & aliæ quæ nulla ratione animæ competere poſſunt; Cum non ſolum non poſſit omnia, ſed vix pauciſſima præſtare valeat, ſitque innumerabilibus mutationibus, & viciſſitudinibus ſubiecta.

Anima rationalis, neq; eſt ſubſtantia Dei, neque de Dei ſubſtantia.

Poſitio etiam Manicheorum multipliciter à veritate eſt aliena. Primum quia ponit Deum eiuſdem eſſe naturę cum creatura, & alicuius creaturæ eſſe materiam; cum ponat creaturam fieri ex Dei ſubſtantia: implicat etiam duo oppoſita, dum ponit animam eſſe de Dei ſubſtantia, & à Deo eſſe factam. Deuiant etiam à veritate in hoc, quod ponit in nobis duas animas.

Altera etiam poſitio fuit ſtulta, & erronea. Nam Deus propter ſuam ſummam perfectionem, & abſolutionem, nullius poteſt eſſe pars conſtitutiua. Vnde obſeruandum eſt, quod hunc errorem ſecuti fuerunt olim Pytagorici, vt refert Cicero lib. 2. de natura deorum, quos ipſe redarguit hoc argumento: quoniam ſequeretur ex illorum ſententia, quod Deus aliquando triſtaretur, & eſſet miſer, quandoquidem iſta conueniunt animæ, quæ eſt de illius ſubſtantia. conſequens eſt abſurdum, & nefas. ergo &c. Eumdem errorem tribuit Phyloſophis ſtoicis Epyphanius, lib. 1. aduerſus hæreſes. c. 5. & D. Hierony. in epiſtola ad Marcellinum, quæ inter epiſtolas Hieron. eſt 82. & inter epiſtolas Auguſtini eſt 27. quem errorem poſtea ſecutos eſſe Manicheos docet D. Auguſt. lib. de hæreſibus. c. 6. & priſcilianiſtis. c. 79. & in lib. de mendacio ad Coſentium. c. 4. Poſtea vero ſurrexit in eccleſia impium dogma Almarici, dicẽtis ipſum Deum eſſe eſſentiam omnium creaturarum, qui error damnatus eſt à Concilio Later. ſub Innocẽtio tertio, quod refertur in c. Damnamus de ſumma Trinit. & fide, &c. Aduerſus quos errores diſputat copioſe D. Aug. in Epiſtola 28. ad Hieronym. & in Epiſtola 152. ad Optatum, & lib. 7. ſuper Gen. ad lit. a cap. 1. & deinceps. Vide etiam Alphonſum à Caſtro aduerſus hæreſes verbo anima hæreſi 4. & Ioan. Arboreum libro 1. Theoſophyæ. capitulo 8.

Eundem errorem Ludouicus Viues in annot. ſuper D. Augu. lib. 13. de Ciuit. c. 24. in fine. Tribuit Lactãtio, ex eo quòd in 2. lib. diuin. Inſt. c. cap. 15. dixerit, quòd ſpirauerit Deus homini animam, de vitali fonte ſpiritus ſui, qui eſt perennis; ſed meo iudicio

dicio non recte: nam ex illis verbis non ita apperte colligitur eiuſmodi error, præcipue cum in lib. de opificio Dei c.19. recte, & catholice loquitur Lactantius de origine, & productione animæ rationalis. Qua propter Alphonſus à Caſtro diligentiſſimus hæreſum inueſtigator, & impugnator accerrimus, cum recenſuerit vniuerſos, qui iſtam hæreſim tenent, Lactantium non recenſuit, vt pote ab hac labe immunem.

Dicendum ergo, quod anima non eſt producta de Dei ſubſtantia, Deus enim ad creaturas ſe habet in ratione efficientis, & finis, at nullo modo ſe habere poteſt in ratione materiæ, & formæ, quantumcũq; ſit nobilis creatura, quod enim ſe habet in ratione materiæ, vel formæ reſpectu alicuius, eſt minus ipſo completum. Vnde D. Augu.lib.7.de Gen.ad lit. c.2. inquit. Animæ naturam, vel in deterius commutari poſſe quis ambigit? ac per hoc ſacrilega opinio eſt, eam, & Deũ credere vnius eſſe ſubſtantiæ. Quid enim hoc modo aliud, quam, & ille commutabilis creditur? Credendum itaq; eſt, & intelligendum, neq; vllo modo dubitandum, quod recta fides habet, animam ſic eſſe à Deo, tamquã rem, quam fecerit, non tamquam de natura cuius eſt ipſe, ſiue genuerit, ſiue quoquomodo protulerit. Ita Aug. & eſt definitio expreſſa Eccleſiæ apud Leonem 1. in Epiſtola 91. vel ſecundum alios codices 93. ad Turbium Epiſcopum c.5. & in Concilio 1. Bracharenſi c.5. & in Conci. Tolet. i. in confeſſione fidei, vbi ſic dicitur. Si quis dixerit animam humanum Dei portionem eſſe, vel Dei ſubſtantiam anathema ſit. Quare non opus eſt, vt in ea corroboranda plures rationes adducantur, cum res tam apperta ſit, vt facile omnes iſti errores confutari poſſint ex ſuperius dictis in primo capite, in quo oſtenſum eſt ſecundum fidem vniuerſa eſſe creata à Deo, & in tempore.

Nec obſtat quod hic dicitur Deum inſpiraſſe in faciem eius &c. quoniã illa Dei inſpiratio non fuit corporalis, ſicut non fuit locutio corporalis, cum Deus dixit fiat lux, aut fiat firmamentum. Sed vt inquit D. Chryſ. Hom.13. in Gen. Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, id eſt corpus illud ex puluere factum rationalem animam habere iuſſit, quæ corporeis membris vti poſſet. Quid eſt igitur inſpirauit ſpiraculum vitæ? Voluit, & imperauit, vt hoc corpus haberet vitalem vim, quæ facta eſt animali in animam viuentem, hoc eſt efficaciter operantem, & ſuam artem membrorum motu oſtendere valentem vide D. Auguſtinũ lib.7. de Gen. loco citato.

Quæſ. 2 Quæritur ſecundo. An anima Adę materiam ſpiritualem habuerit. Reſpondet Alex. de Ales, vbi ſup. m.2. art.1. ex D. Aug. lib.7. ſuper Gen. ad lit. a cap.5. & deinceps; Quod anima Adæ, quæ fuit prima anima, fuit creata in operum ſex dierum ſimpliciter perfecta. Quapropter non eſt dicendum, conditam fuiſſe tunc ſecundum ſpiritualem materiam, vel ſecundum naturam generis animæ, plantis, vel animantis, vel ſecundum ſimilitudinem in Angelis, eo ꝙ vtrobiq; ſit ratio ſpiritus: quod patet: quoniam ſi illa materia ſpiritualis erat, aliquando fuit cum ſua forma, cum eſſet incorporea, aut ergo erat cum ratione, aut ſine; ſi abſq; ratione, ergo erat irrationalis; atq; adeo ex irrationali natura facta eſt anima rationalis, quod eſt abſurdum. Si vero erat cum ratione, iam formam habebat completam, ergo non fiebat anima rationalis ex ipſa. Item aliæ res non tantum erant conditæ in materia, ſed in ratione formali. In hoc enim diſtinguitur facere, à creare; ergo anima humana in ope-

[Anima Adę an materiã ſpiritualem habuerit.]

opere ſextæ diei in ratione formali condita eſt: ſed non eſt ratio formalis, niſi ipſa in ſua forma condita ſit, ergo anima Adę fuit in ſua forma cōdita: atq; adeo non eſt facta ex materia.

Quæſ.3

Anima rationalis an ſit cōpoſita ex materia, & forma.

Quæritur tertio. An anima rationalis ſit compoſita ex materia & forma. Alex. de Ales, 2.p.q. 61. m.1. & D. Bona.in 2.d.17.art.1.q.2. Dicunt animam eſſe compoſitam ex forma, & materia intellectuali, nullatenus tamen conſtare ex materia, quemadmodum corpora ex materia, & forma dicuntur eſſe compoſita, ſiue cœleſtia ſint, ſiue hęc inferiora: & ratio eſt: quia materiæ corporalis terminus eſt ipſa magnitudo; ſpiritualis autem materiæ nullus eſt terminus, Vnde Auſ. in lib.de Gen.c. 32.docet eſſe impoſſibile, materiam ſine magnitudine exiſtere.

Hanc ſententiam explicans D. Bo. inquit, quod cum anima rationalis ſit hoc aliquid, & per ſe nata ſubſiſtere, & agere, & pati, & mouere, & moueri; habet intra ſe ſuæ exiſtentiæ fundamentum, & materiale principium, à quo habet exiſtere, & formale à quo habet eſſe. Cum igitur principium à quo eſt fixa creaturæ exiſtentia, ſit principium materiale, concedendū eſt animam humanā materiam habere. Cæterū illa materia, ſubleuata eſt ſuper eſſe extenſionis, & ſupra eſſe priuationis, & corruptionis; atq; adeo materia ſpiritualis appellatur. Illi ergo, qui locuti ſūt de principio materiali, quātū ad eſſe extenſionis, & prout habet eſſe ſub priuatione dixerunt, rationalem animam non habere materiam, haud loquentes de materia in ſua generalitate, ſed prout ad eā ſtat Phyloſophica reſolutio.

D.Thom.1.p.q.75.art.1.negat animam habere materiam, ſed rationes eius non probant niſi de materia, quę eſt principium tranſmutandi aliud, inquantum aliud, & ad quam ſtat vltima reſolutio Phyſica. Doct. ſub. in 2.d.17.q.1.tangit hanc difficultatem, ſed eam inſolutam relinquit, ſed in quæſtionibus de anima q. 15. concedit animas habere materiam metaphyſicam. Riccardus in 2.d.17.art.1.q.1. vtramq; opinionem defendit, licet magis accedat ad opinionem Alex.& Bona. vt patet ex his, quæ diſputat in 2.d.3.art.1.q.1.& 2.

Quæſ.4

Anima rationalis ex alia anima propagari non poteſt.

Quæritur quarto. Vtrum anima ex alia anima propagari poſſit. Reſpondent Alex. de Ales, q.60.m.3.ar.3.& q.61. m. 2. & D.Bona. in 2.d. 18. q. vltima. Quod non: quoniam neque tamquam ex cauſa materiali, ſicut corpus prolis ex corpore parentis, aut panis ex farina, & ad hoc eſt ratio D. Auguſtini lib.7.ſuper Gen. ad lit.c.1. quia illa anima, aut eſt viuens, aut vitam non habens. Si non eſt vitam habens, quomodo ergo eſt materia viuentis ſubſtantiæ, vt ex qua fiat. Si vero eſt viuens, aut tantum vegetabili vita, aut tantum ſenſibili, aut tantum rationali, ſi tantum vegetabili eſſet planta, & anima rationalis fieret ex planta; ſi vero ex ſenſibili tantum, eſſet materia rationalis animæ brutū; ſi uero habet vitam animæ rationalis, ergo eſſet anima, & ita pari ratione fieret hoc ex illo, ſicut è conuerſo, cū eſſet æque completum, vel iretur in infinitum.

Neque poteſt fieri ex anima, tamquam ex cauſa efficiente: quoniam nulla creatura poteſt aliquid efficere, niſi ex præiacente materia: quia facere aliquid ex nihilo, ſoli Deo eſt proprium; & cum nulla poſſit aſſignari animæ materia de qua fiat, non poterit anima parentis eſſe efficiens cauſa animæ prolis. Neque vtroq; modo: quia idem reſpectu eiuſdem non poteſt eſſe efficiens, & materialis cauſa. Adde quod anima parentis non poteſt dici cauſa materialis animæ prolis:

Digitized by Google

ſic quia manet anima patris in patre; à qua eſt alia, & diſcreta anima filij, eſt etiam anima patris ſimplex, & ſpiritualis, & ab omni partitione diuiſionis immunis. Quare non poteſt eſſe animæ filij materia.

Queſ. 5 Quæritur quinto. Vtrum anima facta ſit ex materia corporali. Reſpondet Alex. de Ales, vbi ſup. quod non: quia corporeum minus nobile eſt in genere incorporeo; principium autem in quantum huiuſmodi nobilius eſt eo, cuius eſt principium, vel ad minus æque nobile, ergo incorporeũ non habet materiam corpoream ex qua fiat. Item ſi materia eſſet corporea, vel forma ſimiliter eſſet corporea, aut incorporea, ſi eſſet corporea, ergo non produceretur niſi corporeum compoſitum, non ergo anima. Si vero eſſet forma incorporea, compoſitum ex illis, aut nec eſſet corporeum nec incorporeũ in genere ſubſtantiæ, quod eſt impoſſibile; aut compoſitum eſſet corporeum, atq; ita anima eſſet corporea; ſicut homo, qui componitur ex anima & corpore. Impoſſibile eſt ergo animam fieri ex materia corporali.

Anima rationalis an ſit facta ex materia corporali.

Queſ. 6 Quæritur ſexto. Vtrum anima cum ſemine traducatur, vel transmittatur. Communis eſt omnium Theologorũ conſenſus. Alex. de Ales, loco citato. D. Thom. 1. p. q. 118. art. 2. D. Bona. in 2. d. 18. q. vlt. & Ricar. eadem, d. art. 2. q. 2. quod anima rationalis cum ſemine non traducitur. Cuius ratio eſt: quia ſequeretur primo animam eſſe mortalem; nam cum ſemen humanum faciliſſime corrumpatur, efficiaturq; generationi inutile, per inde animæ in ſemine latentes interirent: quoniam rationes ſeminales, quæ in rebus ſunt nihilo fortiores, ac firmiores ſunt rebus in quibus exiſtunt. Vt D. Aug. lib. 6. de Gen. ad lit. c. 19. docet. Deinde quia ſi anima cum ſemine traduceretur, vereq; tranſmitteretur: numquam eſſent in vtero matris fœtus ſine anima, quod appertiſſime repugnat ſacræ ſcripturæ. Exo. 21. vbi Moſes ſanciuit diuerſam pœnam percutienti mulierem, ſic, vt aborſum patiatur, quia ſi fœtus fuerit animatus percuſſorem homicidam puniri præcipit, animam pro anima &c. Si vero non fuerit animatus pecuniariã mulctam ſtatuit, Quare lex illa fetum in vtero materno, antequam animetur non eſſe hominem iudicat, atq; adeo non habere rationalem animam, ac proinde animam cum ſemine non tranſmitti.

Anima rationalis non traducitur cum ſemine.

De animæ rationalis eſſentia quo ad cauſam formalem, id eſt quo ad modum producendi.

Queſ. 1 QVæritur primo. Vtrum anima habuerit eſſe per creationem. In huius dubij ſolutione obſeruandum eſt, quod vt refert D. Aug. in libro de vtilitate credẽdi. c. 4. Fuit quidam Lucretius, qui aſſerebat animam rationalem ex athomis produci, & poſt mortem in athomis reſolui. Sed iſte error adeo eſt contra lumen naturæ, vt indignus ſit aliqua confutatione: maxime vero cum, vt infra probabimus, anima rationalis ſecundum fidem eſt immortalis, & manens ſubſiſtens poſt mortem.

Anima rationalis an habeat eſſe per creationem.

Tertullianus autem, vt Auctor eſt D. Augu. in epiſtola 157. & in lib. de hæredibus c. 86. & lib. 10. de Gen. ad lit. c. 25. ſenſit animam per traducem gigni ab animabus parentum, ſicut corpora à corporibus, atq; ita ab anima Adami propagari omnes, vt etiam refert D. Hierony. in epiſtola ad Marcellinum, & Anapſychiam, atq; idẽ ſenſit Apolinarius, & maxima pars occidentalium, vt Hierony. in illa Epiſtola diſertis verbis teſtatur, eamdemque ſententiam tributam olim fuiſſe Luciferianis refert D. Auguſt. hæreſi. 81.

Digitized by Google

Verum hanc ſecundam ſententiam non habuit pro hæretica Auguſtinus vt patet ex eius Epiſtola 28. ad Hieronym. & ex his, quæ de Tertulliano dicit hæreſi 96. ſ. illum non fuiſſe reputatum hæreticum propter eam ſententiam. atq; etiam poſt Auguſtinum Eucherius lib.2. in Gen. in c.2. ſic ſcribit. Quæritur ſicut caro naſcentium ex carne, ſic animæ ex animabus procreantur, an nouæ ſemper creentur a Deo ex nihilo. Quæ (inquit) quæſtio in definiendo difficilis eſt: quia nihil eſt à ſanctis viris, vel ſcripturarum authoritate manifeſtius pronunciatũ. Quo circa D. Aug. de hac quæſtione diu, multumq; dubitauit, nec tam ſibi perſuaſit, quam optauit veram eſſe ſententiam, quæ aſſerit, non per traducẽ gigni à parentibus, ſed per creationem à ſolo Deo creari animas, vt ipſe in illa Epiſtola 28. ad Hierony. ſæpe indicat. Difficile enim ei ad defendendum videbatur, quod ponit certiſſima fides, animas paruulorum originale peccatum contrahere, & propter illud iuſte damnari, ſi à ſolo Deo creantur, & non gignuntur à parentibus. Quam ob rem ſic cum Hieronymo ibi loquitur. Illa de animarũ nouarum creatione ſententia, ſi hanc fidem fundatiſſimam non oppugnat de peccato originali, ſit & mea, ſi oppugnat non ſit, & tua. Et infra. Licet nemo faciat optando, vt verum ſit, ꝙ verum non eſt, ſi tamen fieri poſſet optarem, vt hæc ſententia vera eſſet, ſicut opto, & ſi vera eſt à te liquidiſſime, atq; inuictiſſime defendatur. Et lib.7. de Gen. ad lit. a principio vſq; ad c.5. inquit, quod ex illis verbis. Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, tantum colligitur. Deum in ſufflando animam, quæ eſt ſpiraculum vitæ primo homini à principio dediſſe. Vtrum autem inſuflauerit ex eo, quod omnino non erat, id eſt ex nihilo, an ex aliqua re, quæ iam ab illo facta ſpiritualiter erat, ſed anima nondum erat; illa verba aperte non indicant; atq; ita per totum illum lib.7. D. Augu. diligentiſſime inueſtigat, vtrum anima ſit producta ex nihilo, & tandem in fine libri concludit, ſe neſcire huius rei veritatem.

Cæterum: quia noſtris temporibus ſcholaſticorum opera magis explicata ſunt, quæ ad fidem chriſtianam attinent, quam tempore D. Auguſtini, de animę origine tres pono concluſiones.

Anima rationalis nõ fit per generationem.

Prima Concluſio certiſſime tenendum eſt, quod anima rationalis non fit per generationem. Hanc concluſionem tenent cõmuniter omnes ſancti Patres. In primis D. Clemens lib. 8. de conſtitutionibus Apoſtolicis c. 16. docet ex mente Apoſtolorũ, quod in productione hominis corpus fit ex elementis, anima vero creatur à Deo ex nihilo. D. Hierony. lib.2. contra Ruffinum, & lib.2. contra Luciferianos expreſſe docet animas creari ex nihilo. Et idem docet D. Chriſoſt. hom.23. in Gen. D. Damaſ. lib.2. de fide ca.12. Idem ex profeſſo docet Grego. Niſſenus lib.2. ſuæ Phyloſophiæ c.6. vbi diſputat contra Apolinarium Epiſcopũ, qui aſſerebat animas fieri per generationem. Leo Pontifex in Epiſtola 93. ad Turibium c.10. Et probatur etiam diuerſis authoritatibus ſacræ ſcripturæ, quas adducunt D. Aug. & D. Hieronym. in locis modo citatis, atque citandis.

In primis hic dicitur. Fecit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius &c. in quo loco, vt oſtẽdimus ſupra ex patribus, ſermo eſt de productione animæ rationalis, ab ipſo Deo. Præterea Eccl. 12. Reuertatur puluis ad terram vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illũ. Item 2. Macab.7. dicitur. Neque enim ſpiritum, & animam donaui vobis, ſed Deus. Item in Pſal. 32. Qui fingit

ſin-

Digitized by Google

ſingillatim corda eorum, vbi nomine cordium ſancti communiter intelligunt ipſas animas. Et Zachariæ 12. dicitur. Qui finxit ſpiritum hominis in ipſo.

Scio D. Auguſtinum omnia hæc loca ſacræ ſcripturæ ſoluere: Etenim ad primum locum Gen. dicit, illis verbis tantum colligi, Deum inſuflando animam, quæ eſt ſpiraculum vitæ primo homini à principio dediſſe: an autem in ſuſflauerit ex eo, quod omnino non erat, illa uerba aperte non indicant, vt ſupra notauimus. quam ſolutionem vbicumque de hac re loquitur aſſignat.

Ad ſecundum locum ex Eccle. reſpondet in Epiſtola 197. & libro 10. ſuper Gen. ad lit. c. 9. quod ex hoc loco cōuincitur de anima primi hominis, quòd ſit facta à Deo ex nihilo, de animabus vero aliorum hominum, dicit non conuincere, & adducit exemplū. Etenim tantum primus corpus productum eſt ex terra; & tamen ratione illius omnia corpora dicuntur eſſe è terra. Ita quia prima anima producta eſt à Deo, cęteræ ratione illius dicuntur eſſe à Deo.

Ad tertium ex 2. Macab. dicit lib. 2. de origine animæ c. 14. Quoniam ſimiliter dicimus, quod Deus donauit nobis linguam, & manus &c. & tamen conſtat linguam, & manum nō fieri per creationem. Ad alia duo teſtimonia ex pſal. 32. & Zach. 12. dicit etiam vbi ſup. non conuincere, Nam ſimiliter etiam dicitur de Deo in pſal. 93. Qui finxit oculum &c. conſtat autem oculum non fieri per creationem, & plura alia dicit in lib. de Gen. c 6.

Cęterum, & ſi hæc fere teſtimonia per ſe ſola non planè conuincant, tamen magnum habent pondus ob eccleſiæ authoritatem, quę eam eſſe vim eorum locorum ſcripturæ intellexiſſe videtur. Prætérquam quod ipſemet Auguſtinus quamuis in diuerſis locis iam citatis ſit dubius de hac re; Tamē in lib. de hęreſibus c. 81. & 86. refert contrariam ſententiam tamquam erroneam, & lib. 7. ſuper Gen. ad lit. per plura capita contendit probare elegātiſſimis rationibus, animam ex nulla materia produci poſſe. Et in lib. de eccleſiaſticis dogmatibus c. 12. docet expreſſe animam eſſe à Deo per creationē, & in fundi in corpus: ſic enim ibi legimus. Animas hominum non eſſe ab initio inter cęteras intellectuales naturas, nec ſimul creatas, ſicut Origens finxit, neque cum corporibus per coitum ſeminatur ſicut Luciferiani, Cyrillus, & aliqui latinorum præſumptores affirmant, quaſi naturæ conſequentiam ſeruantes. Sed dicimus creationem animæ ſolum Creatorem omnium noſſe, & corpus tantum per coniugij copulam ſeminari, Dei vero iudicio coagulari in vulua, & compingi, atq; formari, ac formato iam corpore, animam creari, atq; infundi, vt viuat in vtero homo ex anima conſtans, & corpore, & egrediatur viuus ex vtero plenus humana ſubſtantia; & tandem lib. de ſpiritu & anima, (ſi tamen ille liber eſt D. Auguſtini) c. 41. id clariſſimis verbis docet, & optimis rationibus probat.

Secunda Concluſio. Aſſerere animam rationalem produci per generationem, ſi non eſt hæreſis ſaltem eſt error in fide, & ſententia temeraria valde. Probatur primo ex ſententia Magiſtri in 2. d. 18. vbi ſic ait. Catholica eccleſia animas in corporibus ſeminatis, atq; formatis, infundi, & infundendò creari docet. & ex D. Hieronymo refert. Hieronymus anathematis vinculo illos condemnat, qui animas extra duce dicunt. Inducens authoritatem Prophetæ. Qui fingit ſingillatim corda eorum. Hoc ſatis (inquit) innuit Propheta quod non ipſam animam de anima fecit Deus, ſed ſingillatim animas de nihilo creat

Error eſt in fide aſſerere animā rationalē produci per generationem.

Et

Et D.Thom.lib.2. contra Gentes cap. 86.contrariam ſententiam, quæ animas per traducem gigni aſerit, dicit fuiſſe errorem Apolinaris, & ſequacium, vbi certe non videtur mihi loqui de errore tantum Phyloſophico (ſicut Alphonſus à Caſtro de hæreſibus verbo anima hæreſi 3. interpretatur) ſed vt de homine profeſſione Chriſtiano. Adde quod Idem D. Thom.1.p.q.118.art.2.ſic inquit.Hæreticum eſt dicere, quòd anima intellectiua traducatur cum ſemine. Præterea loca ſacræ ſcripturæ citata in prima concluſione non poſſunt commode aliter exponi.

Deinde ex contraria ſententia, per optimam conſequentiam colligitur, animam rationalem eſſe corruptibilē, & perire cum corpore; nam ſecundū veram Phyloſophiam, & doctrinam Ariſt. omne, quod eſt generabile, eſt etiam corruptibile, ergo opinionem illam aſſerere eſt erroneum; probatur conſequentia; quoniam ſecundum veram Theologiam illa præpoſitio, ex qua per bonam conſequentiam ſequitur hæreſis eſt erronea in fide. v. g. q̄ Chriſtus non eſt riſibilis, eſt erroneū: quia per bonam conſequentiam ſequitur, quod Chriſtus non ſit homo, quod eſt hæreſis. Itaq; videtur mihi hæc concluſio eſſe de fide, ita, vt contraria ſententia ſit nunc, vel hæretica, vel certe erronea, & valde temeraria; vt potè repugnans conſenſui Theologorum omnium in 2. d. 18. Si autem contraria ſententia aſſerat, quod anima rationalis propagatur ex materia per propagationē in hoc ſenſu, quod pendeat etiam ad ipſa materia in eſſe, & conſeruari eſſet hæreſis manifeſta, & forte hoc eſt, quod docet. D. Thomas 1.p.q.118.art. 2. & ratio eſt: quia ſecundum fidem catholicam anima rationalis eſt immortalis, & manet corrupto corpore; ergo ſecundū eamdem fidem non propagatur ex materia in illo ſenſu: quia anima; quæ in illo ſenſu propagatur ex materia, non poteſt manere deſtructo corpore.

Tertia Concluſio, Animæ organizatis corporibus à Deo creantur, & creando infunduntur, & infundendo producuntur. Hanc concluſionem probant Alex.de Ales, vbi ſup.D.Th. 1.p.q.90.art.2. & D.Bona. loco ſupra citato. Quia debuit Deus ſibi ſoli animarum creationem reſeruare. Tum propter earum dignitatem: quoniam cum anima imago Dei ſit, & nata in Deum immediate ferri, atq; eum ex toto corde diligendo in ipſo beatificari, debuit totum ſuum eſſe ab ipſo immediate habere, vt ex toto corde ad ipſum diligendum ſe teneri agnoceret. Tum etiam, propter animarum immortalitatem. Cū enim ſolus Deus ſit, qui vitam habet in ſemetipſo indeficientem; ſolus etiam eſt, qui poteſt perpetuum vitæ principium tribuere. Hęc concluſio multis etiam ſacræ ſcripturæ locis, quibus Deus omnium Creator appellatur, & ſanctorū Patrum teſtimonijs cōfirmari poſſet. Sed legat ſtudioſus lector. Hilarium lib.10.de Trin. prope finem.D.Amb. lib. de Paradiſo c.11. de Noe, & arca c.4.& 25.& epiſtola 21. D. Cyrillum lib.1.in Ioan.c.9.D.Chriſoſt.hom.23. in Ioan. & alios, quos refert Magiſter ſent.in 2.d.18.& Alphon. de Caſtro de hæreſibus verbo anima hæreſi ſupra relata. *Anima rationalis organizato corpore creatur & infunditur.*

Quæſ.2 Quæritur ſecundo. Cur creatio animæ rationalis vocabulo inſufflationis ſeu inſpirationis inſinuata ſit. Reſpōdeo cum Perer.o, quod hoc fuit propter multas cauſas. Primo ſecundum Theodoretum, vt intelligatur tam facilem eſſe Deo creationem animæ rationalis, quam facile eſt homini flatum ex ore ſuo emittere. Secundo vt appareat animam rationalem, non exprimi, & educi de potentia materiæ, *Animæ rationalis creatio cur nomine inſufflationis inſinuata ſit.*

ſed

ſed extrinſecus aduenire corpori ex nihilo, ſcilicet à Deo creatam; atq; idcirco immaterialem, & immortalem eſſe, tertio vt notum eſſet animam ſimul creari, & infundi in corpus, Deus enim eam creando infundit, & infundendo creat, ſiquidem vtrumque fit eadem puncto temporis, quamque ordine naturæ prius eſt animam creari, quam corpori infundi. Tandem ea ratione ſignificatur animam quodammodo prodijſſe ex ore Dei, vt ex eo intelligeretur animam rationalem, eo maxime cęteris animabus præcellere, quod ipſa capax, & particeps eſt vitæ gratiæ, & ſapientiæ Dei.

Quæſ. 3 **Cur in hæbreo dicitur pluraliter ſpiraculū vitarum.** Quæritur tertio. Cur in hæbreo dicitur pluraliter ſpiraculum vitarum. Dicendum, quod quidam hoc referunt ad duas nares, per quas ſpiritum vitalem ducimus. Alij putant ea re ſignificari longiſſimam vitam, quam acturus erat homo in ſtatu innocētiæ, & quam primeui homines egerunt ante diluuium. Nonnulli denotari exiſtimant duplicem vitam, cuius ſolū omnium animalium homo capax eſt, præſentem, ſcilicet, quæ tēporalis eſt, & futuram, quæ eſt æterna. Nec deſunt qui opinantur Moſem his verbis voluiſſe indicare duplicem viuendi modum, quem habet anima rationalis, vnum prout ipſa eſt in corpore ipſum informans, animans, viuificans, & ad operandum mouens; alterum prout ipſa à corpore ſeiuncta per ſe ſubſiſtit, & ſine corporis adminiculo act ones ſuas perficit. Illud quoque placet. Quibuſdam inſinuari hoc loco, duplicem hominis vitam, vnam corporalē, & naturalem, alteram ſpiritualem, & ſupernaturalem, illam pręſtat anima rationalis, vi, & poteſtate ſua, hanc nonniſi ſingulari gratia, & auxilio Dei adiuta.

Caietanus ſignificari putat triplicē vitam, quam anima rationalis tribuit homini; licet enim ſit tantum vna, ſecundum ſubſtantiam, potentia tamen, & ipſo effectu triplex eſt, ſiquidem præſtat homini vitam vegetatiuam, ſenſitiuam & intellectiuam: atque ad eas vitas tuendas, & exercendas tripli ci vtitur ſpiritu, velut inſtrumento, ſcilicet ſpirituali in corde, naturali in iecore, & animali in capite generato, atque in vniuerſo corpore diffuſo, & permanente.

De anima rationali quo ad eius cauſam finalem.

Quæſt. **Anima rationalis ad q̄d creata eſt.** Quæritur ad quid creatæ ſint animæ rationales. Magiſter ſent. in 2.d.1. aſſignas finem animæ rationalis dicit, quod eſt creata, vt intelligeret ſummam bonitatem, & intelligendo amaret, & amando poſſideret, & poſſidendo frueretur; quæ verba ſunt D. Auguſt. lib. de diligendo Deo. cap. 5. Quibus (vt ſapienter explicat Alex. de Ales, p.2.q. 61. m.3.) tribus differentijs aſſignatur animæ finis, ſcilicet, vt laudaret, ſeruiret, & frueretur, vel, vt videret, laudaret, atque gauderet; ſiue diligeret. Quarum differentiarum ratio ita poteſt attendi, vt intelligere ſit reſpectu primæ veritatis, & ſpectet ad intelligentiam; amare ſit reſpectu ſummæ bonitatis, & pertineat ad voluntatem; poſſidere vero ſit æternitatis intuitu, & ad mentem, ſeu memoriam ſpectet; ſecundum quod Trinitas eſt in anima, penes intelligentiam, voluntatem, & memoriam. Frui autem pertineat ad ipſam diuinitatis eſſentiam, vel ex tribus prædictis relinquatur. Iterum tres aliæ differentiæ ita poſsūt diſtingui; vt frui pertineat ad actum cordis, ſeruire ad actum operis exterioris, & laudare ad actum oris; Aliæ etiam differentiæ ſic diſtinguuntur, vt videre pertineat ad actum rationis, amare ſiue gaudere, ad actum voluntatis, laudare vero ad actum ſermonis,

vt

Digitized by Google

vt fiat proteſtatio ſummæ maieſtatis, ſapientiæ,& bonitatis.

Cum ergo quæritur,ad quid creata eſt rationalis creatura? Reſpondetur, ad laudandum Deum,ad ſeruiendum ei,ad fruendum eo; in quibus proficit ipſa non Deus. Deus enim perfectus, & ſumma bonitate plenus,nec augeri poteſt,nec minui; Vel condita eſt anima rationalis,propter Dei bonitatem; & ſui vtilitatem: Vtile eſt namque ipſi ſeruire Deo,& frui eo; Condita eſt ergo rationalis anima propter Deum:nō quia Creator Deus,& ſummæ beatus, eius indiguerit officio, qui bonorum noſtrorum non eget, ſed vt ſeruiret ei, ac frueretur eo,cui ſeruire regnare eſt, & in hoc proficit ſeruiens,non ille,cui ſeruitur. D.Aug.in Enchiridion dicit, quod finis animæ eſt reparatio angelicæ ruinæ; & idem dicit Anſel. lib. de Caſu Diaboli, & lib. Cur Deus homo, & videtur accipi ex illo verbo. Deut. 32.ſtatuit terminos gentium,iuxta numerum angelorum Dei, ſecūdum vnā translationem.

Hoc tamen non eſt intelligendum; quaſi non fuiſſet homo factus, ſi non peccaſſet angelus, ſed quia inter alias cauſas, ſcilicet præcipuas, hæc etiam nonnulla cauſa extitit.

Dicendum eſt ergo,quod finis principalis rationalis animæ eſt participatio beatitudinis: homo enim non eſt primo, & principaliter creatus ad reparandas angelorum ruinas: nam etſi nullus cecidiſſet Angelus; nihilominus tamen creatus fuiſſet homo,quippe qui rerum omnium corporaliū ſit præſtantiſſimus, qui ſi deeſſet mundo,nequamque is completus,& abſolutus cenſeri poſſet. Finis autem ſecundarius creationis hominis eſt reparatio angelicæ ruinæ: atque adeo licet ſtarent Angeli, & non minueretur numerus angelorum fruentium,& nō eſſet finis ſecūdarius hominū,eſſet nihilominus finis principalis. Ergo,&c.

De eſſe animæ in facto eſſe.

QVæritur primo. An omnes animę ſimul creatæ ſint. De hac re fuit Platonicorum opinio, quæ aſſerebat animas ſimul cum ſtellis creatas fuiſſe, & poſt corporibus ſibi idoneis formatis, ad eiuſmodi corpora viuificanda,per lacteum cœlum,& alios planetarum orbes deſcendiſſe.Poſt corporum vero corruptionem, ad eaſdem ſtellas reuerſuras,& ſuo loco, & tempore iterum deſcenſuras; aiebantque inſuper,quod ipſe animæ cum deſcendunt, prius cognitorum obliuiſcūtur, & cum aſcēdunt ſimiliter eorum obliuiſcuntur, quæ in corporibus, paſſæ ſunt,vel geſſerunt. Hanc ſententiam approbare intendit Macrobius explicans ſomnium Scipionis. Cæterum hæc opinio,vt recte dixit D.Bonau. in 2.d.18.q.2. art.2. potius eſt ſomnium, quam vera ſententia. *Quæſ. 1 Animæ rationales an ſimul omnes creatæ ſint.*

Secunda ſententia fuit Manicheorum, dicentium animas ſimul creatas fuiſſe in cœlo cum angelis,vtpote eiuſdem naturæ cum ipſis,& poſtmodum ad ſuggeſtionem tenebrarum peccauerunt, & merito illius peccati in corpora ſunt detruſæ,tamquam in carcere,vt ibi purgentur,atque cum purgatæ fuerint ad cœleſtem patriam iterum reuocentur. Hunc impijſſimum errorem tribuit Manicheis D. Auguſt. lib.de hæreſibus,hęc autem opinio hæretica eſt, & ſapienter confutatur à D. Bona.loco citato.

Tertius error huic affinis fuit Origenis.lib.1.de principijs.cap.7.& 8.Qui exiſtimauit non ſolum animam primi hominis, ſed animas omnium hominum ante corpora, ſimul eſſe creatas cum angelis, quod ipſum etiam affirmat de anima Chriſti; quæ quoniam vehementius adhęſit Deo diligendo iuſtitiam meruit,vt aſſumeretur à Verbo.

Di-

Digitized by Google

Dicendum eſt ergo cum Alexan. de Ales, p. 2. q. 62. m. 3. D. Tho. 1. p. q. 91. art. 4. & q. 118. art. 3. D. Bona. loco citato, & Ricar. in 2. d. 18. art. 2. q. 3. Quod animæ non fuerunt ſimul cum angelis productę, vt colligitur expreſſe ex Pſ. 32. Qui finxit ſigillatim corda eorum, vbi per corda animę intelliguntur, & Gloſſa ibidem dicit, quod animas ſeparatim Deus creauit, & non omnes in Adam. Item D. Auguſt. in libro de eccleſiaſt. dogmatibus. Credendum eſt (inquit) & firmiter tenendum, quod non omnes animæ ſunt ab initio creatæ, vt Origenes finxit, neque cum corporibus ſeminantur, ſicut Luciferiani, & Cyrilus, & quidam latinorum affirmant, ſed dicimus animam, ſi nul creari, & infundi in corpore compacto, & formato, vt viuat in vtero homo.

Et quamuis hęc aſſertio ex ſola ſcriptura conuinci non poſſit: tamen conſtat ex Eccleſię traditione: nam D. Leo epiſtola 93. c. 10. ita de Priſcillianiſtis, qui contrarium ſentiebant pronūciat. Eos catholica fides à corpore ſuę vnitatis abſcidit, conſtanter prędicans, atque veraciter, quod animę hominum, priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuere. Atque idem, vt certiſſimum aſſeritur à D Hieronymo in epiſtola ad Pamachium aduerſus errores Ioan. Hieroſolymitani; & D. Greg. Niſſenus in diſputatione de reſurrectione, & anima; poſt medium non dubitauit ita ſcribere. Si datum fuerit, quod ante corpus anima viuat, neceſſe eſt, vt abſurdas ſententias illorum, qui propter vitioſitatem animas in corpora deduci volunt, vires habere putemus. Enim vero poſteriorem eſſe originem animarum compoſitione corporum, nemo ſana mente in animum induxerit, &c. Relinquitur igitur, vt putemus vnus, & idem animę, & corporis conſtitutionis principium eſſe. Idem aſſerit in lib. de opificio hominis. c. 28. & 29. vbi opinionem Origenis, tamquam abſurdam confutat.

Et ſi quando inuenitur authoritas patrum, quę videatur aliud ſonare, piè intelligenda eſt, quia vel loquuntur ſecundum aliorum opinionem, vel ſi ſecundum propriam, intelligunt, quod anima priuſquā corpori vniatur creata ſit, non ordine temporis, ſed naturę: atque ita intelligēda ſunt verba Greg. Nazian. & Damaſc. ac etiam verba D. Auguſt. in lib. de ſpiritu, & anima dicentis, quod concupiſcibilitas, & iraſcibilitas prius inſunt animę; quam ipſa vniatur corpori, in omnib. enim iſtis, magis notatur ordo naturæ; quam temporis.

Quæritur ſecundo. Vtrum anima Adæ producta fuerit ante corpus, vel poſt. De hac re fuit opinio D. Aug. lib. 7. de Gen. ad lit. c. 24. 25. & 27. & D. Hierony. Epiſtola 61. ad Pammachiū; & in lib. 2. appologiæ contra Ruffinū, dicentium, quod anima primi hominis ante corpus cum angelis eſt creata. Et ratio D. Auguſt. fuit: quoniam ſecundum ipſum corpus hominis in illis operibus, ſex dierum nō fuit productum in actu, ſed ſolum ſecundum cauſales rationes, quod de anima dici non poteſt; quia tunc ex aliqua materia corporali, aut ſpirituali præexiſtente producta fuiſſet, nec ex aliqua virtute creata produci potuit, atq; adeo videtur, quod ipſamet anima in operibus ſex dierum, in quibus omnia facti fuerunt, ſimul cum angelis fuerit creata, & quod poſt. nodum propria voluntate inclinata ſit ad corpus adminiſtrandum. Tum etiam quia per opus creationis tota natura inſtituta eſt, vel in ſe, vel in ſuo ſimili, vel in ſuis cauſis, & rationibus ſeminalibus; ſed anima primi hominis nō fuit producta in ſuo ſimili, quia nulla preceſſit ipſam; nec in cauſis, ſeu rationibus ſeminalibus, quia non educitur de potentia materiæ; ergo oportet, quod fuit producta in ſe per opus creationis: ſed

Quæſ. 2

Animæ Adæ an fuerit creata ante corpus.

hoc

hoc non fuit cùm corpore: quia corpus hominis non fuit productum opere primæ creationis, ergo anima eius fuit producta ante corpus.

Verum hanc opinionem non affirmate probauit D. Auguſt. nam mox ſubdit. Credatur ergo, ſi tamen nulla ſcripturarũ auctoritas, ſeu veritatis ratio contradicit. Quapropter colligendum eſt; quod quando D. Aug.& alij Patres affirmant animam Adæ eſſe creatam ante corpus, illud non affirmant ex propria ſententia, & id tamquam certum aſſerendo, ſed diſputando veritatem, quæ illorum tempore latebat, inquirentes.

Dicendum eſt ergo prout docent Alex.de Ales, 2. p. q. 60. m. 2. art. D. Thom. 1. p. q. 90. art. 4. D. Bonau. in 2. d. 17. art. 1. q. 3. Ricar. eadem. d. art. 1. q. 2. Scotus eadem. d. q. 1. & Duran. q. 2. Quod anima Adæ fuit creata in corpore: quamuis Deus eam create potuiſſet ante corpus ſi voluiſſet: licet enim videatur ſatis rationabiliter poſſe dici, quod Deus ante corpus animã eius produxerit, vt oſtenderet eam à corpore non dependere, ſed per ſe ſubſiſtere, & vt etiam cum hoc pariter oſtenderet conformitatem eius, & naturæ angelicæ, tam in rationis capacitate, per quam anima eſt Dei imago; quam in beatitudine, ad quam anima, & angelus ordinantur. Tamen longe rationabilius videtur aſſerere, quod anima producta ſit ſtatim in corpore. Tum quia anima, vt perfectio naturalis corpori vnitur, cui naturaliter appetit copulari; adeo vt ab illo ſequeſtrari, & ſine illo eſſe pœna ſit ei; Tum quia vnitur etiã ſicut motor mobili; ita quod ſine ipſo, nec mereri, nec demereri poteſt, ideo non debuit ante corpus produci, ne ante copulam puniretur, & ne abſque corpore mereretur, vel demereretur.

Huic ſententiæ non tantum concordat ratio, imo, & ſcripturæ ſuffragatur authoritas, quæ dicit poſt productionem, & formationem hominis. Deum ſibi vitæ ſpiraculum inſpiraſſe.

Quæritur tertio. Vtrum anima rationalis ſit corpori vnibilis. Superuacaneum eſt hoc in loco plurima Phyloſophorum deliramenta referre; quæ Ariſt. narrat lib. 1. de anima c. 2. & ſequentibus. Satis enim apperte probat Ariſt. ibidem, animam nõ eſſe corpus, & lib. 2. eſſe corporis actum. Quod etiam egregie præſtat Gregorius Niſſenus lib. 2. ſuæ Phyloſophiæ, & quod attinet ad animam hominis lucidiſſime probat eamdem concluſionem D. Damaſ. lib. 2. de fide orthodoxa. ca. 12. & lib. 3. c. 16. Nec te moueat, quod D. Aug. lib. 22. de Ciuit. c. 11. dicit. Ariſt. aſſeruiſſe animam eſſe quintum corpus, Platonem vero nullum. Etenim D. Aug. vel hoc legit in aliquo exemplari vitiato, vel certe nullibi legerat, ſed ad aures eius falſò à ſic opinantibus peruenerat. Nihil eſt enim in doctrina Ariſtotilis apertius dictum, quam animam non eſſe corpus, ſed actum corporis. Ipſe etiam D. Aug. ita docet lib. 2. retract. cap. 56. vbi ait. ſe ſcite animam non eſſe corpus, ſed ſpiritum. Fatetur autem ipſe in libro confeſ. c. 15. quod olim dum erroribus Manicheorum teneretur, non poterat intelligere, quo pacto, anima non eſſet aliquod corporeum.

Quæſ. 3
Anima rationalis, an ſit corpori vnibilis.

Tertullianus etiam in lib. de reſurrectione carnis in eodem fuit errore, vt refert D. Aug. lib. 1. ſuper Gen. c. 25. & in lib. de hæreſibus. cap. 86. & epiſtola 157. ad Optatum. Nec mirum eſt Tertull. hunc errorem habuiſſe, qui in tantum errauit, vt aſſereret etiam ipſum Deum eſſe corporeum. D. Hieronymus in Epiſtola ad Pamachium contra errores Origenis refert etiam iſtum errorem, & dicit eſſe contra fidem, ſed quod Origenes docuerit animam noſtram eſſe corpoream non eſt credibile: nam in lib. 7. contra Celſum expreſ-

ſe

Digitized by Google

ſe docet, quod anima noſtra ſuapte natura eſt incompoſita, & indiuiſibilis, & lib. 4. de Principijs. ca. 2. docet hominē conſtare ex corpore anima, & ſpiritu. Cum ergo anima non ſit corpus, ſed corporis actus merito ſpecialiter de anima rationali quæritur, an ſit corpori vnibilis. Cui difficultati. Reſpondet Alex. de Ales, p. 2. q. 63. m. 1. quod cum corpus, & anima ita ſe habeant, quod vnum illorum ſit poten iale reſpectu alterius, & non tantum vt mobile reſpectu motoris, ſed vt materiale reſpectu ſuæ perfectionis, quamuis vtrumque in ſuo genere ſit completū, nec vlterius reſpiciat ſui generis perfectionem; nam corpus non reſpicit vlterius in natura corporalē perfectionem, nec animam perfectionem ſpiritualem; nihilominus, cum reſpiciat corpus, vlteriorem ſpiritualem perfectionem, ſiue animalem, quæ eſt mediante vita, & eſt corporali perfectione perfectior; ſequitur quod anima, & corpus vnibilia ſunt, ut ex eis fiat vna natura; Præterea vnibilis eſt anima corpori, vt ſua potentia actus proprios elicere poſſit; nam licet anima intellectua ratione intellectus non determinet ſibi organum, tamen ratione aliquorum actuum, qui ad ſenſibilem, aut vegetabilem, vel eorum qui ad intellectum conſequuntur pertinent, organum ſibi determinat. Vnde inquit. D. Aug. in lib. de ſpiritu, & anima. ca. 14. Sunt corporis, & animæ quædam ſimilia; corporis, ſcilicet ſupremum, & ſpiritus infimum, in quibus ſine naturarū confuſione perſonali tamen vnione facile coniungi poſſunt; ſimilia enim ſimilibus gaudent. Ita quod anima, quæ vere ſpiritus eſt & caro, quæ vere corpus eſt, in ſuis extremitatibus facile, & conuenienter vniuntur, ideſt in fantaſtico animæ, quod corpus non eſt, ſed ſimile corpori; & ſenſualitate carnis, quæ fere ſpiritus eſt: quia ſine anima fieri non poteſt, & parum infra. Conuenientiſſima autem media ſunt, & carnis, & animæ: Senſualitas carnis; quæ maxime ignis eſt, & Phantaſticus ſpiritus, qui igneus vigor dicitur. Vnde, & quidam loquens de animabus ait. Igneus eſt illis vigor, & cęleſtis origo; mira ſocietas carnis, & animæ, ſpiritus vitæ, & limi terræ. Sic enim ſcriptum eſt. Fecit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius, &c. dans ei ſenſum, & intellectum, vt per ſenſum lutum ſibi vnitum viuificaret, & per intellectum regeret.

Quæritur quarto. Vtrum corpus, & anima per medium vel ſine medio vniantur. Dicendum eſt, quod anima rationalis dupliciter corpori vnitur, priori modo, vt motor mobili; altero modo, vt perfectio formalis ſuo perfectibili: prout autem eſt motor, habet duas potentias medias, quibus mouetur corpus, prout eſt animæ organum, & hac ratione dicitur habere potentias pro medio; Vnde Inquit D. Aug. lib. 3. ſuper Gen. ad lit. c. 5. quod anima per lucem ideſt ignem, & aerē, quæ ſunt ſimiliora ſpiritui, corpus adminiſtrat: nam partes groſſiores corporis per ſubtiliores mouet, & primū inſtrumentum virtutis motiuæ eſt ſpiritus, vt docet Phyloſophus in lib. de motu animalium, c. 6. non remote à fine. Pręterea ſpiritus, qui dicuntur vitales, & animales, deferunt tamquam adminiſtrantes actum virium per corpus. *Queſ. 4* Anima & corp. an p medium, vel ſine medio vniātur.

Eo autem modo, quo anima eſt perfectio, & corpus perfectibile; licet habeat diſpoſitiones pręambulas, quę dicuntur quodammodo media, tamen non exigitur medium in vnione; imo ſe ipſa vnitur anima corpori; quod autem in aptatione habeat medias diſpoſitiones, patet per hoc, quod dicit D. Aug. quod vegetatur, & creſcit, & organizatur, & formatur hoc autem non poſſet eſſe niſi eſſent aliquę virtutes ſpirituales, quę iſta efficerent, atque

adeo in aptatione ſunt media, in ipſa vero coniunctione, ſe ipſa vnitur corpori.

Ex his patet, quod ridicula, atque ficticia fuerit Platonicorum opinio affirmantium aliqua corpora eſſe media inter animam, & corpus humanum. Nam quidam dixerunt, quod anima intellectiua, habet corpus incorruptibile ſibi naturaliter vnitum, à quo numquam ſeparatur, & quo mediante vnitur corpori hominis corruptibili. Quidam vero dixerunt, quod vnitur corpori mediante ſpiritu corporeo, Alij dixerunt, quod vnitur corpori mediante luce, quam dicunt eſſe corpus,& de natura quintæ eſſentiæ, ita quod anima vegetabilis vnitur corpori mediante luce cœli ſyderei, anima ſenſitiua mediante luce Cœli Criſtallini, anima vero intellectualis mediante luce cœli empyrei. Hæc inquam ſententia purum figmentum eſt, & eſt magis digna riſu, quam impugnatione. Tum quia lux non eſt corpus. Tum quia quinta eſſentia non venit materialiter in cõpoſitionem corporis mixti, cum ſit inalterabilis, ſed virtualiter tantum, Tũ etiam: quia anima immediate vnitur corpori,vt forma materiæ.

Quaſt.5 Anima, & corpus an per vnũ vel pplura media vniãtur.

Quæritur quinto. Vtrum anima,& corpus per vnum, vel per plura media vniantur? Dicendum eſt,quod eo modo, quo contingit eſſe media, corpus, & anima quatuor habent media; Vnde obſeruandum eſt, quod anima rationalis eſt ſubſtantia incorporea, motiua,cognoſcitiua, ſeparabilis, ſiue à corpore non dependens: Corpus vero cui vnitur, tamquam organo, ſiue perfectibili, eſt corpus compoſitũ ex elementis,complexionatum; vnde ex parte incorporei eſt ſubſtantia incorporea, motiua, non cognoſcitiua inſeparabilis a corpore ſcilicet vegetabilis, & ſubſtantia incorporea, motiua cognoſcitiua,& inſeparabilis,ſcilicet ſenſibilis, atq; ita duo ſunt media; Ex altera vero parte, eſt corpus compoſitum ex elementis, non complexionatum, & corpus non compoſitum ex elementis, & iſta ſunt duo media, & ita quatuor erunt media inter animam rationalem, & ſuum corpus, duo ex vna parte, & duo ex altera; ſpiritus enim eſt corpus non cõpoſitum ex elementis; humor vero eſt corpus compoſitum ex elementis, ſed non complexionatum.

Ex his ergo patet, quod cum anima rationalis non ſit vltimum in genere incorporeorum, nec corpus ſuũ eſt primum in genere corporeorum ſed vltimum, quod eo modo quo ſupra dicta contingit eſſe media, quatuor habent media; Et licet D. Augu. in lib.de ſpiritu, & anima, videatur aſſignare tantum vnum medium ex parte animæ, nempe ſenſualitatem, & vnum ex parte corporis, ſcilicet ſpiritum animalem. Intelligendus eſt tamen D. Aug. quod loquatur de ijs medijs, quæ pertinent ad cognitionem, vel ſenſualem motum, reſpectu quorum tantum requiritur vnum medium ex parte animæ, & vnum ex parte corporis. ex parte animæ ſenſualitas,ex parte corporis ſpiritus animalis: qui vocatur Phantaſticus, & tunc dicitur Phantaſticum, non corpus: quia non corpulentum; ſenſualitas vero dicitur ſpiritus:quia non habet operationem præter corpus: quemadmodum anima penes intellectum.

Quaſt.6 Anima quo genere vnionis vniatur; corpori.

Quæritur ſexto. Quo genere vnionis anima corpori vniatur. Pro ſolutione obſeruandum eſt, quod multi ſunt coniunctionum modi. Eſt enim vnum compoſitione, quomodo forma, & materia vniuntur, vnum continuatione, ſicut partes quantitatis continuæ, vnum contiguatione,ſicut ligna, & lapides in domo,vnum colligatione, ſicut membra in corpore, vnum commixtione ſicut elementa in mix-

mixto, vnum cõplexione, ſicut humores in corpore complexionato, vnũ impreſſione, ſicut figura, & cera. Vnũ inſertu ſiue inſitione, ſicut ſurculi in ſtipite.

Dicendum eſt ergo quòd hæc vnio, quæ eſt animæ, & corporis à D. Bernardo in lib. de Conſideratione ad Eugenium, dicitur naticia, & ſe habet admodum formæ cum materia. Sed diſtinguendum eſt; Quædam enim eſt forma prima, quæ perficit materiam, ſicut ſunt formæ elementares, & in talibus forma perficit ęqualiter totã materiam, & quamlibet eius partem, vt totus ignis eſt ignis, & quælibet pars ignis eſt ignis, & ad hunc modum ſunt formę naturales, quæ ſunt primę commixtionis, ſicut eſt in metallo, & huiuſmodi mineralibus. Totum enim aurum eſt aurum, & quælibet pars auri eſt aurum, ſicut eſt de omnibus formis materialibus, quę plurimum appropinquant ad ſuam materiam. Eſt iterum forma naturalis, quę perficit totum, & partẽ, ſed diſſimiliter, ſicut eſt anima ſenſitiua in brutis, & vegetatiua in plãtis, in hoc enim habent conuenientiã; Totum enim animal eſt animal, ſed nulla pars animalis eſt animal, licet plurimæ partes ſentiant, ſimiliter quęlibet pars plantæ vegetatur, ſed non quælibet eſt planta. Non perficitur ergo eodem modo totum, & quælibet pars, & hæc forma magis elongatur à materia, habet enim aliquam indiuiduationem præter materiam.

D. Bern.

Eſt inſuper tertia forma, quæ perficit ſic totum, quod nullam eius partẽ, ſicut anima rationalis. Totum enim eſt homo, ſed nulla pars hominis eſt homo, nec etiam intelligit. Totum ergo intellectiuum eſt, ita q̃ nulla pars. Vnde nullius partis dicitur actus. In plantis autem, & animalibus, non ſic erat, ſed pars vegetabatur, aut ſentiebat; atque ita iſta forma, quæ perficit ita totum, quod nullam partem, eſt vltima in genere formarum naturalium. Inſuper addendum eſt ad differẽtiam vegetatiuæ, & ſenſitiuæ: nam anima vegetatiua, etſi non eodem modo perficiat totum, & partem, quælibet tamen pars vegetationem participat, quod partes animalis habent. Ceterum anima ſenſitiua nõ ſic perficit quamlibet partem, vt ſentiat, ſicut ſunt oſſa, pili & huiuſmodi, atque adeo plus accedit ad diſtinctionem; membra verò organica hominis, ſenſum habent, & vegetationem, & nullum habẽt intellectũ; atque ita hic eſt finis diſtinctionis, & indiuiduationis naturalis.

Licèt ergo quædã ſit ſimilitudo animæ, & corporis, & formæ ad materiã, eſt tamen ſimilitudo ſecundum modũ iam dictum; Eſt enim anima rationalis aliquid præter ſuam materiã, quod dici non poteſt in forma naturali ſimpliciter: Vnde nõ eſt ibi propriè actus materiæ, ſed actus naturalis corporis completi in forma naturali, quę forma dicitur corporalis, hoc itaque modo habet anima proprium vnionis modum; Et ideo D. Bernardus proprio nomine eiuſmodi vnionem, vnitatem naticiam appellat.

Quæritur ſeptimo. Vtrum anima rationalis ſit forma hominis. Circa hãc dubitationem fuit ſententia Auerrois 3. de anima. Circa quam multa poſſent dici, ſed ea hiſce temporibus inutilia ſunt, & nullius ponderis. Qui tamen de illa voluerit multa videre, legat interpretes Ariſt. 3. de anima, circa textũ 5. & 8. Præcipuè verò legat tractatum Dñi Antonij Trombetæ contra Auerroiſtas, de animarum human. rum pluri ficatione, qui de hac re ſubtiliſſime, & copioſiſſime loquitur, vbi mirabiliter confutat perfidam huius Auctoris ſententiam, & aliorum etiam opiniones erroneas phyloſophorum, quæ in hac parte verſantur, copioſiſſimè refert, & impugnat. Legat etiam Albertum Magnum, in 3. de anima, vbi ſupra, qui refert opinionẽ Amonij, Simplicij, & Philoponi; Contra quos omnes, & alios diuerſo modo ponentes animam rationalem eſſe ſubſtantiã ſepara-

Quæſt. 7.

Aia rõnalis an forma hominis.

Antonius Tromb.

Albertus Magnus.

X

paratam, aut non eſſe formam corporis ſtatuitur hæc concluſio.

Anima rationalis eſt humani corporis forma. Quæ certa eſt ſecundum fidem, & definita in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. cuius definitio habetur in Clement. vnica de Summa Trinit. §. porro, vbi ſic dicitur. Porro omnem doctrinam, ſeu propoſitionem temere aſſerentem, ſeu vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectiuæ vere, ac per ſe, & eſſentialiter non ſit forma humani corporis, tamquam erroneam, & inimicã veritati, & catholicę fidei ſacro approbante Concilio reprobamus; & poſtea ſubdit, quod qui oppoſitum defendere, vel tenere pertinaciter præſumpſerit, tamquam hæreticus cenſeatur.

Concil. Vien.

Similiter in Concilio Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 8. refertur hæc definitio, & approbatur, & iterum definitur, ꝙ anima per ſe, & eſſentialiter eſt forma humani corporis. Secundo probatur ratione, deſumpta ex Cõcilio Lateran. ſub Innoc. III. c. 1. vb habetur, quòd natura humana conſtituitur ex corpore, & ſpiritu; Et ex Symbolo Athanaſij, vbi dicitur, ꝙ anima, & caro vnus eſt homo, ergo anima vnitur eſſentialiter humano corpori; cõſequentia eſt euidens, quia compoſitio ſubſtantialis ex materia, & forma ex qua reſultat vnum per ſe, nunquam fit, niſi quando forma vnitur materiæ. Probatur tandem ex hoc loco Gen. formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius &c. ex quibus verbis apperte colligitur quòd anima hominis illi intrinſece vnitur, viuificando ipsũ.

Concil. Later.

Ex his patet hęreticã fuiſſe opinionẽ cuiuſdam Petri Ioannis, qui concedebat animam rationalem eſſe formam corporis, nõ tamen ſub ea ratione, qua rationalis: quia per hanc rationem dicebat ille, non poteſt corpus informare. Dicendum eſt ergo quòd anima rationalis, inquantum rationalis eſt, corporis humanis eſt forma eſſẽtialis, quę concluſio eſt de fide; & eam docent Alex. de Ales, 2. par. q. 63. D. Tho. 1. p. q. 76. art. 1. & ſequentibus D. Bon. in 2. diſt. 17. art. 1. & diſt. 18. q. vltima. Sco. eadem diſt. quæſt. 1. & in 4. d. 43. q. 2. & Ricar. in 2. diſt. 17. artic. 1. q. 3. & confirmari poteſt: quoniam ex oppoſita ſententia ſequuntur multæ hæreſes. Primo ſequitur hominẽ non eſſe Dei imaginem: quia imaginem in animam impreſſam eſſe ab omnibus conceditur, hac ſola ratione: quia rationalis eſt. Secundo, non eſſe hominem liberum: nam ſublato ab homine eo, quod rationale dicitur, etiam opportet ſeparare ab eodem id, quod eſt liberum: quoniã libertas ſine ratione eſſe nequit. Tertio nullo modo poſſe mereri, & demereri: quoniam id, quod liberũ non eſt, nunquam à Deo ſiue ad pœnã, ſiue ad gloriam imputatur. Quare neceſſario cõfitendum eſt, animam rationalem, etiã quatenus rationalis eſt, eſſe formã corporis humani, quod etiam, vt diximus definitum eſt in Concilio Viennenſi, & refertur de Summa Trinit. & fide Catholica c. vnico, vbi condemnatus eſt error dicti Petri Ioannis.

Alex. de Ales. D. Tho. D. Bonauent. Scotus Ricar.

Quæritur octauo. Vtrum anima rationalis multiplicetur, ſecundum corporum multiplicationem. Hæc quæſtio apud D. Auguſt. num fuit olim maxime dubia, quam non audebat expreſſe definire, vt patet in lib. de quantitate animæ, c. 32. Ipſe etiã Aug. in lib. 3. de libero arbitrio, c. 21. dicit nullũ eſſe periculum in fide, ſic, vel aliter loqui, dummodo nihil aſſeramus tamquam omnino certum. Verum eſt tamen, ꝙd poſtea idem Auguſt. in epiſtola 28. ad Hieronymum expreſſe affirmat ſingulas animas eſſe in ſingulis hominibus.

Quæſt. 8.

D. Aug.

Anima rationalis an multiplicetur ſecũdum corporũ multiplicationẽ.

Sed pręter Auguſtinum apud multos, qui de hac re diſſeruerũt inueniuntur varij errores. Primus eſt, quem habuit Cõm. 3. de anima. Cõm. 5. & 36. qui aſſerebat, quòd in omnibus hominibus eſt tãtum vnus intellectus. Manichei etiam aſſerebant vnam animam tantum eſſe in omnibus, non ſolum hominibus, ſed etiam pecoribus & plantis

Comm.

Digitized by Google

Epiphan tis; ita refert Epiphanius lib. 2. contra hæreſe. c.6. & Gregor. Niſſenus lib. 2. Philoſophiæ c. 7. & 8. vbi multis eum impugnat.

Gregor. Niſcen.

Secundus error fuit aliorum, qui dicebant multiplicari quidem animas, non tamen ſecundum multiplicationẽ corporum, ſed dari tranſmigrationem, vel circulum animarum in diuerſa corpora. Hunc errorem tribuit Platoni Euſebius Cæſarien. lib. 1. de Præpar. Euang. cap. 10. & eundem tribuit illi D. Aug. lib. 10. de Ciuit. c. 30. & lib 12. c. 20. vbi acriter illum impugnat, eundem errorem tribuit Aug. Pragore in Serm. 143. de Tẽpore, & D. Chriſoſt. in Ioan. homil. 1. & 66. & Epiphanius lib. 1. contra hæreſes c. 7. Eundem errorem tribuit Manichæis D. Aug. lib. de hæreſibus c. 46. & lib. 5. contra Fauſtum c. 10. Eũdem errorem etiam ſecuti ſunt alij hæretici innumeri, quos refert Caſtro li. 2. cõtra hęreſes, verbo anima hæreſi 8. Tertius error eſt aliorum hæreticorum, quem inſinuat D. Thom. 1. p. q. 76. art. 2. in ſecundo argumento. Qui aſſerebant animas in hac vita multiplicari ſecundum multiplicationem corporum, ceterum poſt ſeparationem à corporibus non manere diſtinctas, ſed omnes confluere in vnam animam, ſicut videmus plures riuulos confluere in vnum flumen.

Plato. Euſebius Cæſar. D. Aug. D. Chriſ.

Caſtro

D Tho.

Aduerſus oẽs iſtos errores eſt Concluſio certa de fide, ſcilicet animas multiplicari ad corporum multiplicationem, ita quód etiam ſeparatæ à corporibus maneant diſtinctę. Iſta concluſio habetur expreſſe in 6. Synodo Conſtantinopolitana. Act. 10. & 11. & etiã eſt definita in Concilio III. Later. ſub Leone X. ſeſſ. 8. vbi ſic dicitur. Damnamus aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe, aut vnam eſſe in omnibus hominibus; & probatur hæc veritas ex ſacris literis. Dicitur enim Ezechielis 18. omnes animæ meæ sũt, ſicut anima patris, ita anima filij &c. & Sapientiæ 3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & Apoc. 6. Cum dixiſſet Ioã. Vidi animas interfectorũ propter verbum Dei & [illegible] . Et [illegible] ſit [illegible] ; [illegible] aperie coelũ [illegible] , quod [illegible] ſunt. Ergo [illegible] animas. Item ſecundum fidem catholicã Chriſtus habet animam diſtinctam ab omnibus alterum hominum animabus. ergo ſecundum fidem non eſt vna anima in oĩbus hominibus; probatur antecedens: quia ſecundum fidem eſt certũ, q. ſola anima Chriſti eſt vnita verbo perſonaliter. Præterea ſecundum fidem eſt certum, quód omnes homines reſurgent in corpore, & anima, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum; vt dicitur 2. ad Corinth. 5. Sed eſt impoſſibile, quód vna anima ſit ſimul bona, & mala & accipiat premium, & ſupplicium, ergo &c. & contra animam ſecundum fidem etiam ante Iudicium, quędam animę detinentur in Inferno, quædam vero ſunt in requie, vt patet ex Lucę 6. de Diuite, & Lazaro; ſed vt arguit Aug. in locis citatis impoſſibile eſt eãdem animam ſimul eſſe beatam, & damnatam, felicem, & miſeram ergo &c.

Sexta Synodus. Conciliũ Lateran

Ex quo ſequitur erraſſe, etiam cõtra fidem valde illos Philoſophos, quorũ meminit D. Gregor. lib. 2. epiſtolarum. epiſtola 65. ad quemdam Medicũ, qui aſſerebat i duobus corporibus eſſe vnã animam. Secundo ſequitur quam turpiter errent Mirandulanus lib. 32. de Euerſione ſingularis certaminis ſect. 1. & lib. 33. ſect. 2. & Achillinus lib. de intelligentijs. quol. 3. dub. 2. & 4. qui ponentes animam eſſe actum informantem, ſimul ponunt, quód ſecundum rationem naturalem, illam eſſe vnam tenendum ſit. Contra quos grauiter loquitur S. Tho. opuſculo 16. circa finẽ, Quod docere ſecundum rationem naturalem de neceſſitate eſſe tenendum intellectum eſſe vnum, (vt iſti dicunt eſſe (vel actum aſſiſtentem) vt dicit Iandunus de anima, c. 5. licet eſſe ſimul dicant pro fide ſe [illegible] tenere, eſſe magnum

D Greg. Papa.

Mirãdul. Achillin.

D. Tho.

Digitized by Google

gnam temeritatem, aliàs (inquit) rationes naturales cõtra veritatem fidei concluderent, & fides eſſet de impoſſibili, & falſo. De errore autem Auerrois nolo in præſenti plura dicere: quia quę affert nullius ſunt momenti, & per ma apud Autores; & Antonius Trombeta loco ſupra citato omnia eius fundamenta, & rationes ex Ariſt. ipſius principijs euertit ſubtiliter & ſapientiſſime deſtruit, ad quem Lectorem remitto.

Anton. Tromb.

Quæſt. 9. Quæritur nono. Vtrum pręter animam intellectiuam ſint in homine alię animæ per eſſentiam differẽtes. Et videtur quòd ſic: quia ad Gal. 5. dicitur Caro concupiſcit aduerſus ſpiritũ, ſpiritus autem aduerſus carnem; ex quo deſumitur argumentum. Ille appetitus carnis eſt in anima: ſed in eadem anima non poſſunt eſſe appetitus contrarij, ergo vnus eſt appetitus animæ ſenſitiuæ, & alter animæ intellectiuæ. Confirmatur 1. ad Theſſal. 5. dicitur: Non integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus in aduẽtu Domini Ieſu Chriſti conſeruetur. Vbi Apoſtolus diſcernit inter ſpiritum, & animã, & corpus, ſed corpus verè diſtinguitur ab anima, ergo anima verè diſtinguitur à ſpiritu; ſed nomine ſpiritus intelligitur anima intellectiua, ergo nomine animę intelligitur anima ſenſitiua. Itẽ anima intellectiua eſt indiuiſibilis, & incorruptibilis, & non educta de potentia materię; anima vero ſenſitiua eſt diuiſibilis, & educta de potentia materię, ergo ſunt diuerſę.

In hoc dubio ſunt varię ſententię. Prima eſt hęreſis Manicheorum. Qui, ſicut refert D. Aug. lib. de hęreſibus. c. 46. & lib. 6. contra Fauſtũ, c. 8. & in 2. de duabus animabus contra Manicheos, c. 12. Dicebant in homine eſſe duas animas, vnã bonam, & à Deo bono; Alteram vero malam à carne progenitam, quare vna trahit hominẽ ad bonum; altera vero ad malum.

D. Aug.

Secunda ſententia eſt, quæ ponit in homine tres animas eſſentialiter diſtinctas, videlicet, intellectiuam, ſenſitiuã, & vegetatiuam; hanc ſentẽtiam vt refert D. Thom. 1. par. q. 76. art. 3. docuit Plato, vt videtur haberi lib. 6. de Repub. & Ariſt. refert eamdem ſententiã lib. 1. de Anima, tex. 90. & lib. 3. tex. 41. Prçterea Auic. lib. 6. naturaliũ, vbi agit diffuſe de anima, par. 5. c. 7. affirmat, aliquos Philoſophos poſuiſſe plures animas in homine. Et inter catholicos Ocham referẽte Gabriele in 2. diſt. 16. q. vnica artic. 1. docuit in homine eſſe duas animas diſtinctas, intellectiuam, & ſenſitiuam: ita docet quol. 2. q. 10. & 11. Eamdem ſententiam docet Paulus Venetus, in Sũma de Anima, q. 5. & Toletus in Logica, & in lib. de Anima, neſcio vnde motus in eamdem ſententiam trahit Doct. ſub. cum tamen Scotus totum oppoſitũ doceat, vt videbimus ſtatim.

D. Tho Plato. Ochami. Gab. Paulus Venet.

Tertia ſententia, quam docet Alex. de Ales. 2. p. q. 62. m. 2. affirmat, quòd in homine eſt tantum vna anima intellectiua; quæ in virtute cõtinet vegetatiuam, & ſenſitiuam, quam ſententiã tenent communiter vniuerſi Theologi in 2. d. 16. & D. Thom. 1. p. q. 76. art. 3. Henri. quol. 2. q. 2. & 3. & Doct. ſub. in 2. d. 16. & in 4. d. 11. q. 3. art. 2. Pro huius dubij ſolutione ſit.

Alex. de Ales. D. Tho. Henric. Scotus.

Prima Concluſio: ſententia Manicheorum eſt manifeſta hęreſis contra fidem. Probatur primo ex definitione, quę habetur in 8. Synodo gñali act. 10. can. 11. vbi dicitur: Apparet quoſdam in tantam impietatem venire, vt homines duas habere animas dogmatizent impudenter. Tales ergo impietatis inuentores, & ſimilia ſentientes, cũ vetus, & nouum Teſtamentum omneſq. eccleſię Patres, vnam animã rationalẽ habere hominem aſſeruerint ſancta, & vniuerſalis Synodus anathematizat.

In quolibet homi ne vna tã tũ eſt ani ma.

Secunda Concluſio. Sentẽtia Alex. & aliorum aſſerentium vnam tantum eſſe animã in homine eſt maximè conſona cum ſacra Scriptura, cum doctrina Conciliorum, & Sanctorum, & cũ Phyloſophia naturali. Probatur primo ex his verbis Moſis, formauit Deus homi-

homi-

minem de limo terræ, & inſpirauit, &c. quæ verba intelligenda eſſe de infuſio ne animæ rationalis iam ſupra oſtendi mus; vbi vnum tantum ſpiraculum de vna anima aſſeritur. Et confirmatur: quoniam in ſacra ſcriptura, vbicumq; ſit mentio de anima hominis, ſemper aſſeritur vna anima, & nunquam plures; ſicut Ezechielis. 18. omnes animæ meæ ſunt, ſicut anima patris, ita & anima filij, & in pſal. 21. Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.

Concil. Later. Secundo probatur: quoniã in Concilijs inſinuatur etiã valde hæc ſententia. Nam in Concil. Later. ſub Inno. iij. c. 1. aſſeritur hominem conſtare ex natura corporali, & ſpirituali, & in Concil. Vien. quod refertur in Clem. vnica de ſumma Trinit. aſſeritur. Verbum aſſumpſiſſe partes humanæ naturæ, ſibi vnitas, videlicet animam, & corpus. *Concil. Vien.*

D. Aug. Tertio probatur teſtimonijs Sanctorum D. Augu. libr. 10. ſuper Gen. ad lit. cap. 12. & lib. de quantitate animę cap. 33. docet expreſſe quòd in homine vna anima rationalis dat corpori, quod ſentiat, & quod augeatur, quod etiã apertiſſime docet Damaſ. lib. 2. fidei orthodoxæ, cap. 12. & Greg. Niſſenus lib. de creatione hominis cap. 15. docet, quòd quãuis ſint tres differentię animæ, ſunt quidem tres vires, ſed nemo exiſtimat eſſe tres animas, cum vera, & perfecta vna ſit anima. *D. Damaſ. Gregor. Niſſen.*

Ariſtote. Quarto probatur ex Ariſt. nam in 2. de anima tex. 18. & tex. 24. expreſſe tribuit animæ, quod ſit principium vegetandi ſentiendi, & intelligendi, & prius in lib 1. de anima text. 90. & ſequentibus repræhendit opinionem illorum; qui aſſerebãt plures animas in homine.

Tertia Concl. ſententia Ocham, & aliorum, qui ponunt plures animas diſtinctas in homine quamuis nõ ſit hæretica, aut manifeſte erronea, eſt ad minus temeraria, prima pars concluſionis ex eo probatur: quoniam nullũ eſt teſtimonium ſacræ ſcripturæ, aut Conciliorum, quo expreſſe condemnetur illa ſententia: Nam definitio adducta ex 7. ſynodo generali, aut poſita eſt contra Manicheos, aut contra aſſerentes duas animas rationales in homine. Alia vero teſtimonia Conciliorum adducta in 2. concluſione ſolum probãt ex profeſſo hominem componi ex anima, & corpore; ſed ad hoc explicandum vtuntur ſentẽtia vera, & conſona doctrinæ Sanctorum de vnitate animæ in quolibet homine; niſi aliquis velit dicere, quod nomine corporis acceperunt Concilia totum illud, quod eſt in homine pręter anima intellectiuam, ſecũda vero pars cõcluſionis probatur ex locis ſacræ ſcripturæ, & ſanctorum, & rationibus adductis ad probandum ſecundam concluſionem, quibus conuincitur oppoſitam ſententiam eſſe ad minus temerariam.

Ad argumenta in oppoſitum, ad primũ reſpondetur, primo quòd ſicut docet D. Augu. lib. 10. ſuper Gen. cap. 13. propter iſtam repugnantiam, carnis, & ſpiritus, Manichei poſuerunt illas duas animas, de quibus ſupra diximus, quod tamen nec locus Pauli, nec argumentũ probat: quoniam nomine carnis intelligit Apoſtolus appetitum ſenſitiuum, qui ſolet eſſe rebellis contra rationem, iuxta illud ad Rom. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ. Quod explicat egregie D. Aug. lib. de natura, & gratia cap. 53. & ſequentibus, 2. reſpondetur, quòd anima intellectiua, quãuis ſit vna; tamen propter ſuam maximã perfectionem, continet diuerſas potentias in diuerſis ſubiectis partialibus: habet enim diuerſos appetitus, quorum vnus tendit in bonum ſenſibile, alter in bonum vniuerſale, & propterea contingit illos eſſe contrarios; ſicut enim ſol propter ſuam illimitationem ſecundum, quòd coniũgitur diuerſis cauſis ſecundis producit diuerſos effectus, etiã contrarios, eodem modo anima intellectiua, ſecundum quod vtitur diuerſis potentijs cauſat in homine actiones diuerſas, & etiam contrarias. *D. Aug.* *D. Aug.*

Digitized by Google

Didimus docuit in homine eſſe duas animas.

Ad confirmationem reſpondetur, q̄ propter hoc teſtimoniū Didimus lib. 3. de ſpiritu ſancto, docuit eſſe duas animas in homine, alteram intellectiuam, quæ ibi vocatur ſpiritus ſanctus, & alteram ſenſitiuam, quæ vocatur anima. Imo Ioan. Vnichelph errauit maxime, animæ, & ſpiritus ſancti conſtituens in homine duas animas, alterā incoruptibilem, quæ dicitur ſpiritus, alteram vero corruptibilem, & mortalē, quæ vocatur anima. Cōtra quem diſputat Thomas Vuald. lib. 1. doct. antiquæ fidei cap. 32 Reſpōdetur ergo ad argumentum primo, quòd illo teſtimonio Pauli, ſicut placet multis ſanctorū patrum nomine animæ intelligitur ipſa anima intellectiua; nomine vero ſpiritus intelligitur ipſe ſpiritus ſanctus, & eius dona, quæ communicat animæ. Ita docet Ireneus lib. 5. cōtra Valentiōū. D. Chriſoſt. homil. 11. ſuper illum locū D. Hierony. in Epiſtola ad Hediuiam, quæſt. 12. & D. Auguſt. de eccleſiaſticis dogmatibus, 2. Reſpondetur, quòd eadem anima intellectiua eo loco, vocatur ſpiritus, & vocatur anima: nam ſecundū operationes mentis, quæ non exercentur organo corporeo, vocatur ſpiritus, ſecundum vero operationes ſenſualitatis vocatur anima; quæ doctrina eſt etiā D. Aug. in lib. de ſpiritu, & anima, cap. 9. & eandem explicationem proſequitur diffuſe, & optime D. Gregor. Niſſenus lib. de creatione hominis, cap. 8.

Thomas Vuald.

Ireneus
D. Hier.
D. Aug.

Gregor. Niſſen.

Ad ſecundum reſpondetur communi reſpōſione, cum Alex. & D. Thoma locis citatis, quòd anima ſenſitiua, quādo ſumitur ipſa per ſe eſt diuiſibilis, & mortalis, & educta de potentia, materiæ: at vero quando identificatur cum anima intellectiua, etiam ipſa eſt indiuiſibilis, & immortalis, & nō educta de potentia materiæ. Cuius optimam rationem reddit Alex. Non enim eadem ſubſtantia (inquit) eſt corruptibilis, & incorruptibilis, ſubſtātia enim illa quæ ita præparat, & eſt corruptibilis, nō eſt eadem cum ipſa ſubſtantia rationalis; virtus autem ſentiēdi, quam dicit Aug. ſeparari cum corpore, vnius ſubſtantiæ eſt cū potentia intellectiua, & licet non ſit ſeparabilis, ex ratione qua eſt ſenſibilis, eſt tamē ſeparabilis ratione ſubſtantiæ, in qua fundatur. Iſta vero ſenſibilis licet in genere conueniat cum ſenſibili in brutis, & in brutis ſit corruptibilis; non propter hoc eſt in homine corruptibilis: quia in brutis non ordinatur niſi ad neceſſitatem corporis corruptibilis ſecundū tempus determinatum conſeruandi, & ideo cum corpore corrumpitur. Non ſic autem eſt de homine: ſua enim ordinatio eſt, non tantum ad perfectionem neceſſitatis corporalis ſed ad miniſterium virtutis intellectualis, & vlterius ad hoc, vt ſic mereatur cum virtute intellectuali, vel demeretur, atq; ita præmietur, vel puniatur.

Alex. de Ales D. Thom.

Alex. de Ales.

Quæſt. 10.

Anima rationalis eſt immortalis.

Quæritur decimo. Vtrum anima rationalis ſit immortalis; lōgiſſimam diſputationem hęc difficultas poſtularet, breuibus tamen expedienda eſt: nā qui plura videre deſiderat, legat D. Thom. 1. par. quæſt. 75. artic. 6. D. Bona. in 2. d. 18. quæſt. vlt. & d. 19. art. 1. quæſt. 1. Scotum in 4. diſt. 43. quæſt. 2. Ricar. in 2. d. 19. art. 1. quæſt. 1. Duran. in 2. d. 18. q. 3. & Caſtrum contra hæreſes verbo anima hæreſi ſeptima, Fuiſſe autem circa hanc difficultatem varias apud veteres Auctores controuerſias, docet D. Baſilius ſuper Iſaiam, cap. 2. circa illa verba. Non leuabit gens contra gentem gladiū, & Lactantius lib. 7. diuinarum Inſtit. cap. 8. & ſequentibus. Fuit enim olim ante Chriſti aduētum hæreſis ſaduccorum dicentium, animam ſimul cum corpore interire, & exinde negabant mortuorum reſurrectionē, vt habetur Math. 22. & Actorū 23. His conſenſerunt illi hæretici, quos refert D. Damaſ. in Cathalogo hęreſi, 90. qui dicebāt animas hominum interire ſimul cū corpore, ſicut animas Pecorum. Eundem errorē tribuit D. Aug. lib. de ſpiritu, & litera, c. 48. Arato, & Zenoni eundē ſuſcitauit in Holandia hæreticus quidā nomine Hermanus, vt refert Caſtro loco citato. Alij vero hæretici teſte eadem

D. Thō.
D. Bona.
Scotus Ricar. Dur.
Caſtro.

D. Baſilius Lactantius.

Damaſc.

D. Aug.

dem Caſtro,aſſeruerũt animas hominũ interire quidem cũ corpore, ſed tamen reparari diuina virtute per reſurrectionem cum ipſis corporibus, Iſtas vocat *Euſeb. D. Aug. Iſidorus.* Arabicos Euſebius lib.1.cap.27.& D. Aug.lib.de hæreſibus cap.83.& Iſidorus lib.8. Ethymologiarum capitulo 5. quod refertur 24.queſt.3.cap.Quidam autem hæretici.

Aduerſus omnes iſtos errores ſit hęc concluſio. Certum eſt ſecundũ fidem animam intellectiuã non interire cum corpore. Pro cuius intellectu obſeruandũ eſt,quod *Immortale aliquid dicitur bifariam.* Immortale dicitur aliquid bifariam primo, vt ſoli moriendi actũ neget: atq; ita immortale dicitur,quod nũquam morietur, quamuis mori poſſit:quomodò vt infra dicetur aliqui affirmarunt Adamũ ſi in iuſtitia perſeueraſſet immortalem futurum, ita vt licet potentiam haberet ad mori, nunquam tamẽ mortuus fuiſſet; ſecũdo, immortale ſumitur,prout non ſolum negat actum, verum etiam potentiam ad mori,ita vt ſicut nunquam morietur, ita nec mori poſſit, & hoc modo Deũ immortalem eſſe confitemur;hoc ſuppoſito probatur primo Cõcluſio, varijs ſacræ Scripturæ locis. Nam eccleſiaſtic. vlt. legitur. Reuertatur puluis in terrã ſuam, vnde erat; & ſpiritus redeat ad Deum,qui dedit illum. Itẽ Iob.21.Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, & Math. decimo Nolite timere eos, qui occidũt corpus, animam non poſſunt occidere;alios locos reperies apud citatos Auctores, quos breuitati ſtudens prętermitto.

Cõcil. Later. Probatur ſecũdo, ex definitione eccleſię. Nam in Cõcilio Later.ſub leone 10. fuit hęc veritas ad verbum definita,& confirmatur ratione: quoniã cum anima rationalis ſit ſecundũ ſuam ſubſtantiam per ſe ſubſiſtens,vt conſtat ex eius propria operatione,quę eſt intelligere: quãuis corpus intereat,illa profecto ſupererit.Hanc etiam veritatẽ confeſſi ſunt antiqui Phyloſophi Pitagoras,Plato,Socrates,& Porphirius,vt in lib.11. de preparatione Euangelica refert Euſebius. Eſt tandem hæc veritas primum totius Religionis Chriſtianæ fundamentum. Si enim animę noſtrę ſimul cum corporibus interirẽt, qui in Chriſto credimus miſerabiliores cunctis hominibus,imo cunctis animantibus eſſemus, vt docet D. Paulus 1. ad Corinthios,15.

Quæritur vndecimo. Vtrum anima rationalis ſit immortalis ex dono Dei, an ex ſua natura. *Quæſt. 11.* *Anima rationalis, an ſit immortalis ex dono Dei, vel ex ſua natura.* Hanc difficultatẽ explicant D.Thom.1.par.quæſt.50.artic. 5.& quæſt.75.art.5.D.Bona.in 2.d.19. art.1.quæſt.1.Scotus in 1.diſt.8. quæſt. vltima, & Ricar.in 2.diſt.19.art.1.q.1. Pro cuius explicatione obſeruandum eſt, quòd in 6.ſynodo artic.11.in Epiſtola ſophronij Patriarchæ Hieroſolimitani, quæ in eiuſdem Concilij artic. 14. ab vniuerſa ſynodo eſt approbata. *Sexta ſynodus.* D.Hierony.lib.2.contra Pelagianos,& Damaſ.lib.2.de fide,ca.3.& 12.tradunt Angelos nõ ſua natura,ſed per Dei gratiam habere immortalitatẽ,quod Pauli teſtimonio 1. ad Thimo. vltimo confirmatur, vbi ſcribit,ſolum Deum habere immortalitatẽ, quod etiam Plato vidiſſe videtur, cum ſcripſit in Timeo ſecundos Deos natura ſua diſſolubiles eſſe,voluntate tamen Dei fore immortales.

Verum enim vero dicere oportet ſine dubitatione vlla, animã rationalem natura ſua eſſe immortalem,cum ſit natura quædam ſimplex immaterialis, & per ſe ſubſiſtens.

Vnde pro huius difficultatis amplioris explicatione obſeruandum eſt primo, quod difficultas petit an anima ſit de ſe formaliter immortalis eſſe autem formaliter tale,eſt eſſe tale formali prædicatione,quod dupliciter cõtingit, *Eſſe formaliter tale dupliciter contingit.* primo pro vt formalis prædicatio diſtinguitur contra prædicationẽ identicam: quando enim aliqua ſunt vna res ſimpliciſſima,& vtrumq; illorum, vel alterum eſt formaliter infinitum vnũ prædicatur de altero identicè, vt iſta, paternitas eſt deitas, ſecundo prout diſtinguitur contra prædicationẽ cauſalem,

Digitized by Google

vt odor, eſt fumalis euaporatio: non enim odor eſt ipſa fumalis euaporatio, quæ eſt corpus, ſed ex fumali euaporatione cauſatur;& iſto modo conuenit alicui aliquid prędicatione formali: quando conuenit ſibi per ſuā formam; cum ergo quęritur vtrum anima ſit formaliter immortalis,id eſt, per ſuā naturam,ſenſus eſt, vtrū animæ ſecundum ſuam formam cōueniat immortalitas.

Poſſibile dicitur tribus modis.

Secundo obſeruandū eſt, quòd cum immortale opponatur ei,quod eſt poſſe mori. Poſſibile vero ſecundum Phyloſophum, 5.Met.cap.de poſſibili dicitur tribus modis,quantum ad propoſitū ſpectat, vno modo, quod habet potentiam,qua poteſt eſſe, & non eſſe, & hoc eſt dupliciter,vno modo per potentiam,quæ eſt in ipſo,& in alio; alio modo per potentiam quæ eſt in alio tantum, & de hoc dicit D.Anſel.Mundus antequā eſſet fuit poſſibilis eſſe per dei potentiam,nō per ſuam: quia antequā eſſet nihil erat,& nihil eſt nullā potentiā in ſe habet tertio modo, quia includit interminis ſuis repugnantiam, & iſtud vocatur poſſibile logicū, eodem modo diſtinguitur poſſibile non eſſe. Immortale autem correſpondens poſſibili non eſſe per potentiam in alio,eſt illud, quod per nullum agens pōt non eſſe, & impoſſibile eſt illud, quod per nullum agens poteſt eſſe vt Chymera. Immortale autem correſpondens poſſibili non eſſe,per potētiam in ipſo, eſt illud quod poteſt non eſſe per potentiam in ipſo,impoſſibile autē eſt illud, quod non pōt eſſe per potentiā in ipſo. Quomodo dicit Anſelm.mundus ante quā eſſet erat impoſſibilis ex parte ſua fieri ſubiectiue. Immortale vero correſpondens poſſibili non eſſe propter non repugnantiam ad nō eſſe, eſt illud cui non repugnat non eſſe, impoſſibile vero eſt illud cui repugnat eſſe.

Ex his ergo dicendum eſt, quòd ſi accipiatur immortale primo modo, Nihil aliud à Deo eſt ex ſua natura immortale: quoniam ſic eſſe immortale, ſoli Deo conuenit.Si accipiatur ſecundo modo prout opponitur poſſibili nō eſſe, cui non repugnat non eſſe: nihil aliud à Deo eſt adhuc immortale: qm̄ non eſſe nulli alteri à Deo repugnat, aliter Deus non poſſet facere creaturā non eſſe; quia non poſſet facere conuenire Creaturæ, quod ſibi formaliter repugnat. Demum ſi accipiatur tertio modo, prout opponitur poſſibili eſſe per potentiam in ipſo, ad non eſſe, ſic Dico, quòd Angelus, & anima cū careant materia,quę ſubiecta priuationi, & contrarietati,eſt illud per quod habens materiam poteſt eſſe, & non eſſe, ſunt ex natura immortalis.Certum eſt ergo ſecundum fidem,quod anima rationalis in hoc ſenſu ex natura ſua habet quod ſit immortalis,& oppoſitum aſſerere erroneum eſt.

Hanc concluſionem probat. Cano lib.12.de locis,c.15.concluſ.2.& addit quod dānaretur vt hæretica,ſi ad Summum Pōtificem deferretur. Probatur hęc concluſ. primo citata de Finitione Concil.Lateran.in illa ſeſſ.8.vbi expreſſe definitur, quòd anima non ſolū per ſe, & eſſentialiter eſt forma corporis, ſed etiam immortalis.Secundo probatur ex illo ſapientiæ 2.Deus fecit hominem in exterminabilem,ad imaginem ſuę ſimilitudinis fecit illum,illa autem in exterminabilitas intelligenda eſt ratione animę, quę eſt ad imaginē Dei. Tertio probatur ex illo Matth. animam autem non poſſunt occidere.Cuius loci ſenſus,quòd anima intellectiua per nullas vires naturales pōt deſtrui; ex quo ſequitur, quòd ex natura ſua ſit incorruptibilis. Confirmatur ex D.Greg.lib.4.moralium,c.8.vbi dicit, quòd anima noſtra, nec per vitiū, nec per ſupplicium amittit eſſentialiter viuere, vbi docet, quod anima noſtra ex ſua intrinſeca natura habet perpetuo viuere. Quarto probatur,quia in vniuerſo populo Chriſtiano receptum iam eſt tamquam de fide, & animam rationalem nō produci ex ſemine, ſed immediatè creari à ſolo Deo, ex quo ſequitur euidēter, quòd anima eſt per

Cōcil. Later.

Sap. 2.

Mat. 10.

D. Greg.

ſe

Digitized by Google

ſe ſubſiſtens, & per conſequens eſt forma ſpiritualis, & independens à corpore, ergo eadem certitudine, eſt certum, quòd anima ſecundum ſuam naturam eſt incorruptibilis: nam quod ex natura ſua eſt ſubſiſtẽs, & incorporeum, ex natura ſua eſt incorruptibile.

Sap. 2. Deniq; ſapientię 2. Qui negant animę immortalitatẽ, vocãtur ſtulti, & inſipiẽtes quòd nõ eſſet dictũ, ſi anima ſecũdum ſuam naturã eſſet corruptibilis..

Quod autem Patres dixerunt de hominis anima, & de Angelis, non ſui natura, ſed per Dei gratiã immortales ſic intelligi debet, eos nõ habere ex ſe, vel à ſe immortalitatẽ, ſed à Deo, qui quãtum ad actualem eorum exiſtentiam, potuit eos creare, & nõ creare, & creatos in nihilum redigere: quia ergo poſ ſunt eſſe, & non eſſe per potentiam in alio, hoc eſt extrinſecus, ideſt habito reſpectu ad omnipotentiam Dei propterea Patres dixerunt, eos ex natura ſua non habere immortalitatem, ſed ex Dei gratia; atque in hunc etiam modum, interpretari poteſt illud Pauli dictum ſolum Deum habere immortalitatem.

D. Chriſ. Quamquam Chriſoſt. in eius loci explicatione, putat ſolum Deum eſſe dictum immortale à Paulo comparatione Regum terrenorum. Si quidẽ proximè ante dixerat ſolus potẽs Rex Regum, & dominus dominantium.

D. Aug. Preterquam quod D. Aug. lib. 3. cõtra Maximinum, c. 12 vocabulum immortalitatis interpretatur poſitum, pro immutabilitate, vt ſignificetur ſolũ Deũ eſſe immutabilem. Concilium autem citatum ſatis ſe explicat: nã dicit Angelos, & ex conſequenti animas; non eſſe per naturã immortales ſicut Deus: quia Deus à ſemetipſo Angelo vero, & animę Dei beneficio; & appellat gratiam diuinam cõſeruationem, qua omnes creaturę indigent.

Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio.

POſtquã Dominus vniuerſam ſuã nobis declarauit benignitatem, & illum propter quẽ omnia viſibilia formata ſunt in medium adduxit, ſtatim incipit in illum beneficia collocare Et plantauit Deus, ideſt, Imperauit Paradiſum in terra fieri, ita vt productus homo in eo verſaretur. Volebat enim Deus hominẽ, ſi non peccaſſet immortalem conſeruare, vt aliquanto tempore in Paradiſo terreſtri colonus exiſteret, deinde per turmas, vel generationes, vt Deo videretur ad beatã Dei viſione in ſpirituali paradiſo, ſcilicet Empyreo cœlo transferre.

Deus enim non creauit hominẽ immortalem, ita vt mori non poſſet, ſiuè impoſſibile eſſet eum mori: quia hoc pertinet ad dotes gloriæ, ſed contulit ei, quod poſſet non mori, ita quod ſi non peccaſſet non incurriſſet moriendi neceſſitatem. Iſtud autem poſſe non mori; non erat aliquid cõmunicatum ei per qualitates intrinſecas, quæ facerent eum impaſſibilem: quia iſtud cauſabitur in corpore humano in gloria, ex redundantia beatitudinis animæ in corpus, ſed hoc eſſet ex corruptiuorum remotione, non permittendo ea agere, vel quia Deus prohiberet, quod ignis nempe ad hominem non accederet, & venenum, & cætera nociua, vel ſi accederent tollendo eorum actionem, vt in fornace Babilonia. Dicendo itaq; primo modo quod Deus remouebat corruptiua elongando, ne nocerent, & cũ locus ſit maxime conſeruatiuus generaliter rei locatę, decebat talem locum habere, qui complexioni hominis in omnibus qualitatibus conformis eſſet, vbi nociua non eſſent, & loci amenitas aeris: quia ſalubritas eſſet. Hoc autem in nullo loco inueniebatur ſicut in Paradiſo terreſtri, atq; adeo Deus Plantauerat Paradiſum in quo homo moraretur.

De Terreſtri Paradiſo.

PRo ampliori horum verborũ Moſis de paradiſo intelligẽtia, videndum eſt de ipſomet Paradiſo, quid ſit,

Qualis

Qualis ſit, Quantus ſit; In qua mundi parte ſit. Quando plantatus ſit. Quare ſit plantatus, ſi adhuc exiſtat. Quare ignoratur locus vnde ſit. Quid fuerit in eo; & quid modo in eo ſit, & 1.

Quęſt. 1. Quæritur Quid ſit Paradiſus. Solet in ſcriptura Paradiſi vocabulum, non ſolum propriè in ea ſignificatione accipi, ſed etiam in propriè, & methaphorice, pro quocunque alio loco, vel re, quæ oblectet, & iocunda ſit, quemadmodum ſolent eſſe ameni, & iocundi horti. Sic accipitur Cāt. 4. Vbi ſponſus ad ſponſam inquit. Emiſſiones tuæ (ſeu propagines, vt eſt in hæbraico) Paradiſus malorum punicorum, &c. Vbi fructus actionum piarum animæ: quia Deo iocūdi, & grati ſunt Paradiſus methaphorice vocantur; vel certe ipſa Eccleſia Paradiſus ibi nominatur, vt exponit D. Aug. lib. 11. ſuper Gen. ad lit. cap. 25. Item cum dicitur Ezechielis 28. In delicijs Paradiſi fuiſti (Quod in perſona Principis Tyri dicitur de lucifero, ſicut Interpretatur D. Aug. eadem lib. c. 24.) Paradiſus methaphorice nominatur, vel Ipſum cœlum Empyreum, ex quo cecidit lucifer, vel iocundiſſima illa diuinę gratiæ vbertas, qua diabolus affluebat ante peccatum. Et eccleſiaſt. 24. de ſe dicit ęterna ſapiētia Ego quaſi aquęductus exiui de paradiſo, ideſt, proceſſi de ſubſtantia patris, in qua eſt tanquam vberrimus torrens voluptatis. Et lucę 23. Hodie mecum in Paradiſo, ideſt, frueris Deo mecum: Et Apoc. 2 Vincēti dabo edere de ligno vitę, quod eſt in Paradiſo Dei mei, ideſt, frui ſapientia ipſa ęterna in cœlo: nam hanc per illud vitę lignum fuiſſe ſignificatam confirmat D. Aug. lib. 8 ſuper Gen. ad lit. cap. 4. Ex illo quod prouer. 3. de ſapientia ſcriptum eſt lignum vitę eſt omnibus amplectentibus eam.

Paradiſus Terreſtris quid ſit.

D. Aug.

Paradiſus quid ſit quantum ad quid nominis.

Paradiſus ergo quantū ad quid nominis, quę hębraice dicitur Gen. ſignificat hortum hęc autem vox hębrea Gan, ducta eſt à radice Ganā, quod eſt protegere, & abſcondere, quaſi ea voce ſignificetur hortus, in quo ſint frequentes, & denſę arbores, atq; procerę, quę patulis diffuſę ramis, eos qui ſub ipſis ſunt inumbrare, & protegere poſſint; vel ſic vocatur: quia ſit locus conclufus & circumſeptus nullo adeū aditu, vel beſtijs, vel hominibus patente; iuxta illud, quòd eſt in Cantic. Hortus cōclufus, &c. ſignificat ergo Paradiſus in ſacra ſcriptura, quantū ad quid nominis locum, quem vis amęniſſimum; & ad oblectandum hominem iocundiſſimum.

Cęterum quantū ad quid rei inquit Damaſ. lib. 2. de fide, cap. 11. & Alex. de Ales. 2. par. quęſt. 84. m. 2. Quoniam ex viſibili, & inuiſibili creatura cōditurus erat Deus hominē, ſecundū propriam imaginem, & ſimilitudinē, ſicut quemdam Regem, & Principem omnis terrę; & omnia, quę ſunt in ipſa conſtituit ante eum, velut quamdam regiam, in qua cōuerſans beatam haberet vitam. Et hic ipſe Paradiſus, Dei in manibus in Edē plantatus, gaudij, & exultationis vniuerſę Promptnariū; Eden enim voluptas interpręiatur) in oriente quidem omni terra excelſior poſitus, temperato vero, et tenuiſſimo, & puriſſimo aere circūfulgens, plantis ſemper floridis comatus, & bono odore plenus, lumine repletus, pulchritudinis vniuerſę, & formę ſenſibilis ſuperexcedēs intelligentiam. Diuina vero Regio; & digna eius, qui ſecundum Dei imaginem erat, conuerſatio; in quo nullum irrationalium habitabat, ſolus vero homo diuinarum manuum plaſmatus.

Damaſ. Alex. de Ales.

Paradiſus quid ſit quantum ad quid rei.

Item Ioſephus ad orientem plantauit Deus Paradiſum, omni germinatione florentem, & in hunc locum introduxerit Adam, & eius vxorē pręcipiēs eis plantationum ſollicitudinē. At Iſidorus lib. 14. Ethymologiarum, cap. 15. ait. Paradiſus eſt locus in orientis partibus, cuius vocabulum à Gręco in latinum vertitur hortus, Porro hębraice Eden dicitur, quod in natura lingua delicię interpręiatur, quod vtrumq; iunctum facit hortum deliciarū. Et enim omni genere ligni pomiferū arborum

Ioſephus.

Iſidorus.

con-

conſitus, habens, & lignum vitę; non frigus ibi, non ęſtus, ſed perpetua aeris temperies, in cuius medio fons prorũpens totum nemus irrigat, diuiditurq; in quatuor naſcentia flumina, cuius loci poſt peccatum aditus interclusus eſt, ſeptus eſt enim vndiq; romphea flammea, & muro igneo auinatus, ita vt eius cum cœlo penè iungatur incendium.

Quęſt. 2. *Paradiſus an ſit ſenſibilis vel intelligibilis.*

Quęritur Secundo. Qualis ſit Paradiſus, an ſcilicet ſenſibilis, vel intelligibilis; an corporalis vel ſpiritualis.

Ad huius rei explicationem ſupponendum eſt primo, quòd de iſto Paradiſo varię extiterunt ſententię, tã apud hęreticos, quam apud catholicos. In primis ſicut refert Epyphanius lib. 2. contra hæreſes, c. 52. Adamiani hæretici dicebant ſuam eccleſiam eſſe Paradiſum, & ipſos eſſe Adam, & Euã. Hæc autem hęreſis adeo apertè cõtradicit ſacræ Scripturę, & communi ſenſui Eccleſię, vt non indigeat alia confutatione.

Epip h.

Alia fuit hęreſis, quę habetur etiam apud Epiphanium lib. 2. contra hęreſes, cap. 66. Quę docuit mundum iſtũ eſſe Paradiſum; ſed iſta hæreſis eſt etiã manifeſte contra Scripturam nam infra cap. 3. dicitur, quod Adam poſt peccatum eiectus eſt de Paradiſo in terrã, vt operaretur &c. Ergo euidens eſt, quod non tota terra erat Paradiſus.

D. Aug. *D. Ambroſ.*

Doctores Catholici teſte D. Aug. lib. 8. ſuper Gen. ad lit. c. 1. & D. Ambr. Epiſtola 42. lib. 6. Epiſtolarum etiã in varias ſententias diuiduntur. Quidam aſſerunt Paradiſum accipiendum eſſe ſpiritualiter ſecũdum figuratam locutionem, non autem ſecundum hiſtoricam pro Paradiſo Terreſtri, & corporeo. Hunc errorem primus omnium, quos ego viderim docuit Phylo lib. de Opificio mundi, & libro Allegoriarũ, & in lib. de Plantatione Noe. Vbi dicit, eſse grauem ignorantiã intelligere Paradiſum corporaliter. Eumdẽ errorem docuit Origenes in Tomis ſuper Gen. vbi ponit Paradiſum non in terra: ſed in tertio Cęlo, in quo raptus fuit D. Paulus. Nituntur quidam Originem ab iſto errore liberare, quippe qui hom. 25. ſuper c. 13. Numer. dicit Adam poſt peccatũ in aridam detrudi: ante enim non erat in Arida, ſed in terra: Paradiſus enim non eſt in Aridã; ſed in terra. Item lib. 1. ſuper Iob in illa verba. Iob. 1. Erat vir ille magnus inter omnes Orientales. Dicit Paradiſum fuiſse plantatum in parte Orientali, & ſic exponit locum Gen. 2. Verũ oppoſitũ apertè docet Origenes lib. 4. de Principijs c. 2. his verbis. Quis vero ita Idiotes inuenitur, vt putet Deum, velut quemdam Agricolam plantaſse arbores in Paradiſo in Eden contra Orientem, & plantaſſe arborem vitę in eodem, ideſt, viſibile, & palpabilẽ lignum, ita vt corporalibus dentibus comedẽs quis, in vitam perſeueraret, equidem arbitror nullũ dubitare, quin figurali tropo hęc à ſacra Scriptura proferantur Hactenus ille. Et hunc errorem ei tribuit Epiphanius 2. contra hęreſes c. 64. & in Epiſtola ad Ioan. Hieroſolym. vt patet apud D. Hieronymum Epiſtola 60. c. 3. & Epiſtola 61. ad Pamachium c. 3.

Phylo. *Origenes*

D. Ambroſ.

D. Ambroſ. in lib. quem de Paradiſo edidit. Phylonis, atque Origenis veſtigia ſectatus ſimilia illis de Paradiſo ſentit, & ſcribit. Idem in lib. Epiſtolarum 6. Epiſtola 42. quę eſt ad Sabinũ ſcripta, vbi poſtremo de Paradiſo diſſeruit, iam veteranus, & vt inquit ipſe ſacerdos, recenſitis aliorum opinionibus, tandem, vt ſimilius vero cõcludit Paradiſum non fuiſſe locũ Terreſtrẽ, ſed quidpiam ſpirituale, & intelligibile, quod ad mentem, & ſpiritum Adami oblectandum, & quodammodo in hac vita beandum pertinebat; Nõ me fugit Sixtum Senen. lib. 5. Bibliothecę annot. 35. & Dominicum Bannes 1. p. q. 92. art. 1. docere Ambroſ. verã de Paradiſo habuiſse ſententiam, ex Cõmentario eius in cap. 6. prioris Epiſtolę ad Corint. Quod eo loci dicat Ambroſ. ſicut duplex eſt Hieruſalem vna cœleſtis,

Sixtus Senen. *Bannes.*

ſtis,

Digitized by Google

ſtis, altera terreſtris, ita duplicem eſſe Paradiſum, vnum terreſtrem, in quo poſitus eſt Adam, vt ipſum coleret, atque cuſtodiret, alterum cœleſtem, ad quem raptus eſt Paulus. Verum ea probatio paruam fidem facerent viris doctis; qui multis, nec lenibus coniecturis perſuaſum habent Commentarios illos nequaquam eſſe Ambroſij.

Ioſephus Baſilius. Cæterum Ioſephus lib. 1. antiquitatum. Baſilius homil. 11. in Gen. quæ eſt de Paradiſo, atque vt verbo dicam omnes propemodum Patres, tam Græci, quàm Latini concordi ſententia, Paradiſum quem ſcribit Moſes locũ fuiſſe corporeum, atque terreſtrem exiſtimarunt ſed audiamus Chriſoſt. Damaſ. & Auguſt. *D. Chriſoſt.* Chriſoſt. homil. 13. in Gen. hoc modo ait. Ideo Moſes deſcribens Paradiſum, & loci nomen in quo erat ſ. Eden, & plagam Orientalem, quam ſpectabat, & nomina fluminũ, è Paradiſo egredientium, fere nota omnibus, tam ſubtiliter, & accuratè enarrauit, vt non liceret negari volentibus decipere ſimpliciores, dicẽdo nullum fuiſſe in terra Paradiſum, ſed in cœlo, & alias fabulas, ſuaque ſomnia iactando, Nam ſi cum Moſes tantum in deſcribendo Paradiſum diligentiam poſuerit; nihilominus tamen fuerunt nõ nulli fabulantes non fuiſſe ſuper terrã Paradiſum, multaque alia à Doctrina Moſis alieniſſima inducentes, & à verbis eius alorſum, quam dicta ſint detorquentes; quid futurum fuiſſet, ſi, non tam minutatim, tam lucide, denique tam enucleate Paradiſum deſcripſiſſet. Ita Chriſoſt. Hoc ipſum docuit Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus in ea Epiſtola, quę eſt recitata in 6. Synodo generali act. 11. & poſtea in act. 13. ab vniuerſa Synodo approbata.

Damaſ. Damaſ. verò lib. 2. de fide c. 11. inquit. Mihi videtur, quod ſicut homo ſenſibilis, ſimul, & intelligibilis conditus ſit, ſic etiam quod huius ſacratiſſimum Templum ſenſibile ſimul, & intelligibile, & duplicem habens oſtenſionem. Ex corpore enim in diuiniſſima regione, & ſuper pulchra, ſicut hiſtorici diximus) ditatus commorans; ex anima vero in ſuperiori, & incomparabiliter pulchriori loco conuerſabatur Deum habens inhabitantem, & eum ferens glorioſum operatorium, & eius circumamictus gratia, & ſolo dulciſſimo fructu contemplationis laſciuiens, velut quidam angelus alius, & hac nutritus vtique lignum vitæ digne nominatus eſt.

D. Aug. Aug. autem lib. 8. de Gen. cap. 1. dicit: Tres de Paradiſo ſunt generales ſententiæ. Vna eorum, qui Paradiſum tantummodo corporaliter intelligi volunt. Alia eorum, qui ſpiritualiter tantum. Alia eorum qui vtroque modo Paradiſum accipiunt, aliàs corporaliter, aliàs ſpiritualiter. Breuiter ergo vt dicam tertiam mihi fateor placere ſententiam; vt homo factus de limo, quod vtique corpus humanum eſt. In Paradiſo autem collocatus intelligatur, vt quemadmodũ ipſe Adã, & ſi quid aliud ſignificat, ſecundum id, quod formam futuri eum dixit eſſe Apoſtolus, homo tamẽ in propria natura expreſſius accipitur. Ita & Paradiſus, in quo eum collocauit Deus, nihil aliud, quã locus quidam intelligitur ſcilicet vbi habitaret homo terrenus Narratio quippe in his libris non genus locutionis figuratarum rerum eſt, ſicut in Canticio Canticorum, ſed omnino geſtarum eſt, ſicut in Regnorum libris, & huiuſmodi cæteris, &c.

D. Aug. Rupert. Alex. de Ales. D. Tho. D. Bon. Nicol. de Lyra Toſtatus. Dicendum eſt ergo Paradiſum eſſe locum corporeum in terra, & hæc concluſio eſt de fide, & oppoſitum aſſerere eſt manifeſtus error. Ita docent cũ D. Augu. & cæteris patribus. Rupertus lib. de operibus Trinit. cap. Alexan. de Ales. 2. par. quæſt. 58. m. 1. D. Thom. 1. par. quæſt. 92. art. 1. D. Bona. in 2. d. 17. dub. 1. circa literam Magiſtri Nicol. de Lyra, & Toſt. in 2. cap. Gen. & in capit. 13. a quæſt. 78. vſque ad 81. & omnes ſcholaſtici. Et probatur quia hoc in loco deſcribitur Paradiſus quibuſdam con-

conditionibus, & circunſtantijs, vt patet de arboribus, & fluminibus, quibus apertiſſimè conuincitur corporeũ eſſe Paradiſum. Et confirmatur ex communi regula ſanctorum Eccleſiæ quã inſinuant D. Aug. lib. 13. de Ciuit. cap. 21. & tradit Baſilius in Hexam. Quando locus ſacræ Scripturæ poteſt explicari in ſenſu proprio, & litterali abſq; aliquo inconuenienti, ita neceſſario eſt explicandus, alias enim nullus locus ſacræ Scripturæ eſſet efficax contra hæreticos, ſi poſſent illi recurrere ad ſenſus miſticos, & negare ſenſum hiſtoricum.

D. Aug. *D. Baſil.*

Sexta Synodus. Secundo probatur ex ſexta Synodo Generali act. 11. Vbi dum contra errores Origenis agitur in fine ſubditur. Multa alia extra apoſtolicam, & paternam noſtram traditionem aſſeruerunt Paradiſi plantationem proicientes, in carne Adam formatum fuiſſe nolẽtes, q̃ doctrina approbatur poſtea act. 13.

Tertio probatur ex communi ſenſu ſãctorum D. Clemen. lib. 1. Recognit. & lib. 8. de Conſt. Apoſt. c. 16. expreſſe docet Paradiſum corporalem, & terreſtrem ſicut narratur Gen. 2. Idem docet Lactantius lib. 2. diuin. inſtit. c. 13. Tertull. lib. 1. contra Marcionem, & lib. ſpeciali de Paradiſo. D. Hieron. ſuper Daniel. c. 10. dicit eſſe deliramenta negare Paradiſum terreſtrem. D. Baſilius, Chryſoſt. Auguſt. Damaſ. locis ſupra citatis.

Clemen. Roma. *Lactant.* *Tertull.* *D. Hier.*

Quarto probatur ex communi conſenſu Doctorum Scholaſticorum, qui omnes, tamquam rem certam ſecundum fidem, docent Paradiſum eſſe accipiendum ſecundum hiſtoriam. Etſi ſpiritualiter etiam declarari poſſit Paradiſus, vt docet D. Aug. vbi ſupra, & lib. 13. de Ciuit. Dei, capit. 21. & lib. 14. cap. 26.

Quæſt. 2. Paradiſi qualitates q̃nam erant. Quæritur tertio, ſuppoſito quòd Paradiſus ſit locus corporalis, quæ erant huius Paradiſi qualitates. Dicendum, quod multiplex qualitas eſt eius per omnia laudabilis. Quicquid enim de laudibus alteri loco dari poteſt, huic conuenit, cum Deus creauerit eum, vt locum excellentiorẽ omnibus locis terrenis; Eſt enim in Paradiſo terreſtri, vt docent Toſtatus ſuper 13. c. Gen. q. 122. & Bartholomeus Angles lib. 15. de proprietatibus rerum, cap. 112. omnium bonorum copia, quæ poteſt homini competere ſecundum corpus, ita vt nihil poſſit optari, quod ibi non ſit, quod ad felicitatem ſecũdum corpus ſufficit, vt dicit D. Aug. lib. 14. de Ciuit. c. 10. Eſt ibi ſumma iocunditas, quod atteſtatur fructuum dulcedo: quia ibi plantauerat Deus omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue. Proueniebat etiam iſta iocunditas ex lucis plenitudine, cum loca obſcura triſtitiam ingerant, lux vero lætitiam afferat, & Paradiſus eſt luce plenus: quia puritati aeris claritas lucis proportionatur, vt dicit Beda.

Toſtat. *Bartholomeus Angles.*

Beda. Secundo eſt ibi ſũma amenitas propter delicias viſus, quæ ſunt in rebus pulchris: nam ibi eſt vniuerſæ pulchritudinis promptuariũ, vt dicit Damaſ. lib. 2. de fide, cap. 11.

Damaſ.

Tertio eſt ibi terræ fœcunditas, cum ſine humano labore vniuerſa proferat humus; quæ fœcunditas eſt per totum Paradiſum propter copiam irrigationis: nam fons, qui egreditur de loco voluptatis, irrigat totum Paradiſum.

Quarto eſt ibi loci ſecuritas, quod accidit ex altitudine ſituationis: nam, licet non tangat Lunarem circulum, ſicut aliqui aſſeruerunt, eſt tamen tantæ altitudinis, vt nubes excedat, & in aere ſereno ſituatus eſt, ad tantam aũt altitudinem nullum malum accedere poteſt. Accidit etiam ſecuritas ex muro, & præſidio appoſitis, nam eſt murus igneus in circuitu Paradiſi, q eleuatur quaſi vſque ad cœlum, vt dicit Iſidorus lib. 14. Ethymologiarum, c. 4. ita vt nihil trãſgredi poſſit; & eſt præſidium Angelorum, vt dicit idem Iſidorus; atque his ibi exiſtentibus eſt tãta in eo ſecuritas, vt neque dæmones, neque homines, neq; animalia aliqua ingredi poſſint ad turbandam quietẽ eorum,

Iſidorus.

eorum, qui ibi ad fruendum Paradiſi pulchritudine fuerunt.

Quinto eſt ibi loci ſalubritas, quod longitudo vitę ibi exiſtentium atteſtatur: Nam ſunt ibi Elias, & Enoch, qui iam tandiu viuunt, vt immortales videantur, nam ſecundum hæbraicam computationem, Enoch à tẽpore tranſitionis vſque ad hanc diem iam vixit in Paradiſo, quatuor millia nongẽtorum & triginta nouem, vel quadraginta annorum. Elias vero, duo millia quingentorum, & triginta nouem annorum.

Quęſt.4. Cauſa ſalubritatis, & tã diuturnæ vitæ in Terreſtri Paradiſo, quænam ſi[t]

Quæritur quarto de cauſa ſalubritatis, & tam diuturnæ vitæ. Dici poteſt, quód vna cauſa, & præcipua eſt, ex ſpeciali Dei voluntate manat, etſi nulla alia cauſa eſſet iſta ſufficeret: Nam Deus iſtos duos homines reſeruat ad aliquod myſterium operationum ſuarum, Ipſe ergo ſupra humanum naturę curſum, eis vitam tribueret, etſi alia non adiuuarent.

Secũda cauſa eſt qualitas aeris, propter ſubiectum determinatæ parti cęli, quod facit magnam ęqualitatẽ complexionis, & reddit aerem temperatũ ad vitam valde ſalubrem, ita vt ibi lõga ſalubritas inueniatur. Sicut ſcribitur de Inſula quadam Hiberniæ Sunt enim ibi loca in quibus cadauera mortuorum, nunquam putreſcunt, ſed ibi perpetuo incorrupta permanent. Eſt etiam in Hibernia, quædã Inſula parua: in qua homines non moriuntur: ſed quando nimio ſenio afficiuntur, vt moriantur extra Inſulam deferuntur. Ita ſcribit Bartholomeus Angles ordinis Minorum lib 5. de proprietatibus rerum, cap. 18.

Bartholomeus Angles.

Tertia Cauſa eſt ex altitudine loci, Hoc enim generale eſt, quod loca poſita in ſublimiori, ſunt ſalubriora: quia purior ibi eſt aer, & minor vaporum copia illuc accedit. Nam etiam in Macedonia mõs eſt, qui Athos appellatur, tantæ altitudinis, vt nubes excedat, & ſuper illum, neque pluat, neque venti ſpirent, & in illa celſitudine eſt oppidũ, in quo homines ſunt in duplo longioris vitæ, quam alij, vt dicit Solinus in Poliſtore, cap. 1 .

Solin.

Quarta Cauſa eſt bonitas alimentorum; hoc enim maxime ad vitæ breuitatem, aut longitudinem facit, cum alimentum æqualitatem, vel inęqualitatem humorum in corporibus faciat. In Paradiſo autem ſunt cibaria meliora: quia forte ibi arbores, & herbæ quarumdam aliarum ſpecierũ ſunt, quam hic inueniantur.

Quinta Cauſa eſt, quia quæcunque ibi ſunt ad nutrimentum, retinẽt magis virtutem naturalem quam ea quæ alibi ſunt, eo quod per aquas diluuij tota terra fuit diluta, atque corrupta. Ad Paradiſum autẽ aquæ diluuij non peruenerunt; atq; adeo manſit terra illa integra in ſua prima, & naturali virtute.

Sexta Cauſa eſt propter lignum vitæ, quod ibi à Deo plantatum fuit, ad immortalitatem tribuendam, vel longiſſimam vitam atque adeo iſti de illo edentes diu viuere poterunt: atq; iſta videtur eſſe cauſa vera, & præcipua tam diuturnæ vitæ.

Quęſt.5. Paradiſus quantus ſit, ideſt quã ta ſit magnitudinis.

Quæritur quinto de Paradiſi quantitate, & primo de eius latitudine. Quorumdam opinio fuit, Paradiſum quem deſcripſit Moſes, non fuiſſe determinatam aliquam regionem, aut certum aliquem terræ locum, ſed nomine Paradiſi denotari vniuerſam terram, quę in primęua cõditione, ac ſtatu ſuo, ob maximam bonitatem, amenitatẽ, & fœcũditatem, erat tota quaſi hortus ameniſſimus, & tamquam Paradiſus, quemadmodum infra cap. 13. dicitur de Sodoma, & Gomorra fuiſſe quaſi Paradiſus Dei; Illum autem fluuium, quo Paradiſus irrigabatur eſſe ipſum Oceanũ, quẽ nomine fluuij Heſiodus in Theogonia, & in Odyſſea Homerus appellat. Verum hanc opinionem ipſa ſimplex narratio Moſis, vt ſupra oſtẽdimus vehementer, & euidẽter confutat. Quomodo enim intelligi poteſt Paradiſum fuiſſe vniuerſam terram, cum diſerte Moſes doceat fuiſſe eũ in regione Edẽ

Heſiod. Homer.

verſus

verſus plagam orientalem extra quem, cum factus eſſet homo, eſt in eo poſtea introductus,& mox propter peccatum admiſſum ex eo eiectus ? &c.

Toſtatus Toſtatus in cap.13.Gen.queſtio.98. Poſt impugnatam opinionem quorum dam, qui ampliſſimũ fuiſſe Paradiſum probabant, ex fluuio, quo irrigabatur, quem maximum, & altiſſimum fuiſſe declarant, quatuor nobiliſſima noſtri orbis flumina, ex eo deriuata; Tũ etiã, quòd ſolus Paradiſus ſi Adam non pec caſſet, omnium hominum futurũ erat domicilium; tantæ multitudinis hominum, niſi ampliſſimus eſſet locus capax non fuiſſet: magis coarctat, & coanguſtat locum Paradiſi: nam ſolum qualibet trium partium mundi Aſiam dico,Europam, & Affricam, ſed etiam ingenti aliqua prouincia, vt eſt Hiſpania, & Germania minorem eum facit: cum nõ niſi electos, qui pauci fuiſſent, prout nunc eſt multitudo hominũ tenere debuiſſet;& iſti non erant in Paradiſo futuri, quouſque expleretur hominum numerus ſed per generationes transferrẽtur, altero ex duobus modis, quos docet D.Auguſt.ſuper Gen.ad literam, atque adeo non eſſet aliquando tanta multitudo hominũ,quanta nunc eſt in terris; nec opus eſſet eo loci eſſe animalia vlla, ſcilicet quorum ſeruitio tunc non eſſet opus homini, nec propter ſterilitatem terræ, plurimum loci teneri oportebat, cum tota Paradiſi terra optima, & fertiliſſima eſſet. Exiſtimat igitur Toſtatus Paradiſi longitudinem fuiſſe circiter 12.miliarum, ambitum vero eius triginta ſex, vel quadraginta, quod ex eo etiam comprobat, quod Auctores ſolent vocare Paradiſum montem; quod non fieret, ſi putarent circumitum eius eſſe valde magnum, vt eſt vnius prouinciæ, vel Regni.

Pererius. Pererius lib.3.in Gen.quæſt.3. arbitratur Paradiſum non fuiſſe locũ adeo patentem,& ſpatioſum, vt quidam tradiderunt,quippe eum ſcriptura appellet hortum, & ait locatum fuiſſe in regione Eden, ad plagã eius orientalem, atque in medio eius fuiſſe lignũ vitę,& lignum ſcientiæ boni,& mali;Et addit, quòd nõ aſſentitur illis, qui putauerũt homines in ſtatu Innocentiæ fuiſſe habitaturos extra Paradiſum, Non enim eſt probabile(inquit ipſe)vnum illum locũ capere potuiſſe omnes homines, nam cum poſt Adæ peccatũ homines vixerint prope mille annos, ſine dubio in ſtatu Innocentiæ nõ minus tria, vel quatuor millia vixiſſent;quo ſpatio tẽporis numeroſiſſimam prolem edidiſſent, & mirum in modũ genus humanum fuiſſet multiplicatũ. Præterquam quod Deus dixit homini, vt dominaretur cunctis animantibus, & ſubijceret ſibi omnem terram, quod fieri nequiret ſi homines tantum Paradiſum incoluiſſent, quod etiam nos ſupra docuimus. Cæterum de re tam incerta, inanis, & incerta eſt omnis cõiectura.

Queſt.6. Paradiſi altitudo quanta fuerit. Quæritur ſexto, de altitudine Paradiſi. De hac re communis ſententia eſt, quòd Paradiſus eſt locus valde excelſus, ſed quantę ſit celſitudinis, incertũ eſt. *Strabus.* Strabus, & Beda dicunt,quod eleuatur Paradiſus, vſq; ad altitudinem circuli Lunæ; ita quod Lunę globum pertingit. *Catharinus.* Hãc opinionem Catherinus in Gen. tribuit D. Auguſtino neſcio in quo libro eius ad Oroſium,quã tamen ſententiam in nullo Auguſtini lib. inuenire potui. Theologi ſcholaſtici aſſignant eam Bedę; ſed nec Beda eam habet, vel in ſuo Hexam. vel in allegorica lib.Gen.expoſitione: Illud tãtum dicit; Paradiſum eſſe locum ab hominũ cognitione remotiſſimum. *Rabanus* Illa igitur ſententia fuit Strabi, & Magiſtri eius Rabani, quam refert Mag.ſent.in 2.d.17.& Hiſtoria ſcholaſtica ſuper libro Geneſ. capitulo 13.

Ad hoc autem aſſerendum mouentur ex duobus, primo vt euitent aquas diluuij: nam aquę diluuij fuerunt elatę ſuper montes altiſſimos cubitis quindecim infra cap.7. & tamen ad Paradiſum negãt eas perueniſſe 2. propter ſalubritatem loci: nam ibi nihil moritur,

cum

Digitized by Google

cum Enoch, & Elias tanto tempore ibi viuant, ſed hoc non eſſet ſi ille locus eſſet planus, ſicut locus noſtrę habitationis. Ceterum hæc opinio ſtare non poteſt: non enim eleuatur Paradiſus, aut aliqua terra vſque ad globum Lunę, id eſt, vſque ad corpus eius: neque etiam vſque ad circulum eius, id eſt, vſque ad concauum orbis Lunę. Tũ quia totus locus Paradiſi eſſet intra ignem, atque adeo inhabitabilis. Tum quia ſi tanta eſſet altitudo Paradiſi, vt vſq; ad Lunam pertingeret, latitudo eius eſſet adeo magna, vt baſis eius occuparet totam terram, vel ferè totam.

Alex. de Ales. D. Bona. Barthol. Angles. Quapropter propter manifeſtam iſtius opinionis abſurditatem Alex. de Ales. par. 2. quęſt. 84. m. 2. D. Bona. in 2. d. 17. dub. 2. circa literam, & Bartholomeus Angles lib. 15. de proprietatibus rerum cap. 112. in bonam partem interpretantes dixerunt id fuiſſe ab illis dictũ per hyperbolen, nõ quod ita res eſſet, ſed vt per huiuſmodi exagerationẽ, intelligeretur ſumma Paradiſi ſublimitas, & celſitudo. *D. Tho.* D. Thom. 1. parte quęſt. 92. ait id dictum eſſe propter ſimilitudinem, quod ſcilicet Paradiſi locus, amenitate, ſalubritate, & trãquillitate ſimilis eſſet regioni cęleſti, quę incipit à Luna. Verumtamen ſecundum hunc intellectum vere poſſet dici, Paradiſum attingere circulum Solis, vel Saturni.

Alex. de Ales. Quo circa Alex. de Ales vbi ſupra dicit, quod circulus Lunaris dicitur vno modo orbis Lunę, quę eſt vltima Spherarum cœleſtium, alio modo terminus humidarum exalationum, qui eſt poſt iſtum aerem turbulentum, quia virtuti Lunæ attribuitur ducatus humorũ, & augumentũ, & prouentus, ſeu progreſſus, poteſt dici Lunaris circulus terminans vaporum humidorum aſcẽdentium. Cum ergo dicitur quòd Paradiſus pertingit, vſque ad Lunarem circulum, intelligitur, quòd pertingit vſq; ad aerem quietum. Attingit itaq; Paradiſus ſecundum Alex. vſque ad tertiam aeris regionẽ, quę eſt ſtatim poſt aerem caliginoſum, vel turbidum: ibi enim propter cõtrarietatem, pauca eſt actio, eſſet tamen aliqua, quæ ſufficeret, ad aliquam generationem, & corruptionem. Locus ergo Paradiſi, non eſt ita eleuatus, vt ad Lunarem circulum pertingat, ſicut dictum eſt ſupra.

D. Bona. Ricar. Duran. Toſtatus Hanc ſententiam ſequitur D. Bonau. loco citato Ricar. in 2. diſt. 17. artic. 2. q. 5. Duran. eadem d. q. 3. & Toſt. in 13. cap. Gen. q. 107. qui affirmat Paradiſum non peruenire vſque ad orbem Lunæ, excedere tamẽ terminos huius noſtri aeris turbulenti, atque caliginoſi, & eſſe ſupra mediam aeris regionẽ; denique in tertia regione aeris eſſe locatum, celſioréque eſſe omnibus alijs terræ montibus, adeo vt aquæ Diluuij Paradiſi locũ attingere non potuerint. Et ſi dicatur quomodo poterat eſſe ibi locus habitabilis, cũ teſte Solinô, *Solinus.* cum Philoſophi ibant ad montẽ Olimpum qui non eſt tãtæ altitudinis, oportebat eos habere ſpongias plenas aqua propter raritatem aeris, vt efficeretur ſpiſſior. Reſpondet Toſt. *Toſtat.* quòd non eſt ſimile; in Paradiſo ſiquidẽ erant quatuor flumina vnde ſatis poterat aer ſpiſſari. Tum quia Adam in ſtatu innocentiæ erat perfectior longe, quàm nos, atque adeo non eſt mirum, ſi aere puriori viuere potuiſſet. Nec etiam ſequitur, quòd baſis Paradiſi occuparet totam terram. Nam ſi Paradiſus perueniat tantum vſque ad tertiam aeris regionem, id eſt ſerenam; non eſt magna altitudo. præterquam quòd non eleuatur Paradiſus per totã illam regionem, ſed ad illam dumtaxat peruenit, id eſt Planities Paradiſi, eſt intra regionem aeris ſereni, quæ eſt ſupra aerem turbidum; altitudo ſiue pes Paradiſi occupat duas regiones, id eſt infimam, quæ eſt circa nos, & medium, quæ eſt aeris turbidi, ſeu caliginoſi; eſt autem regio tertia maior, quàm duæ regiones inferiores. Vnde ſi pertingeret Paradiſus vſque ad ſupremum tertiæ regionis aeris, ſcilicet, circa ignem, non poſſent euitari incõuenientia ſupra

pra

pta adducta; Verum ſi ponatur planities Paradiſi in principio tertiæ regionis aeris, erit parua altitudo, ad quam non ſequuntur aliqua inconuenientia.

Doctor. ſub. Doc. Sub. in 2. d.17.q.2. poſtquã oſtẽdit Paradiſum nõ attingere globum lunarem; inquit, nec põt dici, quod ſit in ſuperiore parte aeris; quia illa inflammatur vehemẽter propter ignis vicinitatem, nec etiam põt attingere vſq; ad medium interſtitiũ aeris: quia locus ille eſt frigidiſſimus perpetuo ſecũdum Phyloſophum; cuius cauſa poſitiua eſt frigiditas nubium in eiſdẽ locis, & cauſa priuatiua duplex, ſcilicet carẽtia caloris generati per reflexionẽ radiorum ſolis à terra; & carentia caloris cauſati à ſole directe. Cũ igitur Paradiſus ponatur locus cõueniens habitationi humanæ, ſequitur quòd adſit in aliquo loco prædictorũ; niſi ponatur locus iſte accidentaliter tẽperatus, ſicut ſunt loca ſub polo artico, ſecundum Martianum in mundi deſcriptione, & Pliniũ 2. naturalium, cap. 2. Nec valet argumentũ de Diluuio, quia aquæ diluuij inundauerũt miraculosè ſic aſcendentes ad peccatorũ punitionem; vbi igitur non inundauerunt, non fuit ibi factum miraculum; in Paradiſo autem cum non eſſent peccatores, nõ debuerunt per Miraculum inundare, cũ itaq; eluuione illa aquarum, ceteræ omnes terræ obruerentur, peruenerunt aquæ propè Paradiſum, ibiq; immobiles conſtiterunt ad ſimilitudinem eius, quod olim in mari rubro, & flumine Iordanis à Deo factũ legimus; & confirmatur: nã quemadmodum Aegyptus Iſraelitis clara luce gaudentibus fuit horrore palpabilium tenebrarum percuſſa; Et ruſus Iſraelitis panem cœlitus miſſum ad mãducandum præbuit, quem tamen Iebuſeis, & Ammoreis non adminiſtrauit, ita põt eſſe, q̃ totã vniuerſi terrã aquæ diluuij inũdarẽt; & Paradisũ haud attingerẽt, ſed hoc infr. in q. de exiſtẽtia Paradiſi.

Queſt.7. Paradiſus in qua mundi parte exiſtat. Quæritur ſeptimò, In qua parte mũdi ſit Paradiſus. Nam cũ Paradiſus ſit locus corporalis, neceſſario eſt in aliqua mundi parte, & non ſolũ in aliqua parte mundi; ſed etiã neceſſe eſt eſſe in terra; nõ enim potuit eſſe in alia parte, ex eo quod in Paradiſo erant arbores, & flumina, & humus, quæ omnia ſunt in elemento terræ; Dubium eſt autem in qua parte terræ ſit Paradisus Quidam putauerũt Paradiſum eſſe in parte Occidentali orbis, & iſte fuit error ſequentium fabulas Poetarũ, qui Inſulas fortunatas Paradiſum eſſe dixerunt. Ceterum falſa eſt hęc ſententia; Tũ quia Inſulæ fortunatæ, vt teſtis eſt Plinius, & Iſidorus lib. 14. Ethymologiarũ ſunt ſitæ ad leuam Mauritaniæ in occidente; & Paradiſus eſt in parte Orientali, vt oſtendetur: Tum quia ad Paradiſum nõ eſt acceſſus hominibus, cũ Cherub cuſtodiat viã ligni vitę, & ad Fortunatas inſulas eſt nobis quotidiana nauigatio: nã pręcipua illarũ eſt, quę Canaria dicitur, quæ eſt vulga iſſima. *Plinius. Iſidorus.*

Dicendum eſt ergo, quòd Paradiſus eſt in parte Oriẽtali orbis; ſcilicet in aliqua parte Aſiæ, quod patet ex ſcriptura: nam 70. Interpretes per vocẽ Eden non tempus intellexerunt, ſed locum at quoniam princeps mundi pars eſt oriens, à qua initiũ capit motus primi mobilis, idcirco tranſtulerunt ad Orientem, quã Lectionem omnes fere Græci Patres ſecuti, & interpretati ſunt, vt Baſilius hom. 11. in Gen. Chriſoſt. hom. 13. Theodoretus in hunc locum, Greg. Niſſenus ſuper oratione Dominica. Damaſ. lib. 2. de fide cap. 11. & lib. 4. c. 13. Et idem docet Iſidorus, Strabus, Beda, Hiſtoria ſcholaſtica, & fere omnes expoſitores Latini; & omnes ſcholaſtici Doctores. Probabilior eſt ergo ſententia, quæ aſſerit Paradiſum eſſe conſtitutum in parte Orientali terræ, quã eſſe ſub equinoctionali, quã docuit Sãctus Thom. in 2. d. 17. q. 4. artic. 2. & Duran. quæſt. 3. & alij licet re vera non ſit inconueniens affirmare, quod Paradiſus cõſtitutus ſit ſub æquinoctionali. Quia etiam in æquinoctionali eſt ſingulare oriens, atque adeo erit etiam, vt ſic Paradiſus in Orientali parte terræ, ita *Baſilius. Chriſoſt. Theodo. Gregor. Niſſen. Damaſ. Iſidorus. Strabus. Beda Hiſtoria ſcholas. D. Tho.*

docet D.Thom.1.p.q.102.art.1.& Lactantius lib.2.diuinarum Inſt. cap. 14. Damaſ.lib.2. de fide cap. 11. & plures alij Sanctorum,quos ſupra citauimus. Qui inſuper docet, quòd propterea in Eccleſia eſt antiqua conſuetudo orandi verſus Orientem:qm̄ in illa parte orbis fuit Paradiſus,de quo eiectus eſt Adã,& ad quē deſideramus redire,ita docet expreſſe D.Tho.2.2.q.84.art.3. ad ſecũdũ, & eſt Doct.D.Damaſ.lib.4.de fide c.13.& D.Clem.lib.2.de conſt.Apoſt.c.16. & eſt Doctrina aliorũ patrũ.

D. Tho. Damaſ. D.Clem. Roman.

Sed in qua parte Orientis eſt Paradiſus? nam per eſſe ad Oriētem,vt docet Scotus vbi ſupra non habetur aliqua determinata pars terræ, in qua ſit Paradiſus; nam in quocunque ſitu ſit, poteſt intelligi, quòd ſit ad Orientem in comparatione ad cœlum, vel reſpectu diuerſorum ſituum terræ, præterquam reſpectu duorum polorum, qui ſunt immobiles. Vnde obſeruandũ eſt, quòd oriens, & occidēs bifariam ſumi poſſunt, vno modo relatiue, vt dicatur oriens quilibet punctus, qui magis ad ortum ſolis eſt appropinquans,& quilibet pũctus, qui reſpectu eius eſt propinquior ad ſolis occaſum dicitur occidens; & hoc modo quilibet pũctus eſt oriens,& occidens ad aliud ſumptus.

Scotus.

Oriēs,& occidēs bifariã ſumi poſſunt.

Secundo modo accipitur oriens, & occidēs,quaſi abſolute, & illa pars mũdi appellatur oriens,quæ eſt vicina ortui ſolis, atque ita illã Orientalem vocabimus, quòd nunquam Occidentalem, & hoc modo terra Iudæorũ, vel Paleſtina,quæ reſpectu noſtri ortui ſolis eſt vicinior Oriētalis appellatur;occidens autem vocabitur abſolute terra illa, quæ eſt nimis vicina ſolis occaſui & ſic eſt terra Hiſpanorum, quã etiam vocamus ita Occidentē, quod nunquã Orientē licet in ipſa Hiſpania vna pars ſit Orientalior,vel Occidentalior, quã alia; accipiendo primo modo reſpectu cuiuslibet loci eſt oriens, & occidēs,ſecundo aũt modo diſtinguitur, quia accipitur preſſe ſecundũ Aſtrologos, pro vero Oriente,& vero Occidēte, & tũc oriens,& occidens ſunt pũcta fixã, & diſtat oriens ab Occidente,per diametrum totum cęli,& eſt ſpatiũ horarum 12 & tunc oriens, & occidens, nō ſunt pũcta ſignata in terra habitabili, ſed in mari,tam ex parte ortus,quam ex parte occaſus. Aliquãdo vero accipitur minus preſſe, vt oriēs dicatur eſſe pũctus in principio terræ habitabilis ex parte ortus ſolis,& occidens dicatur punctus in fine terræ habitabilis ad occaſum ſolis,& hoc modo accipitur etiã apud Aſtrologos; & vocatur oriens non verũ, & occidens non verum, & non diſtant per integrum cęli diametrũ; & iſte modus accipiendi Oriētem,& Occidentē, non eſt in ſacra ſcripturã neq; in vulgari modo accipiendi Orientem, & Occidentem. Eſt itaq; alius modus manifeſtior,vt Orientē abſolute dicamus terram vltimam habitabilem contra ortũ ſolis,id eſt Indiam, & proximas regiones, & Occidētem dicamus Hiſpaniã, & quæ ei coniunctæ ſunt regiones.

Vltimus modus eſt,vt vocetur oriēs terra,quę multũ eſt elongata ab alia ad ortũ ſolis, licet non ſit illa prima terra habitabilis ſcilicet India; & occidēs terra multũ diſtans ab alia ad occaſum ſolis, licet non ſit vltima pars habitabilis ſcilicet Hiſpania;& iſte modus eſt vſitatiſſimus, tam apud ſcriptores vulgares,quam et ſcripturam ſacram. Nã habitantes Hiſpaniã dicunt Ieruſalē eſſe in Oriente,ac totã terræ Aſiæ. Similiter qui ſunt in India terras Romanorũ,& Italiam,dicunt Occidentē,imo & Ieruſalem, & Aegyptũ vocãt Occidentem.

Cum ergo dicatur Paradiſus eſſe ad Orientē,pōt accipi reſpectiuè, & abſolute;ſi accipiatur abſolute verum eſt,ꝙ Paradiſus Terreſtris eſt tam Oriētalis, ſicut terra Indorũ, & adhuc magis, cũ fluuijs Ganges exiens de Paradiſo labatur per terram Indorum; ſi aũt accipiatur reſpectiuè, Dicitur tunc Paradiſus eſſe ad Orientē, vel reſpectu terræ illius, in qua formatus eſt homo, quæ fuit terra Canaan,vel reſpectu terrę illius, in qua Moſes erat, qñ hunc librũ

ſcri-

ſcripſit. Nam ſcripſit Moſes lib. Geneſis, & ſequẽtes quatuor libros legis, dũ eſſet in deſerto poſt exitũ de Aegypto. Erat aũt ſolitudo illa Arabica, quæ eſt aliquantulũ magis Oriẽtalis, quã terra Canaã, in qua Iudei ingreſſi sũt, & iſta terra eſt multo Occidentalior, quã Paradiſus, ideo bene poterat dicere Moſes Paradiſum eſſe ad Orientẽ. i. reſpectu regionis illius, in qua iſta ſcribebat.

Sed Adhuc neſcimus in qua parte Orientis fuerit Paradiſus. *Strabus, & Beda.* Strabus, & Beda in Gene. dixerunt Paradiſum diſtare à nobis immenſo Oceano, ſtatuerunt namque Paradiſum vltra occaſum, & extra hunc noſtrũ terræ Orbẽ; Ceterum hęc poſitio nequaquã probabilis eſt: nam quomodo illinc homines in hanc noſtram terram venire potuiſſent? *Athana. Cyrillus.* Nam Athanaſius, & Cyrillus prodiderũt Adamum ex regione Paradiſi profectum veniſſe in Iudeã, ibiq; mortuum, & ſepultum in monte Hieroſolimitano, qui Caluariæ dicitur. Tũ quia Ciuitas, quam poſt fratricidiũ edificauit Caym, erat magis Orientalis, quam Eden, in qua Eden fuit Paradiſus, & conſtat apertiſſime Geneſi. 4. Egreſſus Caym à facie domini habitauit profugus in terrã ad Orientalẽ plagã Eden;

Quidam vero dixerũt eſſe in Salmatia Aſiatica in montibus Armenię: quia ibi eſt Mons Taurus, à quo emanant quatuor flumina potentiſſima, de quibus infra. Sed neq; hęc poſitio ſtare poteſt, quoniã regio illa frigidiſſima eſt.

Alij qui Ariſt. ſequuntur, dicunt Paradiſum eſſe extra tropicos, verſus Orientem æſtiualem, vel hiemalẽ. *Ariſtot.* Ariſt. nu. 2. Methaurorum dicit, quòd inter duos tropicos non poteſt eſſe regio habitabilis, propter nimiam caliditatem: quia ibi ſol tranſit bis in anno.

Alex. de Ales. D. Bona. Ricard. Duran. Alex. de Ales. 2. p. q. 82. m. 2. D. Bon. in 2. d. 17. dub. 2. circa lit. Ricar. in 2. d. 17. art. 2. quæſt. 5. & Dura. eadem diſt. q. 3. dicunt Paradiſum eſſe ſub æquinoctionali ſub primo climate, aut nõ procul: nam illud Clima tẽperatiſſimum eſt, ob perpetuam dierũ, atq; noctium æqualitatem, atq; adeo ſumma in illis locis eſt temperies, vbi nunquã exiſtit nimiũ frigus, vel calor: quia cũ ſit ſemper æquinoctiũ in illo climate, quantũ moratur ſol de die ſuper Emiſpheriũ, tantum moratur de nocte ſub emiſpherio. Et cõfirmatur: quia duæ ſunt cauſæ caloris, vna acceſſus ſolis ad nos, altera mora eius, quæ ambæ concurrũt in climate noſtro in diebus æſtiuis: *Duæ ſunt cauſæ caloris.* quia tũc ſol magis accedit ad zenith noſtrũ, & dies ſunt noctibus prolixiores, & ideo exceſſiuũ tunc habemus calorẽ. In climate vero ſub æquinoctiali, licet ſit altera cauſa exceſſiui caloris ſcilicet acceſſus ſolis ad zenith eorum, ſecũda, tamen deeſt propter æqualitatem dierũ, & noctiũ & propter magnitudinẽ circuli, quem ſol deſcribit, qui quanto eſt maior, tãto in ipſo motus eſt velocior, & minus moratur ſuper eamdem partẽ terrę, propter quod effectus eius minus firmatur, Sed hanc opinionem refellit D. Tho. eo argumento regionũ, quæ ob vicinitatẽ zonæ toridæ ſolis ardore vehementer infeſtantur, vt Etyopia, & inferiora Affricę, & Libiæ. *D. Tho. 1. p. queſt. 102. art. 2. ad 3.*

Doct. et Sub. in 2. d. 17. q. 2. inſtat cõtra eã illo argumento, ꝙ qñ hyems eſt Gallis, & Germanis populis frigidiſſima, nõ remouetur ab eis, qui ſub ęquinoctionali morãtur ſol, niſi per 24. gradus, & tunc eſt eis propinquior, quã ſit Gallis, & Germanis in maxima ęſtate, in qua diſtat ab illis p 25. gradus. Quare nunquã loca ſub ęquinoctionali, minus calida ſunt, quã ſit Gallia, & Germania in media ęſtate; nec valet ꝙ adducunt de ęqualitate dierũ, & noctiũ, inquit Durãdus: quia duplex eſt acceſſus ſolis ad nos, vnus ſecundũ motum diurnũ, quo ſol accedit ad Emiſpheriũ noſtrum, vel recedit à noſtro Emiſpherio, & hic acceſſus, & receſſus cauſat diuerſitatẽ caloris, quo ad diẽ, & noctẽ: nã dies ſunt calidiores noctibus ceteris paribus. Alius eſt acceſſus, et receſſus ſolis ſecũdum motũ proprij circuli, quo accedit ad zenith noſtrũ, vel recedit, & hic cauſat diuerſitatẽ caloris, & frigoris

Digitized by Google

ad maiores partes tẽporis, prout æſtas calidior eſt hyeme. Primus ergo acceſſus, & receſſus, qui eſt ſecundũ motum diuturnũ, eſt valde proportionatus in ſphera recta ſub æquinoctionali, quia ſemper adæquatur acceſſus receſſui, & è contra. Sed ſecundus acceſſus, & receſſus ſunt valde improportionati: quia bis in anno ſol trãſit per zenith capitis eorum. ſ. in puncto Arietis, & libræ. Receſſus autem eſt valde paruus: quia ad plus eſt per 33. gradus, & quinquaginta, & vnũ minuta; quæ eſt quãtitas maxima declinationis ſolis; & ideo ex hoc acceſſu notabili, cauſatur notabilis exceſſus caloris, propter notabilem refractionẽ radiorũ ſolis, quę ſemper eſt in illo climate ad angulos rectos, vel quaſi rectos, vnde non eſt minor calor in hyeme ſub æquinoctionali, vt inquit Scotus, quã ſit in æſtate in Gallia, & Germania. Ceterum, qm̃ hęc opinio, quod Paradiſus ſit ſub ęquinoctionali, eſt cõmunior, & valde probabilis, Durãdus eam defendẽs, vt difficultatẽ tollat, dicit quòd Paradiſus Terreſtris, eſt quidẽ ſub æquinoctionali, ſed in monte eleuato, ſuper omnem altitudinẽ montium, atq; adeo eſt locus temperatus, non ex natura climatis abſolute, ſed ex loci ſitu, & altitudine: nã reflexio illa radiorum ſolis, quæ fit ad angulos rectos in locis planis illius climatis, quæ cauſat nimium ardorem, & forte aerẽ inflammat, non attingit vſq; ad altitudinem Paradiſi Terreſtris. Aer etiã eſt ibi ſubtilis, atq; adeo calor minus in eo incorporatur pp quod nõ eſt ibi exceſſus caloris; De exceſſu autẽ frigoris, nõ eſt timendum, cũ locus ille ſit ſub via ſolis. *Durand.*

Poſſet ẽt dici, ꝙ non eſt par tẽperies cęli, vel intẽperies in oĩbus regionibus, ſub ęquinoctionali, vel inter duos tropicos. Siquidem latiſſima Regio Petroſi Ioãnis, Monomotapa, Inſula ſãcti Thomæ, & quæ vulgo dicitur, Cauo verde, ardore ſolis pervruntur, cõtra Regio Americana, vulgo dictus nouus orbis, inter duos tropicos interiacẽs, plerisq; locis tẽperata eſt, maxime in Prouincia Peruana, ex quo liquet temperiẽ, vel intemperiẽ cęli in varijs terræ locis, & regionibus non prouenire tm̃ ex ipſo climate cęli; ſed maxime ex alijs cauſis velut ex frequentia, aut varietate horum aut illorũ ventorũ vel ex copia, vel inopia aquarum tã terreſtriũ, quã pluuialiũ, vel ex ſitu regionis, aut montanæ, aut campeſtris, vel deniq; ex vicinitate, aut longinquitate maris proficiſci.

Pererius. Pererius li. 5. in Gen. in diſp. de Paradiſo q. 2. & li. 7. in fine dicit Paradiſum eſſe in ijs regionibus, quas Tigris, & Eufrates, præterlabuntur, & nõ procul Meſopotamiam: nã perſpicuis verbis docet Moſes Paradiſũ fuiſſe in regione Eden, quã nõ procul fuiſſe à Meſopotamia, vel Arabia, ex verbis Iſaiæ, & Ezechielis non obſcure cognoſcitur: nã licet Eden ſignificet interdũ delicias, & voluptates à radice hadan, ꝙ eſt delectari; Interdum tñ Eden in diuina ſcriptura eſt nomen propriũ loci, vt liquet infra cap. 4. vbi dicitur Cayn habitaſſe profugus ad Orientalem plagã Eden; ſic etiã Ezechielis c. 27. dicitur Tarã, & Edẽ Negociatores tui, & apud Iſaiã, c. 37. Inter alia loca, & Ciuitates, quę Reges Aſſiriorum vaſtauerũt, recenſentur Gozan, Carã, & filij Eden. Præterea cõſtat duo flumina Paradiſi Tigrim, et Eufratẽ, habere Originẽ in montibus Armeniæ, curſum per Meſopotamiã, Aſſiriam & Caldeam; exitũ vero in ſinum Perſicũ: quare, & reliqua duo flumina non inde procul fluxiſſe, & Paradiſum circa iſtas regiones eſſe neceſſe eſt.

Præterea regiones, quas coluit Adã poſt peccatum ſunt in 4. Climate: non enim credendũ eſt, ꝙ ad magnã diſtantiã diſceſſerit, & confirmatur ex eo, ꝙ in Gen. dicitur habitaſſe Adã prope Paradiſum, vt tãtæ rei amiſſæ recordaretur, ꝙ aũt fuerit ante Paradiſum, patet ex translatione 70. Interpretum Eiecit Deus Adam de Paradiſo, & ſtare fecit ante Paradiſum; habitationẽ aũt homini vſq; ad edificationem Turris Babel fuiſſe circa Meſopotamiã, & Armeniã, ſatis liquet legẽti. 10. & 11. caput Gen.

Et

Digitized by Google

Et hac opinione optime ſaluatur, Paradiſum eſſe ad Orientalē plagam, nā ſacra ſcriptura Orientales terras, ſimpliciter vocat, quæ ſunt circa ſinū Perſicum vt Perſidem, Armeniam, Arabiam, atque Meſopotamiam. Gentes quoque his regionibus propinquiores comparatione Iudæorum nominare ſolet Orientales, eorūq; loca eſſe ad Oriētem; ſicut Arabes, Idumeos, Amalechitas, Madianitas, Ammonitas, & Moabitas, necnon & mare rubrum, & mare ſalſum. Quapropter Iob, qui erat Idumeus nominatur inter filios Orientis, & tres Magi, qui ex Perſide, vel Caldea, vel Arabia venerunt ad Chriſtum dominū adorandum, veniſſe dicuntur ex Oriēte. Quinimo ſolet ſcriptura frequēter Meſopotamiam vocare ſimpliciter terram Orientalem. Etenim Gen. 29. Iacob profectus in Meſopotamiam iuiſſe dicitur in terram Orientalem; & in lib. Numer. cap. 23. Balaan Ariolus ductus eſſe dicitur ad maledicendum Hębreis ex montibus Orientis, quē tamen Moſes Deut. 23. adductum fuiſſe ex Meſopotamia Syriæ ſcriptum reliquit. Hanc opinionē, etſi probabilem, *Cardin. Bellar.* impugnant Card. Bell. Tom. 3. lib. 1. cap. 12. atq; hæc ſufficiant de loco Paradiſi.

Queſt. 8. *D. Hier.* *Paradiſus quādo fuit plātatus.* Quæritur octauo, Quando Deus plātauit Paradiſum. D. Hieronym. in libro traditionum hębraicarum in Geneſ. ex eo quòd dicitur Paradiſum factum à principio argumentatur eum fuiſſe à Deo conditum ante cœlum, & terram, Quod Hieronymi dictum, ſi vt verum, tueri volumus neceſſe eſt fateri, vel ipſum non eſſe locutum de Paradiſo corporeo, ſed ſpirituali, quæ eſt vita æterna, quam electis præparauit Deus ante mundi conſtitutionē, vel illud ante cęlum, & terram idem ſonare, quod ante perfectam cęli, & terræ exornationem, atq; conſumationē. Nec vero quia Paradiſus factus fuit à principio continuo ſequitur, eum vel primo die, vel etiam ante factum eſſe. Etenim apud Ioan. capitulo octauo; Dominus noſter ait diabolum fuiſſe homicidam ab initio, quem tamen conſtat, mortis hominis tam ſpiritualis, quam corporalis non ante ſextum diem, quo creatus eſt homo, auctorem eſſe potuiſſe.

Toſtatus. Alij (Toſtato referente) dixerunt, quòd Deus plātauit Paradiſum in principio omnium rerum, Geneſi. 1. quando dicitur In principio creauit Deus cœlum, & terram, & hoc propter dignitatem Paradiſi. Sed hæc opinio non eſt probabilis; tum quia computaretur inter coęua quatuor, quæ ponuntur à Doctoribus, ſcilicet natura Angelica, Cœlum Empyreum, materia prima, & tempus, ſed non ponitur inter hęc, neque additur Paradiſus, vt quintum, ergo non putatur Paradiſus plantatus à principio rerum. Tum quia Paradiſus Terreſtris continet arbores, cum Paradiſus ſit hortus, vt dictum eſt, & tamen arbores non fuerūt creatę in principio rerum, ſed ſolum in die tertio, ergo ſaltem ante diem tertium non fuit plantatus Paradiſus, tum quia arbores, & herbę non poſſunt produci niſi in terra diſcooperta, & tamen vſq; ad diem tertium manſit terra aquis cooperta, tum demum: quia fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, ſed non poterat fluuius eſſe ante diem tertium, cum tota terra aquis cooperta eſſet, ergo nōn fuit Paradiſus à principio rerum.

D. Baſil. D. Baſil. extrema oratione, quę eſt de Paradiſo, & vndecima inter eas, quas ſcripſit in Geneſim, ait Paradiſum cōditū eſſe à Deo poſt creationē hominis, propterea fortaſſe id opinatus, qđ cerneret non fieri à Moſe mentionem cōditi Paradiſi, niſi poſt hominis creationem. Verum id factum eſt per recapitulationem, qua figura prius facta poſterius narrantur; ſiue contra per anticipationem commemorātur prius, quę poſterius geſta ſunt, & eſt vtraque figura in diuinis literis valde frequens. Poſt autem hominis formationē ideo mentionem fecit Moſes de plantatione Paradiſi, vel vt manifeſtaret eum præcipue Dei gratia propter hominem

à Deo eſſe conditum, aut quo magis, continente, & continuata ſerie totam Paradiſi tergeret hiſtoriam.

D. Aug. Rupert. Toſtatus. Dicendum eſt ergo cum D.Auguſt. lib.8.in Gen.cap.3.Ruperto libro 2.de operibus Trinit.c.25.& Toſtato in 13. cap.Gen.q.129.quòd fuit à Deo conſtitus Paradiſus tertia die; qua die iuſſa eſt terra omnia herbarum, & ſtirpium genera proferre,& licet res omnes ſint à Deo conditæ, ſingulariter tamen dicitur Deus Paradiſum plantaſſe, quia is locus præter cætera omnia terræ loca, eximiæ fuit pulchritudinis, & incredibilis amenitatis; nã quæ ſunt præſtantiſſima,& in aliquo genere excellentia, ea ſolet ſcriptura Dei appellatione inſignire,quemadmodum igitur ſingulariter tribuitur Deo formatio hominis, propter eius dignitatem ita, & Paradiſi effectio, propter incomparabilẽ eius loci præſtantiam,& iocunditatem. Rationabiliter vero dictum eſt Deũ plantaſſe Paradiſum à Principio, ſcilicet in die 3.vt occurratur dubitationi, quam poſſet quis concipere,vbi homo ſtatim fuit, vt formatus eſt: quia cum de Paradiſi Plantatione nõ fuerit facta mentio, vſque poſt hominis formationem, poſſet aliquis opinari, quod Paradiſus aliquãto tempore poſt formatum hominem fuiſſet conditus: atq; adeo hominem aliquandiu extra Paradiſum manſiſſe: Quandoquidem nondum eſſet Paradiſus, & confirmatur: quia cum homo, non ſit formatus in Paradiſo, ſed foris, & in Paradiſum adductus, neſciretur, quando factus fuiſſet Paradiſus, & poſſet credi, quod multo tempore poſt hominis plaſmationem eſſet conditus; quod non contingeret,ſi homo intra Paradiſum formatus fuiſſet: quoniam tunc præexiſteret Paradiſus;vt ergo nõ exiſtimetur multo tempore poſt hominẽ Paradiſus plãtatus, dicitur quod plantauerat eum à principio ſcilicet quando creauit alias res,quæ fuerunt ante hominem,& hoc fuit in die 3.quando omnes arbores,& plantæ habuerunt eſſendi principium:

Quæritur nono. Cur Deus Paradiſum plantauit. Reſpondet Rupertus lib.2.de operibus Trinit.cap.26.& Toſtatus vbi ſupra q.125.& q.139. quòd Paradiſus fuit plantatus,vt homo eum inhabitaret, ibiq; viueret. Quod vtiq; decebat ſecundum Dei excellentiam. Deus enim perfectiſſimum agẽs eſt,& omnia opera eius perfecta ſunt, atque adeo in ſingulis rerum generibus aliquod optimum fecit, quo nihil melius ſecundum naturam in illo genere poſſe fieri videretur. At fecerat Deus terræ elementum,in quo multa terrę naſcentia,diuerſarum perfectionum condiderat, atque adeo voluit in eo genere aliquod optimum condere,ſcilicet portionum terræ,& terræ naſcentium, & locorum quo ad omnes iſtorum qualitates, & fecit Paradiſum. *Quęſt.9. Rupert. Toſtatus. Paradiſus cur ſit à Deo plã tatus.*

Secundo hoc conueniebat,ex hominis conditione, quem Deus ibi ponere volebat; Creauerat enim Deus hominem,& beſtias,beſtias quidem infra hominis dignitatem, quibus hanc terram poſſidendã dederat; hominẽ vero fecerat diuinæ cognitionis participem, ac per hoc eiuſdem diuinæ dignitatis; atq; adeo ſicut natura erat ſublimior, ita in loco excellentiori morari debebat. Præterquam quod erat homo ſicut Rex ſuper ea, quæ Deus creauerat: nam præfecerat Deus hominem omnibus rebus à ſe creatis,tamquã ſuę naturę participem,cum dixit faciamus hominẽ, &c.at Rex in ſuo Regno habitationem longe illuſtriorẽ habet ſuorum ſubditorum habitationibus, atque ita debuit dari homini aliquis locus longe excellentior terra iſta,in qua beſtiæ manſuræ erant, & iſte erat locus Paradiſi.

Tertio conueniebat, ex vitæ conditione,quam homo acturus erat: nam beſtiæ vitam mortalem agerent, etiam ſi homo non peccaſſet, cum ſint beatitudinis incapaces, vt homo ſi voluiſſet vitam felicem ducere potuiſſet cum ſit felicitatis capax; ad felicitatem autem exigitur præſentia bono-

rum

Digitized by Google

rum omnium,& omnium malorũ abſentia,quæ contriſtare poſſunt,ergo aliquis locus dari oportebat,in quo homini viuenti in corpore, omne bonum adeſſet, atque ab eo omne abeſſet malum,Talis autem eſt Paradiſus,& nullus alius locus in terra hęc habens reperitur,atque adeo creari debuit Paradiſus.

Damaſ. Omnes iſtas cauſas fere tetigit Damaſ.lib.2.de fide c.11.his verbis. Quia vero ex viſibili, & inuiſibili creatura, conditurus erat Deus hominem,ſecundum ſuam imaginẽ, & ſimilitudinem, ſicut quemdam Regem, & Principem omnis terræ, & omnium, quæ ſunt in ipſa; Conſtruxit ante quamdam regionem,in qua conuerſatus, beatam duceret vitam, & hic locus diuinus eſt Paradiſus Dei manibus in Eden ideſt in delicijs,& voluptate plãtatus; in Oriente quidem omni terra excelſior, penitus temperato, & tenuiſſimo aere, circunfulgens; plantis ſemper floridis comatus,bono odore plenus, lumine repletus,pulchritudinis vniuerſæ gaudij, & exultationis promptuarium; creaturæ ſenſibilis excedens intelligentiam, diuina regio,& digna ei qui ſecundum Dei imaginem erat; in qua nihil irrationalium habitabat,ſed ſolus homo diuinarum manuum plaſma.

D. Aug. Vltimam rationem tangit D. Aug. lib.14.de Ciuit.Dei cap.decimo, dicẽs. Quid timere,aut dolere poterãt in tantorum tanta affluentia bonorum? vbi non aberat quicquam quod bona volũtas nõ adipiſceretur; nec inerat quod carnem, vel animam hominis feliciter viuentis offenderet, vel in aliquo moleſtaret.

Verum quonam conſilio Deus Paradiſum tanta magnificentia condidit, cum homini per exiguo vſui eſſet futurus? Theodoretus.q.24.in Gen.Beda. Hugo de S.Victore,Rabanus, & Strabus, in comẽt.ſuper Gen.& D.Tho. 1.par.q.102.artic.2.ad 3.& 2.2.q.164. art.2.ad 4. hanc difficultatẽ diſſoluentes dicunt,ꝙ Deus non tractat hominẽ

Theodo. Beda. Hugo Rabanus Strabus. D. Tho.

Deus cur Paradiſum cõdidit, à quo homo ſtatim erat propter peccatũ expellendus.

ex præſcientia futurorũ,hoc eſt,ſecundum ea,quæ aliquãdo facturus eſt homo,ſed ſecundum præſentem eius ſtatum. Quamuis igitur ſciret Deus hominem peccaturum, tamẽ quia ille ſtatus Innocẽtiæ,in quo illum creauerat, poſcebat locum habitationis eius eſſe ſingularem, & eximiæ pulchritudinis, & amenitatis,iccircò conſentaneum fuit, facere Paradiſum feliciſſimo ſtatui hominis reſpondentem.

Secundo quia fuit homini maximæ vtilitatis:nam recordatio tam amenæ, & beatę habitationis amiſſæ, ingentem cõmiſſi ſceleris cõmouebat dolorem.

Tertio vt eſſet in terris aliquid corporatũ,& viſibile, quod incomparabilem cœleſtis Paradiſi pulchritudinem adumbraret, vt aliqua ex parte æſtimarentur æterna bona diligentibus Deum in cœlis præparata.

Quarto vt homo in ſtatu Innocẽtiæ vitã ageret in terris tranquilliſſimã,& iocundiſſimam,vt diximus ſupr.5.Non quia breui tempore Adam in Paradiſo moraturus erat propter ea non debuit in eo collocari: nã & Lucifer Princeps malorum Angelorũ in cœlo Empyrco creatus fuit ex eo mox eijciẽdus. Quin etiam Adamo tribuit Deus iuſtitiã Originalem & poteſtatem non peccãdi, & moriendi, quam tamẽ breuiſſimo poſt tempore erat amiſſurus,nõ enim Deus quod futurũ ſit, ſed quid poſtulet præſens rei ſtatus,ſpectat, & æſtimat. Poſtremo hoc fecit propter habitationem Henoch,& Eliæ. Prouiderat enim ſibi Deus iſtos duos viros,quos de diuerſis ſeculis eligere volebat reſeruandos in fine ſeculi,vt hominibus darent ſapientiam, quos lõgiſſimam vitã agere oportebat, non tamen in Paradiſo cœleſti, cum adhuc vitam mortalem agant.Ad hoc igitur effici debebat quidã locus, in quo mortales adhuc exiſtẽtes in longiſſimũ æuũ procederẽt,nullis ſenectutis incõmodis affecti. Nullus aũt talis potuit eſſe, qui haberet conditiones, quas habere dicit Paradiſus, atq; adeo ob hoc ſaltẽ plantari debuit Paradiſus.

Digitized by Google

Quæſt. 10. Quæritur decimo. An adhuc ſit Paradiſus terreſtris in rerũ natura. *Cornel. Ianſen.* Cornelius Ianſenius, cap.44. Concordię Euangelicæ exiſtimat terreſtrem Paradiſum generali Diluuio deſtructum, hoc tempore nullum eſſe, quam ſententiam *Pererius.* defendit Pererius lib.3. in Gen. quæſt. 5. de Paradiſo. *Paradiſus Terreſtris an adhuc exiſtat.* Cuius ſententiæ fundamenta hęc eſſe poſſunt, primo quia, cũ notũ ſit ex deſcriptione Moſis locus, in quo fuit Paradiſus, puta ad Orientalem plagam, circa Armeniam, Meſopotamiam, & Aſſyriam, in quibus ſunt illa Paradiſi flumina, nullus tamen hominũ perhibetur ſaltẽ poſt Diluuium perueniſſe ad illud Paradiſum.

Secundo, quia notæ ſunt origines illorum Fluuiorum, qui Gen.2. dicuntur oriri ex Paradiſo, vt patet etiam ex Phyloſopho lib.1. Meteororum, capit. penultimo, & vltimo.

Tertiò, quia maxime aſſerendũ eſſet ſupereſſe nunc etiam Paradiſum, propter illud quod ſcribitur Eccleſiaſtici 44. Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam, at hoc non conuincit. Tũ quia in gręca editione non eſt illud in Paradiſum, tum quia neq; in vuulgata latina explicatur qualiſnam ſit ille Paradiſus, in quẽ Henoch ſit trãslatus, potuit enim eſſe aliquis alius locus amenus.

Quarto, quia Gen.7. in deſcriptione Diluuij Noetici ſic legimus. Aquę præualuerũt nimis ſuper terram, opertiq; ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cœlo, quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat. Fuit igitur etiã obrutus, & deſtructus illis aquis Paradiſus, maxime cũ inundatio illarum ſuper terrã multos menſes durauerit.

Iuſtinus. Martyr. Ceterum oppoſitam ſententiam docent in primis Iuſtinus Martyr in reſpõſione ad Orthodoxum, q.75.76.& 85. vbi docet Paradiſum nũc extare, & *Ireneus.* permãſurum vſq; ad diem Iudicij. Irenæus lib.5. aduerſus hęreſes. *Tertull.* Tertull. in appologetico, & in extremo ſuo lib. de *Euthym.* anima, vbi agit de inferis. Euthymius in Lucam cap.23. *Iſidorus.* Iſidorus in lib. de vita, & obitu Patriarcharum, & *Magiſt. ſent.* Magiſter ſent. in 2.d.17. cũ omnibus Scholaſticis.

Dicendum eſt ergo, quòd Paradiſus adhuc perſeuerat in terra, nec perijt aquis Diluuij, hanc ſententiã docet apertiſſimis verbis D. Aug. lib. 2. contra Pelagium, & Cœleſtium, c.23. Vbi inquit. Sunt nõnullæ quęſtiones, in quibus ſalua fide, qua Chriſtiani ſumus, aut ignoratur, quid verũ ſit, & ſententia definitiua ſuſpẽditur, aut aliter, quã eſt humana, & infirma ſuſpicione cõijcitur, veluti cũ quæritur qualis, vel vbi ſit Paradiſus, vbi conſtituit Deus hominẽ, quem formauit ex puluere, cũ tamẽ eſſe illum Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet. Nec valet Perer.j reſpõſio *Pererius.* dicentis Aug. iſtis verbis non aliud ſignificare voluiſſe: niſi Paradiſum eſſe locum corporeum, & non ſpiritualiter, & miſtice eſſe accipiendum, vt Origeni, & alijs placuit, non valet inquã hęc reſponſio. Quoniam non dicit Auguſt. dubium eſſe de Paradiſi exiſtentia, verum de loco, ſcilicet in qua mundi parte exiſtat, & qualitate; an ſcilicet corporalis, vel ſpiritualis exiſtimandus ſit, adeo quòd fides Chriſtiana non dubitat Paradiſum exiſtere; ſed ſuppoſita Paradiſi exiſtentia, quærit in qua parte mundi ſit plantatus, & an corporalis, vel ſpiritualis ſit. Videtur ergo eo loci Auguſt. non tantum de quidditate Paradiſi; ſed in primis de illius exiſtentia loqui: atque indicat ſic ſe habuiſſe pro certo Paradiſum alicubi exiſtere, ſicut habuit, pro re incerta, vbi nã exiſtat, idest, in quo nam loco determinate; atque id ſimpliciter videtur etiã pro certo ponere lib.12. ſuper Gen. ad lit. c. 1. Cum quęrit, An Paulus poſtquã raptus eſt in tertium cœlum, raptus ſit etiam in Paradiſum, vbicumq; inquit ſit Paradiſus. Nec nunc diſputo, quam rectè, aut ſecus Auguſt. ſibi perſuaſerit certũ eſſe extare Paradiſum, ſed videri certum, Auguſt. putaſſe certã eſſe eius rei traditionem, id, quod in tali quæſtione non eſt nihil.

Et

Digitized by Google

Et confirmatur Cõcluſio: Primo Eccleſ.44. Henoch placuit Deo, & Tranſlatus eſt in Paradiſum, quæ authoritas quanti ſit ponderis videbimus q; vlt. de Paradiſo.

Secundo, quoniam locus Paradiſi non fuit corruptus peccatis, propter quę venerat Diluuium ſuper terram, ergo non debuit perire Diluuio.

Tertio, quoniam Gen.3. dicitur, ꝙ poſuit Deus Cherubin ad cuſtodiendã viam ligni vitę, ergo ſignum eſt, quod perſeuerat ſemper. Hanc ſententiam Sixtus Senen. lib.5. annot. ann.36. adeo certam exiſtimat, vt affirmet oppoſitã ſententiam cõi omniũ Sanctorum conſenſui aduerſari. Nec eſt difficile ad fundamenta oppoſitę ſnię reſpõdere. *Sixtus Senen.*

Ad primum dico multis de cauſis potuiſſe accidere, vt ille locus Paradiſi à nemine mortalium fuerit cognitus.

Primo, & maximè per Dei quãdam peculiarem prouidentiam, & miniſterium eorũ Angelorũ, qui ad cuſtodiã Paradiſi deſtinati fuerunt, qui varijs modis, & ſuggeſtionibus, potuerũt hominum mentes ab itineribus, quæ ad eum locum ducerẽt, auertere, præſertim accedente ẽt ad id inſtinctu Dei obrõnes, quibus illius ſapientię viſum eſt cauere, ne vllus hominũ adeat eũ locũ.

Secundo, quia veriſimile eſt, locum illum ſingulari aliqua aſperitate, & difficultate viarũ eſſe intercluſum, vt dicit D.Thom.1.p.q.102.art.1. ad tertiũ quamuis non ita, vt plane ſit inacceſſibilis, tunc .n. nõ fuiſſet opus cuſtodia Angelorũ ad arcendũ inde homines. *D.Tho.*

Tertio, quia nulli ſunt, qui illum locum quærant, cum alij minime credãt eum extare, alij ſibi perſuadeant eũ eſſe inacceſſibilem propter cuſtodiã Angelorum, & Dei volũtatem, qui nolit, vt ad eum locum pateat aditus. Nec obſtat, quod ſit nota regio, circa quam ſcribitur fuiſſe Paradiſus: nam nõ ita certo, & determinate nota eſt ea regio, vt neceſſe ſit conſtare de ipſo loco Paradiſi: maximè cum ſint circa illas regiones magna loca deſerta in Arabia, vt magis infra explicabimus.

Ad ſecundũ reſpondeo cũ D. Aug. lib.8. ſuper Gen. ad lit. c.7. flumina illa Paradiſi, quorũ fontes, (vt Aug. ait) noti eſſe dicũtur, alicubi eſſe ſub terra, & poſt tractus prolixarum regionum locis alijs erumpere, vbi tamẽ in ſuis fontibus nota eſſe perhibentur. Nã hoc ſolere nõnullas aquas facere, quis ignorat? Sic Aug. Qui paulo ante de illis ijſdẽ fluminibus ita ſcribit. Duobus eorũ nomina vetuſtas mutauit, ſicut Tyberis dr̃ fluuius, qui prius Albula vocabatur Geon quippe ipſe eſt, qui nunc dicitur Nilus. Phyſon autem ille dicebatur, quem nunc Gangem appellant, Duo vero cetera Tygris, & Eufrates antiqua etiam nomina tenuerunt. *D. Aug.*

Ad tertiũ dico, quãuis non ſit plane certum Henoch, & Eliam in illo Paradiſo verſari, eſse tamen id credibile ꝓp communiorem ſanctorum opinionẽ, qui ita ſentiunt, vt magis infra explicabitur, & vt maximè id non eſſet verum, tamen non ideo oportet falſum eſſe, quod Paradiſus ille nunc exiſtat.

Ad quartũ dico. Primo Paradiſũ altitudine ſua pertingere nõ dico ipſũ orbẽ Lunæ, ſed primã ſupremę regionis aeris partẽ, atq; adeo fuiſse ita ſublimen, vt eo nõ peruenerint aquę Diluuij.

Scdo dico aquas fuiſse miraculoſe detentas, ne illũ locũ opprimerẽt, quippe qui nõ fuit peccatis corruptus, propter quę aquæ Diluuij inundauerunt.

Dico tertio, Paradiſum fuiſse ſub aquis abſq; corruptione diuinitus ſeruatum, vel certè poſtea ſtatim extraordinario miraculoſo modo reſtitutum. Et quid eſset mali ſi diceretur, locum illum Paradiſi, vt & alia omnia terræ loca fuiſse obrutum aquis Diluuij, atque etiam illius venuſtatẽ, & amenitatẽ deſtructã, & deletam diuturna illa inundatione, ſed poſtmodum tamen recuperaſse naturaliter, (magna ſaltem ex parte) venuſtatem ſuam, exiſtentem ex vbertate, & diſpoſitione arborum, & plantarum, ac ipſo ſitu loci? idq; tum efficacia virtutis ſeminalis ad

repul-

repullulandũ, quę mãſit in radicibus, & natura terræ illius loci, tum efficacitate Solis, & aliarum ſuperiorum cau arum naturalium. Nam etſi alia loca ne norosa terrę ſimiliter per illam eluuionem marcuerunt, & destructa ſunt, nec tamen ideo poſtmodum, nulla, & nuſquam fuerunt, ſed ſuum ſtatum, & decorem aliqua ſaltem ex parte, per inſitam ipſis virtutem ſeminalem, & actionem Solis recuperauerũt: ita de Paradiſo dici poſſet.

Queſt.11. *Strabus* *Beda.* Quæritur vndecimo. Quare ignoratur locus Paradiſi. Strabus, & Beda dixerunt ex hoc prouenire, quia locus Paradiſi eſt ab hominum habitatione valde diſtans, atque adeo illuc peruenire non poſſunt, quam ſententiam *Raban.* docuit etiam Rabanus Strabi Magiſter, vt vidimus ſupra. *Pelbart.* Pelbartus lib. 2. Roſarij Theologici in verbo Paradiſus. §. 8. refert aliquos exiſtimaſſe hoc *Paradiſi locus quare ignoratur.* prouenire propter multas illuc adeũdi difficultates; intercedunt enim deſerta inacceſſibilia, montes excelſi, ſerpentes, & diuerſa genera beſtiarum; ita vt illuc accedens homo peruenire non poſſit. Nam verſus Aequinoctiũ, *Albertus Magnus* vt tradit Albertus Magnus in lib. de locis, ſunt montes pleni magnetibus homines attrahentibus, ſicut in noſtris partibus magnes attrahit Ferrum: & dicit quòd in hoc tractu homines ridendo moriuntur. Tum quia eſt via per tropicos, qui nimis in calore abundant, vt dictũ eſt, & in Diluuijs arenarum ſicut expertum fuit ſub Cambiſe Rege Perſarum cuius totus exercitus miſſus contra Hamonem inundatione puluerum ſummerſus eſt.

D.Tho. Alij dicunt, vt refert D.Tho. lib. 2. ſentent. diſt. 17. art. vltimo, quòd locus Paradiſi eſt acceſſibilis: ſed homines illuc nunquam accedunt, quia & locũ neſciunt, & viam ignorant. Et cum multa deſerta ſint media inter locum illum, & habitationem noſtram, non inquirunt, atque ita nõ perueniunt illuc; & ratio non inquirendi eſt locorum difficultas propter medias ſolitudines, etiam ſi nullum aliud incõmodum eſſet.

Alij vero tollunt omnes difficultates, aſſerentes locum Paradiſi cognitũ eſſe, & populos non longe inde habitare, ſed illuc peruenire non poſſe propter fragorem caſuum aquarum. Ita *D. Baſil.* ſcribit D. Baſilius in Hexam. Paradiſus eſt in Oriente in altiſſimo monte, de cuius cacumine cadentes aquæ maximum lacum faciunt, & in caſu ſuo tãtum ſtrepitum, & fragorem, quòd omnes incolę iuxta prędictum locum, naſcuntur ſurdi ex immoderato ſonitu, ſeu fragore ſenſum in paruulis auditus corrumpente. Similia his ſcribit *D. Amb.* Amboſ. in Hexam. Hęc opinio an vera ſit nobis non conſtat, niſi quantum fidei ſcriptorum tribuimus. Non videtur tamen veriſimile homines velle ibi habitare, vbi omnes ſurdi efficiuntur; tamen ſacrę Scripturę hęc opinio non aduerſatur, quę prępſupponit perueniri poſſe ad Paradiſum, ſed non intrare propter Cherubin cũ gladio flãmeo, atque verſatili, qui cuſtodit viam ligni vitæ.

Toſtat. Sed quicquid horum teneatur, hoc ſaltem conſtat, vt inquit Toſt. vbi ſup. q. 93. vſque ad 98. quod locus Paradiſi determinate eſt nobis ignotus; quia nemo noſtrum illuc peruenit; neque de eo alia habetur cognitio, quã eam, quę tradit ſcriptura Sacra; & hoc maximè de interioribus; nam etſi aliquis vſque ad Paradiſum venire poſſet, intrare tamen non poſſet, atque ita neſciret quid eſſet interius.

Poſſet etiam dici, quòd cauſa, quare inquiſitus, aut repertus non fuerit Paradiſus ea probabilis videtur: quia infideles, qui ſacræ ſcripturę non credunt, fabuloſa exiſtimantes, quæ de Paradiſo traduntur, eum locum inueſtigare non curant. At vero fideles diuinis literis fidem adhibentes, cũ ſciãt ad Paradiſi locum non patere acceſsũ; atque eius aditum homini à Deo eſſe interclusum omnem operam eum locum inueſtigãdi, non modo inanem; ſed

ſed etiam ſtultam, temerariam, atque impiam eſſe iudicatunt.

Pererius. Pererius ex eo Paradisũ dicit haud inueniri poſſe: quia Paradiſus ille Diluuio perierit, verum hęc Pererij opinio, non eſt admodum probabilis, vt ſupra oſtendimus.

Queſt.12. Quęritur duodecimo. Quid fuerit in Paradiſo, & non quærimus de fonte, arboribus, & herbis, ſed de animalibus. D. Damaſ. lib. 2. de fide, cap. 11. D. Tho. in 2. diſt. 17. art. vltimo, & Toſt. vbi ſupra q. 87. & 90. arbitrantur, quod ibi non erant animalia, ſaltem quadrupedia, & reptilia; patet: quia cognitionem de Paradiſo nõ habemus: niſi ex ſacra Scriptura; & tamen infra in hoc c. vbi ponitur tota narratio de Paradiſo, non habetur aliquid aliud, niſi de arboribus, & de aquis, ſcilicet, quòd eſſet ibi omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue, & quòd eſſet fluuius, qui egrediebatur ad irrigandũ Paradiſum, atque adeo non poſſumus aliquid aliud aſſerere. Deinde ſi fuiſſent ibi animalia, aut eſſent ad humanam oblectationem, aut ad neceſſitatem, non primum, quia animalia quadrupedia, ſerpentia, & huiuſmodi, deformarent potius pulchritudinem Paradiſi; nec erant propter cibi humani neceſſitatem: quia homo ibi nõ veſceretur carnibus. Et animalia, quę fuerunt adducta ad Adam, non erant in Paradiſo, ſed de foris adducta ſunt, qđ ex eo apparet: quia non fuerunt aliqua animalia creata in Paradiſo. Homo enim qui fuit dignior non fuit in Paradiſo creatus, ſed foris; à fortiori ergo animalia non fuerunt ibi creata. Fuerunt ergo animalia de foris creata, & poſtea adduxit ea Deus ad Adam, qui erat in Paradiſo, & forte tunc potuerunt aliqua ibi remanere, vſque ad cõſumatam hominis tentationem, ſicut patet de ſerpente, vt quòd ita conuenienter dici poteſt, iuxta iſtorũ Doctorum ſententiam, quòd antequam Adã peccaret, aliqua animalia erat in Paradiſo, quorum aliqua remanſerunt ibi, vſque ad expletam tẽtationem, poſtea vero, & ſi Adam nõ peccaſset nulla ibi fuiſſent animalia. Sed dubium eſt de Auibus, an fuerint ibi, vel eſsent ibi futurę. Toſtatus vbi ſupra q. 87. dicit ꝙ põt concedi, quòd eſſent ibi aues: quia volatilia nõ habent certam ſedem, ſed cum alicubi fuerint, inde auolant, atq; ita poſſunt alicubi eſſe, & ſubito inde longe diſtare, & hoc modo poterant aliunde in Paradiſum venire volatilia, & ſedere in arboribus Paradiſi, & inde auolare, ita vt earum certa ſedes nõ eſſet potius ibi, quàm alibi, & poterant prodeſſe aues ad cantum, quia quędã aues in cantu faciunt melodiam.

Damaſ. D. Tho. Toſt.

In Paradiſo an fuerint animalia irrationalia.

Toſtat.

Sed quid dicendum eſt de auibus, quę appellantur aues Paradiſi? dicit Pelbartus in ſecũdo verbo, Paradiſus, §. 14. quòd ſicut habetur in lib. de nat. rerum. Quędam aues ſunt, quæ vulgariter appellantur aues Paradiſi, quæ ſuper flumen Nili exeuntis de Paradiſo habitant libenter, nec alibi repeꝛiuntur niſi raro, magnitudo earũ eſt, vt anſerum, vox dulcis, & pia, vt in homine excitet deuotionem, & gaudiũ, ſi quando capiuntur nõ ceſſant gemere donec reddantur libertati. Sunt inquit, & alię aues in iiſdem partibus fuſci coloris, & ſubtiuli, minores quam monedulę, quæ vocãtur aues Paradiſi eodem modo, quia neſcitur vnde veniant, aut quo cadant, quæ certis temporibus aggregatę recedunt, nec vidẽtur earum coitus, & ob hanc cauſam dicuntur aues de Paradiſo, non quod de Paradiſo exeant, aut ibiq; maneãt; ſicut alię prioris generis, ſed ex eo aues de Paradiſo appellantur; quia inſignẽ habent pulchritudinem in tantum, vt nullus color eis deeſſe credatur.

Pelbart.

De piſcibus eodem modo dici põt, quòd eſſent in fluuio, qui irrigabat Paradiſum, & tamen de illis non diceretur abſolutè, quòd eſſent in Paradiſo: quia non erant in terra Paradiſi, ſed in flumine eius. Hæc de hac difficultate ab alijs prodita ſunt.

Cæterum ego credo, animalia fuiſſe

in

in Paradiſo toto illo tẽpore, quo Adã fuit in Paradiſo: nam hoc apertiſſime docet Ioſephus lib. 1. antiquitatum, & *Ioſephus* Baſilius hom. de Paradiſo, vbi ſcribit. *Baſilius.* In Paradiſo omnia erant auicularum genera, quæ & pulchritudine colorũ, & dulcedine concentus, incredibiliter oblectabant hominem. Erant illic variorum etiam animalium ſpectacula, ſed erant omnino manſueta, obedientia homini, inter ſe concorditer, & pacifice viuentia, quæ & audiebant inter ſe, & loquebantur ſenſate; Serpens autem non erat tunc horrendus; ſed mitis, & manſuetus, nec terribiliter in terræ ſuperficie veluti natãs reptabat, ſed ſublimis, & erectus pedibus inſiſtens *Damaſ.* ingrediebatur. Hoc etiã Damaſ. c. 10. docet, vbi ſic inquit, omnia animalia ante tranſgreſſionem homini ſubdita, & ad manum obedientia erant; quia omnium conſtituerat eum Dominus Principem, & Dominum. Serpens autem plus ceteris erat familiaris homini, frequenter ad ipſum accedens, & placitis moribus ei blãdiens. Quapropter per ipſum præcipuè Diabolus primis parentibus venenum inſtillauit. *D. Aug.* Demum D. Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 11. hoc confirmat his verbis. Diabolus male ſuaſa verſutia in hominis ſenſum ſerpere affectans, cui vtiq; ſtanti, quoniam ipſe ceciderat, inuidebat, colubrum in Paradiſo corporali, vbi cum duobus illis hominibus maſculo, & femina animalia etiã terreſtria, ſubdita, & innoxia verſabãtur, animal ſcilicet lubricũ, & tortuoſis anfractibus mobile, operi ſuo cõgruum per quem loqueretur elegit. Quod etſi Moſes, nuſquam hoc tradiderit, ſat eſt id eſſe conſequens, atq; congruens alijs à Moſe traditis; præterquam quod videtur id ſatis indicaſſe Moſes, cum dixit omnia animalia adducta eſſe ad Adamũ in Paradiſo verſantem; Fuerunt itaq; cum Adamo, & Eua cetera animalia, quæ tamen poſt peccatum vna cum Adamo è Paradiſo eiecta fuerunt.

Queſt. 13 Quæritur decimotertio. Quid modo ſit in Paradiſo: An ſcilicet in Paradiſo Terreſtri ſint Henoch, & Elia, D. *D. Aug.* Aug. lib. 2. contra Pelagium, & Celeſtium, cap. 23. enumerat hanc quęſtionem inter illas, in quibus ſalua fide, qua Chriſtiani ſumus, aut ignoratur quid verum ſit, & ſententia definitiua ſuſpẽditur, aut aliter, quàm eſt humana, & infirma ſuſpicione conijcitur, veluti cũ quęritur, vbi ſint nunc Elias, & Henoch, an alicubi, quos tamen non *Henoch, & Elia. an ſint in Paradiſo Terreſtri* dubitamus in quibus nati ſunt corporibus viuere.

D. Chriſoſtomus homil. 21. in Gen. ſcribit non eſſe curioſe ſcrutandum, & quærẽdum quem in locum Deus tranſtulerit Henoch: cum enim de hoc ſcriptura nihil dicat nimis, curioſum eſſet, *D. Chriſ.* id velle inueſtigare, & ſcire, Verba autem Chriſoſt. ſunt iſta. Si quis curioſus rogare velit, & dicere, & quo ipsũ trãſtulit? & num vſque ad præſens vixerit? dicat nõ conuenire humanis mentibus, curioſius ea, quæ à Deo ſunt explorare; ſed credere his, quę dicuntur; Enimuero Scriptura dixit, quod tranſtulit illum, & quod viuentem tranſtulit, nec mortẽ expertus ſit, ſed ob ſuũ, quem apud Deum habebat fauorẽ ſuperior factus ſit diuina ſententia, contra humanum genus prolata. Quo autẽ illum tranſtulerit, & quomodo nũc agat, hoc non adiecit. Similia docet Theodoretus, q. 45. in Gen. dicens ad quæſtionem, quem in locũ Deus tranſtulit Henoch. Non inquirenda ſunt, quę ſilentio ſunt tradita, ſed veneranda, quę ſcripta ſunt. Rupertus lib. 3. de *Rupertus* Trinit. cap. 33. apertè & conſtanter negat Henoch tranſlatum fuiſſe in Paradiſum, in quo fuit Adam, & hęc ſunt verba eius. Nuſquã Scriptura dat intelligi, quòd Henoch, & Eliam Deus tulerit in Paradiſum, vbi comederent de ligno vitę, & viuerent in æternum; ſed ita ſublati ſunt, vt in ſecretã quamdam regionem terræ ducerentur, vbi in magna carnis, & ſpiritus quiete viuerent, quouſque ad finem mundi redeant, & mortis debitum ſoluant.

Similia

D.Greg. Similia ferè de Elia ante ipſum Rupertum ſcripſit D.Greg.hom.29.in Euangelia dicens: In cœlum aereum Elias ſublatus eſt, vt in ſecretam quamdam terræ regionem repente duceretur, vbi in magna iam carnis, & ſpiritus quiete viueret, quouſque ad finem mundi redeat, & mortis debitū ſoluat; ille enim mortem distulit, non euaſit.

Auguſt. Chiſamē ſis. Auguſtinus Chiſamēſis Epiſcopus in annotationibus Pentatheuci aſſeuerat, quòd Henoch, & Elias non fuerūt translati in Paradiſum illū, de quo eiectus fuit Adam, quippe qui poſt Adami lapſum, cultura, & habitatione deſtitutus fuerit, & demum poſt Diluuiū prorſus euacuatus; Quem ſecuti ſunt *Cornel. Jāſenius Pererius.* Cornelius Ianſenius, c.44. Concordiæ Euangelicæ, & Pererius lib.3. in Gen. q.5.de Paradiſo, & lib.7. quęſtio.7. de Henoch.

Sixtus Senen. Verum Sixtus Senen.lib.5. annot.in Gen.annot.36. dicit poſitionem hanc, quę affirmat Henoch, & Eliam nō eſſe translatos in illum Paradiſum terreſtrem, ex quo fuit expulſus Adam, non ſolum ſanctis patribus, ſed etiam diuinis ſcripturis contradicere, quæ in lib. Eccleſ.inquit, Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, vt Dei gentibus pœnitentiam prędicaret. Ceterū nimis ſeuera eſt hęc Sixti Senen. cenſura: nam ex ea ſequitur Rupertum, Theodoretum, Gregorium, Auguſtinum, & Chriſoſt.qui vel id negauerūt, vel incōpertū eſſe dixerunt, vel ſalua fide, aut negari, aut affirmari tradiderūt, contra ſcripturam ſcripſiſſe, & ſenſiſſe.

Dicendum eſt ergo opinionem affirmantem Henoch, & Eliam in Paradiſo a quo fuit Adā expulſus morari, atque victuros vſque ad diem iudicij, nō eſſe adeo certam, vt oppoſitum affirmantes à fide, & à diuinis ſcripturis exorbitent; eſſe tamen oppoſitā ſententiā longè probabiliorem; Tum quia ſit communi conſenſu recepta; Tū quia Patres fere omnes, omneſque ſcholaſtici eam doceant: nam omnes patres qui Paradiſum nunc extare dicunt, ēt Henoch, & Eliā in eo viuere affirmāt; quibus aſſentiunt fere omnes Theologi Scholaſtici; atque eam docuiſſe videtur D.Aug.lib.de peccatorum meritis, & remiſſione, c.3. his verbis. *D. Aug.* Si enim Deus Iſraelitarum veſtimentis, & calceamentis pręſtitit quod per tot annos non ſint obtrita. Quid mirum ſi obedienti homini, eiuſdem potentia præſtaretur, vt animale, & mortale habēs corpus, haberet in eo quemdam ſtatū, quo ſine defectu eſſet annoſum tēpore, quo Deus vellet à mortalitate ad immortalitatem ſine media morte vēturus? Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali, atque mortali, etiā illis, qui ſine morte hinc translati ſunt, fuiſſe conceſſam. Neq; enim Henoch, & Elias per longam ętatem ſenectute marcuerunt; nec tamen credo eos iam in illam ſpiritualem qualitatem corporis commutatos, qualis in reſurrectione promittitur, quæ in domino prima pręceſſit: niſi quia iſti fortaſſe, nec ijs cibis egent, qui ſui conſumptione reficiunt, ſed ex quo translati ſunt ita viuunt, vt ſimilem habeant ſatietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias calice aquę, & ex colliride panis ſine cibo vixit, aut ſi his ſuſtentaculis opus eſt, ita fortaſſe in Paradiſo naſcuntur, ſicut Adam, priuſquam per peccatum inde ex ire meruiſſet. Habebat .n. quā tū exiſtimo, & de lignorū fructibus refectionē, contra defectionē, & de ligno vitę ſtabilitatē contra vetuſtatem. Atque hæc de Paradiſo dicta ſufficiunt.

De Lignis Paradiſi in communi, hoc eſt de Paradiſi ornatu.

In quo poſuit hominem, quem formauerat, produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue, lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, lignumque ſcientiæ boni, & mali.

MOx vt formatus fuit in 6. die, fuit poſitus in Paradiſo, in quo produxerat Dn̄s Deus de humo oē lignum

gnũ &c. In quibus verbis tres notantur arborũ differentiæ, q̃ ad Paradiſi orna tũ ſpectabant. Lignũ, ſcilicet quod fuit ad probationem obedientiæ, & hoc eſt lignum ſcientiæ boni, & mali. Lignum quod fuit ad ſuſtentationem vitæ per nutrimentum, & lignum ad immortalitatem vitæ, ſcilicet lignum vitę, quod erat in medio Paradiſi; poſſunt ergo ad litteram diſtingui, vt vnum reſpiceret ſuſtentationem corporis, alterum immortalitatẽ coniuncti; tertium ad probationem obedientiæ ex parte animæ. Circa quod.

Queſt. 1. Quæritur primo. An hæc productio facta ſit, cum dixit Deus: Germinet terra herbam virentem, & lignum faciens fructum, & ſi ſic; ad quid ergo dicitur modo produxit Deus de humo, &c. Alex. de Ales, 2. p. q. 58. m. 3. & Toſtat. in 13. cap. Gen. q. 141. dicunt, quòd tertia die facta fuit hæc lignorum Paradiſi productio; atque ita ea, quæ hic dicuntur, dicta ſunt per recapitulationem. In tertia enim die generaliter dictum eſt de omnium arborũ, & lignorum conditione, tam in terra extra Paradiſum, quã in Paradiſo, cum fuit dictum, quòd produxit terra ligna pomifera, & herbas. Nunc autem ſpecialiter de Paradiſo dictum eſt: erat enim ſacrę Scripturæ propoſitum nobis cognitionem Paradiſi pręſtare, & eorum, quæ in ipſo erant: atque ita cum Paradiſus ſit hortus, & præcipuum, quod eſt in hortis, ſint arbores, de arborum productione ſermo eſſe debebat. Tum quia homo in Paradiſo manſurus erat alendus, cum adhuc non haberet ſimpliciter vitam immortalem; cibus autem hominis in eo ſtatu non erat futurus caro, ſed arborum fructus; atque adeo, vt inſinuaret ſcriptura, quòd homo in Paradiſo, fructuum copiam haberet, dictum eſt, quòd produxit Dominus de humo omne lignum &c. Tum demum: quia ſcriptura intendit deſcribere Adę peccatum, & eius de Paradiſo excluſionẽ, fuit autem excluſus Adã de Paradiſo propter peccatum q̃d cõmiſit comedendo de fructu arboris. Ideo Moſes oſtendere debuit, quod in Paradiſo erant arbores, atque ita dixit, ꝙ produxit Deus arbores de humo. Et forte voluit etiam denotare Moſes, modum illum productionis, quo mediante humore naturali, Deus natura mediante ligna fructifera modo producit, vt per hoc cognoſcatur differentia illius productionis, quam fecit Deus tertia die cõdendo ligna fructifera de terra, & hoc videntur hæc duo verba innuere, terra, ſiue arida, & humus. Supra enim dictum eſt. Germinet terra herbam virentem &c. Hic verò dicitur produxit Deus de humo; humo enim ab humore dicitur, & notatur origo multiplicationis ſecundum modũ iſtũ ex humore, differenter tamen tunc, & modo. Nunc enim ſecundum prius, & poſterius ſiue ſucceſſiue creſcunt arbores; Tunc autẽ producebantur ſtatim Deo operante ad completam quãtitatem: nam ſupra deſignatur operatio diuina arbores non niſi de terra naturaliter producente.

Alex. de Ales. *Toſtat.*

Quæritur ſecundo. Cum herbę virentes ſint ad ornatum terræ, & in ſuſtentationem vitæ, ſicut habetur ſexto die, propter quid non ſit hic mentio de vtroque, ſed de altero illorum tantum, ſcilicet de ligno pomifero? Reſpondet Alex. vbi ſupra quod de herbis virẽtibus, licet ſint ad delectationem viſus, & guſtus, hic non fit mentio; quia intẽdit hic Moſes tangere illud genus rei in cuius differentia primo datũ fuit præceptum, & conſequenter fuit facta tranſgreſſio. Vnde primo ponit differentias ligni, & vnde potuit eſſe ratio multiplicationis, ſcilicet ex fluuio Paradiſi. Deinde ad quid fuit homo collocatus in Paradiſo reſpiciens prædicta ligna, præceptum affirmatiuum reſpiciebat lignum ad eſum, & lignum vitę, præceptũ vero negatiuum lignũ ſcientiæ boni, & mali; Vnde cum ſupra cõceſſerit ad eſum, tam herbas virentes, quam fructus lignorũ, hic additur conſequenter præceptum circa fructus ligni, Queſt. 2.

Alex. de Ales.

gni,

gni, in quo innuitur, quòd magis aptabatur in cibũ hominis à principio fructus ligni, quàm ipſę herbę: quæ magis in cibum animanium irrationaliũ fuerant ordinatæ.

Quęſt. 3. Quæritur tertio. Cum fructus non tantum ſit delectabilis, quo ad viſum, vel guſtum, ſed etiam quoad olfatum, quare non fecit mentionẽ de delectatione, quæ ab olfatu percipi poterat? Reſpondit Alex. de Ales, vbi ſupra, ꝙ de delectabili ſecundum duplicem ſenſum ſit hic mentio, ſcilicet ſecundũ viſum, & guſtum. *Alex. de Ales.* Viſus enim apprehendit de longe, & diſcernit delectabile in nutrimento; Guſtus autem de prope, ſiue per immediationem; olfatus autẽ eſt quaſi conſimilium differentiarum cum guſtu, vel ad præſignãdum, quòd homo non tantũ vigere debebat in olfatu, quàm in alijs ſenſibus: Tactus autem licet oſtendat differentias rei nutribilis, non fuit hic enumeratus: quia ſufficiebat guſtus, qui eſt quidã tactus, vt dicit Philoſophus 2. de anima, text. 94. & deinceps.

Quęſt. 4. Quæritur quarto. Quare dicitur, quòd produxit omne lignum pulchrũ viſu &c. nam ſufficere videbatur, quòd produxit Deus ligna pulchra viſu, vel multa ligna pulchra viſu. Reſpondetur, quòd fuit primo ad oſtendendum ſpecialem Paradiſi laudem; Nam ſicut ad Paradiſi laudem ſpectabat, ꝙ in eo eſſent ligna pulchra viſu, & ad veſcendum ſuauia, ita eius ſpecialis, & propria laus exigebat, vt in eo eſſent omnia ligna pulchra viſu. Secundo, quia hoc cõgruebat homini in Paradiſo exiſtenti. Acturus enim erat in eo vitam felicẽ, ſi non peccaſſet, vt dicit Damaſ. ad cuius felicitatem requirebatur, vt nihil exoptaret homo, quòd non haberet, & nihil adeſſet, quòd eum contriſtaret. Talem ſtatum habuiſſe hominem in Paradiſo docet D. Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei, c. 10. *D. Aug.* Ceterum ſi non eſſet ibi omne pulchrum potuiſſet homo optare aliquod pulchrũ, quod ibi defuiſſet. Similiter ſi non fuiſſet ibi omne ſuaue ad veſcendum, potuiſſet homo aliquod ſuaue appetere, quod ibi deeſſet, Ergo vt nihil deeſſet eius, qđ homo poſſet appetere, debuit ibi eſſe omne lignũ pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue. Tertio, quia ex hoc cognoſcitur grauitas peccati Adæ, & leuitas diuini mandati; ſi enim in Paradiſo non fuiſſet, niſi vnum lignũ pulchrũ, & ſuaue, & de illo vetuiſſet Deus hominibus manducare, valde durum videretur mandatum ad ſeruandum, & hominis peccatum leue, & paruum. Nam fuiſſet illi graue ſe abſtinere ab illo ligno, cum nullũ aliud haberet pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue. Verum cum dicit Moſes, quòd erat ibi omne lignum pulchrum viſu &c. Inſinuatur leuitas diuini mandati: quoniã etſi vetuerit de illo manducare, erant tamen multa alia ligna, pulchra, & ſuauia, de quibus homo cõmedere potuiſſet, atque adeo non erat eis durum ab illo duntaxat abſtinere, patet etiam grauitas peccati hominis, qui cum multa alia haberet, quibus iuſte veſci potuiſſet; de illo, quod Deus vetuerat, voluit iniuſte comedere.

Quęſt. 5. Quæritur quinto. Quare dictum eſt prius, Pulchrum viſu, quàm ſuaue ad veſcendum: nam videtur quòd potius è contrario dici debuiſſet, cum arbores potius ſint ad fructus, qui ſumũtur in cibum, quam ad pulchritudinẽ. Reſpondetur, quòd in hoc non differt, quid prępoñatur, aut poſtponatur, neque ſcriptura id intendit, ſed ſolum, vt veritatem rerum appeiat. Secundo dicitur quòd conſulto hoc factum eſt: nã etſi principaliter arborum fructus proſint ad guſtũ, quàm ad viſum oblectandum, communius tamẽ eſt, quòd viſum delectent, quàm guſtum, atque adeo poſitum fuit primo pulchrum, viſu; quàm ad veſcendum ſuaue; Nam viſum delectare poſſunt omnes arbores, etiam non fructiferę, ad eſum autẽ ſolum fructiferę ſunt ſuaues; Item nõ eſt arbor ſuauis niſi in fructu, ceterum eſt pulchra viſu per totum. Tertio dici

dici poteſt, quòd ex hoc oſtenditur ordo tentationis in Eua: nam infra, c.3. Eua comedit: quia concupiuit, concupiuit autem: quia illecta fuit; allicere autem potuit eam arbor, & pulchritudine, & ſuauitate: at iſta duo hunc habuerunt ordinem in mouendo; quòd Mulier primo ſtimulata fuit à pulchritudine, & nō à ſuauitate: videbat .n. pulchritudinem, ſed non ſentiebat ſuauitatem. Si enim Eua prius de illo ligno manducaſſet, noſſet eius ſuauitatē, & tunc ſuauitas potuiſſet eam mouere ad edendum, ſed non nouerat quia alias non manducauerat, pulchritudo ergo fuit, quæ primo allexit Euam ad edendum, at quia pulchritudinem cognouit per viſum, ideo debuit proponi, quòd lignum erat pulchrum viſu, &c.

Queſt.6. Quæritur ſexto. Cum ligna Paradiſi haberent etiam alias excellentias: erant enim excelſa nimis, quod pertinet ad quamdam dignitatem lignorū: nam dicitur Ezechiel.31. Cedri nō fuerūt altiores illo in Paradiſo Dei, Abietes non adequauerunt ſumitatem eius &c. Quare ſcriptura non expreſſit niſi iſtas duas qualitates, ſcilicet quòd erāt pulchra viſu, & ad veſcendum ſuauia? Reſpondetur, quòd in Paradiſo erant quidem arbores valde excelſæ; ſed Moſes altitudinem illarum arborum non deſcripſit. Tum quia dicendo de pulchritudine ſubintelligebatur: nam dicitur lignum pulchrum viſu; quòd viſum delectat, inter cetera autem, quæ arborem pulchram reddunt, vnum eſt illius ce ſitudo, ideo in hoc quòd dictū eſt, quòd arbores in Paradiſo erant pulchre intelligitur etiam, quòd erant excelſę. Tum etiam: quia eſto quòd in pulchritudine non intelligeretur altitudo, ideo non dixit Moſes niſi de pulchritudine: quia eam ordinauit ad feminæ tentationem explicandā; quippe quę mouere poterat Euam ad deſiderandum fructum, reſpectu cuius nihil faciebat altitudo, ſed eſſet potius impedimentum acceptionis fructus. Cum ergo ſola ligni pulchritudo, & fructus ſuauitas eſſent incentiuum ad eſum fructus, de ſola pulchritudine, & ſuauitate Arborum & nihil de celſitudine dictum eſt.

Quæritur ſeptimo. Vtrum in Paradiſo erant ligna aliqua nō fructifera: quę ligna non pomifera appellamus. Pro huius difficultatis ſolutione obſeruandum eſt. Quod hęc verba Moſis, Produxit dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu &c. Quidā (vt refert Toſtatus in 13. cap. Gen. q. 145.) legunt coniunctē: quaſi Moſes ſignificet oēs Paradiſi arbores fuiſſe ſimul, & pulchras viſu, & ſuaues ad veſcēdum. Quare putant iſti arboribus infructiferis nullum fuiſſe in Paradiſo locum: nam infructuoſarum arborū nūc quidem humanę vitę fragili, caducę, multorumque indigēti, multiplex vſus eſt, ad calefaciendum corpus, coquendos cibos, fabricandum, & ad remedia, & medicinas morborum. In ſtatu vero innocentię nihil iſtis opus fuiſſet homini. Preterea Deus dixit Adamo, ex omni ligno Paradiſi comede; omnis igitur arbor Paradiſi fructifera erat, & vtilis homini ad veſcendum. Queſt.7. *Toſtatus.*

Ceterum hæc opinio ſtare non poteſt: Nam perſpicuis verbis docet Moſes in Paradiſo fuiſſe omnia genera arborum, Tam quæ ad oblectandū aſpectum, quam quę ad ſuauitatem cibi hominis pertinerent. Nam ſi aliter fuiſſet profectò, non fuiſſet in Paradiſo Ficus arbor minimè quidē pulchri aſpectus, ſuauiſſimi tamē fructus; nec ſummis hominum delicijs, quęque perſpicua voluptate, tam viſum, quàm odoratum hominis afficiūt, toſas dico, violas, & lilia, caruiſſe Paradiſum credendum eſt.

Dicendum eſt ergo in Paradiſo extitiſſe ligna, tam fructifera, quā infructifera. Nam dicitur hic produxiſſe Deum de humo in Paradiſo omne lignum pulchrum viſu, & tamen quędā ligna ſunt infructifera, quę magnā habent pulchritudinem, vt ſunt Abietes, & Cupreſſus, Vlmi, & huiuſmodi; quibus *In Paradiſo fuiſſent arbores infructuoſæ.*

bus carere non debebat Paradiſus: quę cum ad pulchritudinem ſpectēr, atque ornatum ſuperuacaneæ haud fuiſſent in Paradiſo.

2. Adiungit huic opinioni fidem, qd̄ eſt apud Ezechiel. c. 31. eo ſi quidem lo co inter arbores Paradiſi numerantur quędam cibo hominis alienę, & infructiferę, veluti Cedri, & Abietes: nec ſanè officit, illud à Deo dictum Adæ. Ex omni ligno Paradiſi comede; intelligendum enim eſt, ex omni ligno, ſcilicet ad comedēdum idoneo, quemadmodum illud dictum Pauli. 1. Thim 4. iubentis Chriſtianis omni creatura veſci cum gratiarum actione, quod haud dubiè intelligendum eſt quæ ad cibum hominis pertinent.

Lignum etiam vitæ in medio Paradiſi.

IN Hebręo legitur lignum vitarū. In quo duplex eſt hebraiſmus: nam & vitarū dictū eſt pro vitæ; & rurſus lignū vitæ conſuetudine linguę hebręæ, quę caret adiectiuis poſitum eſt pro lignum vitale, ſiue viuificum, quod .ſ. mirā haberet vim, atq; natur: m nō ſolum ad vitā hominis conſeruandā, ſed etiam perpetuandam, & velut quodā immortalitatis genere donandam, lignum quoque pro Arbore poſitū eſt.

Dr̄ autē lignum vitarū, tum quia lōgiſſimā vitam homini tribueret, adeo quod vna inſtar eſſet multarū vitarū, quas nūc hoīes agunt. Tum quia fructus illius arboris tres hominis vitas .ſ. vegetatiuā, ſenſitiuā, & intellectiuā integrè, & perfectè cōſeruabat. Tū tertio, quia nō vni tm̄ Adamo, ſed oībus eius poſteris, ſi ſtatus illæ innocentiæ ſtetiſſet, vitā illā immortalem ſuppeditaſſet. Ceterum quoniam hæc arbor vitæ multas habet quæſtiones ſcitu miras, & explicatu difficiles. Ideo moroſe atque enucleate explicandæ ſunt.

De Ligno vitæ.

Queſt. 1. *Arbro* QVæritur primo an arbor vitæ fuerit vera arbor naturalis, vel tantū miſtica, & allegorica. Qui Paradiſum *vitæ an fuerit vera arbor naturalis.* allegoricum faciunt, & non literalem, cōſequenter & Arbores Paradiſi, allegorice, & miſticè exponūt nō litteraliter. Verū quid intelligere oporteat per arborem illā vitę variè interpretantur.

Plato .n. vt plures aſſerūt cū legiſſet *Plato.* hoc in lib. Moſis, & nō poſſet intelligere, qd̄ aliqd̄ lignum eſſet vitale, arborē vitę appellauit hoīem, qui viuit, quaſi ſint alię arbores quę nō viuant .ſ. illę; quę nō perueniunt ad vitam r. tionalē.

Heſiodus, alijq; vetuſtiores Poetæ *Heſiod.* ad fabulas tranſtulerunt, dixeruntque Deorū cibū, & potū eſſe Nectar, atque Ambroſiā, quibus rebus, qui aleretur, eos non mō immortalem, ſed viridem perpetuo, & florentem ętatem agere.

Quidā expoſuerunt diuinā ſapientiā quippe Salomon Prou. 3. vocat eam lignum vitę ijs, qui apprehendunt eam. Alij Chriſtum Dnm̄: ipſe .n. dicitur panis vitę, fons vitę, & lignum vitę. Quidam vero cęleſtē felicitatē, de qua Ioā. in Apoc. 2. ait Vincenti dabo edere de ligno vitę, qd̄ eſt in Paradiſo Dei mei.

Aug. Eugub. in ſua Coſmopeia, per *D. Aug.* arborem vitæ ſimbolice ſignificatū eſſe putat immortalitatem, quam Deus velut præmium Adamo promiſerat, ſi præceptis eius obtemperaſſet.

Verū enimuero iſtę ſunt expoſitiones miſticę non literales, atq; adeo literalem non tollunt, ſed præſupponunt, & ea eſt, quod ſit aliquod verū, & corporale lignum, ideſt corporalis, & vera arbor in P. radiſo, quę vocetur arbor vitę: Nam neceſſe eſt accipi lignum vitę ſicut accipiuntur alia ligna: Dicitur autem hic, ꝙ produxit Deus de humo omne lignū pulchrum viſu &c. lignū etiam vitę in medio Paradiſi, vnde patet, quòd ſub eodem modo, & clauſula poſuit vtraque connumerando illa, quaſi eſſent res vnius generis; at priora erant vera ligna, & corporales arbores, quę de terra productę ſunt, ergo, & lignum vitæ erat verum lignum, & corporalis arbor, in terra plantata, & ex terra producta.

Subinde lignum vitæ eſt, de quo comedi poteſt, vt patet infra c.3. Ne forte mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ &c. ergo erat lignum corporale, & vera arbor fructus habens.

Præterea. Poſuit Deus cuſtodiam pro ligno vitæ, ne homo ſumeret de illo, ergo erat verè in loco Paradiſi aliqua arbor, cui fuit appoſita cuſtodia, ne homo ſumeret de illa contra voluntatem Dei.

Dicendum eſt ergo, quòd lignum vitæ erat verè quædam arbor in Paradiſo ſicut ceteræ arbores; quantum ad veritatem naturæ licet in virtute, & forte ſpecie differret, & hanc ſententiā docet affirmate D. Aug. lib. 8. in Gen. cap. 4. & lib. 13. de Ciuit. Dei capit. 21.

D. Aug. Referam autem verba D. Aug. in lib. de Ciuit. quo loco explicans verba Moſis de Paradiſo, & arbore vitæ, inquit. Nonnulli totum illum Paradiſum, vbi primi homines fuiſſe narrantur, ad intelligibilia referunt, tamquam viſibilia, & corporalia illa nō fuerint, ſed intelligibilium ſignificandorum cauſa, eo modo dicta, vel ſcripta ſint. Quaſi propterea non potuerit eſſe Paradiſus corporalis; quia poteſt etiam ſpiritualis intelligi; Tamquam ideo non fuerint duę mulieres, Agar, & Sarra, & ex illis duo filij Abrahę, vnus de ancilla, & alius de libera: quia duo teſtamenta in eis figurata dicit Apoſt. Nemo itaq; prohibet intelligi Paradiſum, vitā beatorum quatuor eius flumina, quatuor virtutes, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, atque Iuſtitiam, & ligna eius omnes vtiles diſciplinas & lignorum fructus mores ipſorum, & lignum vitæ ipſam bonorum omnium matrem ſapientiam, & lignum ſcientiæ boni, & mali tranſgreſſi mandati experimentum. Poſſunt hęc etiam in eccleſia intelligi, vt ea melius accipiamus, tāquam prophetica indicia præcedentia futurorum. Paradiſum enim ipſam eccleſiam, ſicut de illa legitur in Cant. Canticorum. Quatuor autē Paradiſi flumina, quatuor Euangelia; ligna fructifera ſanctos; fructus autem eorum, opera eorum. Lignum vitę ſanctum ſanctorum, vtique Chriſtum; lignum ſcientię boni, & mali; proprium voluntatis arbitrium; Nec, etſi qua alia commodius dici poſſunt de intelligendo ſpiritualiter Paradiſo, nemine prohibente dicantur, dum tamen, & illius hiſtorię veritas, fideliſſima rerum geſtarum narratione commendata credatur. Hæc Auguſtinus.

Quęritur ſecundo. An arbor vitę ſit eiuſdē ſpeciei, & ſimilis alicui noſtrarū arborum. Qui arbitrantur vim illam, & potentiam ſeruādi hominem ab interitu fuiſſe arboris vitæ naturalem, adeoque effectus ille preſeruandi hominem ab interitu, ex propria eius arboris natura eſſet prouenturus, dicere profecto debent, eam arborem, extra ordinem fuiſſe omnium aliarum arborum, nec cuiusquam earum naturā, & ſpecie ſimilem. Etenim diuerſa operatio, & effectus naturalis arguunt diuerſam vim, & potentiam efficientem, & diuerſa vis efficiens diuerſam arguit naturam. Cum igitur admirandus ille effectus arboris vitę in nulla ceterarum arborum adhuc viſus ſit, concluditur arborem vitę omnium aliarū arborum eſſe diſſimilem. *Queſt. 2. Arbor vitæ an ſit ſimilis alicui noſtra.*

Qui vero exiſtimant vim illā, & potentiam arboris vitę ſeruandi hominē ab interitu, & faciendi quodammodo immortalem fuiſſe ei ſupernaturalem, hoc eſt non ex natura eius profluentē, ſed extrinſece Dei munere ei conceſſam, dicere poſſunt eam aborē fuiſſe ſimilem aliarum. Potuit enim Deus effectū illum ſupernaturalem, per quālibet arborem, vel Ficum, vel Pyrum, vel Prunū operari; quoniam princeps cauſa efficiens, illum effectum operās, nō erat vel natura, vel aliqua proprietas naturalis illius arboris, ſed erat diuina poteſtas aſſiſtens arbori, vel per arborem ſic operans.

Quoniam ergo infra dicturi ſumus tamquam probabilius virtutem, & effectum illum arboris non fuiſſe naturalem,

talem, dicendum eſt nunc arborem illam non fuiſſe ſingularem, ſed eiuſdẽ ſpeciei cum aliqua noſtrarum arborũ.

Queſt. 3. Arbor vitæ an eſſet tantum vna. Toſtatus.

Queritur tertio. An arbor vitę eſſet vna tantũ, vel eſſent multę in vna ſpecie. Toſtatus in 13. c. Gen. q. 163. negat fuiſſe plures vna: Nã ſi fuiſſent inquit plures vna, vel illę fuiſſent intra Paradiſum, vel extra. Nõ extra Paradiſum, ſic enim potuiſſet homo poſt peccatũ de illa edens mortem effugere; Fruſtra igitur Deus tanta cuſtodia aditum Paradiſi præmuniſſet. Nec intra Paradiſum erant multę arbores vitę. Tum quoniam vbicumque Moſes loquitur de hac arbore vitę, ſemper eam vocat numero ſingulari, arborem vitę. Tum quia eã deſcribit fuiſſe in medio Paradiſi, q de multis arboribus verè dici nõ poteſt. Satis ẽt erat vna arbor vitę ad finem, pp quem erat inſtituta; hoc eſt nõ in cibum quotidianum hominis ad eũ alendũ, & nutriendũ, ſed inſtituta erat in modũ medicinę, ſeu cibi medicinalis, aduerſus naturales defectus, q proceſſu ętatis homini accidunt, & contra eorũ defectuũ terminũ, qui eſt mors: itaque fructus illius arboris bis, aut ter in anno ſatis fuiſſet homini cõmedere.

Pererius.

Pererius autem exiſtimat de facto vnã Deũ creaſſe in Paradiſo arborẽ vitæ: nam à Deo præſcio caſus, & lapſus Adę, quid opùs erat plures vna arbore vitę procreare? Verum ſi ſtatus ille feliciſſimus innocentiæ in omnibus Adæ poſteris perduraſſet, probabile futurũ exiſtimat, numeroſiſſimè multiplicato genere humano, multiplicatum quoq; iri arborem vitę: non .n. tantę hominũ multitudini vnica arbor, nec ad eſus quidem tantum medicinales ſatis eſſe potuiſſet, q̃ opinio mihi non diſplicet.

Queſt. 4. Aug. Eugub. Arbor vitæ cur ſic appellata.

Quæritur quarto. Cur arbor illa ſit appellata arbor vitę Aug. Eugub. in ſua Coſmopeia putat dictã eſſe arborẽ vitæ, non effectiuè, quod vitam faceret immortalẽ, ſed ſignificatiuè, quia ſymbolum eſset, & ſignum immortalitatis Adamo ſi legem Dei cuſtodiret propoſitę. Ita quod putat nihil fuiſse virtutis in hac arbore ad producẽdam diuturnam hominum vitam. Non negat autẽ Eugub. certam fuiſse arborem, ſed ſic à Deo vocatam dicit, vt intelligeret homo, perinde immortalitatẽ ſibi à Deo ſeruari; atque in ſerpente animali, ſerpẽs diabolus declaratus eſt ob ſymbolũ.

Verum Eugub. aduerſantur omnes ferè doctores, tam Greci, quàm Latini ſummo cõſenſu immortalitatẽ vitę effectum illius arboris futurum interpretantes, atque adeo explodenda, & cõtemnenda eſt huiuſmodi Eugub. ſententia; quippe quę non ſolum eſt, contra doctiſſimorum, & ſanctiſſimorum virorum cõem ſententiã, verum etiam contra ſcripturã ipſam inferius appertiſſimam. Nam eiecto Adam de Paradiſo prętigitur Cherub Cuſtos, ne forte illuc reuerteretur Adam, & ex ligno comederet, & viueret in ęternum. ex quo loco apertè Eugub. conuincitur.

Dicta eſt ergo arbor vitę; non q vitam daret non viuenti: non .n. dabat vitam niſi comedẽti, nec vocabatur arbor vitę, eo quòd hominis vitam foueret, & ſuſtineret: id .n. omnium bonorum, & ſalubrium ciborum commune eſt: neque quia multo longiorem vitã faceret ea, qua nunc viuunt homines; hoc .n. præſtiterunt homini ante diluuium herbę, & arbores etiam, quę extra Paradiſum erant, cum ante diluuiũ non eſset vſus carniũ, ſed cibus ex plantis ſolummodo caperetur, & tñ quoſdam hominum illorum vltra nongenteſimum annum vitam produxiſse legimus: quin etiã credibile eſt, fructus arborum, quæ erant in Paradiſo, vim habuiſse prorogandi vitam humanam forasse ad milleſimum & quingenteſimum annum, etiamſi homo in Paradiſo habitans fructũ arboris vitæ nõ comediſset. Cur ergo præcipuè arbor vitæ dicebatur? Toſt. in 13. cap. Gen. q. 175. cenſet ex eo dictam eſse arborem vitæ, quod fructus eius vim haberet ſeruandi hominem à morte in omne tempus, & faciendi eum immortalem. Tũ quia ob id Adam eiectus fuit è Para- *Toſtatus.*

diſo,& intercluſus fuit illi aditus ad arborem vitæ, ne videlicet eius fructū comedens viueret in æternum. Tū quia ſi Adam Dei præcepto paruiſſet, nunquam moriturus erat, at mortem ab homine fructus arboris vitæ propulſabat. Tum quia ſi arbor vitæ tribuebat homini vitam ſex, vel decem mille annorum, etiam in omne tempus tribuere potuiſſet.

Auctor Queſt. Cōfirmat hanc ſnīam Auctor Quæſtionum veteris,& noui teſtamenti ; is .n.q.19.ita ſcribit. Quam diu homo in creatoris lege durauit, dignus fuit edere de arbore vitæ, vt mori non poſſet: nec enim corpus tale erat,quod diſſolui impoſſibile videretur;ſed guſtus arboris vitę corruptionē corporis inhibebat. Denique etiam poſt peccatū potuit indiſſolubilis permanere,ſi modo permiſſum eſſet illi edere de arbore vitę: nam quo immortale corpus habebat, quod cibo ſuſtentabatur? immortales enim non egent cibo,neq; potu; cibus enim vires pręſtabat;vitę autem arbor medicinę modo corruptionem omnē prohibebat,ſic .n. homini erat quaſi inexpugnabilis murus. hæc ille. Similia ferè ſcribunt D. Aug. lib.13. de Ciuit. Dei cap.20.& 23. Chriſoſt.hom.13. in Gen.& Ruper.lib.3.de Trinit. cap.30. *D. Aug. D.Chriſ. Rupert.*

Scotus. Verum Scotus Doct. Sub in 2. diſt. 19. q. 1. longe diuerſam habet ſententiam: exiſtimat .n. arborem vitæ non habuiſſe vim conſeruandi vitam hominis infinito tpe, ſed vſque ad aliqđ definitum tempus,quo exacto translatus fuiſſet homo in vitam ſpiritualem, & omnino immortalem: potentia enim arboris illius finita erat, ergo effectus quoque finitus,nec ad infinitum tēpus efficax. Potuiſſet etiam Deus aliam arborem illa maioris poteſtatis, & præſtātioris creare, quare effectus eius longioris, & diuturnioris fuiſſet durationis:in eandem ſententiam inclinare videtur D.Thom.1.p.q.97.artic.4.& ibi Caiet.quæ ſententia;quia probabilior, tenenda eſt. *D. Tho. Caiet. & Duran. in 2.d.19*

Si autem quæratur,ſi eſus illius fructus arboris vitę,non ad infinitum,ſed ad finitum tempus, ſeruabat hominis vitam, quātum eſſet futurum illud tēpus: Reſpondet Pererius, quod produxiſſet vitam ad minimū ad octo,vel decem millia annorum. Nam hominis ſtatus ante peccatum inſtructior,& efficacior fuiſſet ad producendum hominis vitam, comparatione ſtatus hominis poſt peccatum ante Diluuium;quā fuit hic ſtatus comparatione eius ſtatus,in quo nunc eſt homo: quia vterq; hic ſtatus eſt hominis peccatoris habētis corpus infirmū, & mille malis obnoxium. Sed in ſtatu hominis ante Diluuium,vita fuit decuplo longior, quā eſt nunc: nā ferè nongentos annos excedebant, ergo in ſtatu innocentiæ vita hominis fuiſſet decuplo lōgior, quā fuerit ante Diluuium. Quod tamen intelligendum dicit, quantum ad efficaciam, & vim arboris vitę attinet, & vigorem naturæ humanæ in eo ſtatu: nam quam diu Deus hominem in terris vitā agere vellet, nec diuinari quidem poteſt. *Pererius.*

Queſt.5. Strabus. Quæritur quinto. An virtus ſeruandi hominem ab interitu, quā arbor vitæ habebat, fuerit ei naturalis, vel ſupernaturalis. Strabus in Gen. ſic ait. Lignum vitæ hanc naturaliter virtutem habebat, vt qui ex eius fructu comederet, perpetua ſoliditate veſtiretur,nulla infirmitate, & anxietate, vel ſenij laſſitudine fatigandus.

Hugo de S. Vict. Hugo de Sācto Victore in annotationibus in Gen.ita ſcribit lignum vitę habuit in ſe naturā, vt perpetuaret homini vitam, ſi competenter ederetur. Factus eſt enim homo, & mortalis, & immortalis, immortalis quidem; quia poterat non mori per cibi ſuſtentationem, quo egebat; mortalis autem quia perire poterat; per extrinſecam violentiam. Sed Deus omnipotens ita munierat eum intus, per lignum vitæ ſumptum in cibum, & extra per diuinam potentiam, vt poſſet non mori; Intus portam negligentię per rationem humanam; extra portam violentiæ *Arbor vitæ an habuerit vim naturalem ſeruandi hominē ab interitu.*

tiæ obſerans per diuinam cuſtodiam, vt niſi homo rõne abutens portam negligentię apperiret, nunquam per portam violẽtia aliquid et noxium intraret: ſed quia noluit ſibi cauere, vt ſeruaret portam ſibi commiſſam, merito Deus eius deſeruit cuſtodiam: eamdẽ

D. Tho. ſententiam tenuiſſe videtur D. Thom. in 2. diſt. 19. art. 2. q. 1. & art. 5. ad quartum licet oppoſitum docere videatur,

Marſil. eadem diſt. q. vnica, art. 4. Marſilius in 2. q. 12. artic. 3. par. 3. Toſtatus in 13. c.

Pererius. Gen. q. 155. & Pererius, lib. 3. in Gen. diſp. de arbore vitę. q. 4.

Ceterum oppoſitam ſententiam do-

D. Aug. cet D. Aug. lib. 8. de Gen. ad lit. c. 5. vbi ita ſcribit. Illud quoque addo, quamquam corporalem cibum talem, tamẽ illam arborem præſtitiſſe, quo corpus hominis ſanitate ſtabili firmaretur; nõ ſicut ex aliquo cibo, ſed nonnulla inſpiratione ſalubritatis occulta. Profecto enim licet vſitatus panis aliquid tamẽ amplius habuit, cuius vnam collyridẽ hominẽ Deus ab indigentia famis dierum quadraginta ſpatio vindicauit; an forte credere dubitamus per alicuius arboris cibum, cuiuſdam altioris ſignificationis gratiam homini Deum præſtitiſſe, ne corpus eius, vel infirmitate, vel ętate in deterius mutaretur, aut in occaſum etiam laberetur, qui ipſi cibo humano præſtitit tam mirabilem ſtatum, vt in fictilibus vaſculis farina, & oleum deficientes reficerent, ne deficerent? hoc loco Aug. duobus exemplis altero ſubcinericij panis Eliæ, altero farinæ, & olei illius viduę Eliſei, declarat vim illam arboris non videri incredibilem, & fuiſſe ſuper naturalem.

Idem docet lib. 11. cap. 40. inquiens. Alienatus fuit Adam à vita, non ſolũ, quam fuerat, ſi præceptum ſeruaſſet, cum Angelis accepturus, ſed ab illa etiam, quam ducebat in Paradiſo, felici quodam corporis ſtatu. Separari vtique debuit à ligno vitæ, ſiue quod ex illo ſubſiſteret felix ille ipſe ſtatus corporis ex re viſibili, virtute inuiſibili, ſiue quod in eo eſſet Sacramentum viſibile inuiſibilis ſapientiæ.

Et in lib. 13. de Ciuit. Dei, c. 20. hoc mõ ſcribit: Corpora primorũ parentũ ante pc̃tm̃, ſic erãt affecta, vt licet ſenio nõ inueteraſcerẽt, vt neceſſitate perducerentur ad mortem, qui ſtatus eis de ligno vitæ, quod in medio Paradiſi cum arbore vetita ſimul erat, mirabili Dei gratia præſtabatur, tamen & alios ſumebant cibos; pręter vnam arborem, quæ fuerat interdicta. Et paulo infra. Alebantur alijs cibis, quos ſumebant, ne animalia corpora moleſtię aliquid eſuriendo, ac ſitiendo ſentirent, de ligno autem vitę propterea guſtabatur, ne mors eis vndequaque ſubreperet, vel ſenectute confecti, decurſis temporum ſpatijs interirent. tamquam cetera eſſent alimento illud Sacramento, ac ſic fuiſſe accipiatur lignum Paradiſi, fuiſſe in Paradiſo corporali, ſicut in ſpirituali hoc eſt intelligibili Paradiſo ſapientię Dei, de qua ſcriptum eſt lignum vitę eſt his, qui apprehẽdunt eam, & qui tenuerint eam beati. Et infra cap. 23. eiuſdem libri.

Adam (inquit) non immortalitate illa abſoluta, atque indiſſolubili, ſed ligno vitę à mortis neceſſitate prohibebatur, atque in iuuentutis flore retinebatur.

Eamdem etiam ſententiam docet Beda in Gen. ita ſcribens. lignum vitę dictum eſt: quia diuinitus acceperat, vt qui ex eo manducaret, corpus eius ſtabili ſanitate firmaretur, vel nec ætate deterius, vel tandem in occaſum dilaberetur.

D. Bona. Sanctus Bonauentura in ſecundo diſtinctio. 19. in dubijs circa lit. dubitatione quarta, & artic. 3. quæſtio. 1. & diſtinctio. 17. in dub. circa lit. dub. 2. eamdem docet ſententiam his verbis. Lignum vitę dicitur ab Auguſtino potuiſſe pręſtare perfectam immortalitatem: non qui ex propria virtute poſſet corpus hominis facere incorruptibile, cum hoc ſit ſolius potẽtiæ diuinę, ſed quia virtute ſibi data habebat ad

hoc diſponere, & diuina virtus illi ligno tamquam Sacramento aſſiſteret, quod immortalitatem perficeret; & q lignum vitæ hanc poſſet habere virtutem, vt ad immortalitatem diſponeret ſatis patet in multis ſimilibus: multa enim ſunt aromata, vt myrrha, & balſamus quæ corpus hominis diu à putrefactione conſeruant. Quod vero ratione diuinę virtutis aſſiſtentis diceretur corporibus illis immortalitatem præbere, ſimile habetur in Sacramentis, quę dicuntur cõferre gratiã, quamuis non ipſam gratiam creent, ſed diuina virtus ipſis aſſiſtens. Bonauenturam ſequitur Gabr. in 2. diſtinctio. 19. quæſt. vnica dub. 3. & Ricard. eadem diſt. art. 2. quęſt. 2. quę cum ſit probabilior, ſequenda eſt. Nec oppoſitum concludit ratiocinatio Pererij, dicentis, quòd ſi virtus illa fuiſſet ſupernaturalis, non adfuiſſet illi arbori poſt peccatũ hominis, ſed fuiſſet ablata, nec peccatori homini profuiſſet: at non fuit illa virtus ab illa arbore ablata poſt hominis peccatũ, & potuiſſe homini peccatori pficere, ex eo patet, quòd Deus poſt peccatum homini aditum præcluſit ad lignum vitæ, ne forte ſumens de eo comederet, & viueret in æternum. aſſumptum probat: quia ſicut virtus Sacramentorum, quia ſupernaturalis eſt, in eo qui cum peccato ea ſuſcipit, effectus ſuos non operatur; ita ſi virtus arboris vitę fuiſſet ſupernaturalis, nihil profecto homini peccatori profuiſſet, nec ad cuſtodiendam arborem vitæ opus fuiſſet vllo pręſidio, ſed ſatis fuiſſet, Deum non aſſiſtere illi arbori ad effectum illum operandum. Non valet inquam hæc Pererij argumentatio: nam concedimus virtutem illam fuiſſe ab ea arbore ablatam poſt peccatũ, & ad teſtimoniũ illud Gen. 3. Ne forte ſumat de ligno vitæ &c. dicimus quòd illa dictio in æternum accipitur pro tempore longiſſimo, ſicut frequẽter in ſcriptura ſacra vſurpari ſolet, vt cum vocantur montes ęterni, vel pactũ æternum, ita rñdet D. Tho. 2. 2. q. 164. artic. 4. ad ſextum, & D. Bonau. in 2. diſtinct. 19. art. 2. quæſt. 2. ad primum. Et cum dicit, quòd non fuiſſet neceſſe cuſtodia ligni vitæ &c. Dico quòd vis illa ſupernaturalis arbori vitæ aſſiſtens, tribuiſſet homini immortalitatem, id eſt, vt ſempiterno viueret tempore, vel vt viuere potuiſſet, & hęc in arbore illa non remanſit poſt peccatum, ſed vltra illam habebat naturalẽ quandam virtutem Arbor illa, qua, etſi non potuiſſet corpus hominis perpetuare, potuiſſet tamen adeo naturã ipſius adiuuare, & vigorare, vt diutius viueret, quod vt homini in miſerijs conſtituto non contingeret, intercluſus ei fuit aditus ad lignum vitę, ne forte ſumeret de eius fructu, & diutius viueret. Secundo dici poteſt, quòd remanſit vis illa ſupernaturalis in illa arbore etiam poſt peccatum, & cum dicit quòd non profuiſſet homini peccatori quemadmodum vis ſupernaturalis Sacramentorũ in eo, qui cum peccato ea ſuſcipit, ſuos effectus nõ operatur. Dico, quòd non eſt ſimile; quia Sacramẽta effectus operantur in anima, quæ ſi peccato ſit obnoxia non ſuſcipit Sacramenti effectum: quia ponit gratię obicem, at vis illa ſupernaturalis ligni vitę operaretur effectum ſuum in corpus nullum habens in ſe eius effectui obicem, adde, quòd effectus Sacramẽtorum eſt gratia gratum faciens, quę peccatoribus negatur; effectus autem fructus ligni vitæ eſſet gratia gratis data, quæ peccatoribus non denegatur.

Gabriel. Ricurd. D. Tho. D. Bond.

Quæritur ſexto. Vtrum lignum vitę eſſet in medio Paradiſi. Dicendum, quòd ſic. Hoc tamen multis modis intelligi poteſt, prout ſit hębraiſmus ſignificans eam arborem in ſolo Paradiſo, & extra illum nuſquam alibi fuiſſe: nam habitare in medio populi, & Ciuitatis, vel aliquorum; ſecundũ phraſim ſcripturę ſignificat habitare inter ciues, vel populares, aut inter aliquos. Secundo, vt ſignificet eius arboris dignitatem, & excellentiam inter omnes Paradiſi arbores principatũ obtinẽtis. Queſt. 6. *Toſtatus in 13. ca. Geneſi. q. 159. Arbor vita an eſſet in medio Paradiſi.*

Tertio,

Tertio, vt ſignificet eam arborem fuiſſe in meditullio Paradiſi, quod terra eius loci, aut excelſior, aut felicioris eſſet fertilitatis, & quo vndique cōmodius adiri poſſet. Verum illud in medio Paradiſi; non eſt accipiendum, vt medium Mathematicē, ſed velut Phyſicum, aut morale; Non enim ſola arbor vitæ erat in medio Paradiſi, ſed etiam arbor ſcientiæ boni, & mali; vt patet infra cap. 3. Nam cum Mulier reſponderet ſerpenti, ait de fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo veſcimur, de fructu autem ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit dominus ne comederemus; quod erat lignum ſcientiæ boni, & mali. Duæ autem arbores nō potuiſſent eſſe in eodem medio loco, ſubtilitate mathematica deſignato, ac deſinito. Et ratio quare arbor vitæ erat in medio Paradiſi aſſignari poſſet, inquit Alexand. de Ales, in 2. par. quæſt. 58. m. 3. quia ſicut primū receptiuum vitę corporalis, nempe cor, poſitum eſt in medio hominis, ſiue animalis habentis cor, ita illud ex quo accipiebatur vitæ vniformitas in medio eſſet lignorum aptorum nutrimento; vel erant iſtæ duæ arbores in medio Paradiſi, inquit D. Bonauent. in ſecundo diſtinctio. 17. loco ſupra citato ita collocatę, vt vna eſſet prope alteram, vel iuxta, vt ex vna conciperet homo amoris affectum; & ex altera affectum timoris, & vt quaſi oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcerent.

Alex. de Ales.

D. Bona.

Quęſt. 7. Quæritur ſeptimo. Vtrum Adam dum fuit in Paradiſo, guſtauerit, & comederit fructum arboris vitæ. Toſtatus loco citato à quæſt. 297. vſque ad 300. & poſt ipſum Pererius, quæſt. vltima de arbore vitæ. Reſpondet quòd non; Tum quia breuiſſimo tempore fuit Adam in Paradiſo, & fructus illius arboris nō erat futurus in cibum quotidianum ad hominem alendum, ſed ad modum medicinę ad occurrendum naturæ defectibus per longa temporū interualla ſumendus. Tum quia eſus illius arboris permittendus erat homini, ſiquidem ipſe legem de non edendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali ſeruaſſet. Quare potius probanda erat aliquandiu obedientia Adami, quam vt eum fructum comederet. demum ſi ediſſet Adam illum vitalē fructum, haud dubie longius, quàm vllus mortalium vitam produxiſſet, cum tamen breuioris vitę fuerit, quam Methuſalem, Ired, & Noe, vt communiter traditur, de quo erit ſermo prolixior in ſequentibus.

Toſtat.

Pererius.

Adam in Paradiſo exiſtens an comederit de ligno vitæ.

DE ARBORE SCIENTIÆ boni, & mali.

Lignum quoque Scientiæ boni, & mali.

POſt tractatū de arbore vitæ ſequitur de arbore ſcientiæ boni, & mali tractatus, de qua pauciores ſunt quæſtiones, & facilioris explicationis. & primo,

Quęſt. 1. Quęritur vtrum illa fuerit vera & naturalis arbor, Plato vt refert Toſt. in cap. 13. Gen. quęſt. 160. & Pererius lib. 3. in Gen. diſp. de ligno ſcientiæ, quęſtio. 1. Cum hęc legiſſet in lib. Moſis, & non potuiſset intelligere, quòd aliquod lignum eſſet ſcientię boni, & mali, retulit ad hominem, quem vocauit lignum ſcientię boni, & mali: quia malum, & bonum nouit, quod arboribus non conuenit, dixit tamen eſſe lignum; quia homo eſt corporeus ad differentiam ſpirituum, qui ſciunt bonum, & malum; ſed non ſunt corporei: dicit etiam in medio Paradiſi fuiſſe ſitum lignum illud: quia homo medius eſt ſecundum naturam, inter ſpiritum ſupra ſe poſitum, & ſenſibilia ſub ſe poſita. Ceterum perpendentibus verba Moſis (vt diximus ſupra de arbore vitæ) non poteſt eſse in dubio eam fuiſſe naturalem, & corporeā arborem, quam Moſes ceteris arboribus ex humo generatis & in Paradiſo conſitis annumerauit. Deus quoque eius eſum

Plato.

Toſtat.

Pererius.

Arbor ſcientiæ boni, & mali an fuerit vera & naturalis arbor.

eſum, homini mortem cōminatus interdixit, ergo ferebat fructus, qui poterant ab homine comedi. Eua item aſpiciens arborem aſpectu pulchram, fructumque eius ad veſcendum ſuauem, decerpſit, comedit, & comedendū dedit viro ſuo: quæ omnia eam fuiſſe veram, & naturalem, corporalemque arborem, quam manifeſtiſſime indicant.

Quæſt. 2. Toſtat. Arbor ſciētiæ boni, & mali, an fuerit tantū vna.

Quæritur ſecundo. An fuerit vna tantum arbor, vel plures. Toſtatus vbi ſupra q. 164. dicit, quòd lignum ſcientiæ boni, & mali, fortè multa alia ligna habebat in ſpecie ſibi ſimilia, ipſum tamen vnicum erat lignum, quod dictū eſt ſcientiæ boni, & mali. Primum apparet: quia lignum illud non determinauit ſibi aliquam ſpeciem propriam, ſed poterat eſſe in quacumque ſpecie; cū ſolum requireretur ad illud, quod eſſet lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue; at in qualibet ſpecie arborū Paradiſi inueniebatur illud, licet forte in quibuſdam magis, q̃ in alijs.

Secundum patet: quia non fuit ſic vocatum lignum aliquod, niſi illud, de quo Deus vetuit homini comedere, & tamen vnicum vetuit, licet eſſent multa in eadem ſpecie. ergo vnicum erat lignum ſcientiæ boni, & mali. Et confirmatur: quoniam & vna ſat erat conſilio, & propoſito Dei volentis per eam probare hominis obedientiam, & vbicumque ſcriptura eam nominat, ſingulari numero eam appellat, & interdictio eius ad Adamum, & Euam tantū pertinebat, atque in vna numero arbore continebatur.

Quæſt. 3. Pererius. Arbor ſciētiæ boni, et mali in qua ſpecie arborū fuit

Quæritur tertio. In qua ſpecie arborum fuit arbor ſcientiæ boni, & mali. Quidam, vt refert Pererius vbi ſupra q. 2. exiſtimauerūt fuiſſe, vel vitem, vel frumentum, ea coniectura, quod in pane, & in vino Dominus corpus, & ſanguinem ſuum in Sacramento Euchariſtiæ nobis exhibuerit ad exoluendā, videlicet, expiandamq; noxā per eſum illius arboris ab Adamo contractā. Verum cū ſcriptura eam nominet arborē, vbicumq; de ea agit; ſatis apparet neque frumētum, neq; vitē eſſe potuiſſe.

Moſes Barcepha.

Moſes Barcepha in lib. ſuo de Paradiſo autorem ſecutus Phyloxemenē in oratione de arbore vitę, aliosque multos, cenſet eam arborem fuiſſe Ficum. Nā inquiunt credibile eſſe, ſtatim poſtquā parentes noſtri de ea arbore ediſſent, tum patrati ſceleris animaduerſione; tum pudore nuditatis, quæ pudenda ipſis, & proboſa eſſe cęperat, ex eo quod proximè ad manū erat, ſubligacula eos ſibi cōparauiſſe, quibus ſua obuelarent pudenda, ea vero ex ficulneis eſſe facta teſtatur ipſa ſcriptura; nec eſt veriſimile ipſos proxima eis arbore prætermiſſa ad aliam longius diſſitam feſtinaſſe, ex cuius folijs ſibi ſubligacula concinnarent, quibus ſuam contegerent nuditatem.

Theod. D. Aug. Gloſſa. Lyran. Magiſter hiſtoriarum. Guill. Rubion.

Theodoretus q. 28. in Gen. hoc ipſū tāta aſſeueratione affirmat, vt extra cōtrouerſiam ponat. Quod ēt quidam dicūt affirmare D. Aug. in lib. Hypognōſticon; & hoc ēt innuere vr̄ dictū Chriſti dn̄i Nathanaeli, Ioan. 1. Vidi inquit te ſub Ficu, & Gloſſa dicit, ideſt in potentia generatiua. Lyranus verò ſic exponit. Vidi ſecreta cordis tui, quæ habuiſti in mente dū eſſes ſub Ficu. Magiſter etiā hiſtoriarum dicit, q̄ arbor illa ſcientiæ boni, & mali, fuit Ficus, & eādem ſn̄iam docet Guill. Rub. in 2. d. 17.

Toſtat.

Toſtatus tamen ſuper c. 13. Gen. q. 164. Dicit de quacumque ſpecie arborum incerti ſumus an lignum ſcientiæ boni, & mali eſſet in illa ſpecie, niſi de arbore Ficulneę; quia certum eſt, quòd non fuit Ficulnea: nam poſtquam viderunt ſe nudos poſt peccatum cōſuerūt folia Ficus, & fecerunt ſibi perizomata; ſed certū eſt, q̄ non auderent iā poſt peccatū tangere illam arborē, ne maius malū eis inde accideret, ergò cū acceperint folia Ficus, certum eſt qd̄ arbor Ficus non erat lignū ſcientiæ boni, & mali. Verū hæc coniectura Toſtati non eſt admodū firma. Effici .n. potuit, vt Dei cōſilio ex folijs Ficus facerēt ſibi perizomata, vt haberēt vnde trāſgreſſionis, & inobedienę recordarent.

Non

Non defuerunt ẽt, qui opinauerunt eam arborem fuiſſe Malũ, propter id, quod ſcriptum eſt in Cant.c.8. ſub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua. Ceterũ doctrina illius libri tota eſt parabolica, atque adeo vocabulorum ſignificationi non eſt proprie inſiſtendum, alias cogetur iſti dicere arborem cruci ſub qua ſignificatur eo loco naturam humanam à Chriſto ſuſcitatam eſſe, fuiſſe arborem Mali. Præterquam quod nomẽ Mali generale eſt multarum arborum ſpecies complectens.

Non poteſt itaque determinate affirmari, in qua ſpecie arborũ fuerit arbor ſcientiæ boni, & mali, potuit enim ea arbor fuiſſe, vel ficus, vel Pyrus, vel Prunus, vel Malus, vel quæuis aliarũ arborũ. Cuius aũt ſpeciei fuerit, Deus ſit.

Queſt.4. *Hebræorum opinio.* *Arbor ſciẽtiæ boni, & mali cur ſic appellata.*

Quæritur quarto, Cur appellata ſit arbor ſcientiæ boni, & mali? De hac re quatuor ſunt opiniones. Prima eſt hæbreorum, qui fingũt Adamum, & Euã creatos eſſe ſimpliciſſimos ſine vſu rationis infantium ſimiles. Qm̃ autẽ arbor illa vim habebat accelerãdi vſum rationis, & liberi arbitrij, propterea inquiunt appellatam fuiſſe arborẽ ſcientiæ boni, & mali: nam ſecundũ Phraſim ſcripturæ, ſcire bonum, & malum idẽ ſonat, atq; habere vſum rõnis. Verũ inſulſum eſt hoc hæbreorũ cõmentũ, etenim Adã, & Eua facti ſunt, vt corpore robuſto ætateq; perfecta ad generãdũ idonea, ita facti ſũt perfecta rõne, & iudicio, mẽteq; ad diſcernẽdũ bonũ, & malũ, & q̃duis intelligẽdũ matura.

Ioſephus. Ioſephus rationẽ reddens, quare ſit hoc nomine appellata, inquit, q̃m in ea latebat virtus quædã accelerãdi vſum rationis, vel quod eius fructus ſi ederetur ab homine, vim haberet acumen augendi ingenij, & ſolertiã, ac prudentiam cogitandi, multumq; conferret ad percipiendam ſcientiam. At hoc dictum Ioſephi quidam tamquã impoſſibile reprobant: quia vſus rationis cõſiſtit in potentia ſuperioris partis animæ; quod autem corporeũ eſt, nõ agit in animam. Alij è contrario illud diſpoſitiue fieri poſſe defendũt Anima enim per organa corporis ſumit rerũ ſcientias, & notitias. Certe cũ ſerpens hunc ſcientiæ effectum inde prouenire dixerit, non eſt inopinabile Deum in illam arborem aliquid virtutis ad hoc immittere potuiſſe, ſicut ad diuturnitatẽ vitæ immiſit in aliud lignum. Attamen nullo pacto putandũ eſt id à Deo factum fuiſſe, cum ſatis hac in re fuiſſet alijs vijs homini proſpectum.

Habuit enim ſtatim homo vſum liberi arbitrij, quia creatus fuit in ſtatu perfecto, vnde illud lignũ nõ erat eſus gratia: quia prohibebatur, nec tẽtationis cauſa propter illam virtutem proponendũ homini: Non enim allici poterat ad appetendum illud, quod ipſe iam habebat, id eſt vſum liberi arbitrij: Niſi forte dicatur, maiorem fuiſſe in eo virtutem, ad præbendas ſcientias, quam ad accelerãdum vſum liberi arbitrij; at hoc falſum eſt eadẽ ratione, quia virtus corporalis ad hoc nõ ſe extendit: corporale enim non poteſt agere aliquid in ſpirituale: quia non communicat in materia, atque adeo nõ poteſt niſi indirecte agere ad ſcientiã, vel prudentiam, quemadmodum & alij cibi delicati alimenti id præſtitiſſent: quorum plurimi erant in illo terreſtri Paradiſo; ſubinde ſi fructus illius arboris ad ingenij acumen, & perceptionẽ ſcientiæ profuturus eſſet, nunquã Deus eius eſum homini interdixiſſet: non enim bonis noſtris inuidet, nec quæ ad perfectionem hominis pertinent præſertim ſpiritualem, & intellectualem, prohibere, aut impedire vult præterquam quod oppoſitum huius rei poſtmodum patuit: quoniam vbi primum ex eo comederunt, potius obtuſi fuerunt, & in errorem prolapſi. Quod etiam vſum liberi arbitrij habuerint, abſque illius ligni præſidio, ex eo patet; quia capaces fuerunt præcepti illius, ne comederent de illo; Non eſt autem præcepti capax qui vſum liberi arbitrij non habet.

Ter-

Tertia ſententia eſt fere omnium Theologorum communis, nempe ſic dictam eſſe illam arborē ab euentu, & ex eo, quòd eſum ipſius conſecutū eſt. Ita enim docet D. Aug. li. 8. de Gen. ad lit. c. 6. ita ſcribens; Arbor itaq; illa non erat mala; ſed appellata eſt ſcientiæ dignoſcendi bonū, & malū: quia niſi poſt prohibitionē ex illa homo ederet, nulla erat præcepti futura tranſgreſſio; in quo homo per experimentum pœnæ diſceret, quid intereſſet inter inobediētiæ malum, & obedientiæ bonū. Idem repetit eodem lib. c. 15. & in lib. 14. de Ciuit. cap. 17. inquit, aperti ſunt oculi amborum nō ad videndū; nam & ante videbant; ſed ad diſcernendū inter bonū, quod amiſerāt, & malū, in quod ceciderāt. Vnde, & iſtud lignū, eo quòd iſtam faceret dignoſcentiam, ſi ad veſcendum cōtra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit; vt appellaretur lignum ſcientiæ boni, & mali.

D. Aug.

Eadem eſt Magiſtri hiſtoriarū ſententia in hiſtoria lib. Gen. ca. 13. quo in loco ita ſcribit: lignum ſcientiæ boni, & mali dictum eſt ex eo, quod ſecutū eſt eius commeſtionem, prius enim neſciebat homo, quid eſſet malum: quia non dum expertus: bonum enim dicimus ſanitatem, & firmitatem, malum vero ęgritudinem, & imbecillitatē: quæ non dum ſenſerat homo; cognouerat quidē ea per ſcientiā: quia ex vno contrariorum cognoſcitur reliquum, ſed nō per experientiam, vt Medicus dum ſanus eſt nouit morbos, ſed dū ægrotat, magis cognoſcit: quia nouit, & ſentit; ſicut de puero delicate nutrito dicitur: quia neſcit, quid ſit malum: imo nondū nouit quantum ſit bonum, vel malū. Sed malum dicitur inobedientia, bonū obedientia: quia poſt commeſtionem cognouit, quantum bonum erat obedientia, & quantum malum inobedientia.

Magiſt.

Eamdem ſentētiam ſecutus eſt Magiſter ſent. in 2. d. 17. Alex. de Ales. 2. p. quæſt. 58. m. 3. & omnes ſcholaſtici, eadem diſtin. Quemadmodum igitur ab euentu appellatus eſt puteus iurgij ſeu calumniæ, & puteus iuramenti, & tumulus teſtis, ſiue aceruus teſtimonij, ſic ab euentu arbor ſcientiæ boni, & mali appellata eſt.

Magiſt. ſen. Alex. de Ales.

Quarta ſententia eſt Rupert. lib. 2. de Trinit. cap. 27. Toſtati in c. 13. Gen. quæſt. 154. & 155. & Pererij loco ſupra citato, quæſt. 3. affirmantium nomē illud ſcientiæ boni, & mali inditū fuiſſe ei arbori, propter mendacia verba, & fallacia promiſſa ſerpentis. Hoc lignū inquit Rupertus ironice appellatū eſt ſcientiæ boni, & mali, vt ipſo nomine ſuo monumentum legentibus repreſentet Diabolici mendacij.

Rupert. Toſtatus. Pererius.

Ceterum de hac re à cōmuni Theologorum, & patrum ſententia non eſt recedendum. Dicendum eſt igitur non propterea quod in ea arbore vlla vis in eſſet inducendi huiuſmodi notitias niſi per accidens. Nam qui de illa comederent experiētia cogituri eſſent, quid bonum, & quid malū; hoc eſt, quid bonum amitterent non abſtinēdo ab hoc eſu, & quid mali rurſum incurrerent. Etenim cum antea boni, & mali ſpeculatiuè haberent notitiam, poſtmodum (quod miſerrimum fuit) eamdē practicè ex pœnis conſequutis acquiſierunt. Adde quod, & bonum, vt dici ſolet, tum demum vere noſcitur, quum re ipſa amittitur.

Quæritur quinto, à quo fuit impoſitum hoc nomē illi arbori. Toſtatus vbi ſupra quæſt. 156. vſq; ad 158. arbitratur, iſtud nomen ſcilicet ſcientiæ boni, & mali, non fuiſſe illi arbori à Deo impoſitum, quādo locutus eſt ad Adam. Nam cum Dominus Deus pręcepit, ne de fructu illius ligni comederent, non vſus eſt iiſdem verbis præcipiendo, quibus ipſe propheta rem geſtam narrando. Nō enim dixit Deus de ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas, ſed aliqua alia nota illud lignū ſignauit, vel forte vſus eſt alio nomine, quod illa Arbor tunc habebat, vel expreſſit arborem per circumlocutionem, aut eā digito demonſtrando, ſi Adā iuxta illam arborem erat, quando ei loquebatur

Quæſt. 5. Toſtat.

Arbori ſciētiæ boni & mali nomen à quo fuit impoſitū.

Deus,

Digitized by Google

Deus, ita vt diceret, de omni arbore Paradiſi comede; de iſta autem arborē ne comedas oſtendēdo illam ad oculum; aut per equiualentiam, vt ſi diceret, nō comedas de arbore, quę eſt in tali, vel tali loco, vel quæ in medio Paradiſi. Propheta vero rem iam cōfectam deſcribendo, declarās, quodnā eſſet illud lignum, iſtam notā de ſuo interpoſuit. Et hoc quidē probabile videtur: nam ſi Deus eo nomine arborem illā appellaſſet, videretur ea nota tentationē ſerpentis, & mendacium adiuuaſſe.

Secūdo dicit: quòd hoc nomen non fuit ei impoſitū ab Adā: quando appellauit cuncta nominibus ſuis: quoniam aut impoſuiſſet illi arbori hoc nomen: quoniam fructus illius ſciētiam boni, & mali conferebat: & hoc non, quia nō habebat arbor illa vim acuendi ingenium; aut quia per commeſtionem, illius erat peccaturus, & bonum, & malum per experientiam cogniturus; & hoc non: quia præcognouiſſet homo miſeriam ſuam, & peccatum futurum: quod eſt falſum: quia homo non fuit præſcius ſui caſus. Dicit ergo quòd illud nomen fuit illi arbori impoſitum poſt peccatum, ex eo, quod diabolus dixerat: Eritis ſicut Dij ſciētes bonum, & malum, & fuit impoſitum ab ipſomet Adā, vel: a Moſe, ab Adā quidem poterat imponi: quia poſtquā peccauit, & fuit à Paradiſo expulſus, illius culpę, & ſui mali memor, vocauit ſic illam arborem quam tangendo, atq; de eius fructu comedendo in tātum malum, tantamq; cecidit miſeriam appetendo ſcientiam boni, & mali, ſicut dixerat ei diabolus atque ita poſtea Moſes hiſtoriam Paradiſi deſcribens eam appellauit.

Vel poteſt dici, quòd Moſes geneſim omnium rerum creatarū ſcribens, ſic arborem illam appellauit: acciderat enim res iſta, quam ante Moſem nemo ſcripſerat. Ipſe autem volēs rem exprimere per nomina conſona rebus, impoſuit hoc nomen illi arbori ab eo, quod diabolus dixerat, per quod Eua mota fuit ad comedendum de fructu illius; vel ab euentu quia ſcilicet ex eſu illius fructus cognouit Adā per experientiam bonum, & malum.

Verum D. Aug. lib. 8. ſuper Gen. ad lit. cap. 15. vult ante ſermocinationem ſerpentis cum Eua, fuiſſe hoc nomē ei arbori impoſitum à Deo; ita enim ſcribit. Fruſtra autem nōnulli acute obtuſi ſunt, cum requirunt; quomodo potuerit appellari lignū dignoſcentię boni, & mali antequā in eo transgreſſus eſſet præceptum: atq; ipſa experientia dignoſceret, quid intereſſet inter bonum, quod amiſit, & malum, quod admiſit; lignum enim tale nomē accepit, vt eo ſecundum prohibitionē non tacto caueretur, quod eo contra prohibitionem tacto ſentiretur: Neque enim quia contra præceptum manducauerunt, ideo factum eſt illud dignoſcētiæ boni, & mali, ſed vtique ſi obedientes eſſent, & nihil contra pręceptum viurpaſſent, id recte vocaretur, quod ibi eis accideret ſi vſurpaſſent. Quemadmodū ſi vocaretur arbor ſaturitatis, quod inde poſſent homines ſaturari, nūquid, ſi nemo acceſſiſſet, ideo nomen illud eſſet incongruum? quandoquidē cum accederent, & ſaturarentur, tunc probaret, quod hoc recte arbor illa vocaretur? Et quomodo inquiunt intelligeret homo, quod ei dicebatur lignum dignoſcendi boni, & mali, quando ipſum malum, quod eſſet omnino neſciebant? Hoc qui ſapiunt parum attendunt, quemadmodum à contrarijs notis, ſic pleraq; intelliguntur ignota, & etiam verba rerum, quæ nō ſunt, cum interloquendo interponuntur nullus caliget auditor: hoc enim, quod omnino non eſt, nihil vocatur, & has duas ſillabas nemo non intelligit qui latine audit, & loquitur? ſic & inane cum dicitur, intuendo corporis plenitudinem priuationem eius, tamquam contrariā, quid dicatur inane intelligimus. Sicut audiendi ſenſu, nō ſolum de vocibus, verum etiam de ſilētio iudicamus. Sic ex vita, quæ inerat homini poſſet eius

D. Aug.

caueret

cauere contrarium, ideſt vitæ priuationem, quæ mors vocatur. Et multa alia dicit D. Aug. quibus tandem concludit, quod homo cogniturus erat diſcrimen boni, & mali. tam ſi ex ea arbore comederet, quam ſi ab eſu eius abſtineret, ratione tamen longe diuerſa: nam ſi ex ea nō comederet, cognouiſſet quidem malum Theorice, vt ita dicam, & per eius cōtrarium, at quia ex ea comedit, cognouit malum practice, ſeu per experientiam, atq; in ſe ipſo.

Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita.

ge. Enſus eſt, vnus ſolus fluuius, non autem quatuor, qui oriebatur in Eden, hoc eſt, in loco voluptatis, irrigabat Paradiſum; qui tamen inde egreſſus diuidebatur in quatuor capita, quæ quatuor fluuios efficerent. Sed expendamus verba Moſis, in quibus tria ſunt, quę aliquam deſiderant explicationem, & primum eſt illud. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis: nam hebraice pro loco voluptatis eſt Eden; quæ vox vt diximus ſupra, interdū voluptatem ſignificat; interdum vero eſt nomen proprium cuiuſdam regionis, & loci, priori modo accepit eā Latinus interpres, quam ſecuti latini expoſitores dicunt, fluuium illum ſcaturire ex ipſo Paradiſo, & primo ad eum irrigādum aquas ſuas diffundere, Græci autem interpretes, ſecuti translationē ſeptuaginta, ac etiam hæbrei ſcriptores, per Eden hoc loco intelligunt certam quamdam regionem, in cuius Orientali parte Paradiſus erat conſitus: atque adeo exiſtimant, fluuium illum è regione Eden habuiſſe ortum, & inde curſum duxiſſe ad locum Paradiſi, vt eum irrigaret.

Magiſt. hiſt. 2 Magiſter hiſtoriarum in lib. Gen. c. 14. cenſet, quod fons poteſt hoc loco intelligi, vel Abyſſus, ideſt matrix omnium aquarum, vel fontes ſeu flumina per ſylepſim ſingulari pro plurali, adeo quod è regione Eden multi fluuij ad irrigationem Paradiſi confluxerint. Et ſi quæratur, quis fluuius erat iſte. *Damaſc.* Damaſ. lib. 2. de fide cap. 9. dicit, quod iſte erat Oceanus; ita enim ſcribit. Eſt & Oceanus, vt fluuius quidam circundans totam terram, de quo mihi dixiſſe videtur diuina ſcriptura, ꝙ fluuius procedit de Paradiſo potabilē, ac dulcem aquam habens, hic aquam prębet omni mari perſeuerans, & inde mutabilis manens.

Verū enimuero ſi Oceanus pro mari ſumatur totam terram complectentes, vt fere apud omnes autores, non videtur is eſſe fluuius, qui hoc loco ſcribitur egredi de Paradiſo voluptatis: lōge enim aliud eſt mare, & aliud fluuius. Adde quod antequam dicatur Deus plātaſſe Paradiſum voluptatis, ex quo emanatis fluuius, iam aquas in vnum locum iuſſerat congregari, in ſecundæ, ſcilicet, diei opere, & cōgregationes aquarum appellauit maria, vt dictum eſt primo capitulo. Fuit ergo Oceanus, & mare totam ambiens terram, antequam eſſet fluuius ille egrediens.

Pererius. Pererius dicit, ꝙ veriſimile eſt flumen hoc non fuiſſe aliud, quam Tygrim, & Eufratem ſcilicet vbi mixtis aquis vnum in locum circa Meſopotamiam confluunt, & vnius fluminis inſtar, aliquanta terrarum ſpatia peragrant, & ille concurſus, & confluxus duorum fluminum, fiebat in regione Eden, & vocabulo vnius fluminis appellatur, cum ante, & poſt ſint duo diuerſa flumina, quorum fontes, & origenes in monte Armeniæ maioris apparent, & extant.

Fluuius qui è Paradiſo egreditur quatuor modis potuit eum perluere. Alterum quod in hac deſcriptione Moſis habet obſcuritatem, eſt illud ad irrigādū paradiſum, quemadmodum videlicet vnus ille fluuius totum Paradiſum perluere, atque irrigare potuerit. Verum quatuor modis id fieri potuiſſe intelligi poteſt; primo, vt ille fluuius multos ſinus, & anfractus faciens, vbiquaq; Paradiſum allueret,

&

Digitized by Google

& irrigaret: ſecundo, vt ex eo complures aluei ducerentur, & in omnes Paradiſi partes deriuarentur, 3. vt modo Nili, ac Iordanis ſtatis anni temporibus augeſcens, & ſuperfluens Paradiſum innūdaret, & irrigaret: poſtremo, vt per ſubterraneos meatus vniuerſam Paradiſi terram humore ſuo perfunderet, & fecundaret, vt Magiſt. hiſtoriar. docet loco citato ca. 14. & Toſt. in cap. 13. Gen. quæſt. 178.

Magiſt. hiſtoriar. *Toſtatus.*

Tertiū, quod in his verbis Moſis videtur ambiguum, eſt quod proxime ſubditur: qui inde diuiditur in quatuor capita hoc enim referri poteſt, vel ad locum Eden, vt videlicet in ipſo egreſſu fluminis ex Eden ſtatim diuideretur in quatuor capita; aut ad Paradiſum, vt fluuius ille egrediens quidem de Eden vnus eſſet; ſed ingreſſus in Paradiſum diuideretur in quatuor flumina, quibus omnis terra Paradiſi commodius irrigaretur, aut denique poteſt referri ad egreſſum illius fluminis de Paradiſo, vt flumen illud poſtquam irrigaſſet Paradiſum eius finibus egreſſum, poſtea in quatuor fluuios eſſet diſpertitum; vt ſignificauimus ſupra. Incertum eſt autem, quanto interuallo poſt egreſſum eius fluminis ex Paradiſo, ipſum fuerit in quatuor alia flumina d flectum, atque diuiſum. Toſtatus vbi ſupra duos graues teſtes adducit, Baſilium, & Ambroſium, quibus etiam aſſentire videtur Iſidorus, affirmantes fluuium illud è Paradiſo delapſum in magnam planiciem, efficere lacum ampliſſimum, ex quo illa quatuor flumina dimanant. Idē ſentit Ioſephus li. Antiquitatum, cum ait. Rigatur, itaq; hortus ab vno flumine circa omnē terram vndiq; profluēre.

Toſtatus. *Baſilius.* *Ambroſ.* *Iſidorus.* *Ioſephus.*

Nomen vni Phyſon, ipſe eſt, qui circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur Aurum, & aurum terræ illius optimum eſt. Ibique inuenitur Bdellium, & lapis onychinus.

PRimo obſeruandum hic eſt, Moſem tam diſtincte, ac minutatim de fluminibus Paradiſi ſcripſiſſe atq; origines eorum, curſus, terraſq; quas præterlabuntur, earumq; terrarū inſignia, enarraſſe, vt pateret omnibus, Paradiſum eſſe locum corporeum, & terreſtrē, & vt aliqua ſigna, & indicia daret, quibus, in qua parte orbis. in quibus regionibus, apud quas gentes conſitus ſit Paradiſus, ita quod ſi qua extant in ſacris literis Paradiſi veſtigia, quibus inſiſtendo ad aliquam loci, & ſitus Paradiſi notitiā ſine errore peruenniri poſſit, ea profecto hæc Moſis hiſtoria de quatuor Paradiſi fluminibus potiſſimum continet. Quocirca circa ea flumina inſiſtēdo, de vno quoq; videndum eſt primo, quid ſit, à ſecūdo, vnde ortum habet tertio, per quas perlabatur regiones, & quarto de his, quæ in vno quoque flumine habentur.

De flumine Phyſon.

QVæritur primo, quid ſit Phyſon, quoad nominis interpretationem. Iſidorus lib. 13. Etymologiarum capitulo 21. dicit, quòd Phyſon ſecundum aliquos interpretatur Caterua: quia decem flumina recipit. Quæſt. 1.

Iſidorus. *Phyſon quid ſit.*

Alij tradunt interpretari latine abundantiam: quoniam abundat piſcibus, & quidē maximis anguillis nempe triginta pedum longitudinis, vt lib. 9. capitulo 3. tradit Plinius; & Solinus dicit, quod Phyſon educit anguillas miræ longitudinis, ſcilicet triginta pedum, habentes bina brachia adeo robuſta viribus, vt Elephātes ad potū venientes, quaſi manu rapiāt in profundū. Mag. hiſtoriar. dicit, Pyſon hæbraice ſignificare immutationē oris, ac vultus,

Plinius. *Solinus.* *Magiſt. hiſtoriar.*

Google

tus, quia mutatur à facie, quam habet in Paradiſo; mutatur enim ſecundum diuerſa loca tribus modis in colore: quia alibi clarus, alibi obſcurus alibi turbidus; In quantitate: quia alibi paruus, alibi diffuſus. In ſenſu, ſeu qualitate, quia alibi frigidus, alibi calidus.

Phyſon à Græcis, atque latinis vocatur Ganges.

Vocatur autem Gãges à Græcis, atque latinis à Gangero Indorum Rege; ſicut Tibris prius eſt dictus Albula, ſed a Tiberino Rege poſtea nomen Tiberis accepit.

Quæſt. 2.

Quæritur ſecundo. Quid ſit Phyſon ſecundum rem; hoc eſt dictu, Quis fluuius ſit Phyſon ex fluminibus terræ noſtræ nobis cognitis.

Pererius. Phyſon quisnam ſit fluuius ex nobis cognitis.

Pererius lib. 3. in Gen. negat Phyſon eſſe Gangem, Tum quia inter Gãgem, & alios duos fluuios Tigrim, & Euphratem, intercedit interuallum ſeptuaginta graduum, hoc eſt plus quatermille, & trecenta milliaria continens; at ex Moſis narratione manifeſtum eſt, hæc quatuor flumina, vt orta ex eodem capite, fuiſſe inter ſe vicina. Tũ quia Moſes ait, hæc quatuor flumina orta eſſe ex vno flumine Paradiſi; hæc autẽ quatuor flumina ex remotiſſimis, & inter ſe diſtantibus locis oriri cernuntur, vt videbimus infra; Quapropter exiſtimat Pererius, Phyſon, & Gyon fuiſſe fluuios ex ipſo Tigri, vel Euphrate deriuatos, & deductos; qui diuerſum curſum agentes, alter Ethyopiam, alter vero terram Heuilath peragrauerit, Etenim ex eo loco, vbi ſimul coeunt Tigris, & Euphrates, & inſtar vnius fluminis mixtis aquis aliquantiſper decurrunt, rurſus facto aquarũ diuortio exiſtunt duo principales fluuij, propria nomina Tygris, & Euphratis retinentes. Præter hoc deriuabantur duo aluei, quorum alterum Moſes appellat Phyſon, alterum Gyon; qui recte appellari poſſunt eruptiones, ſeu aluei, vel Tygris, vel Euphratis, quos alueos vulgus ramos, ſeu brachia appellat.

Cæterum hæc Pererij opinio nõ videtur ſaluare literam Moſis: nam duo tantum è Paradiſo egredi flumina faciũ non quatuor. Nã Phyſon, & Gyon ſecundum opinionem Pererij; nõ habebunt caput ſuum è flumine Paradiſi, ſed ex altero horum ſcilicet, vel Tygri, vel Euphrate; nec Phyſon, & Gyon erunt flumina principalia, ſed tantum alterius fluminis rami, vel brachia; quæ non videntur his, quæ ſcribit Moſes conſentanea.

Ioſephus. Epyphanius D. Aug. D. Hieron.

Dicendum eſt ergo, quod Phyſon eſt ipſe Ganges, vt communi ſentẽtia docent, ne dum huius loci Interpretes, ſed etiam omnes Theologi. Hoc tradit Ioſeph in lib. 1. Antiquitatum, hoc Epiphanius in Ancorato, hoc D. Aug. lib. 8. de Gene. ad lit. cap. 7. & D. Hiero. in lib. Traditionũ hæbreicarum in Gene. Sed quid pergo ſingulos huius ſententiæ autores nominatim receuſere; cum omnium fere ſit ſententia? Sed audiamus verba D. Hiero. in Epiſtola quarta quam ſcripſit ad Ruſticum, Monacũ.

D. Hier.

Ganges fluuius (inquit) quem Phyſon ſancta ſcriptura commemorat, qui circuit totam terram Heuilath, & multa genera pigmentorum; de Paradiſi dicitur fonte deuenire, vbi naſcitur carbunculus, & ſmaragdus, & Margarita candentia, & uniones, quibus nobiliũ feminarum ardet ambitio, monteſq; aurei, quos adire propter Griphas, & Dracones, & immenſorum corporum monſtra hominibus impoſſibile eſt; vt oſtendatur nobis; quales cuſtodes habet auaritia. Ita Hieronym. ad obiectiones autem Pererij, quã optime reſpondent Theodoretus q. 29. ſuper Gen. & D. Aug. lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 7.

Theodoretus.

Quæſt. 3. Strabus. Phyſõ vnde oriatur.

Quæritur tertio. Vnde Phyſon habeat ortum. Strabus inquit Gangem in Caucaſo monte Indiæ originem habere: nam ita ſcribit lib. 15. Tota India fluminibus irrigatur, quorum quędam in duo maxima irrũpunt, Indum, atq; Gãgem; quædã proprijs oſtijs in mare emittuntur, & omnia ortum habent à Caucaſo, primo ad meridiem delata, poſtea alia in eodem permanẽt curſu, præſertim, quæ in Indum influũt, alia flectuntur ad orientẽ, quemadmodum

Gan-

Ganges, qui à montibus deſcendens, cum in planitiem peruenerit ad orientem conuerſus,& Palibothram Ciuitatem maximã præterfluens, in eius mare progreditur,& vnum oſtium habet, quamquam omnium Indicorum fluminum maximum ſit.

Plinius. Plinius vero lib.6.cap.18.de Gange ita ſcribit. Hũc alijs incertis fontibus vt Nilũ, rigantemq; vicina eodẽ modo, alij in Scythicis mõtibus naſci dixerunt,ac influere in eum,decem,& nouem amnes,ex ijs multos nauigabiles. Alij cum magno fragore ipſis ſtatim fontibus erumpere, deiectumque per ſcopuloſa,& abrupta, vbi primum molles planicies contingat in quodam lacu hoſpitari, inde lenem fluere, vbi minimum, octo mille paſſuum latitudine,vbi modicum, ſtadiorum cẽtum, altitudine nuſquam minore paſſuum viginti. Similia ſcribit Solinus in Poliſtore capite de India.

Solinus.

Paulus oroſius. Paulus Oroſius Croniſtarum optimus lib. 1. hiſtoriarum capit. 2. inquit Aſiam ad mediam fontem orientis habet in Oceano Eoo oſtia fluminis Gangis à ſiniſtra promontoriũ Caligardamena; cui ſubiacent ad Eurum Inſula Taprobane, ex quo Oceanus indicus vocari incepit, à Dextera habet Imai montes, vbi Caucaſus deficit Promontorium Samaram, cui ad Aquilonem ſubiacent oſtia fluminis Ottorogorræ, ex quo Oceanus ſericus appellatur. In his finibus India eſt, in qua ſunt gentes 44.abſq; Inſula Taprobane, quę decẽ Ciuitates continet, Par. diſus autem eſt vltra Indiam in locis ſecretiſſimis, & inadibilibus, Vnde flumina ex ipſa exeuntia intrant per orientalẽ partem Indiæ,& aliarum terrarum propinquarum,ita vt gentes illæ fluuiorum capita non cognoſcant, attamen certum eſt flumen Phyſon ſuam originem è Paradiſo ducere; Ceterum de origine huius fluminis redibit infra iterum ſermo.

Quæſt.4. Quæritur quarto, per quas regiones perluat Phyſon. Moſes dicit, quod circuit omnem terram Heuilath, ſeu vt Hæbrei legunt Chauilath. Sed quæ ſit iſta regio Heuilath, dubium eſt: Pererius enim exiſtimat terram Heuilath, non procul fuiſſe à Paleſtina, atq; Syria,& fluuio Euphrati vicinam, ea ductus ratione, quod vox, quę à latino interprete dicitur Heuilath, ſecundum pronunciationem hębraicam redditur latine Chauilath; atq; adeo cũm legatur Gen.25. quod Iſmael habitauit, ad Heuilath,vſque ſur, quæ reſpicit Aegyptũ introeuntibus Aſſyrios, patet Heuilath nequamquã pertinere ad Indiam, ſed inter Aſſyriam,& Paleſtinam fuiſſe locatã; ſimile quid legitur 1. Reg. 15. Percuſſit inquit Saul Amalech ab Heuilath, donec venias Sur, quæ eſt è regione Aegypti; non eſt autem Saul perſecutus Amalechitas, vſq; ad Indiam, nam Regio Amalechitarum, vt Paleſtinæ orientem verſus proxima in ſacris literis deſcribitur.

Pererius. Phyſon quas regiones perluat.

Ceterum hæc opinio Pererij eſt cõtra communem omniũ Interpretum, atq; Theologorum ſententiã ideo reijcienda eſt, neque eius motiua concludunt, quod ipſe intendit. Nã Heuilath eſt nomen Prouincię, Heuila autem eſt nomen Ciuitatis, quod patet: quia diuerſimode ſcribitur, Nã hic legitur Heuilath, Gen. autem 15.& 1. Regum 15. ſcribitur Heuila; vt hoc diſcrimine inſinuetur, qđ Heuila, quæ deſcribitur Gene. 15.& 1. Regum 15. non eſt nomen Regionis, ſeu prouinciæ ſed Ciuitatis, quæ eſt inter Aſſiriam, & Paleſtinam.

Dicendum eſt ergo, quòd Heuilath eſt regio quædam Indiæ,& vt docent Magiſtr. hiſtoriar. vbi ſupra, & Toſtatus in 13.cap.Gen.quæſt.181. eſt in ſuperiori parte eius ab orientẽ incipiens, & lõgo terrarum tractu verſus ſeptentrionem ſe diffundit, Iſta Regio ſic nominata eſt à quodam dicto Heuila, filio Iectam filij Hæber patriarchę hębreorum, de quo habetur infra cap. 10. nam morati ſunt in India duo filij Iectan, Ophy, & Heuila, ab Ophy nomen accepit Regio Indiæ Ophyr, ab Heui-

Magiſt. hiſtoriar. Toſtatus.

Heuila autem, qui propinquas ſedes ei tenuit, atque coluit nomen accepit Regio Heuilath. Si autẽ legatur Chauilath, ex eo nomen accepit, quoniam aurum optimũ profert. Eſt ergo Heuilath Regio Indiæ. Iſta docent omnes Interpretes, à quorum cõmuni ſententiam minime recedendum eſt.

Quæſt. 5. In flumine Phyſõ quæ inueniantur.

Quæritur quinto, quæ in hoc flumine inueniuntur. Tria cõmemorat Moſes, quod inueniuntur in hoc flumine, ſcilicet aurum optimum, Bdellium, & lapis onychinus; primo inuenitur Aurum, & hoc commune eſt Indiæ: in multis enim partibus Indiæ circum naſcitur, vel inuenitur aurum. Nam ibi ſunt duæ Inſulæ ſcilicet Criſe, & Argire auro, & argento referta: ita vt de alijs metallis nihil habere videantur, vt dicit Solinus in Poliſtore ca. de India, & Iſidorus lib. 14. Ethymologiarum, capitul. 4. Eſt etiam ibi terra Ophir, in qua aurum multum eſt, & Gemmæ, & Salomon mittebat ibi pro auro, vt patet 3. Reg. 9. & 10. capit. Ideo non eſt mirum quod in Regione Heuilath ſit aurum.

Solinus.
Iſidorus.

Aliqui tamen, quia hic dicitur; Vbi naſcitur aurum, referunt ad fluuium, quaſi in fluuio Gãge inueniatur aurũ: Nam vt dicit Magiſter. hiſtor. fluuius ille trahit aureas arenas, ſed bene poteſt etiam intelligi de terra, ſicut de fluuio, & forte melius de terra Heuilath quia dicitur. Vbi naſcitur aurum, naſci autem nõ eſt in flumine propter continuum fluxum; ſed ſolum inueniri arenas aureas, quæ agentibus aquis de locis mineralibus eruantur, aut eradantur, vel de loco generationis guttatim in fluuium diſtillet aurum, & poſtea inter arenas inueniatur. Dicit autem, quod aurum terrę illius optimum eſt: quoniam in hoc differt aurum terræ Heuilath ab auro aliarũ regionum: quia vbicunq; aurum gignitur in mineris ſit purum: quia mixtionem, vel adiunctionem non habet alterius, tamen non eſt omne aurum purũ ęquale omni alij auro: quia perfectio ſpecifica non inuenitur æqualiter in omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei; ſed eſſentia ſpeciei inuenitur æqualis: quia conſiſtit in indiuiſibili, atque adeo aliquod aurum ex ipſa generatione erit melius, quam aliud, & tale dicitur eſſe aurum terræ Heuilath, vt hic aſſerit Moſes.

Magiſt. hiſtoriar.

Bdellium quid ſit.

De Bdellio autem dubium eſt, quid ſit. Nam ex eo, quod hic Moſes inquit, ibique inuenitur Bdellium; volunt aliqui, quod ſit nomen lapidis: nã ad res mobiles pertinet inueniri, ſicut ſunt lapides pretioſi; & non ad immobilia ſicut ſunt arbores; de illis enim magis dicitur naſci, cum Arbor figat radices in terra. Tum quia dicit, quod inuenitur in flumine, & tamen arbores non ſunt in flumine, ſed iuxta flumen. Ideo aliqui volunt Bdellium eſſe Cryſtallum, Ioſephus dicit eſſe lapidẽ ſardonicum. Cæterum hæc non ſunt adeo firma, vt credamus Bdellium eſſe lapidem: non enim omnia, quæ hic nominat Moſes ſunt in flumine, ſed quædam in terra, vt aurum de quo dixit, & aurum terræ illius optimum; nam fluuius deſignatur per proprietates terræ, quã circuit. Arbor etiam, etſi naſcatur, dicitur tamen inueniri propter raritatem; quia ſi quis quærat arborem iſtam in alijs regionibus non inueniet: nam in ſola India, & Arabia inuenitur, vt dicunt Plinius, & Iſidorus, atque adeo ob id magis voluit dicere inuenitur, quam naſcitur.

Ioſephus.

Plinius.

Eſt ergo Bdellium, vt docet Plinius lib. 12. cap. 9. arbor nigra magnitudine oleæ, folio roboris, fructu, naturaque Caprificei, quæ naſcitur in Arabia, in India, & Media, & Babilone, & capit. 10. Inquit; Bdellium eſt arbor notiſſima nigra ſimilis oliuæ in folijs, & roboris, cuius gumma maxime reperitur in vſibus medicinæ, nã eius lachrima, ſeu gumma, eſt trãſlucida, guſtui amara, bene odorifera, ſed magna eſt aromatica, quando vino eſt infuſa.

Iſidorus.

Iſidorus autem lib. 17. Etymo. Bdellium inquit eſt Indię, & Arabiæ arbor,

cuius lachrima arabica melior eſt, aromatica enim eſt, lucida, ſubalbida, lenis, pinguis æqualiter cæræ, & quæ facile remollitur, & eſt amara, boni odoris; ligno, vel terræ non mixta. Indica vero ſordida, atque nigra, & addulteratur cum gummi, quæ non ita amarificat guſtum. Vndecumque autem veniat glutinoſam valde habet ſubſtãtiam, & aſtrictiuam; & etiam attractiuam; qui plura deſiderat de Bdellio legat Bartholomęum Anglum lib. 17. de proprietatibus rerum capitul. 19. & Andream Ciſalpinum Medicinæ, & Phyloſophiæ Peritiſſimum libro 2. de plantis, cap. 32.

Bartholomaus Angles. Andreas Ciſalpinus.

Onychinus autem eſt lapis precioſus, qui poteſt dici, quòd inueniatur in flumine ipſo, vel inuenitur in aliquibus partibus terræ Heuilath iuxta fluuium; & iſte eſt vnus lapis de 12. lapidibus precioſis, qui ponebantur in rationali Exod. 28. capitulo. Eſt autem Onyx lapis Indicus, & Arabicus, permixtum in ſe habet colorem ad ſimilitudinem humani vnguis, vt dicit Iſidorus: Græci enim vnguem onicē dicunt. Indicus autem ignis colorē habet albis vnguentibus venis, ſiue zonis. Onyx vero Arabicus eſt nigri coloris cum candidis zonis. Hæc gemma plures dicitur habere effectus noxios: nam vt dicit excellentiſſimus Dioſcorides, collo ſuſpenſus, vel digito portatus excitat triſtitiam, & timores, multiplicat lites, cōmouet animos ad rixas, in pueris excitat ſaliuā ſuperfluam, & nociuam. Non poteſt nocere in pręſentia ſardę, ſpecularem habet naturam, & politam, & ita ad modum ſpeculi repræſentat imagines, & figuras, ſed obſcurè.

Onychinus quid ſit.

Dioſcorides.

Septuaginta pro Onychino poſuerunt carbunculus, & Praſinus. Eſt autem carbunculus lapis pretioſus, & ſicut nomine ipſo præſefert ignei fulgoris tanti, vt noctis tenebras illuminare queat, de quo lege, quę ſcribit Plinius libro trigeſimoſeptimo, capitulo ſeptimo, Praſinus autem eſt lapis pretioſus viridis aſpectus, & porracei coloris, vnde nomen habet; nam porrum, Gręci Praſon vocant de quo vide Plinium eodem libro cap. 8.

Carbūculus quid ſit.

Plinius.

Praſinus quid ſit.

Hębraicè ſunt duo vocabula Habbedolach; & H ſch ſoham, Caldauè dicitur Brulla ideſt Berillus viridis coloris, de quo multa Plinius capitulo quinto, eiuſdem libri Auguſt. Eugub: & Hieronymus Ole ſter, arbitrantur Bedolach eſſe id, quod latini appellãt Margaritam, ſeu vnionem, vulgo, perla; Soham autem incertū eſt, quid propriè ſignificet: nam ſi ductum ſit à radice Sadech, ſignificat lapidem, vſquequaque teretem, & ęquabilem; quoniam Sabach hębreis eſt ęquare. Sed profectò hębrei harum vocum, quas habent in ſcripturis ſignificantium loca, & lapides, & aues, fatentur ſe non habere certam notitiam, quam aiunt antiquitate perijſſe. Quo fit, vt ſcripturę Interpretes tã Gręci, quam latini eaſępe tranſtulerint non qualia ſunt hębraice, ſed qualia reperiebantur apud Gręcos, & latinos, illis ſimilitudine aliqua & proportione reſpondentia.

Auguſt. Eugub. Oleaſter.

DE FLVMINE Gehon.

Et nomen fluuij ſecundi Gehon, ipſe eſt, qui circuit omnem terram Aethyopia.

QVęritur primo, quid ſit Gehon quoad nominis Interpretationem Magiſter hiſtoriar. vbi ſupra, & Bartholomęus Angles lib. decimotertio, de proprietatibus rerum capitulo quarto. Dicunt, quòd Gehon interpretatur, hiatus terrę, vel terreus, & vtrumque ſibi bene competit: nam fluuius iſte alicubi à terra abſorbetur, & alicubi apparet, ſicut & cetera flumina, quę exeunt de Paradiſo, vocatur etiam terreus ideſt turbidus, & lutoſus.

Queſt. 1. Magiſt. hiſtoriar. Bartholomaus Angles. Gehon quid ſit quoad nomen;

Aa Quę-

Digitized by Google

Quæſt. 2. Quæritur ſecundo, Quis fluuius ſit Gehō ex fluminibus notis nobis. *Pererius.* *Gehō quis fluuius ſit ex nobis notis.* Pererius loco citato credit Gehon eſſe eruptionem quamdā, & vt vulgo appellant brachium, ſeu ramum Euphratis vel fluuium ex eo loco profluentem, vbi Tygris, & Euphrates iunctis aquis ſimul coeunt, atque negat Gehon eſſe Nilum. Ceterum cōmunis omnium ſententia eſt, Gehon eſſe Nilum. Vocatus eſt autem fluuius Gehon Nilus à Græcis, à Nilon, quod eſt limoſum; quaſi terra reſoluta plenus. Vnde D. *D. Hier.* Hierony. ſuper Amos. 8. inquit. Nilus diſpoſitione Dei totā Aegyptū ſemel in anno irrigat, cumulis arenarū claudentibus oſtia eius, ne defluat in mare; poſt irrigationem autem ſolutis cumulis, redit in alueum ſuum, & ſic tandem mare ingrediens, à mari abſorbetur.

Iſidorus. Iſidorus lib. 13. Ethymo. capitul. de fluminibus inquit, Gehon fluuius de Paradiſo exiens, atque vniuerſam Aethyopiam cingens, vocatus hoc nomine, quòd incremento ſuæ exundationis terram Aegypti irrigat. Ge. n. græcè, latine terram ſignificat. Hic apud Aethyopes Nilus vocatur, propter limum, quem trahit, qui efficit fecunditatem: nam antea Nilus latine Melos dicebatur: apparet enim in Nilide lacus, de quo in meridiem verſus excipitūr Aegypto, vbi Aquilonis flatibus repercuſſis, aquis retro luctantibus intumeſcit, & inundationem Aegypti facit.

Iſte fluuius ſicut à limoſitate apud græcos, & nos vocatur Nilus ideſt limoſus; Ita, & apud ſacram ſcripturam vocatur Gehon, ideſt lutoſus, vel terreus, & quandoq; ſine nomine proprio per ſupletionem aliorū nominū, vocatur fluuius turbidus; ideſt obſcurus propter limoſitatem; ita vocatur Ioſue capitulo decimotertio, Vniuerſa Geſſuri à flumine turbido, qui irrigat Aegyptum, vſque ad terminos Accaron, atq; ita fluuius, qui irrigat Aegyptum, vocatur turbidus, & tamen ille eſt Nilus: quia nullus alius irrigat Aegyptum.

Quæritur tertio. Vnde Gehon habeat ortum. Phyloſophus in lib. de Inundatione Nili ait; quòd origo Nili à ceteris autoribus non habetur, ſed videtur naſci de principio litoris maris rubri. Seneca libro quinto de naturalibus quæſtionibus, de ortu huius fluminis differens inquit, quòd Nero Imperator miſſit duos Cēturiones ad inquirendum caput Nili, & fuerunt ad Regem Aethyopiæ, qui eos commendauit alijs regibus, per quorum regna Nilus fluebat, cumque multum aſcēdiſſent, venerūt ad quoſdam populos, apud quos erāt magni lacus Nili herboſi, quæ nauigio transfretari non poterant, de quibus omnibus deſperabāt poſſe vltra procedere, & nec ipſi incolæ terræ ſciebant, vtrum lacus illi ibi inciperēt, vel aliunde in eos aqua deflueret. Viderunt tamen in aqua duas petras magnas eſſe, apud quas fortius aqua ebulliebat, hoc autem comperto reuerſi ſunt. Quocirca concludit Seneca, quòd ſub terræ ſuperficie terra limoſa eſt, & humiditatibus plena, quæ in vno concurrentes locum magnos lacus efficiunt, de quibus cum impetu fluuij manant, & ita omnium fluuiorum origines aſſerit. Sed conſtat iſta eſſe falſa: quia contra ſacram ſcripturam. Ceterum iſti plus cognoſcere non valuerunt iudicio naturali; Illi autem lacus, quos Centuriones viderunt, ſunt loca in quibus Nilus à terra abſortus, erumpit: multoties enim à terra abſorbetur, & rurſus nouis locis terrarum manere videtur. *Quæſt. 3* *Ariſtot.* *Gehō vnde oriatur.* *Seneca.*

Pererius inquit, quòd licet antiqui ignorauerint ortum Nili, hoc tamen tempore, vt alia multa comperta ſunt veteribus incognita: ſic etiam deprehenſa ſunt primordia Nili, ex ampliſſimis paludibus propè montes Lunæ, non procul celebri promontorio Bonę Spei, vbi extremum eſt totius terræ continentis ſecundum latitudinē verſus Auſtrum. *Pererius.*

So-

Solinus. Solinus vero dicit, Nilum habere originem à monte inferioris Mauritaniæ, qui appropinquat Oceano, & protinus fit lacus, quem Hilidem vocant.

Oroſius. Paulus Oroſius libro primo hiſtor. capitulo 2. Inquit. Nilus de litore incipientis maris rubri videtur emergere in loco, qui dicitur Moſſilon, emporium, deinde diu ad Occanum profluens faciens Inſulam nomine Meroen in medio ſui, nouiſſime ad ſeptentrionem inflexus tempeſtiuis eructus incrementis, plana Aegypti rigat. Hūc aliqui Autores ferunt haud procul ab Atlante habere fontem, & cōtinuo arenis mergi; inde interiecto breui ſpatio vaſtiſſimo lacu exundare, atque hinc Oceano tenus, orientem verſus per Aethyopiam deſertam prolabi, rurſumque inflexum ad ſiniſtram, ad Aegyptum deſcendere.

Ceterum cū Nilus ſit ipſe Gehon, dicendum eſt Nilum ſuam primariam originem ex Terreſtri Paradiſo habere.

Quæſt. 4. *Gehon quas regiones perfluat.* Quæritur quarto, quas regiones perfluat Gehon. Moſes dicit, quòd iſte fluuius circuit omnem terram Aethyopię; quod videtur eſſe falſum ſi Gehon ſit Nilus, vt omnes Interpretes communiter tradunt, vno excepto Pererio Eugubinum ſecuto; probatur: quia Nilus non circuit omnem terram Aethyopiæ, ſed in finibus Aegypti Mediterrano abſorbetur mari, & tamen adhoc, quod circuiret omnem terrā Aethyopiæ, cum tamen nullam partem Aphricæ tangat; ſed in finibus Aegypti, quæ ad Aſiam pertinet in mediterraneum mare incidit.

Dicendū, quòd duplex eſt Aethyopia, ſcilicet Aſiana, & Aphricana, vt docet Strabus libro primo, Geografię, & Plinius libro quinto, & ſeptimo, Nilus circuit Aethyopiam Aſiaticam, & poſt Aethyopiam intrat in Aegyptum, à parte meridiana deſcendens, & abſorbetur mari magno, diuiſus in ſeptem alueos, & per ſeptem oſtia mare ingrediens. Aethyopiam vero, quæ eſt in Aphrica: quia eſt nobis propinquior, neque circuit, neque tangit, & hāc nos vocamus communius Aethyopiam: quia eſt nobis vicinior, quam terra Aethyopum Aſianorum. Potuiſſet autem dicere Moſes, quòd Gehon eſt fluuius, qui Aegyptum irrigat, & Aethyopiā circuit: erat namque Iudæis magis notus Nilus, vt eſt in Aegypto, quam vt circuit Aethyopiam, quia fuerunt ipſi in Aegypto, quæ irrigabatur Nilo.

Quæſt. 5. *Bartholomeus Angles.* Quæritur quinto, Quæ in hoc flumine extant notabilia. Bartholomęus vbi ſupra dicit, quòd hic fluuius nutrit reptilia, multum nociua, & venenoſa, ſicut Crocodilos, & beſtiolam, quæ dicitur Enidros, de qua dicit Iſidorus libro ſecundo Ethymolog. cap. *Iſidorus.* ſecūdo, Enidros eſt beſtiola ex eo nuncupata, quod in aquis verſetur, & maxime in Nilo: quæ ſi inuenerit Crocodilum dormientem, volutat ſe in luto primo, & intrat per os eius inuentrem, & carpit omnia interiora eius, & ſic moritur Crocodilus.

DE FLVMINE Tygris.

Nomen vero fluminis tertij Tygris; ipſe vadit contra Aſſirios.

TYgris fluuius eſt notus, de quo nulla videtur eſſe controuerſia: atque adeo de eo tria dumtaxat inquirenda ſunt, & primo. Quæritur, quare dicatur Tygris. *Tygris cur ſic appellatus ſit.* Hoc nomen Tygris impoſitum eſt à Græcis, & eſt apud nos vſitatum. Hæbraicè verò dicitur: Kidekel, ſeu chiddecel, & eſt nomen compoſitum, quod ſi reſoluatur ſonat acutum, & velox, ex eo quod aquæ eius ſaporem quemdam acutum reddunt, vel à curſu eius velociſſimo. Caldaicè nominatur Diglath, quo vocabulo ſignificari ait Ioſephus, cum ſimul anguſtum,

arctumque, & velocem decurrere.

Apud Danielem cap.10. appellatur
fluuius magnus. Nomen autem iſtud
Tygris, quo nos vtimur, à Perſis eſt
introductum, per quorum terram
fluit, & eſt iſtud nomen impoſitum
beſtiæ, & fluuio; fera enim Tygris di-
citur propter eius velocitatem, nihil
enim æque velox eſt in curſu, vnde
ratio eadem nominis fuit vtrique, &
ambobus idem nomen impoſitum.

Dictus eſt ergo Tygris à celeritate
curſus, ducta ſimilitudine à Tygre a-
nimali velociſſimo, cuius miram in
Plinius. curſu velocitatẽ deſcribit Plinius, capi-
tulo 18. libro octauo. De hoc dicit Iſi-
Iſidorus. dorus, libro decimotertio, Ethymolo-
giarum capitulo 21. Tygris fluuius eſt
Meſopotamiæ de Paradiſo exiens, &
pergens contra Aſſirios, & poſt mul-
tos circuitus in mare mortuum in-
fluens. Vocatur autem hoc nomine,
propter impetum, & velocitatem, ad
inſtar Tygris animalis nimio impetu
percurrentis. Vel dicitur Tygris à ce-
leritate ſagittæ, quæ lingua Medorum
Plinius. Tygris appellatur, vt docent Plinius
Quintus libro ſexto, capitulo 27. Quintus Cur-
Curtius. tius libro 4. & Strabus libro 11.

Strabus. Quæritur ſecundo, Vnde ortũ ha-
Queſt. 2. beat Tygris. Ioſephus libro primo,
Ioſephus. Antiquitatum inquit, quòd oritur in
Plinius. Armenia ex eodem fonte, quo oritur
Tygris Euphrates. Plinius lib. ſexto, capitulo
vnde or- vigeſimoſeptimo, Oritur (inquit) Ty-
tum ha- gris in Regione Armenię maioris, fon
beat. te conſpicuo in planicie. Boetius quin-
to de Conſolatione metro primo di-
cit, quod incipit Rupis Armeniæ, &
quod de eodem fonte Tygris & Eu-
Boetius. phrates oriuntur, quorum aquę imme
diate diſtinguuntur, ita quod Tygris
tendit magis ad orientem contra Aſſi-
rios, Euphrates autem cõtra Caldeos;

Queſt. 3. Quæritur tertio, Quas regiones per
Tygris luat Tygris. Moſes dicit, quod vadit
quas re- contra Aſſirios, quod non eſt intelli-
giones gendum, quaſi veniat ab Oriente con
perluat. tra occidentem, ſicut plurimi acci-
piunt, ea ratione moti, quia Tygris exit
de Paradiſo, & Paradiſus eſt in orien-
te, atque adeo Tygrim ab oriente ver-
ſus Aſſirios fluere putant. Sed non eſt
ſic; immo Tygris procedit ab orien-
te contra orientem, & aliqualiter con-
tra Meridiem, ſed magis contra O-
rientem, & tangit Regionem Aſſirio-
rum in parte occidentali eius, & hoc
patet ex ſententia Iſidori libro deci- *Iſidorus.*
moquarto, Ethymolog. capitulo quar-
to, & ex Paulo Oroſio libro primo, de *Oroſius.*
Ormeſta mundi capitulo ſecũdo. Eſt
enim Regio Indorum maxime orien-
talis, fluuius autem Tygris quantum
ad ſuum manifeſtum ortum, totumq;
decurſum eſt multum occidentalis ad
Indiam; Vnde inter fluuium Indum,
qui eſt terminus occidentalis Indo-
rum, & fluuium Tygrim ſunt regio-
nes quinque, & gentes triginta duæ.
Sunt autẽ Regiones Arcoſia, Aſſiria,
Perſia, Media, & Parthia; & eſt ordo
iſtarum ſic, quòd Indus fluuius eſt in
fine occidentali terræ Indorum, & in-
de procedendo contra occidentem eſt.
Terra Arcoſiæ, quæ ad oriẽtem habet
fluuium Indum; poſtea ſequitur Par-
thia verſus occidentem; licet aliquan-
do ſit nomen generale, omnium iſta-
rum gentium, poſtea Aſſiria, deinde
Perſia, & Media, & ad occidentẽ om-
nium iſtarum eſt fluuius Tygris, &
ideo ortus, & decurſus fluuij eſt ma-
gis occidentalis, quam terra Aſſirio-
rum; atque adeo ſi contra eam fluit,
non poteſt fluere niſi de occidente
contra Orientem, & quando perluit
Aſſiriam, tangit eam primo in termi-
no occidentis.

Quas ergo regiones tangit Tygris
fluuius? Plinius vbi ſupra dicit, quod *Plinius.*
influit lacum Arethuſam, deinde alte-
rum tranſit lacum, qui Thoſpites ap-
pellatur, petit Seleuciam, perfundit
Meſenen, Campos Cauchas ſecat. &
tandem in mare Perſicum ingreditur.
At quoniam Iſidorus dicit, quod Ty- *Iſidorus.*
gris poſt multos circuitus in mare
mortuum influit, obſeruandum eſt;
quod per mare mortuum non intelli-
git

erit illud, quod eſt mare Sodomorum, ſed intelligit mare rubrum: nam in mare rubrum incidit Tygris, & non in mare mortuum, quod eſt mare Penthapolis.

DE FLVMINE Euphrates.

Fluuius autem quartus ipſe eſt Euphrates.

CVm fluuius iſte ſit etiam ipſe notiſſimus, & de eo nulla contentio ſit, Tria breuiter de eo quærenda ſunt, & primo. Quæritur de nominis Interpretatione. Eſt autem Euphrates ſic appellatus à Græcis, & à nobis; hæbraicè autem vocatur Petath ideſt frugifer: quia fructificare facit terram per quam tranſit. Ioſephus libro primo Antiquitatum dicit, quod interpretatur flos, vel diſperſio, & non eſt inconueniens iuxta dictionum hæbraicarum conditionem, quæ multa ſignificant; potiſſime; quia iſta, quæ Ioſephus ponit, non multum diſtant à fructificatione: quia flos, & fructus coniuncti ſunt, ſimiliter diſperſio ad multiplicationem pertinet, iuxta illud pſal. Diſperſit dedit pauperibus: quod autem vnicū eſt non diſpergitur, quod vero multiplex, aut multiplicatum eſt, diuidi poteſt, & diſpergi.

Queſt. 1. Euphrates quid ſit quoad nomen.

Ioſephus.

Vox autem hæbrea parath, ducta eſt à radice paraa ſignificante fructificare, & fecundare quippe Euphrates modo Nili exundans, terram rigat, & fecundat. Non raro in diuina ſcriptura tacito proprio nomine Euphratis, eſt appellatus magnus fluuius; non quia terminaret terram ſanctam, vt nugantur Iudæi, ob eam nanquam cauſam eximius omnium cenſeri deberet Iordanis: qui eam interluit, ſed quia vnus ex maximis fluminibus erat Iudæorum genti notis.

Queſt. 2. Saluſtius

Quæritur ſecundo. Vnde ortum habeat Euphrates. Saluſtius aſſerit Tygrim, & Euphratem de vno fonte manare in Armenia, qui per diuerſa loca exeunt ſpatio multorum millium in medio derelicto. Plinius libro quinto, capitulo vigeſimoquarto, & 26. tradit Euphratem oriri in præfectura Armeniæ maioris Carintide, vel in monte Aba, vel ſub radicibus mōtis, quem Capotem appellant. Strabus libro 11. exiſtimat Tygrim, & Euphratem oriri ex monte Tauro, ſed Euphratem in parte Tauri boreali, Tygrim vero ex altera parte.

Plinius.

Euphrates vnde oriatur.

Quæritur tertio, Quas Regiones perluat, Plinius dicit, quod perlabitur per Meſopotamiam, Seleuciam, & Babyloniam, & in mare Perſicum ingreditur. Idem trabit Stabus, inquiens Euphrates fluit ad occidētem per Armeniam, quæ maior appellatur, vſque in Armeniam minorem, quam à dextris habet, à ſiniſtris vero liſanam, deinde ad Auſtrum flexus confinijs coniungitur Capadocum, quæ ad dexteram relinquit, ad ſiniſtram commagenorum confinia, rurſumque à Sicinſina, & Sophena maioris Armeniæ ad ſiniſtram relicta, progreditur in Syriam, atque iterum flexum alium capit in Babylonios, & Perſicum ſinum.

Queſt. 3. Plinius. Euphrates quas regiones perluat.

Sed quare Moſes non fecit mentionem de regionibus, quas perluit Euphrates, ſicut fecit in alijs fluminibus. Reſpondet Toſtatus capitul. decimotertio, in Geneſi. quæſtione 187. quòd cauſa fuit, quia Moſes voluit notificare iſta flumina, & quanto aliquid eſt magis ignotum, tanto pluribus indiget notificationibus, & quia Phyſon primus fluuius erat magis diſtans, à conſpectu Iudæorum cum ſit in Terra Indorum, plures eius notificationes poſuit. Secundus, & Tertius ſcilicet Gehon, & Tygris, minus à terra Iudæorum diſtabant, cum Tygris tangat Meſopotamiam à parte Orientis, & Nilus intret Aegyptum, Ideo de his duobus pauciores poſuit notificationes, ſolum deſcribens:

Toſtatus.

Bb 3 per

per quas terras perfluant, & non omnes, ſed Paucas: nam de Gehon, id eſt Nilo dixit, quòd circuit omnem regionem Aethyopiæ, & de Tygri quòd vadit contra Aſſirios. De Euphrate autem nihil dixit, quia erat Iudæis notiſſimus; nam à ſuo principio ex parte ſeptentrionis, vſque ad eius finē, quando mari rubro immergitur, eſt magis coniunctus terræ Iudæorum, quam aliquis de alijs fluuijs: nam tranſit per terram occidentalem Meſopotamiæ, & vadit Babilonem, tanſitque per medium Vrbis, & per Caldeam. Iſtę regiones ſunt propinquæ ad terrā Canaan, & ideo non oportebat, quòd de illis faceret eis mentionem.

At quoniam diuerſa diximus de origine iſtorum fluminum, ideo breuiter, & determinate dicēdum eſt de vniuſcuiuſque fonte, & ſcaturigine, & primo de Phyſon, quem Moſes primo poſuit, & nos Gangem appellauimus.

Phyſon ortus deſcribitur. De origine huius fluminis quadruplex fuit opinio, aliqui dixerunt incertis fontibus naſci, ſicut *Solinus.* Solinus in Poliſtore, capitulo de India. Quidam volunt à Scyticis fontibus oriri. *Paulus. Oroſius.* Paulus Oroſius dicit, quòd Ganges naſcitur inter Dacas, & Parthiens, & Sacarracas in monte, qui Oſcolares dicitur. *Hiſtoria Scholaſt.* Hiſtoria ſcholaſtica dicit Gangem naſci in locis Caucaſi montis. Sed iſtorum omnium eadem eſt ſententia.

Vnde obſeruandum eſt, quòd Mōs Caucaſus extenditur in longum à Mare Indico ab oriente, vſque ad mare noſtrum mediterraneum ab occidente apud Græciā, & cum iſte mons per varias extendatur regiones, non idem nomen apud omnes habet, ſed partes illius montis diuerſis appellant nominibus, quaſi diuerſa iuga diuerſi ſint montes, & non vnus: Nam apud Colchos, & Albanos, vbi eſt altiſſimus vocatur mons Caucaſus, inter Armeniam, & Hiberiā appellatur mons Acroceraunius, hoc eſt ignitus, vel combuſtus, propter altitudinem, & fulminum ictus ſic appellatus. Apud Parthos, & Meſſagetas dicitur mons Arioſarzanes. Apud Hircanos, & Bactricos iuxta opidum Cathippi, pars huius montis Memali dicitur, vbi naſcitur Amomum, & proximum Iugum vocatur mons Parthan. In India apud Parthenas, & Dathasfaraucas mons iſte Oſcobares dicitur; & ibi ad radices eius erūpit fluuius Ganges. Poſtea procedendo à fonte fluminis Gangis, vſque ad fontes fluminis Orthogorræ, vocatur mons ille Taurus; à fontibus autem fluminis Orthogorræ vſque ad Ciuitatem Orthogorram, inter Scythas, & Gangaridas procedendo, vocatur mons ille Caucaſus. Vltima autem pars montis huius in fine orientis peruenit ad Oceanum inter Coas, & Paſſiadras, vbi eſt Promontorium Samaria, iuxta Oceanum, & flumē Criſores, & illa pars vocatur mons Iamus.

Cum itaque mons Caucaſus habeat omnia iſta nomina, Autores aſſignantes fontem Gangis fluminis varie illum ſignificare potuerunt: Nam hiſtoria ſcholaſtica dicens, quod naſcitur ex monte Caucaſo, accepit Caucaſum generaliter pro toto monte in omnibus partibus, ſicut ſi quis diceret Tyberim, & Arnum, oriri in Appenino, Paulus autem Oroſius dixit, quòd naſcitur de monte, qui Oſcobares dicitur, quia illa pars Caucaſi montis dicitur Oſcobares apud Indos, ſicut ſi quis diceret Tyberim, & Arnum oriri in monte, qui vulgo dicitur (le Balze), (quia eo nomine ea pars Appenini, apud Cluſentinos nominatur. *Paulus.* Solinus autem dixit, quod exoritur in Montibus Scythicis, in quo etiam montem Caucaſum ſignificauit, ſed *Solinus.* ille pro diuerſitate populorum iuxta ipſum commorantium accepit diuerſa nomina, & alicubi Scythicus, alibi Hircanus, & alibi Amazonicus dicitur: quia pars illa Caucaſi, ex qua oritur Ganges, à Scythis prope habitantibus à parte ſiniſtra, vocatur mons

Scythi-

Scythicus, ideo Solinus dixit, quód naſcitur de montibus Scythicis.

Gehō fluminis ortus deſignatur. De ortu fluminis Gehon, ſiue Nili maior eſt inter ſapientes dubitatio, ſed celebriores opiniones ſunt tres: prima, quod oriatur in litore maris rubri, & hæc opinio eſt communior, quam docet Ariſtot. in libro de origine, & inundatione Nili, & quam ſequitur Paulus Oroſius libro primo, hiſtoria. capitulo ſecundo. *Oroſius.* Secunda opinio eſt, quod apud Atlantem montem oriatur, eſt autem Atlas mons inferioris Mauritaniæ. Hanc ſententiam tenet Diuus Hieronymus ſuper Amos. *D. Hier.* capitulo octauo, hiſtoria ſcholaſtica, & plurimi, & eam maxime confirmat Solinus in Poliſtore capitulo de Aegypto. Sed hanc opinionem velut non probabilem refellit Oroſius, ac etiam Toſtatus in decimotertio capit. Geneſis à quæſt. 192. vſque ad 198. Tertia poſitio eſt Senecæ libro quinto de naturalibus quæſtionibus, *Seneca.* de qua diximus ſupra, Verum vbicunque naſcatur Nilus, certum eſt perfluere Aegyptum, & illam irrigare.

Tygris vnde oriatur. De origine Tygris eſt duplex opinio, quidam dicunt Tygrim vna cum Euphrate ex eodem fonte in Armenia oriri; ita cenſent Boetius, Saluſtius, Iſidorus, & multi alij. *Boetius. Saluſt. Iſidorus.* Beotius lib. quinto, de conſolatione metro primo; Saluſtius citatus ab Iſidoro libro decimotertio, Ethymologiarum capitulo vigeſimoprimo. Alterà opinio eſt Pauli oroſij, Solini, & Strabi affirmantium ambo hæc flumina quidem in Armenia naſci, verum non ex eodem fonte, *Oroſius Solinus, Strabus.* & hæc opinio eſt magis ſcripturæ cōſentanea, quę de quatuor his fluminibus loquens, dicit quod egrediuntur de Paradiſo, & tamen ſi de vno fonte ambo in Armenia prodeūt, non erunt quatuor flumina, ſed tantum tria, oritur itaque Tygris in Armenia, & finit in mari rubro, vbi eſt ſinus Perſicus.

De origine autem fluminis Euphrates, nihil ſupereſt dicendum ad ea, quæ diximus ſupra ſolum adducam quæ. Quintus Curtius, & Phyloſtratus de Tygri, & Euphrate tradunt. Quintus Curtius libro quinto, ita ſcribit. *Quintus Curtius.* Inter Tygrim, & Euphratem iacentia tam vberi, & pingui loco ſunt, vt à paſtu repelli pecora dicantur, ne ſatietas perimat. Cauſa fertilitatis eſt humor, qui ex vtroque amne manat, toto ferè ſolo per venas aquarum reſudante. Ipſi amnes ex Armeniæ mōtibus perfluunt, & magno deinde aquarum diuortio, iter quod cæpere percurrunt duo millia, & quingenta ſtadia emenſi ſunt, qui ampliſſimum interuallū circa Armeniæ montes notauerūt. Idem cum Mediæ & Gordienorum terras ſecare cæperunt, paulatim in arctius coeunt, & quo longius manant, hoc anguſtius inter ſe ſpatium terræ relinquunt. Vicini maxime ſunt his campis, quos incolæ Meſopotamiam vocant, Mediam namque ab vtroque latere concludunt, eadem per Babiloniam in rubrum mare prorumpunt, ita Curtius.

Philoſtratus autem libro primo de vita Apollonij capitulo decimoquarto, in hunc modum ſcribit. *Philoſtratus.* Hanc regionem, quæ propterea Meſopotamia dicitur, quod media inter duo flumina poſita eſt, Tygris, atque Euphrates ex Tauri radicibus defluentes cingunt. Magis ergo credendum eſt Curtio, & Philoſtrato, & alijs Coſmographiæ peritioribus affirmātibus diuerſos eſſe ſatiſque inter ſe diſtantes eorum fluminum fontes; niſi forte propterea vno ex fonte profluere dicantur, quia ex vno Armeniæ maioris monte Tauro ambo exoriantur.

Sed ex his quæ prędicta ſunt de iſtorum fluuiorum origine, videtur, quód hęc flumina non ſint orta ex Paradiſo, etenim omnia eorum capita alicubi inuenimus, & Phyloſophi, atque Scriptores aſſerunt in locis certis ea fontem habere. Reſpōdetur, quòd hæc flumina; non habent ex primo originem, vbi habere videntur, ſed

Digitized by Google

inde longe, quod ſcriptoribus gentium ignotum eſt. Ipſi vero inde illa primo oriri dicunt, vbi primo orta vident. Sed non eſt ſic: quia autoritas ſacræ ſcripturæ, quæ eſt omnibus autoritatibus maior (vt docet D. Auguſt. libro de conſenſu Euangeliſtarum, & ſuper Gene. ad literam) aſſerit illa de Paradiſo orta.

D. Aug. Neque eſt hoc magnopere mirandum, vt inquit Diuus Auguſtinus, libro octauo, de Gene. ad lit. capitulo 7. nempe eãdem originem, ita interſecari, ac ita per diuerſos meatus, ac riuos diuidi, atque incedere, vt rurſus quilibet (vt ita dicam) ramus è terra erumpens, aliam videatur habere originem: nec id eſt impoſſibile, vt quidam arbitrantur, cum non ſit viſum impoſſibile ſapientibus, imo ſit etiam experientia compertum verum. Nam aliqua flumina ſunt in regionibus, Hiſpanorum, & Francorum; quæ aliquando fluunt, aliquando abſorbentur, & poſtea alibi apparet eorum decurſus, & conſtat ex appertiſſimis ſignis eamdem eſſe aquam. Similiter Phyloſophi, & gentium ſcriptores hoc

Seneca. confitentur. Nam ex Seneca habemus libro de naturali; quæſtionibus, de Alpheo flumine, & Arethuſa quæ cum videantur originem habere in Sicilia, patet tamen eorum origo in Græcia; in prouincia Elidis, & Piſæ. Sed cũm ibi abſorbeãtur ſubterraneo meatu labentia, Teſte Ouidio in Inſula Ortigie caput emergunt, vbi rurſus abſorta, ſub tota Ionij maris profunditate delapſa, demum in Sicilia apud Syracuſas caput tollunt eamdem eſſe aquam. probat immiſſio palearum in Græcia, quæ poſt certa tempora in Sicilia tandem videntur, vt ait Seneca loco citato.

Et hoc ad myſterium admodũ congrue ſeruit; Cum enim per hæc flumi-

D. Aug. na, teſte Diuo Auguſtino libro decimotertio, de Ciuitat. capitulo vigeſimoprimo, ſignificentur Euangelia, quæ ex vno flumine Paradiſi, ideſt Chriſto manantes vniuerſum terrarum orbem, & quatuor eius partes penetrantes irrigarunt, conuenienter ſic diuiduntur ita vt (teſte origene) diuerſiſſimas videantur habere Origines meridiei, & Aquilonis, propter diuerſas Chriſti naturas, videlicet carnis, & diuinitatis: nam illa per Aquilonem hæc per Meridiem ſignificari poteſt. Item orientis, & occidentis, quod duo vltima flumina ſuo curſu videntur ſignificare, Nam Tygris ad orientem ab occidente vt Textus ait, Euphrates contra ab oriente ad occidentalem plagam influens reſpicere videtur. Quidquid ſit tamen; ſiue ſint hi, ſiue alij fluuij parũ refert; niſi quatenus ad myſterium facit, quod non ignoratur ex incertitudine, aut ignorantia locorum.

Et ſatis nobis eſt, cum poſſumus à perfidis tueri noſtra; quãdo nobis obiectant falſitatẽ aut impoſſibilitatem narrationis ſcripturarũ. Nec enim tenemur illis perſuadere in ſua duritia perſtantibus. Satis eſt, quod ſcriptura in omnibus oppugantem retundat, & ſi in huiuſmodi repugantem non vincat, vt merito tantæ ſit autoritatis, vt captiuari velit intellectũ in obſequium ſui. Et hęc de fluminibus Paradiſi breuiter dicta ſufficiant. Videat lector adhoc propoſitum Theodoretum in q. 19. ſuper Gene. Theodoretus.

DE COLLOCATIONE hominis in Paradiſo.

Tullit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſum voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.

Ecce inquit D. Chriſoſt. homil. 14. in Gene. quantã formati hominis Deus curam habuit. Deus. n. omnia fecit, & operatur propter noſtram vtilitatem, & cum illa, ẽt fruitionem, & refocillationẽ præbet: nã cum ob excellentem ſuã miſericordiam, ẽt priuſquam D. Chriſ.

nos

nos produceret ineffabilia bona præparauit, ſicut ipſe dicit. Venite benedicti patris mei poſſidete in hæreditatem, paratum vobis regnum ab initio mundi: multo magis præſentia omnia largiter præbebit; quandoquidem tanta beneficia in iam conditum contulit. Primū cum nō eſſet dedit ei, vt eſſet; & ex puluere corpus formare dignatus eſt; & poſt hæc dominam (animam dico incorpoream) per inſpirationem dedit. Deinde Paradiſum fieri iuſſit, & illum ibi viuere præcepit, Poſt hęc iterum ſicut Clemens Pater tenero Filio omni copia fruenti, ne inſolens fiat paruā, & congruam quandam curam excogitat, ſic etiā dominus Adæ operationem, & cuſtodiam præcepit, vt cum voluptate vbertateque, ac iocūditate placidè hæc duo faceret, quę procliuitatē illius morarentur, ac impedirent.

D. Aug.

Cum itaque Moſes dixiſſet Deum condidiſſe Paradiſum in regione Eden ad plagam eius Orientalem. Inſeruit (inquit Diuus Auguſtinus libro octauo in Geneſ. ad lit. capitulo octauo) mentionem hominis ſcribens in eo poſitum eſſe hominem à Deo, id nempe dicens per anticipationem, vt oſtenderet ſolius hominis cauſa Paradiſum eſſe à Deo conditum, vt Paradiſi deſcriptione abſoluta, ſubiūxit, quemadmodum, & cur Deus hominem in Paradiſo poſuerit.

Deus hominē produxit in cāpo Damaſceno. Ioſephus.

Sed quomodo tulit Deus hominē in Paradiſo? obſeruandum eſt, quòd cum Deus formaſſet hominem in cāpo Damaſceno de limo terrę rubrę, vt notat Ioſeph. lib. 1. Antiquitatū; à qua rubea terra nominis appellationem traxit: quia Adam hæbraicè terra rubra interpretatur, vel vt quidā volunt, prope campum Damaſcenum; ſiue vt alij dicunt circa medium terræ habitabilis, quod videtur eſſe Hieruſalē, quæ eſt quaſi vmbilicus orbis. Propterea quod in Betheleem ſecundus Adam Chriſtus erat naſciturus, & moriturus in Hieruſalem, atque adeo formauerit ipſum extra Paradiſum, vt oſtendimus ſupra; hoc verbum tulit Deus hominem, tribus modis interpretari poteſt;

Deus quō tulit Adā vt poneret eū in Paradiſo

Ioſephus Angles.

Pererius.

Primo modo interpretatur à Ioſepho Anglo in ſuis floribus ſuper 2. ſent. diſtinctio. 17. quæſtio. 2. diff. 14. quem ſecutus eſt Pererius libro quarto in Geneſim, quod Deus interiori motione docuerit Adamum, quo eſſet ipſe iturus, ſcilicet in locum Paradiſi, velut in domicilium ſibi ad habitandum à Deo præparatum quemadmodum legimus Matth. 4. Dominum noſtrum à ſpiritu ductum fuiſſe in deſertum.

Secundo poſſumus intelligere, ſicut Henoch, Abacuch, & Phylippum proditum eſt ſpiritu Dei eſſe abreptos, & in longinqua loca delatos, ita Adam ex eo loco, vbi creatus erat, in locum Paradiſi, ſpiritu Dei eſſe translatum.

D. Aug

Adā non per aerē, nec in inſtanti, ſed per terrā & ſucceſſiuè delatus fuit in Paradiſum.

Tertio illud quoque opinari licet, per Angelum humani corporis ſpecie indutum, eſſe Adam quaſi manuductum in Paradiſum, ſicut Angelus Raphael ducebat Tobiam, & hoc Diuo Auguſtino videtur veriſimilius. Nec quidem incongruè hoc factum eſt, ſed conſulto, maximaque cum ratione, vt ſcilicet homo tranſeundo à medio orbis terrarum ad extremū Orientis, vbi erat Paradiſus, videret, & attenderet quanta Deus fecerat in ſuperficię terræ, & quantum gloria regionis Paradiſi, quam illi præparauerat à regionibus beſtiarum diſtaret. Hinc nec in inſtanti, nec per aerem fuit in Paradiſum translatus, ſed ſucceſſiuè, & inferius per terram, vt omnia conſpicere, & animaduertere poſſet, quod intelligas breuiſſimo temporis ſpatio factum fuiſſe. & hanc explicationem magis probat Pererius.

Quęſt. 1.

D. Aug.

Quæritur primo. Cur Moſes dixit; Tulit dominus Deus hominem, & non dixit ſolum tulit Deus hominem; vel tulit Dominus hominem. Hoc in loco annotauit Diuus Auguſtinus libro octauo de Geneſ. ad lit. capitulo 11. Primum fuiſſe Deum appellatum Dominum, ſeu hoc vocabulo Domini, cum dicitur Dominus Deus.

Nec

Digitized by Google

Nec id temerè: namque hoc loco primum Deum legē homini poſuit, quare declarauit ſe dominū eſſe hominis, atque hominem ad ſeruiendum, atq; obediendum Deo eſſe factum, eoque ſeruitio, & obedientia, ęternam vitam, & felicitatem conſecuturum.

Ceterum parum firma eſt hęc annotatio, ſiquidem in Hębraica, & Latina ſcriptura quater, bis autem in translatione 70. Interpretum vocabulum Domini tribuitur Deo ante hunc locum.

D.Chriſ. D. autem Chriſoſt. hom. 14. in Gen. Inquit hoc factum eſſe, vt ſcite poſſemus, quod ſiue dicamus dominum, ſiue Deum nullā in nominibus eſſe varietatem, vt cum quis audierit Paulū dicentem. 1. Corinth. 8. Vnus Deus pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Ieſus, per quem omnia, non putet in dictionibus eſſe diuerſitatem, & hāc maius aliquid ſignificare, iſtā minus. Idcirco ſcriptura abſque diſcrimine illis vtitur, vt cōtentioſis ea, quæ ex ſua ſententia excogitarunt ad dogmatum rectitudinem afferre non liceat, & quod diuina ſcriptura neutrum horum cum ſingulari quadam obſeruatione, & ſuperſtitione enunciet, ex iſthoc ipſo, qđ nunc dicitur diligenter conſideret, & accipit dominus Deus, de quo vult hęreticus eſſe dictum? de patre ſolum? eſto, ſed audi Paulum dicentem: Vnus Deus Pater ex quo omnia, & vnus dominus Ieſus, per quem omnia. Vides quomodo nomen Domini Filio attribuit? Quare ergo dicunt nomen Dominus maioris eſſe momenti, quàm nomen Deus? Videte quanta abſurditas, & quanta blaſphemia. Quando quis non ipſum diuinæ ſcripturæ Catonem ſequitur, ſed ſuis opinionibus locum dat, quæ mentem diſturbent, & verborum pugnas, & infinitas quęſtiones ſanis, rectiſque dogmatibus immiſcet.

Verum ne ea, quę ſupra diximus de D. Auguſtino quis gratis eſſe dicta arbitretur, audiat Lector verba D. Aug. Proinde nullo modo (inquit) vacare arbitror, ſed nos aliquid, & magnum aliquid admonere, quòd ab ipſo diuini libri huius exordio in quo ita cęptū eſt. In principio fecit Deus cœlum, & terram, vſque ad hunc locum, nuſquam poſitus eſt dominus Deus, ſed tantummodo Deus. Nunc verò vbi ad id ventum eſt, vt hominem in Paradiſo conſtitueret, eumque per pręceptum operaretur, & cuſtodiret, ita ſcriptura locuta eſt; Et aſſumpſit dominus Deus hominem, quem fecit, & poſuit eum in Paradiſo, operari eū, & cuſtodire; Non quod ſupradictarum creaturarum Dominus non eſſet Deus: ſed quia hoc nō propter Angelos, nec propter alia, quę creata ſunt, ſed propter hominem ſcribebantur, ad eum monendum, quantū ei expediat habere dominum Deum, hoc eſt ſub eius dominatione obedienter viuere, quam licētiosè abutere propria poteſtate; nuſquam hoc prius ponere voluit, niſi vbi peruentum eſt ad eum in Paradiſo collocandum, operandum, & cuſtodiendum, vt non diceret, ſicut & cetera omnia ſuperius, ſed diceret. Et aſſumpſit eū dominus Deus, & poſuit eum in Paradiſo operari eū, vt iuſtus eſſet; & cuſtodiret, vt tutus eſſet, ipſa vtique dominatione ſua: quæ non eſt illi, ſed nobis vtilis. Ille quippe noſtra ſeruitute nō indiget, nos verò dominatione illius indigemus, vt operetur, & cuſtodiat nos; & ideò verus, & ſolus eſt Dominus: quia nō illi ad ſuam, ſed ad noſtram vtilitatem, ſalutemque ſeruimus: nam ſi nobis indigeret eo ipſo verus Deus non eſſet, cum per nos eius adiuuaretur neceſſitas, ſub qua, & ipſe ſeruiret; merito & ille in Pſal. dixit, inquit, Domine Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges. Nec ita ſentiendum eſt, quod diximus, nos illi ad vtilitatem noſtram, ſalutemque ſeruire, tamquam aliud aliquid ab illo expectemus, quā eum ipſum, qui ſumma vtilitas, & ſalus noſtra eſt.

Quod ſi res ita ſe haberet ſicut D. Auguſt. dicit, nempe quòd in hoc loco primū Deus Dominus ſit appellatus,

Digitized by Google

Dici poſſet quòd huic nomini Elohim additur Tetragramaton Ieoua, quod nomen ſignificat Deum ipſum cũ relatione ad creaturas, quatenus ipſum eſt ſummum ens,& principium omnibus, & cauſa eſſendi; & quatenus illa ſua ſumma prouidentia,hominibus huius ſeculi,qui pereunt incognita regit cũcta,& gubernat. Ex quo factum eſt,qđ illud nomen ſit ineffabile, atque adeo apud Iudços honorabile, ac venerandum, vt ob ſupremam illius maieſtatẽ non audeant illud effari; Vnde per illud intelligi arbitror immenſam bonitatem,qua ſe Deus creaturis ſuis communicauit in Chriſto. Iccirco non eſt hactenus hoc nomen auditum exprimi à propheta, niſi poſt rerum omniũ perfectam creationem, ac benedictionem, & ſtatutam legem, operationis, & cuſtodiæ Paradiſi,in qua cultus Dei p̄cipuè circa hoc ipſum mandatus fuit homini videlicet,vt ſibi in eo cultu, & gratiarum actione operaretur Chriſtũ ipſum, qui verè eſt Paradiſus ad propriam quietem. Dominus enim Deus hoc ſolum à nobis exigit, ne ingrati ſimus, & hoc conſtitutum eſt pactum, & mãdatum vetus quod fuit ab initio.

Pererius. Notat etiam Pererius,quod pro illo verbo, poſuit,hębraicum verbũ.Vuianichehu,eſt multo ſanè ſignificantius: ſignificat enim dimiſit, ſeu reliquit; quo ſignificatur Deũ non duxiſſe Adamum in Paradiſum,vt ei Paradiſi pulchritudinem,& magnificentiã tantum oſtenderet, & mox inde eum abduceret,ſed inibi dimiſit,& reliquit eũ tamquã in loco eius habitationi deſtinato.

Queſt.2. *Deus ad quid primũ hominẽ in Paradiſo poſuit.*

Quæritur ſecundo. Ad quid Deus primum hominem in Paradiſo poſuit? Reſpondet Moſes,vt operaretur, & cuſtodiret illum,quę verba triplicẽ poſſunt habere explicationẽ; Vno modo, vt operari, & cuſtodire ad Deum actiuè referantur,& illud pronomen, illũ, demonſtret hominem. Secundo modo referendo operari, & cuſtodire, ad hominem actiuè,& illud pronomen, illum,demonſtret Paradiſum. Tertio modo referendo operari actiuè ad hominem,& cuſtodire ad Deum; & illud pronomen; illum,quod geminatur hębraicè;ſic enim legitur hębraicè,vt operaretur illum,& cuſtodiret illum. Primo loco demonſtret Paradiſum, Secundo vero hominem;Priori modo eſt ſenſus, quod Deus poſuit hominem in Paradiſo, vt operaretur, & cuſtodiret illum; hoc eſt, vt Deus operaretur hominem beneficijs ſuę gratię, eum perficiendo; & cuſtodiret illum in Paradiſo terreſtri ad tempus,donec eſſet ad cœleſtem gloriam transf[illegible]ndus, cuſtodiret illum à malis illum tutando, vel (& redit in idem) vt Deus operaretur illum,ſcilicet hominem ipſum iuſtificando, & in dies iuſtiorem, melioremque redendo, & ad præſtantiora virtutum opera efficienda inuitãdo pariter,atque adiuuando à quo homine ſi ceſſaſſet diuina operatio, continuè obtenebraret, ſicut ob tenebratur aer ceſſante lucis influentia. Et cuſtodiret illum; corpus nẽpe ſeruans ab omni corruptione, & offenſione liberum, animum vero ab omni malo purum,integrumque cuſtodiens, quo ad voluntas eius cum Dei voluntate conſentiret,& diuinis pręceptis obtemperaret, & iſte ſenſus valde placet D.Auguſt.lib.8.de Gen.ad lit.cap.10. *D. Aug. lib. 8. de Gen.*

Si explicetur ſecundo modo erit ſenſus,quòd fuit homo poſitus in Paradiſo, vt ipſe homo operaretur, & cuſtodiret Paradiſum; ſed iuxta hunc ſenſũ dubitatur primo. Quid homo operari deberet in Paradiſo: nam ſi intelligatur de cultura terræ,videtur,ꝙ hoc nõ conueniret illi ſtatui: quia agricultura eſt laborioſa, iuxta illud in ſudore vultus tui veſceris pane tuo;Tum quia Paradiſus cultura non indigebat; tanta enim erat loci vbertas, quod ſpõte omnia tellus gignebat. Reſpõdetur quòd ſi homo in Paradiſo manſiſſet, coleret illum,terrã vertendo, quod & nos hic facimus,non fuiſſet tamen cultura illa Paradiſi, homini in ſtatu Innocentiæ operatio laborioſa, & moleſta, ſed facilis,

Digitized by Google

cilis, & iocunda, fuiſſetque homini pro futura ad tria.

Primo, quia licet terra, nihil non bonum, atque vtile ſponte ſua edidiſſet, accedente tamen hominis cultura efficeretur melior tellus Paradiſi. Nulla enim terra quantũcunque ſit ferax inueniri poteſt, quæ cultu non efficiatur feracior, vel vberior, & fructus eius ſuauior.

Secundo ad tollẽdum ocium: Nam homo futurus erat in Paradiſo in ſtatu quodam felici, nõ tamen ita, vt Deum videret, ſicut vident beati in patria; nã ibi nihil alterum neceſſarium eſt niſi vacare, & videre, neque eſt aliqua alia operatio delectabilior, quę huic valeat præponi; neque iſta interdum eſt eis faſtidio, vt eam permutare deſiderent. In terreſtri autem Paradiſo, cum homines eſſent ibi corporaliter manſuri, nec Deum videntes beatificè, nulla beatitudinis operatio erat, quę totaliter animum quietaret, atque adeò quæcumque eſſet quantumcumque delectabilis eam permutare appeterent, & licèt in conſideratione diuina valde delectarentur, & in cognitione naturalium, tamẽ cum id temporis vitam animalem acturi eſſent homines, non potuiſſent perpetuo intenti, & defixi in Dei contemplatione permanere præterquàm quod, cum non eſſet illa contemplatio adhuc beatifica: quia Deum intuitiuè non videbant, non poterat eſſe continuo delectabilis; & per cõſequẽs debuit eis dari aliquod, quo permutare poſſent operationem illam, atque ita tempus tranſigerent, ita, vt ocium fugerent; & hoc fuit cultura terræ; per quam varia ſibi loca in Paradiſo ad habitandum comparaſſet, viaſque, & ſemitas, per quas commode, & cum voluptate ingredi, & ſpatiari poſſet ſine labore ſtrauiſſet, atque concinnaſſet & hanc rationem aſſignat D. Chriſoſt. homil. 14. in Gen. his verbis. Nam cũ omnibus delicijs potirentur ibi vitã agentes, tum oblectamentis eorum, quæ videbat tum lętitia eorum, quibus fruebantur, vt ne immodica proſperitate homo inſoleſceret (omnem enim malitiam docuit ocium) propterea pręcepit Deus, vt operaretur illum, & cuſtodiret. *D. Chriſ.*

Tertio proderat ad accendendum hominem in Dei contemplationem: Nam cultura terrę mirabiliter animũ noſtrum excitat, ad obſeruationem, & admirationem diuinę prouidẽtię, quę multis ex rebus, quas agricultura tractat eluceſcit. Contuliſſet etiam plurimum, ad periclitandas, experiendasque tam diuerſas rerum vires, omniũque ex terra naſcentium. Potuiſſe autem eo tempore citra laborem, & moleſtiam ab homine exerceri terrę coltuturam, ſatis argumenti eſt, etiam nunc tanta cum voluptate à quibuſdam ſuſcipi, & tractari, vt magna eis pœna ſit inde abſtrahi, & ad alia euocari, vt ſcribit D. Auguſtinus lib. 8. de Gen. cap. 8. Nam cum obieciſſet Deum, hominem ante peccatum damnaſſe ad labores, & moleſtias agriculturæ hęc ſcribit. Id ſanè arbitraremur, niſi videremus, cũ tanta voluptate animi agricolare quoſdã, vt eis magna pęna ſit inde ad aliud euocari. *D. Aug.*

Si autem tertio modo explicetur, vt referatur operari ad hominem, & cuſtodire ad Deum; eſſet ſenſus, Poſuit Deus hominem in Paradiſum, vt homo ipſe coleret terram Paradiſi; & cuſtodiret illum; hoc eſt Deus hominem cuſtodiret in Paradiſo à nociuis, vt incorruptibilis permaneret. Iſtarum autem explicationum licet D. Auguſt, priorem probabiliorem exiſtimet; ſecunda tamen videtur magis literæ conſentanea; nam, & ſi illud pronomen, illum, Gręcè, & Latinè ambiguam habeat relationem, & ad hominem, & ad Paradiſum, hæbraicè tamen nulla poteſt eſſe ambiguitas; quia pronomẽ illud ponitur in feminino genere, & neceſſario coniungitur cum vocabulo Paradiſi: nam Paradiſus apud hæbreus eſt feminini generis.

Quæritur tertio iuxta ſecũdum ſenſum, *Quæſt. 3.*

Paradiſusq̄no ante peccatum cuſtodia indigeret.

ſum, Quid Paradiſo ante peccatū opus eſſet cuſtodia? Nam à quo cuſtodiendus? non ab animalibus, quibus aditus ad Paradiſum minimè patuiſſet, & omnia animalia ad nutum homini paruiſſent: non ab alijs hominibus, cū locus ille cōmune omnium hominū eſſet domicilium; nec in ſtatu innocentiæ vlli homini quicquā ab alio homine timēdum fuiſſet: non à dęmonibus: quia illos Deus ingreſſu Paradiſi ꝓhibuiſſet: Non enim ad eos arcēdos cuſtodia hominis valuiſſet. Dęmon enim natura ſua prudentior, fortiorq; eſt omnibus hominibus, & quia incorporeus eſt, nec vllo ſenſu humano comprehenſibilis, quemcumque in locum voluerit, inſcio homine ſeipſum ingerere, atque inſinuare potuiſſet.

Alex. de Ales. Reſpondet primo Alex. de Ales, 2. par. q. 58. m. 2. quòd illa cuſtodia non fuiſſet contra inuadentes, aut inuadere potentes locū illum; ſed homo adhunc ſenſum cuſtodiret Paradiſum; ne peccando ipſum amitteret, Cuſtodiret inq̄ ſibi, ne à Dęmone rabie, & inuidia, ac dolis pleno deceptus mereretur inde excludi: Et hinc colligo homini fuiſſe dictum, vt ſibi caueret ab iniquo, ſicut habet ſcriptura; Cuſtodiebat ergo ſibi Paradiſum, non peccando, & nō conſentiendo Serpenti, qui ſubdole ad extrudendum venturus erat. Vel cuſtodiret, ideſt poſſideret illū manendo ibi ſemper, quod idem eſt. Rectè .n. quiſque dicitur non cuſtodire rem ſuā, qui ſic egit, vt amitteret eam, etſi alteri ſalua ſit, qui eam, vel inuenit, vel accipere meruit. Et hęc reſponſio elici poteſt ex *D. Aug.* D. Aug. lib. 8. ſuper Gen. ad lit. cap. 10.

Vel dicendum eſt, ꝙ cuſtodia fuiſſet neceſſaria ad arcēdas ab eo loco beſtias: Nam fuiſſe in Paradiſo animalia *Ioſephus* cenſet Ioſephus lib. 1. Antiquitatū c. 1. *Baſilius.* Baſilius hom. 11. in Gen. D. Aug. lib. 14. *D. Aug.* de Ciu. Dei c. 11. Damaſc. lib. 2. de fide *Damaſc.* c. 10. Et nos ſupra docuimus. Si igitur Paradiſus fuiſſet ab homine deſertus, atque incuſtoditus, animalia, quę ibi erant, pulcherrima quæque eius loci pedibus conculcaſſent, diſſipaſſent, fędaſſent, ac vaſtaſſent: patuiſſetque aditus ad Paradiſum ceteris animalibus, quę extra ipſum erant. Debebat deinde cuſtodiri Paradiſus aduerſus Dęmones, non quidem, vt eis acceſſum ad Paradiſum prohiberet, ſed vt diximus, ne aurem præberet fallacibus dęmonum inſidijs, atq; conſilijs, quibus deceptus à Dei obedientia recederet, atque ob eam cauſam à Paradiſo expelleretur.

Poſſent etiam alio modo hęc verba Moſis interpretari, vt ambo illa verba, operaretur, & cuſtodiret, referantur ad hominem reſpectu ſui met, atque adeo eſſet ſenſus, vt ſe in Paradiſo operaretur, ne quicquā ex acceptis ſibi perperam amitteret, & cuſtodiret ſe ita Deo gratum, vt nō inde maxima cum confuſione eijceretur.

DE PRÆCEPTO A DEO ipſi Adæ impoſito.

Præcepitque illi dicens, ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas.

QVi pro dignitate admirabitur cōmunis omniū noſtri Patris liberalitatem cum nullum adhuc bonitatis ſpecimen prę ſe ferret Adam, tanta à Deo beneficia accepit; neque .n. dimidiatā illi dedit rerū fruitionem; neq; pluribus abſtinere iuſſit, & ceteris frui; ſed participē omnium, quę ſunt in Paradiſo eſſe voluit, ab vno ſolo ligno abſtinere pręcepit, monſtrans re ipſa, nullius alterius gratia hoc ipſum ſe facere, quàm vt tantorum beneficiorum authorem agnoſcere poſſet.

Ceterum obſeruandum eſt, quòd in Hębreo legitur. Præcepitque dominus Deus ſuper ipſo Adam dicēs, &c. Quæ verba diligentiſſimè pōderanda ſunt; quam circunſpectè dicatur hoc præceptum fuiſſe ſuper Adam poſitū, tamq̄ capite, & origine totius poſteritatis, vt

ex

ex eius circa hoc obedičtia, vel delicto pēderet omnium aliorum ſtatus, vita, & mors. Etſi enim ambos illos ligaret præceptū ſub pœna mortalis criminis, quæ eſt gehēnæ ignis æterni, quantū tamen ad poſterorum ruinam attinebat, ſuper ipſo Adam tantum conſiſtebat, quod his verbis innuitur; Præcepit dominus Deus ipſi Adam, aut ſuper ipſo Adam. Habet enim Adam articulum ad ſignificandum certum illum hominem, quatenus erat ceterorum origo. Ideo ſi ſola mulier peccaſſet, quemadmodum S. Tho. rectè docet, & nos infra explicabimus non corruiſſemus. Præceptum autem ſpeciale fuit hoc. Ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali, ne comedas. Circa quod

Queſt. 1. *Deus an præceperit Adæ vt comederet de omni ligno, quod eſt in Paradiſo.*

Quęritur primo, an hęc verba Moſis contineant duo, vel tantum vnum pręceptum. Ideſt, an ſicut dedit Deus præceptum non comedendi, de arbore ſcientiæ boni, & mali, ita dederit ei præceptum, vt comederet ex omni alia arbore Paradiſi.

Magiſt. hiſtor. D. Tho.

Magiſter hiſtor. in Gen. c. 15. quem ſecutus eſt D. Thom. 1. p. q. 97. artic. 3. & opuſculo 3. c. 188. arbitratur ſicut datum eſt Adę pręceptum, non comedendi ex arbore ſcientiæ boni, & mali; ita datum ei præceptum eſſe comedendi ex omni alia Paradiſi arbore, tū quia litera dicit: Pręcepitque ei Deus, atque ita ponitur verbum præcipiendi; tum quia ſi non eſſet hic præceptum, nō eſſet peccatum in trāſgreſſione eius. His quidam addunt, in illo ſtatu innocētię nunquam hominem, vel eſurientē ad manducandum, vel bibendum acceſſurum, ſi quidem fames, & ſitis moleſtiā afferunt, & pœna; quicquid autem moleſtiæ, & pœnę eſt, longè ab illo felici ſtatu remotum fuiſſet, cum igitur in illo ſtatu nec fames, nec ſitis incitaret ad manducandum, aut bibendū, oportebat eum diuino pręcepto ad id agendum incitari. Ceterum hęc opinio nec vera eſt, nec eius rationes concludunt.

Dicendum eſt ergo, quod de comedendo non eſt datum homini in Paradiſo pręceptum affirmatiuum: quia nō erat opus, ſed ſolum eſt datum præceptum negatiuum de non comedēdo de ligno ſcientię boni, & mali, adeo quòd hic ſub vna clauſula, vel contextu, ponuntur duo dicta, ſcilicet comedere, & non comedere, & vnum ponitur ſub pręcepto, alterum ſub licentia; cum enim dicitur ꝙ comedat, datur permiſſio, ſeu licentia ad comedendum, & nō iubetur comedere; cum autem dicitur de non comedendo, ponitur pręceptū quod non comedat, & ideo de primo dicitur de omni ligno Paradiſi comede, ideſt permitto tibi, vt comedas de omni ligno Paradiſi: & tunc non erat inconueniens: quia habebat homo licentiam comedendi de quolibet: non tamen obligabatur ad comedendū de omnibus; imò nullum erat, de quo determinate obligaretur comedere: quia non comedendo de illo, & comedēdo de alijs ſatis erat. Pro ſecundo dicitur. De ligno ſcientię boni, & mali, ne comedas, ideſt præcipio tibi ne comedas de ligno ſcientię boni, & mali; & hoc quoniam expreſſum erat pręceptū fuit vnicum lignum, & non erat in eo aliqđ inconueniens: quia vnicum erat, & multa alia manebant, de quibus poſſet, & liceret comederet. Et hoc patet: quia ſi daretur pręceptum comedendi, debuiſſet eſſe magis explicitum: nam affirmatiua non obligat pro ſemper, atque adeo ſi nihil vltra diceretur, niſi, quod comederet de omni ligno, ſatiſfaceret huic mandato, etiam comedendo poſt famem.

Præterea diabolus ſolū volebat deducere hominem ad hoc quod contra præceptum Dei ageret, vt per hoc innocētiam amitteret, & vitam felicem, quam inchoauerat, cui diabolus inuidebat, quapropter ſi impoſitum eſſet comedere ſub præcepto, ſicut non comedere, ita potuiſſet tentare hominē in non comedendo, ſicut in comedendo: quia vtroque modo eſſet tranſgreſſio; at veriſimile eſt, quòd diabolus eo

modo

modo tentaret, quo facilius poſſet hominem in peccatum inducere: Facilius autem induceret per ceſſationem, quã per commeſtionem: quia vnum tantũ erat à quo abſtinere debebat, ideo non poterat hic tranſgredi niſi comedendo de illo; omnia autẽ ligna erant, de quibus comedere teneretur, atq; ideo per ceſſationem à quolibet eorum fuiſſet trãſgreſſio; Diabolus ergo magis eum tentaſſet de omiſſione commeſtionis, quam de comedendo, ſed non tentauit de ceſſando, ſed de comedendo, ergo non comedere erat ſolũ ſub præcepto, comedere autem erat permiſſio, & licentia;

Adijce, quòd ex modo loquẽdi mulieris apparet, quòd non erat datũ ſub pręcepto comedere. Nam cum Serpẽs dixiſſet Euæ. Cur pręcepit vobis Deus &c. Sic reſpõdit Eua. de fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo veſcimur; de fructu autem ligni, quod eſt in medio Paradiſi, pręcepit nobis Deus, ne comederemus; ex quibus verbis licet intelligere, voluntati eorum fuiſſe permiſſum, vt ex qualibet aliarum arborũ Paradiſi comederẽt tãque ne comederent ex arbore ſcientię boni, & mali, præcepto Dei eſſe illis interdictum.

Ad rationes autem alterius opinionis dicendum eſt, quòd negari non poteſt, quin ſit pręceptum, cum ponatur ibi; Pręcepit ei, tamen non eſt neceſſe, quod quidquid ſequitur poſt illud verbum præcepit, cadat ſub præcepto, ſed cadit hoc dictum de non comedendo, adeo quod eſt ſenſus: Præcepit Deus Adamo, ne comederet de arbore ſcientię boni, & mali; ex omni autem alia Paradiſi arbore, vt comederet, ſupletu, conceſſit, vel poteſtatem dedit.

Ad ſecundũ concedimus illud ſimpliciter, ſcilicet, quòd ſi nõ fuiſſet præceptum non fuiſſet tranſgreſſio, & tamen fuit peccatum trãſgreſſionis; ideo concedimus præceptum, ſed hoc fuit de non comedendo, & quia homo comedit peccauit. Et cum dicitur, quòd in Paradiſo non fuiſſet aliqua pœnalitas, dicimus quod verũ eſt. atq; adeo non eſſent ibi fames, & ſitis, prout famis dicit cruciatum quemdam ex defectu cibi, & ſitis dicit pœnalitatem prouenientem ex defectu potus.

Eſſent tamen ibi inquantum fames dicit appetitum cibi, & ſitis deſideriũ potus. Hęc igitur prout ſignificãt appetitũ frigidi, & humidi, qui eſt ſitis; aut calidi, & ſicci, qui eſt fames etiam homini in ſtatu innocentiæ accidiſſent, vt autem hęc cum nõ ſatiſfit naturali indigentiæ adiunctam ſecum habẽt moleſtiam, & cruciatum, ea ratione, nequaquam homini eo tempore contigiſſent.

Quæritur ſecundo. An tenerentur primi parentes in ſtatu innocentię comedere, adeo quòd ſi cibum ſumere omiſiſſent, peccaſſent. Dicendum eſt, quòd ſi homo in Paradiſo non comederet, peccaret; non quidem contrafaciendo pręcepto ſibi dato de comedendo: quia tale nullum erat. Non enim præcepit Deus homini id, quod ipſe à ſeipſo facturus erat, etiam Deo non iubente, ſed peccaret, quia faceret contra naturalem rationem, & legem rationi inditam: quæ eſt naturalis lex ad Roma. 2. Illa enim dictabat, quod comedendum eſſet: quando natura expeteret cibum, ne reſolutio, & mors ſequeretur, & ideo ſi homo de nullo cibo comederet, peccaſſet. Ex quo ſequitur, ꝙ homo (vt docet Magiſter Senten. in 2. diſtinct. 19.) obligabatur in Paradiſo comedere de aliquo cibo; non tamen obligabatur determinate comedere de ligno vitę. Et ratio eſt: quia pręſupponitur, quòd homo ſciebat per eſum illius ligni ſe euitare ſenectutem, & mortem, cetera autem ligna Paradiſi etiã ſimul ſumpta non poterant ſine ligno vitę ſenectutem, & mortem impedire; ratio tamen naturalis dictabat, quòd homo vitam conſeruaret quam diu licitè conſeruare poſſet, ergo tenebatur comedere de ligno illo, & ſi nõ comederet peccaret.

Quęſt. 2. Primi parentes an in ſtatu innocẽtię tenerẽtur comedere.

Magiſt. Sent.

Quæritur tertio. Cum ſolum eſſet præ-

Quęſt. 3.

Deus ad quid homini dixit vt comederet de omni ligno Paradiſi.

præcepti de non comedendo, ad quid dictum eſt, quod comederet homo de omni ligno Paradiſi, cùm in hoc nõ eſſet præceptum. Reſpondetur hoc factũ eſſe primo ad tollendum ignorantiam: Nam licet homo ex dictamine rationis ſciret, ꝙ oportebat comedere; fortaſſe tamen dubitare poterat dę cibis, quinã eſſent ſibi liciti, atque adeo Deus definiuit dicens, de omni ligno Paradiſi comede.

Secũdo fuit propter pręceptum negatiuum: nã Deus dixit; de ligno ſcientiæ boni, & mali, ne comedas, propter hoc potuiſſet homo dubitare de alijs: an ſcilicet aliqua alia eſſent ſibi illicita. Ideo dixit Deus; de omni ligno Paradiſi comede, ideſt, non interdicitur tibi, niſi vnum lignum, & de omnibus alijs datur tibi comedendi facultas.

Tertio fuit ad oſtendendum præceptum eſſe rationabile, & leue, & quod primorum parentum tranſgreſſio fuit valde grauis. Si enim Deus vetuiſſet homini comedere de multis lignis Paradiſi, & de paucis comedere conceſſiſſet, durum fuiſſet ad obſeruandũ præceptum, et ſi homo contrairet, peccatũ paruum, vel leue eſſe videretur; quia graue fuiſſet tale præceptũ ſuſtinere. At vero cum Deus conceſſerit homini, de omni ligno comedere, quod erat in Paradiſo, & vnum tantum vetuerit, approbat quòd pręceptum erat valde rationabile, & obſeruatu facile, & quòd graue erat peccatum, & inexcuſabile; quia parum habebat motiuum ad trãſgreſſionem. Et hęc ratio eſt D. Chriſoſt. homil. 14. in Gen. ita dicentis: Et præcepit ei de omni ligno Paradiſi comede &c. Quaſi dicat Deus ad hominem. Non moleſtum aliquid, & graue petam ex te. Frui enim omnibus tibi permitto, vnum præcipio ne tetigeris, & magnam pœnam decerno, vt vel timore coercitus, datum à me mandatum cuſtodias.

Quęſt. 4. Quęritur quarto. Cur hic arborum dumtaxat fit mentio, non autem herbarum, cum ſupra extremis verbis primi capitis ſcriptum ſit Deũ dediſſe homini poteſtatem veſcendi fructibus arborum, omnique genere herbarum. Reſpondetur: quoniam inter herbas nullius earum eſus fuerat homini prohibitus; ſicut inter arbores interdictus eſt illi eſus vnius arboris, atque adeò propter vnius arboris prohibitionem adiungere oportuit facultatem edendi ex alijs omnibus, quod nulla ratio erat, vt de ipſis herbis exprimeretur. Scriptura enim non refert omnia, ſed ea ſola, quæ ad intẽtionem eius faciũt; Dicere autẽ de herbis non erat ad propoſitum ſacrę Scripturę, cuius intẽtio erat narrare ſtatum felicem hominis in Paradiſo, & eius exclusionem inde propter peccatum. Hominis autem excluſio de Paradiſo fuit propter tranſgreſſionem præcepti, quod non fuit de non comedendo de aliquibus herbis, ſed de non comedendo de ligno ſcientię boni, & mali. Cum itaq; nulla fuerit herba vetita, ſicut fuit vetita vna arbor, Ideo ſolum locutus eſt Moſes, de lignis; vt per vnum lignum vetitum videatur quæ ligna erant conceſſa. Sed cum dederit Deus pręceptum de non comedendo de ligno ſcientiæ boni, & mali: Ideo

Quæritur quinto. An hoc præceptum fuerit datum ſoli Adæ, an ſimul etiam Euæ. Pro ſolutione obſeruandum eſt primo non ſolum Adam, ſed etiam Euam fuiſſe hoc præcepto obſtrictam, quod vel confeſſione ipſius Euę manifeſtè conſtat: Nam Serpenti interroganti. Cur præcepit vobis Deus &c. Ipſa reſpondit. De ligno, qđ eſt in medio Paradiſi, pręcepit nobis Deus, ne comederemus. Nec ſanè ſi eo pręcepto nõ eſſet diſtricta Eua, peccaſſet comedens fructum illius arboris, nec à Deo tantopere fuiſſet reprehenſa, atque punita. Quęſt. 5.

Præceptũ de nõ comedendo an datũ fuerit ſoli Adæ, an etiam Euæ.

Secundo obſeruandum eſt, quod tripliciter excogitari poteſt hoc pręceptũ datum eſſe Euę; vel vt ſimul vtrique datum ſit, ideſt Adamo, & Euę; vel vt primo datum ſit Adamo, poſtea verò

per

Digitized by Google

per ipſum Adamum, denunciatum, in-dictumque ſit Euæ. Denique vt pri-mum Adamo, tum ſimul ipſe, & Euæ, hæc lex lata, & ſancita ſit.

Verum illud habet difficultatem, quomodo hoc præceptum datum ſit Euæ, quę nondum creata erat, vt ſe-ries ipſa narrationis Moſaicę demon-ſtrat: nam poſt hæc verba ponitur ra-tio, qua ductus eſt Deus ad producen-dam Euam, & quemadmodum ea for-mata ſit ex Adamo.

Tertio obſeruandum eſt, quòd in lectione Septuaginta, quam Græci om-nes ſequuntur, & quam citat D. Aug. preceptum hoc, partim habet nume-rum ſingularem, partim numerũ plu-ralem: ſic enim ſe habent, vt ea legit

D.Chriſ. D.Chriſoſt. De omni ligno, quod eſt in Paradiſo conſedendo comede, ex ligno autem ſciendi bonum, & malum, ne comedatis, quocumque autem die co-

D. Aug. mederitis ex eo, morte moriemini. Au-guſtinus autem ita eam citat: Ex omni ligno Paradiſi comedes, de ligno autẽ ſcientię boni, & mali ne comedas. In quacumq; enim die comederitis ex eo,

D. Greg. morte moriemini. Gregor. vero lib. 13. moralium cap. 10. totum hunc lo-cum legit numero plurali, ſic eum ci-tans; Ex omni ligno Paradiſi comedi-te, de ligno autem ſcientię boni, & ma-li ne tetigeritis.

Rupert. Ex his ergo dicunt aliqui, quos ſe-quitur Ruper. lib. 2. de Trinit. & operi-bus eius cap. 32. quòd pręceptum hoc ſimul vtrique datum fuit: Nam ſupra in calce primi capitis narrauit Moſes, Deum dixiſſe Adamo, & Euæ. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentẽ ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, &c. vt ſint vobis in eſcam. Quæritur autem, quando hoc illis dixerit? an prius, quàm daret hoc pręceptum, an poſterius, an vero eo ipſo tempore, quo pręceptum dedit: ſi prius, ergo iam cõdita erat Eua ante illud pręceptum, & per cõſequens dedit poſtea vtrique pręceptum, de non comedendo &c. li-cet hoc non ſit credibile; quia non de-diſſet eis Deus tam abſolutè, & preciſè copiam comedendi ex omni arbore: nam periculum fuiſſet, ne comederent ex ea arbore, à qua iuſſurus erat eos ab-ſtinere.

Secundum dici non poteſt, quòd il-la verba dixerit Deus Adamo, & Euæ; poſtquam præceptum de non come-dendo dederat Adamo: nam videre-tur Deus legem à ſe latam abrogaſſe, ſi tam vniuersè, & abſolutè eis diceret. Ecce dedi vobis omnem herbam &c. Si autẽ ſimul illa verba dixit vtrique, & pręceptum non edendi ex arbore il-la dedit, concludit illud præceptum nõ ſolum Adamo, ſed & ipſi Euæ datum eſſe; Et cum dicitur quòd femina nõ erat adhuc formata, negandum eſt. Moſes tamen in ſcribendo mutauit or-dinem naturalem, vt artificialem ſer-uaret, qui conuenientior videbatur, at-que ita vtitur anticipatione, & recapi-tulatione ponendo prius, quod factum eſt poſterius. Et ſi dicatur; Cur igi-tur ſolius Adę nomen expreſſit Moſes?

Reſpondetur, quòd ſoli Adę prin-cipaliter datũ eſt, ex cuius ſcilicet ob-ſeruantia, aut violatione conſeruatio felicitatis, quam à Deo acceperat, vel eius amiſſio, & ſui, totiusque poſterita-tis exitium pendebat. Si enim Adam pręceptum cuſtodiſſet, licet Eua id nõ ſeruaſſet, nihil mali tamen Adamo, & poſteris eius contigiſſet: contra ve-ro peccante Adamo, licet Eua nõ pec-caſſet, eadem tamen mala, quæ vtriſq; peccantibus euenerunt, nihilominus tamen poſteris eius accidiſſent.

Alij vero dicunt, vt D. Chriſoſt. ho-mil. 14. in Gen. Diuus Auguſtinus lib. 8. in Gen. ad lit. capit. 17. Magiſter hi-ſtoriæ r. cap. 15. Alexand. de Ales 2. par. quæſt. 103. m. 7. Toſt. in 13. cap. Gen. q. 217. & Pererius lib 4. in Geneſ. quòd hoc pręceptum primum fuit datum Adamo, & per ipſum denunciatum, atque indictum fuit Euę; tum quia non eſt recedendum ab ordine literæ ſine neceſſitate, & tamen prius poſuit Moſes mandatum iſtud, quam forma- *D. Chriſ.* *D. Aug.* *Magiſt. hiſtor.* *Alex. de Ales.* *Toſtat.* *Pererius.*

 tionem

Digitized by Google

tionem Euę, & non apparet aliqua cauſa vrgens, cur dicamus contrarium, ſcilicet prius fuiſſe feminam formatam, quam datum præceptum, cum per ipſum Adam potuerit præceptum Euæ denunciari, atque indici, vt per virum præceptum Domini ad feminam perueniret, quam diſciplinam, & in Eccleſia ſeruat Apoſtolus dicens: Si quid autem diſcere volūt, domi viros ſuos interrogent. Tum quia Adam priūs collocatus eſt in Paradiſo, & poſterius creata eſt Eua, conueniens autem erat, ſtatim vt homo introductus eſt in Paradiſum, legem ei, quā ſeruaturus erat, imponere, vt quam primum agnoſceret Deum eſſe dominum ſuum, eſſe illius ſeruum, & iam inde ab initio conſueſceret diuinę legi obedire. Bonum eſt enim viro, cum portauerit iugū ab adoleſcentia ſua, vt inquit: Hierem. Tum quia ſi non ſtatim, vt Adam poſitus eſt in Paradiſo accepiſſet præceptum illud non edendi ex arbore ſcientiæ boni, & mali, quare poſtea eſſet Serpenti dempta occaſio, & opportunitas tentandi hominem; Non enim potuiſſet iam experto effectu eius arboris per ſuadere fore, vt ſi ex ea comederet, velut quidam Deus ſciens bonum, & malum exiſteret, Hæc opinio probabilis eſt, licet & alia ſua probabilitate non careat.

Quęſt.6. Quæritur ſexto. Quare Deus vetuit homini in Paradiſo manducare de ligno illo? Reſpondet Toſt. vbi ſupra q. 284. quòd non fuit aliqua cauſa ex parte ligni, ſcilicet quod aliquod malū eſſet in illo ligno; ſed ideo voluit Deus dare homini hoc præceptum, vt manifeſtaret dominium ſuum ſuper hominē: licet enim ſatis ſe oſtenderit Deus, Dominū hominis; voluit tamen abundantius ſe manifeſtare in actu, præcipiendo aliquid, quod facere teneretur, & hoc eſt quod ad ſolos dominos, vel præeminētes pertinet, ſcilicet præcipere poſſe. Secundo fuit vt daret homini abundātiorem locum merendi, & ſtatum virtutis, cum ſi nullum præceptum datum eſſet, nihil eſſet in quo ſe excitaret, dato autem præcepto fuit locus exercitij ad virtutem. Tertio ob eā cauſam fuit lex illa Adamo impoſita, vt declararet Deus hominem à ſe factum liberi arbitrij facultate præditum fuiſſe, & in eius poteſtate, atque voluntate fuiſſe, quodlibet agere, & nō agere: Si enim voluntatis libertate caruiſſet Adam, abſurdum, & ridiculum fuiſſet, imponere ei legem, & pœnam, ac ſupplicium eum non obſeruanti comminari.

Toſt.

Deus cur vetuit Adamo in Paradiſo comedere de ligno ſcientiæ boni, & mali.

Quæritur ſeptimo. An facile, vel difficile obſeruatu fuerit præceptū illud Adamo impoſitum. Reſpondet Toſt. vbi ſup. q. 185. Quod cum illud præceptum datum ſit Adæ ad explorandam potiſſimū eius obedientiam, planè cōueniens fuit, vt partim eſſet facile, & partim obſeruatu difficile. Difficile quidem, vt eſſet locus merendi; facile autē vt non inciperet homo eo in ſtatu eſſe ſub iugo velut hic nos viuimus. Difficultas autem illius præcepti duabus in rebus poſita erat; Tum quia erat de nō edendo de illa arbore, vetare aūt eſum illius arboris, ad quem homo naturalē habebat inclinationē, diminuere videbatur hominis libertatem, cū nō quodlibet eorum, quæ in Paradiſo erant licitum erat; Tum quia ea arbor vehementer ad edendum alliciebat, ac rapiebat: nam pulcherrima erat ad vidēdum, & ad veſcendum ſuauis: ſic dicitur infra c. 3. Vidit mulier lignū, quod eſſet bonum aduesſcendum, & pulchrū oculis, aſpectuque delectabile, &c. Quęſt.7.

Præceptū Adæ impoſitū an facile, vel difficile fuerit. Toſt.

Quod autem ex altera parte præceptum illud leue eſſet, ac facile, duabus etiam ex rebus indicari poteſt: etenim lex aliqua duas ob cauſas valde grauis, ac difficilis ęſtimari poteſt; Primo, ob nimiam multitudinem eorū, quæ pręcipit facienda, vel fugienda; & hac ratione lex Moſis duriſſima erat. Iugum quod neque nos, neq; patres noſtri portare potuerunt, inquit Diuus. Petrus Actuum cap. 15.

Secundo, quòd licet multa non pręcipiat;

cipiat; vnum illud tamen, quod præcipit grauiſſimum, onoroſum, atq; acerbum eſt, cuiuſmodi fuit præceptũ Dei datum Abrahę, quo iubebatur filium ſuum vnigenitum Iſaac immolare: At neutra difficultas erat in eo præcepto, quod Adæ datum eſt: Neque enim Deus eo præcepto interdixit ipſi eſum omnium arborum, quæ erant in Paradiſo, ſed vnius dumtaxat arboris: neq; arbor illa erat ſola viſu pulchra, & guſtatu ſuauis, ſed erant eius generis cõplures aliæ: Nec erat arbor illa omnium præſtantiſſima, ſi quidem melior illa, atque præſtantior fuit arbor vitæ, vel iam conceſſa homini, vel iam mox concedenda. Magna igitur huius præcepti facilitas eſt; ſed graue malum eſt diſſidia inquit D. Chriſoſt. homil. 14. in Gen. facitque, vt facilia omnia videantur difficilia; ſicut ſtudio, & vigilantia, etiam omnia ardua, & difficilia, facilia nobis fiunt. Clarius etiam cernitur leuitas, & facilitas huius pręcepti, quod datum eſt Adæ, ſi tentatio, & probatio eius, cum tentatione, & probatione, vel Abrahæ, vel Iob, vel Tobię, vel plurimorum martyrum comparetur.

D. Chriſ.

Queſt. 8. *Rupert. Deus ab Adamo exigebat præcepto illo nõ comedendi.*

Quæritur octauo. Quid Deus hoc præcepto ab Adamo exigebat? Rupertus Abbas lib. 2. de Trinit. cap. 31. affirmat Deum his verbis exigiſſe à primo homine, fidem, ſpem, & charitatem, quarum trium virtutum poſſeſſione, cultu, & exercitatione ſumma totius humanæ perfectionis continetur. Scribit autem hoc modo Rupertus. Tria dixit digna imperare maieſtas Trinitatis. Ex omni ligno comede; & de hoc ne comedas, & in quacumque die comederis ex eo, morte morieris, his tribus propoſitionibus, tres ab homine virtutes exigens, ideſt, charitatem, ſpem, & fidem, quas nunc reciprocato ordine à nobis exigit eadam Trinitas vnus Deus, fidem, ſpem, & charitatem, vt quia ille cadendo deſcendit, nos reſurgentes à fide, per ſpem ad charitatem Dei aſcendamus: nam in eo quòd hominem gratis fecit, & gratis in illo voluptatis loco poſuit, planè debitorem magnæ Charitatis eumdem ſibi effecit hominem, & valde ſuis beneficijs obligauit. Item præcepto dicentis. De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas, ſpem inſignem exhibere debuit, ſpem inquam habere, & de bono Deo ſperare debuit, vt is, qui gratis tanta iam bona ſibi contulerat, profecto ſubiectionem, & obedientiam in præcepto cuſtodienti; maiora, quę promittebat, ideſt cœleſtem Paradiſum, & ſanctorum Angelorum ſocietatem, quandoque conferret. Item in cõminatione dicentis: In quocumque enim die comederitis ex eo morte moriemini, fidem habere debuit, fidem inquã habere, & firmiter credere, quod non inuidendo diuinitatem homini Deus talem lignum interdixiſſet, ſed ineuitabilem præuaricationis pœnam veraciter prænunciaſſet.

Ceterum ingratus homo, tantæ gratiæ debitum charitatis non rependit in quo magnitudinem nequitiæ nullus eſt qui eſtimare poſſit: nec ſpei virtutem habuit in futuris; quia charitatem non habens primum ingratus erat pręſentibus bonis. Quid ergo inquis, nõne ſcriptura inquit, omnia, quęcumq; voluit Deus fecit in cœlo, & in terra? Quomodo ergo omnia, quæcumque voluit fecit Deus, qui nec illud, quod pręcepit, quod vtique niſi fieri voluiſſet nequaquam pręcepiſſet ad effectũ perducere valuit? Etenim in iſto plaſmate ſuo fidem, ſpem, & charitatem, ſecundum præceptum ſuum non inuenit. Ad hæc inquam nequaquam fruſtratum eſt conſilium, vel propoſitum Dei. Valenter enim de trunco illo virtutes illas reflorеſcere fecit: nam ille quidem ad hoc opus Dei mancus extitit; Et contra opus, vel pręceptũ Dei manus incontinentes per concupiſcentiam extẽdit; ſed inuentus eſt de genere eius homo ſecundum cor Dei, qui contentas ab omnium concupiſcentia

manus ad pœnalem ſibi obediētiam in ligno Crucis extendit, & ſub pedibus eius conculcato peccato, legenda virtutis exempla multis millibus ſequentiū ſe propoſuit, Hactenus Rupertus ferè ad literam.

Queſt.9. Deus cur homini caſuro p̄ceptū dedit. Toſt.

Quæritur nono. Cum Deus præſciret hominem non obſeruaturum præceptum illud, & inde lapſurum in omnia mala, in quibus nunc eſt; Cur dedit præceptum illud; videtur, quod magis debuiſſet non dare. Huic difficultati reſpondens Toſt. vbi ſupra q. 247. 248. & 249. Quod conueniens fuit, vt Deus ageret cum homine non ſecundum futurum eius ſtatum, neque ſecundū id, qđ ille poſtea facturus erat, ſed ſecundum præſentem ſtatū, in quo eū creauerat, cui ſtatui maximè conſentaneū erat, vt Adā inde ab exordio ſuæ creationis lege aliqua obligaretur, & obſtringeretur obſequio Dei ob eas rationes, quas ſupra aſſignauimus. Nec vero, ꝙ eam legem violaturus erat Adā, propterea non fuit ea lex ferenda: iſto enim modo nulla lex hominibus ferenda eſſet, ſi quidem pauciſſimi ſunt, qui leges cuſtodiant; præſertim vero cum Deus non eo conſilio eam dederit legē, vt Adam eam non cuſtodiret, nec talē fecerit eum, vt nō potuerit eam legem ſeruare: quia fecit eum liberum, & ad bonum, atque malum flexibilem, & in cuius poteſtate eſſet legem ſeruare, vel non ſeruare.

Quare ſtulta omnino eſſent, & impia commenta de fato, aut diſpoſitione ſyderum, ſi inde fingeretur impulſus Adam, aut inclinatus ad non obediendum. Nam ſi ita res ſe haberet, equidem non fuiſſet iuſtus Deus, qui hominem aliter facere non valentem puniſſet. Ne quis autem in hanc impiam cogitationem veniat, ſatis eſt cōſiderare Dei mandatum, & pœnas delinquenti conſtitutas. Vnde in Eccleſiaſt. c. 15. verè dicitur. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illū in manu conſilij ſui, adiecit mandata, & præcepta ſua, ſi volueris mandata ſeruare, ſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam ſeruare. Appoſui tibi aquam, & ignē, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum; quod placuerit dabitur illi: quoniam multa ſapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes ſine intermiſſione. Oculi domini ad timētes eum, & ipſe cognoſcit omnem operam hominis. Nemini mādauit impie agere, & nemini dedit ſpatium peccandi: Non enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium. hęc ibi. Qui locus poteſt obſtruere os loquentium ſtulta. Fecit ergo Deus hominem rectum, nullaque ad malum propēſione, cumulauit eum præterea abundanti, excellentique gratia, per quam facillimum ei, & iucundiſſimum fuiſſet, quandoque bonum facere, aut malum euitare, & quamlibet legem cuſtodire, præſertim illam, quam acceperat, leuiſſimā nempe, atque obſeruatu facillimam.

Sed quæret hic acutus lector, quonā modo dn̄s Deus hoc pręceptum Adæ inſinuauerit, an ſolum inſpirādo in intellectum, an vero etiā ſenſibilibus ſignis, & voce formata per Angeles; Qđ mihi eſt longè credibilius. Hoc profecto tenendum opinor: Ipſum Adam de pręcepto, & ipſius præcepti authore ita fuiſſe certum, vt dubitare nō poſſet fuiſſe ipſummet Dominum Deum.

Queſt.10 Præceptū Adæ impoſitū an comprehenderet poſteros ſuos.

Quæritur decimo. An præceptum datum primis parentibus cōprehenderet poſteros ſuos, ita vt ſi Adam ſtetiſſet, filij eius tenerentur non comedere de illa arbore. Reſpondetur. Quod ſi nihil vltra fieret non obligarentur, & ratio eſt: quia mandatum hoc fuit Adæ impoſitum, atque ex modo concipiendi ei ſoli videtur datum, atque adeo non obligabat alios; Si enim alios intendiſſet Deus obligare, præceptum extēdiſſet, vel aliter illud promulgaſſet. Secundo patet hoc: quia ſi hoc pręceptum fuiſſet de iure naturæ, eſto quod ſoli primo parenti noſtro Adæ fuiſſet impoſitum, tenerētur

tamen

Digitized by Google

tamen poſteri eius ad illud, ſicut omnes obligant præcepta Decalogi; quæ & ſi Iudæis data ſint in monte Synai Exod. 20. tamen quia de iure naturæ ſunt, ne dum Iudæos, ſed etiam omnes gentes obligant, & non ſolum obligauerunt poſtquam data ſunt, ſed etiam antequã darentur, ab ipſo mundi exordio obligabãt, tam Iudęos, quàm alios homines. Et hoc ideo eſt: quia præceptum nunquam obligat niſi poſtquam eſt; & illis quibus datum eſt. Pręceptum autem quod eſt de iure naturæ ſemper eſt, & in omnibus eſt: quia non traditur; ſed innaſcitur, ideo vbique, & ſemper obligat, ſicut docet Ariſtot. lib. 5. Ethyc. cap. 7. dicens, quòd ius naturale ſemper, & vbique eſt, ſicut ignis ardet hic, & in Perſis. Sed iſtud mandatum non erat de iure naturę, ſed pure poſitiuo, ideo nõ erat antequam daretur, nec erat in illis, quibus non dabatur, atque adeo ex eo, quod dabatur Adę, alios non obligabat, ſed fuit ſolũ prolatum tunc in perſonam Adę ergo alios non obligabat.

Quinque genera legum reperiuntur. Vnde obſeruandum eſt, quinque genera legum diuinarum reperiri, leges diuinas appello, quę ab ipſo Deo latę ſunt hominibus, eſt enim lex naturalis, quam Deus cunctis hominibus ſimul cum ipſa natura ingenerauit, quę quidem naturali humanę mentis lumine, & ipſo rationis iudicio manifeſta eſt, notaque omnibus, cunctoſque pariter obligans. Altera eſt lex ſupernaturalis fidei, ſpei, & charitatis, cunctos quidẽ homines, & omni tempore ſimpliciter obligans, non tamen naturali modo, ſed ſuper naturali Dei munere, & gratia hominibus data. Tertia fuit lex Moſaica, quam Deus nõ omnibus; ſed vni tantum genti hębręorum tulit, cuius videlicet obſeruantia ceterę gentes minimè oblgiabantur, loquor autem de lege Moſis quantum ad ceremonialia, & iudicialia eius præcepta. Quarta lex eſt diuina, non quidem omni tempore, nec ſimpliciter obligans, ſed tantum ex inſtitutione Dei poſt Euangelij promulgationem omnes gentes obſtringens, vt eſt lex ſuſcipiendi baptiſmi. Quinta lex eſt priuata, quam Deus vni, aut alteri, paucisvè hominibus impoſuit, & huius generis fuit ea lex, qua Deus interdixit Adę eſum illius arboris ſcienię boni, & mali, hac enim lege certum eſt aſtrictos eſſe Adam, & Eua. an vero eorũ poſteri ſi ſtatus innocentię permanſiſſet eadem lege obligati fuiſſent, ex modo promulgandi, atque concipiendi eam legem credo, quod non; vt ſupra diximus.

Queſt. 11 Præceptũ Adæ impoſitũ an extenderetur ad poſteros. Quęritur vndecimo. Eſto quod pręceptum iſtud de ſe ad poſteros Adę nõ extenderetur. Vtrum ſi Adam haberet poſteros in Paradiſo, Deus extenderet præceptum ad eos, vt etiam illi de arbore illa non comedere tenerentur.

Reſpondetur, quòd hoc incertũ eſt, & vt opinor nõ facilè explicabile: quia neque ſacra Scriptura illud exprimit; neque ratio ſufficienter concludit, cum non fuerit, ſed eſſet futurum, ſi Adam non peccaſſet. Aliqui tamen cenſent, quod hoc præceptum non erat extendendum ad poſteros: quę ſi Adam nõ ſuccumberet, tunc tentationi, cõfirmatus fuiſſet in bonum, atque adeo nõ ſolum poſteri eius, non obligarentur, verum etiã nec ipſe; imò, vt dicunt, Deus abſolueret illos ab obligatione præcepti illius, & fuiſſet, velut ſunt nũc beati in vita ęterna, vbi nullo aſtringuuntur præcepto.

Quidam verò opinantur, quòd facta fuiſſet eius præcepti extenſio ad poſteros, & obſeruatum fuiſſet, atque cuſtoditum ab omnibus hominibus, quam diu in Paradiſo manerent. Quia ſic Adam creatus fuit innocens, & tamen datum ei fuit præceptum in Paradiſo; ita & poſteri ſui eodem modo ſe habuiſſent, vixiſſent enim ſub præcepto, vt ſic Deo ſe agnoſcerent ſubditos. Et confirmatur: quia homines in Paradiſo terreſtri non erant ſimpliciter beati: quia non erant incorruptibiles, habentes dotes corporis glorioſi; neque etiam Deum

clarè videbant, atque adeo erant viatores; quamdiu autem ſunt homines viatores ſatis competit viuere ſub præcepto. Dicendum eſt ergo, quod non conſtat, quid horum verum ſit, quia vtrumque habet colorem, videtur tamen rationabilius, quod ſub præcepto viuerent, ſiue ſub iſto, ſiue ſub aliquo alio: quia certum eſt, quod erant viatores, & quod non erant beati, quamdiu in Paradiſo Terreſtri manerent.

Et omnes rationes, quas ſupra adduximus, cur præter legem naturalem, & illam ſuper naturalem fidei, ſpei, & charitatis, quibus Adam, & Eua ſtatim, vt creati ſunt aſtricti tenebantur, ea lege ſpeciali, & poſitiua non edendi de illa arbore, concludunt fuiſſe aſtrictos, concludunt etiam propoſitum de eorum poſteris. Aſtricti enim fuiſſent præcepto, vt ea re declararet Deus, ſe eſſe eorum dominum, & ipſi intelligerent ſe eſſe creaturas, & Dei ſeruos, cui obedire, & ſeruire deberent, & quibus obedientia, & ſeruitus, non vtilis modo, ſed etiam neceſſaria erat.

Secundo, vt ea re declararet Deus homines ab ipſo Adam deſcendentes liberi arbitrij facultate præditos eſſe, & in eorum poteſtate, & voluntate fuiſſe quodlibet agere, & non agere.

Tertio, vt eis præberet Deus materiam exercendi virtutem obedientiæ, quæ Deo gratiſſima, hominique vtiliſſima eſt.

Verum dicet aliquis ſatis fuiſſe poſteris Adæ ad obedientiam exercendam, & declarandam ſeruitutem, quã Deo præſtare debebant legem naturalem, quam eis Deus indiderat. Ceterum non ita res ſe habet; quia præter quam quod idem de Adamo dici poſſet per legem naturalem nõ omnino liquet, Deum eſſe dominum hominum: cum à nonnullis exiſtimari poſſet legem naturalem eſſe quamdam naturæ rationalis proprietatem, quæ conditionem naturæ humanæ conſequitur: quemadmodum vnaquæque ſpecies animalium habet ſingularem quendam, & proprium, ſuæque congruentem naturę inſtinctum, ac propenſionem. Nec deſunt, qui, quæ continentur in lege naturali ea faciant, non tamquam à Deo iuſſa, & vetita, ſed tanquam rationi ſuæ, iudicioque conſentanea, vel aduerſa; Et eſto cognitum eſſet legem naturalem eſſe à Deo inſitam, & præſcriptam; ea tamen perſpicuè non oſtendit, ampliſſimam, & abſolutiſſimam Dei in homines poteſtatem, & Imperium, quippe cum per eam legem non præcipiantur, aut prohibeantur: niſi quæ ſecundum rationem humanam per ſe bona, aut mala videntur, ex quo dominatio Dei cognoſcitur non abſoluta, ſed quæ recta dumtaxat ratione nititur. Non igitur lex naturalis ſatis erat ad oſtendendum abſolutiſſimum Dei in homines Imperium, & dominatum; Sed ad id euidenter demonſtrandum, conueniens fuit fieri à Deo ſpecialem quamdam, & poſitiuam legem de re quapiam, quæ per ſe, nec bona, nec mala eſſet, qua poſteri Adã aſtringerentur, vt eorum exploraretur, & probaretur obedientia; quæ in eo maior, & perfectior cernitur, qui ad obedientiam applicat animum, non grauitatem, & momenta eorum, quæ imperantur perpendens, ſed ſolam imperantis voluntatem, auctoritatem, & poteſtatem ſpectans.

Quæritur duodecimo. An hoc præceptum comprehendat modo poſteros Adæ, ita vt teneantur non comedere de illo. *Quæſt. 12 Præceptũ Adæ impoſitũ an modo cõprehẽdat eius poſteros.*

Reſpondetur quòd poſteri Adæ nõ obligantur hoc mandato: quia poſteri Adæ non ſunt in Paradiſo, neque illuc intrare poſſunt, cum ſit poſita cuſtodia ante Paradiſum. Non ſunt ergo ipſi obligati ad non faciendum id, quod facere eſt eis impoſſibile.

Secundo, quia hoc præceptum, negatiuum datum eſt ſimul cum conceſſione affirmatiua: nam dictum eſt. De omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem &c. & ideo, qui tenebatur præce-

Digitized by Google

præcepto negatiuo, gaudebat conceſſione affirmatiua: quia vnum dependebat ex alio; nulli autem de poſteris Adæ gaudent conceſſione illa, ſcilicet de omni ligno Paradiſi comede; ergo nulli eorum obligantur hoc negatiuo præcepto, ſcilicet de ligno autem ſcientię boni, & mali ne comedas. Ex his patet, quid dicendum ſit de Henoch, & Elia; nam cum ſint in Paradiſo, & facultatem habeant comedendi, de alijs arboribus, ac etiam de ligno vitæ dicendum videtur, quòd teneantur non comedere de ligno ſcientiæ boni, & mali; cum adhuc viatores ſint, nec perfectè beati.

DE POENA Tranſgreſſioni præcepti iniuncta.

In quocunque enim die comederis ex eo morte morieris.

TRia ſunt, quæ homines mouere ſolent ad leges ſibi latas obſeruãdas, ſcilicet legislatoris amor, & reuerentia, cuius præceptis, vel ob magna beneficia ab eo accepta, vel ob excellentem eius ſapientiam, & authoritatem, & legitimum in eos Imperium ſe obedientiam debere agnoſcit.

Secundo ſpes pręmiorum, quæ legem obſeruantibus ſunt promiſſa.

Tertio metus ſuppliciorum, quibus prævaricatores, & violatores legum, ſubijciendi, & plectendi ſunt; atque hoc poſtremum expreſſum eſt illis verbis. In quocumque enim die comederis ex eo morte morieris. Præmium Adamo promiſit Deus, ſi eam legem ſeruaſſet, implicite in illis verbis. De omni ligno, quod eſt in Paradiſo comede. Nam illis verbis promiſiſſe Deũ Adamo facultatem edendi ex arbore vitæ cuius eſu immortalem vitam, nõ interius modo, verum etiam laboris, omniſque moleſtiæ neſciam, & expertem degere poſſet, id ex ipſis his domini verbis licet euidenter argumentari. Si enim Deus cõminatus eſt Adamo, fore, vt edens ex arbore ſcientiæ boni, & mali neceſſario moreretur, ex eo cõcludere licet, ſi non ediſſet nunquam cum fuiſſe moriturum. Ceterum quoniã maiorem vim ad cõmouẽdos animos noſtros habet metus, quam ſpes, cõminatio pœnę, quam mercedis promiſſio, dolor denique quam voluptas, ideo verba ſubiunxit, quæ minas, atq; terrorem continent; atque adeo denunciauit ei ſi præuaricaretur de arbore illa edens certiſſimum mortis exitium; volens eum illius modi minis, & pœnę periculo, velut quodam freno cohibere.

Verum nõ eſt vna Interpretum huius loci & literę explicatio. Quando poſt eſum illius arboris triginta, & nongentos annos vixerit Adam, atque adeo non facilem intellectum habent hęc verba, quibus Deus minatus eſt Adæ fore, vt in quocunque die comederet ex illa arbore moreretur. Phylo lib. 2. allegoriarum in fine, & Eucherius lib. 1. in Gen. putauerunt Deũ non eſſe locutum de morte corporali, ſed ſpirituali tantum, id eſt de amiſſione iuſtitiæ, & gratiæ Dei, per quam homo viuit Deo, quod enim anima præſtat corpori ad vitam naturalem, & corporalem, hoc ipſum quadam ratione animæ præſtat gratia ad agendam vitam, ſpiritualem & diuinam. *Phylo.* *Euch.*

Verum hanc ſententiam eſſe falſam, lectio ipſa hebraica oſtendit, quæ ſic legit moriendo morieris, vt intelligatur non ſolum de morte animæ, ſed etiam corporis. Alioqui, quodlibet peccatum contra Deum mortem animę ipſo iure meretur. Fuit enim hæc mortis corporeæ pœna, reſpectu illius primęui naturalis ſtatus ſpectans ad integrum hominem, quam quidem pœnam tunc demum incurreret, ſi voluntate ſimul cũ facto peccaret: nam ſi in ſolo conſenſu peccauiſſet, non etiam facto comedendo, hanc pœnam perfectam, & mortem corporis non incurriſſet, licet

Digitized by Google

peccaſſet mortaliter, ſicut reuera inſpe cto ordine prævaricationis peccauit. Antequã .n. re ipſa comederet lapſus eſt cõſentiẽdo, nec tñ ſtatim adepta eſt ei originalis iuſtitia, nec conſequenter morti corporali additus eſt, ſed vbi pri mũ comedit, protinus ſoluta eſt partiũ bene inter ſe conſentientiũ harmonia, & mortalis factus eſt, ideſt moriendo moriebatur, qđ perinde eſt, ac ſi dixerit. Ex tũc incępit mori, & non ſolum reatũ mortis incurrere. Satis .n. illud mori, dicitur, quod aſſidue in mortem tendit, quod magis explicabitur infra.

Alij opinantur hæc verba Dei continere ſententiam non definitiuam, ſed comminatoriam, quam non eſt neceſſe impleri, aut certè ſecundum rigorem impleri, qualis fuit ſententia aduerſus Niniuitas de futuro eorũ poſt 40. dies excidio; & qualis fuit Ezechię Regis ſententia, quòd diſponeret domui ſuæ: quia moreretur, & non viueret.

Sed hoc friuolum eſt, & abſque vlla ratione dictum, vt oſtendit clariſſimè Toſt. Gen. c.13. q.301. Nam ſententia Dei cõminatoria, & conditionalis tunc non impletur, cum deeſt conditio, ſub qua pronunciata eſt, ideſt, cum mutatus eſt is, aduerſus quem lata fuerat, ſicut diſertis verbis declarauit Deus per Hiere. c.18. At hoc non contingit Adamo, quippe, qui admiſſo pctō nõ ſtatim reſipuit, & pęnitentiã egit; quinimo cũ ppetrati ſceleris argueretur à Deo excuſauit ſe, & eleuare voluit crimen ſuũ, cauſam eius in vxorem eius conferens.

Iuſtinus Mart. *Irenaus.* Iuſtinus Martyr in Dialogo contra Tryphonẽ, & Irenęus lib. 5. aduerſus hæreſes cenſent Adamum, qua die comederit ex illa arbore, eadem ipſa die mortuũ eſſe, ceterum alia eſt dies dñi, alia hominis: nã dies naturalis hominis 24. horarum ſpatio definitus eſt; Dies verò dñi ad mille annos perducitur, vt cecinit Dauid Pſal. 89. Quoniã mille anni ante oculos tuos, tamq̃ dies heſterna, quæ pręterijt. & S. Petrus. Mille (inquit) anni ſicut dies vnus: quoniã igitur Adam non attigit milleſimũ annum, rectè dici poteſt non vixiſſe diem vnum, ſed eadem die mortuũ eſſe, qua peccauit. Sed eſt explicatio dura, & cõtorta, atque narrationi Moſis, quæ hiſtorica eſt parum conſentanea videtur.

Ideo triplex expoſitio remanet, quæ poteſt huic literę adaptari; prima, vt illud in quacũque die referatur tñ ad illud comederis, non aũt ad illud morieris, vt non ſit ſenſus eadẽ die morieris, qua die comederis, ſed tñ ſignificetur, eſum illius arboris nõ eſſe interdictum Adamo in vnum aliquem certũ, & determinatũ diem, vel tps, ſed in omnem diẽ, atq; in omne tps, ita vt quocumq; die, vel tpe comederet oĩno moriturus eſſet, adeo q̃ eſſet ſenſus in quacunque die comederis, ideſt nõ refert, qđ comedas nunc, vel cras, vel poſt multũ tps, ſed quęcumque dies ſit qua comederis ſequitur q̃ aliquando morieris. Quæ quidẽ interpretatio facilis eſt ad intelligendũ, nec vllis pręmitur incomodis.

Secũda expoſitio eſt, vt illa determinatio referatur ſimul ad vtrumq; verbum .ſ. In quacumq; die comederis, ipſa eadẽ die morieris, & tũc illud morieris, non ſignificat actũ moriendi, ſed neceſſitatẽ, & debitũ mortis, vt ſenſus ſit, ſtatim vt comederis, obnoxius ens pęnę mortis, & aſtrictus eris neceſſitate moriendi; qua non teneberis ſi ex iſta arbore, nõ comederis, & huic cõcordat editio, vel trãſlatio, q̃ facit Symachus, q̃ laudat D. Hiero. in lib. traditionũ hębraicarum in Gen. Ita .n. tranſtulit. In quacũque die comederis mortalis eris, ſignificãdo voce illa mortalis, non potentiã naturalẽ moriendi, quę oritur ex naturali cõſtitutione hoĩs, & qua ẽt in ſtatu innocentiæ Adã minimè carebat, ſed denotãdo ineuitabilẽ moriẽdi neceſſitatẽ, in quã pp peccatum incurrit Adã. Hãc interpretationẽ probãt Theodoretus q.38. in Gen. D. Aug. lib. 13. de Ciu. Dei c.23. & lib. 11. de Gen. ad lit. c. 23. & oẽs Scholaſtici in 2. ſent. diſt. 19. *Symach.* *D. Hier.* *Theodor.* *D. Aug.*

Tertia expoſitio eſt, q̃ in quacũque die Adam peccaret moreretur: quia in ipſa die incipiebat mors, licet non termina-

minaretur, & iſte modus loquendi eſt ſatis conueniens rationi, & locutioni ſanctorum: de ratione patet: quia quam diu Adam non peccaret, manebat in eo vnitas ſtatus, & non diſponebatur aliqualiter ad corruptionẽ, neque deteriorabatur corpus ſuum, neq; ſeneſcebat ſic nos patimur: quia quotidie corpora noſtra ſunt impuriora, atque ita gradatim peruenimus ad ſenectutem, & complementum diſſolutionis, vbi eſt terminus mortis, atque adeo iſte proceſſus quotidianæ reſolutionis, non eſt niſi quædam mors ſucceſſiua, cuius pars quotidiè habetur, ſicut in calefactione, & alijs alterationibus partialiter introducitur forma In Adam autem ante peccatum etiam ſi per mille annos maneret, nulla diſſolutio fieret, & nulla impuritas, ſed manſiſſet eadem puritas, quæ fuit in formatione. Nam aliquo reſoluto in corpore eius, per continuã caloris naturalis actionem ſuccederent, quod ex cibo conuertitur in eadem puritate: atque ita non eſſet proximus ſenectuti quòd mille annos, quam in prima die vitæ ſuæ. Poſt peccatum autem cæpit ſtatim diſſolui, & ſuccedere impuritas ſicut in nobis, Ideo in ipſa die in qua peccauit mortuus eſt: quia primam partem illius mortis ſucceſſiuæ, habuit.

D. Greg. Secundo hæc expoſitio conuenit communi modo loquendi ſanctorum Ita enim loquitur Gregor. homil. 37. in Euangelia. Temporalis vita æternę vitæ comparata, potius eſt mors dicenda quam vita Ipſe enim quotidianus defectus corruptionis, quid eſt aliud, quam quædam prolixitas mortis, atq; ita totam vitam appellat vnam mortem ſucceſſiuam: quia in qualibet parte eius eſt defectus, corruptionis ideſt ſucceſſiua reſolutio, & ita potuit dici mortuus Adam, quando mori cæpit: quia licet mors ſit mutatio inſtantanea; tamen ſic alteratio, quæ præcedit formæ ſubſtantialis introductiones, non dubitauit Ariſto. appellare generationem, ita alteratio, quæ paulatim præparat ad interitum nomine mortis appellari poteſt. Incepit ergo Adam mori, quando incepit in eo alteratio ad mortem. Verum circa hanc litteram.

Quæritur primo, An mors quam Deus minatus eſt Adamo, fuerit tantum animæ, an corporis. an vtriuſque D. Auguſt. libro 13. de Ciuit. Dei cap. 12. quadruplicem mortem diſtinguit, vnam animæ, & ad tempus, cum anima peccando ſeparatur à Deo, alterã corporis, & ad tempus, quo ſeparatur anima à corpore; tertia quæ ſimul vtrumq; complexa eſt, ſeparationem dico animæ à Deo, & à corpore; quartã qua homo in æternum moritur, poſt diem Iudicij ſecundum animam, & corpus, quæ mors ſecunda, & nouiſſima appellatur. Dubiũ eſt ergo quam mortem cominatus ſit Deus Adamo. *Queſt. 1. Mors quã Deus minatus fuit Adamo an fuerit tãtum animæ an etiam corporis. D. Aug. lib. 13. de Ciuitate Dei c. 12. Mors quadruplex eſt.*

Nam Phylo. libro 2. allegoriarum legis Moſaicæ cenſuit non mortẽ corporis, ſed animæ dumtaxat ſignificari, eamdem ſententiam amplexus eſt Eucherius primo libro Coment. in Gene. quibus etiã ſubſcripſit Eugubinus in annotationibus ſuis in Pẽtatheucum; licet poſtea in Coſmopeia mutauerit ſententiam. Inſuper Greg. Papa eam tutatus eſt in Regiſt. libro 6. capitulo 195. ſic enim eo loci ſcribit. Si Adæ, qui primus peccauit, anima in peccato mortua non eſt, quomodo de ligno vetito ei dictum eſt. In quacũque die comedentis ex eo morte moriemini, & ecce comedit Adam, & Eua de ligno vetito, & tamẽ in carne ſua vltra nongentos annos poſt modum vixerunt. Conſtat itaque quia in carne non eſt mortuus; ſi ergo in anima mortuus nõ eſt (quod dici nefas eſt) falſam ſententiam de illo protulit Deus; qui dixit, quia qua die comederet moreretur, ſed abſit hic error, abſit à vera fide. Nos enim primum hominem, qua die peccauit, animã mortuũ dicimus, atque per hunc, omne genus humanum in hac mortis, & corruptionis pœna *Phylo. li. 2. allegoriar. in fine. Eucherius lib. 1. in Geneſ. Eugub. in Ge. Greg. Papa in Reg. lib. 6. c. 195.*

dam-

damnatum. Cæterum hæc opinio ſcripturæ appertè contradicit; nam vox mortis poſita in hiſtorica narratione, qualis eſt hæc Moſis, accipienda eſt ſecundum propriam, & vſitatam apud omnes ſignificationem, ideſt pro morte corporali; quod appertè oſtendit D. Paulus ad Roma. capitulo quinto, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatū mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, quod autem intelligenda ſint hæc verba de morte corporis decretum eſt in Concilio Arauſicano, 2. can. 2. ſub his verbis. Si quis ſoli Adæ præuaricationem ſuam, & non eius propagini aſſerit nocuiſſe, aut certè mortem tantū corporis, quę pæna peccati eſt, non autem, & peccatum, quod mors eſt animæ, per vnum hominem in omne genus humanum tranſiſſe teſtatur, iniuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatū mors in omnes homines pertranſijt in quo omnes peccauerunt. Et in Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali can. 1. Dicendum eſt ergo omnes mortes, quas diſtinguit D. Auguſt. vbi ſupra, illis Domini verbis eſſe comprehenſas, eiſque Adam poſt peccatum fuiſſe obnoxiū, ſcilicet animę, & corporis, temporalem, & ęternam: legatur D. Auguſt. loco ſupra citato. Et ſi quis dicat mortē eſſe homini naturalem, atque adeo non eſſe peccati pœnam. Dicendum quòd homo duobus modis conſiderari poteſt, vel per ſe, & ſecundum nudā ſuæ naturæ conditionem, remoto omni Dei ſuperaddito dono, & hac ratione mors eſt homini naturalis, non minus quam ceteris animantibus; vel poteſt homo conſiderari ſecūdo ea ratione, qua fuit cōditus à Deo rectus, innocens, & potens ſemper viuere, & nunquam mori ſi non peccaſſet, quę homini non contingeret ex ſuę naturæ conditione, ſed ex Dei gratia, & beneplacito, & hoc ſecundo modo conſiderando

Concil. Arauſi. 2. can. 2.

Concil. Tri. ſeſſ. 5. can. 1.

Concil. Trident.

D. Aug. vbi ſupr.

Homo duobus modis cōſiderari poteſt.

hominem mors verè fuit homini pęna, niſi enim peccaſſet, in illo felici ſtatu permanens à morte fuiſſet immunis.

Quęritur ſecundo. An homo comedendo de ligno illo incurrerit aliqua alia mala pręter mortem. Dicendum, quòd homo incurrit in multa alia mala, ſcilicet eiectus fuit è Paradiſo, etiā impoſiti ſunt homini labores per totam vitam, cum dicitur in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, &c. mulieri quoque pronunciata ſunt mala ſua, ſcilicet multiplicabo ęrumnas tuas, & conceptus tuos in dolore paries filios tuos. Item generaliter intelligendum eſt, quòd omnia mala pęnalia, quę homini venerunt, acciderunt ex peccato illo, quod ſatis colligitur infra cap. tertio, tam in malis mulieris quam viri, & iſta ſunt mala pręter mortem, atque adeo per peccatum illud non ſola mors ſecuta eſt, ſed etiam multa alia mala.

Quęſt. 2. *Toſt. ſup. 13. caput Geneſi. q. 303.*

Homo an præter mortē alia, qua alia mala incurrerit propter peccatū.

Quęritur tertio, cum multa alia mala pręter mortem ſecutura erāt ex peccato illo; quare Deus ſolum comminatus eſt mortem? Dicendum, quòd Ideo factum eſt: quia mors eſt pœna grauiſſima omnium; ideo ſatis fuit exprimi eā, alijs non expreſſis, ipſa enim vocatur vltimum terribilium libro 3. Ethymolog. cap. ſexto: ſecundo, quia aliæ pęnæ non addunt ad mortem, ſed ſunt aliquid eius, atque adeò nominādo mortem poterant aliæ includi in ea, & cauſa eſt: quòd omnes aliæ pœnæ habent duas habitudines ad mortem; vna eſt quòd omnes præcedunt eam, & ipſa eſt vltima; altera eſt quod omnes diſponunt ad illam; nulla enim pœna eſt, quæ nō diſponat aliquo modo ad mortem, & non inducat eā continuata per aliquod tempus ſola, vel cum alijs, & ideo cum dictū eſt Adæ morte morieris, non eſt ſignificatum, quòd hoc ſolū fieret homini, ſed etiam omnia alia tacita intelligūtur, quæ ad mortem inducunt, & mortem præcedunt: nam ceterę pęnę corporis ſunt

velut

Quęſt. 3. *Toſt. vbi ſupra q. 304.*

Deus cur Adamo ſolum cōminatus eſt mortem.

Pœnæ omnes duplicem habitudinem ad mortem.

Digitized by Google

velut Lineæ à circunferentia circuli ductæ vſque ad cētrum, in quod omnes lineæ terminantur, & deſinunt, ipſam vero mortem rectè appellauerim tamquam centrum, vt pote quæ terminus ſit omnium malorum; poſtremo eam voluit Deus pœnam tantum exprimere, quæ generatim, & ex æquo omnes Adæ poſteros, eius peccati participes comprehenderet, huiuſmodi autē ſola eſt mors, quæ æqualiter cunctis hominibus accidit, quemadmodum dixit Oratius. Pallida mors æquo pulſat pede, Pauperum Tabernas, regumque turres; Cetera autem corporis mala, nec omnibus, nec æqualiter contigunt.

Oratius.

Queſt. 4. Quæritur quarto. Cur Deus non ſit comminatus Adæ pœnas inferni nam Adam, ne dum corporis mortem promeruit, ſed etiā æternæ mortis reus fuit, & perpetuis inferni ſupplicijs obnoxius: cum igitur pœna inferni multo grauior, & horribilior ſit, quam pœna mortis corporalis, cur non illam potius, quam hanc illi Deus comminatus fuerit? Aliqui dixerunt, quòd Deus etiam pęnam inferni comminatus fuit, & ob hoc dicunt, quòd ponitur bis mors ſcilicet morte morieris, ſcilicet morte corporali, & morte æterna. Sed hoc non ſtat, quia ibi non ſignificatur niſi vna mors, quæ eſt corporalis, & tamen ponitur morte morieris ex modo loquendi hębraico, talis enim eſt cōſuetudo illius Idiomatis, ſic enim dicitur Expectans expectaui Dominum, quod tamē ſolum ſignificat expectaui Dominum, & illud confuſione confunderis, & illud ſi reſpicies videris: omnia enim idem ſunt; ſed modus loquendi hæbraicus ſermonem interdum duplicat. Eſt ergo dicendum, quod licet hanc pęnam incurreret Adam peccando, non expreſſit eam Deus; primo quia non intelligeret; non enim vnquam auditum erat de hoc, neque aliam pœnam homo ſenſerat, per qu m poſſet de iſta cogitare: ſecūdo, quòd licet illa ſit maior, quam mors corporalis; tamen non mouet tantum quantū corporalis, eo quod corporalis imaginatione, & ſenſu percipitur, æterna autem nō niſi fide, & ratione; tertio, & principaliter: quòd Deus poſuit illam pęnam, quam neceſſe erat hominē incurrere, ſi peccaret, & non illam, quam poterat euadere, & de facto euaderet. Sic enim de nobis eſt, quia pœna mortis corporalis pro peccato eſt, & licet nos de peccato doleamus, non poſſumus euitare pœnam iſtam corporalem, ſed euitamus mortem ęternam, ſiue pœnam inferni, licet ſit nobis debita, per contritionem, & ita fuit de Adam nam poſt peccatum mortuus fuit corporaliter, & non profuit ei pænitentia, quā egit expulſus de Paradiſo ad euitandam iſtam mortem, ſed euitauit pœnam inferni: quoniam nunc cum ſanctis eſt; ideo non debuit nominare illam pęnam, ſed eam, quam determinate incurſurus erat.

Toſt. vbi ſup. queſt. 305.

Deus cur non ſit cō minatus Adæ pœnas inferni.

Poteſt addi quarta ratio ex D. Auguſtino libro decimotertio, de Ciuit. Dei capitulo 23. vbi ſcribit propterea comminatus Adamo Deus mortem de ſecunda morte nihil dixit quia occultam eſſe voluit propter diſpenſationem teſtamenti noui, vbi ſecunda mors appertiſſimè declaratur, vt prius iſta mors prima quæ communis eſt omnibus proderetur ex illo veniſſe peccato, quod in vno commune factum eſt omnibus, mors vero ſecunda non vtique communis eſt omnibus propter eos, qui ſecundum propoſitū vocati ſunt ſancti, quos ante præſciuit, & prædeſtinauit (vt ait Apoſtolus) conformes fieri imagines filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, quos à ſecunda morte, per mediatorem Dei gratia liberauit.

Aug. lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 23.

DE.

Digitized by Google

DE MVLIERIS formatione.

Dixit quoque Dominus Deus non eſt bonum hominem eſſe ſolum.

Perer. li. 4. in Ge. EXpoſita diligenter generatione Adami, ad enarrandã Euæ formationem, accedit Moſes, & ante omnia apperit cauſam, & neceſſitatem creandi mulierem; quia ſcilicet non erat bonum, quod vir eſſet ſine muliere, ſed neceſſarium erat, vt vir mulierem haberet ſociam, & adiutricem ſibi congruentem, cum ad multa, tum maxime ad generandam prolem, & ea ratione propagandam, atq; conſeruandam ſpeciem humanam: nam tale adiumentum homini in nullo ceterorum animalium inueniri potuit.

Cur non erat bonũ hominem eſſe ſolũ. Sed quam habent illa Domini verba ſententiam. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum? hanc ſcilicet, cum homo ſit ſua natura animal ſociabile nõ erat bonum ipſum eſſe ſolitarium, & abſque aliorum hominum conſortio; fuiſſet enim ei, & ſi bonis omnibus afflueret, in iocundam tamen; & acerbum, deinde Adam erat velut caput, & ſeminarium humani generis, ex quo omne genus humanum propagandum, & multiplicandum erat, at multiplicatio hominum ſine generatione, & generatio ſine mulieris ſocietate haud fieri poterat. Denique ſublata muliere neceſſe eſt tolli generationem hominum, hac ſublata ſpecies humana perpetuari non poteſt, ea vero extincta, neceſſe eſt valde imperfectum remanere vniuerſum, quippe cum omnium rerum corporatarum; præſtantiſſimus ſit homo, & quaſi vniuerſitatis rerum pulcherrimum, quodd. m vinculum, & decentiſſimus nexus. Nec bonum erat hominẽ eſſe ſolum propter Angelos nimirum diminutio eorum, ob ruinam malorum ſpirituum, ſupplemento hominum reſarcienda erat; nec id fuiſſet bonum etiam propter Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ex Adamo pro generandus primus erat prædeſtinatorum, & primogenitus omnis creaturæ. Nec profectò id bonum eſſe poterat, cum æterni Dei conſilio, & propoſito cõſtitutum eſſet, multos ex poſteris Adę ad ęternę vitę, ac felicitatis participationem aſſumere. Nec decebat Dei bonitatem, & munificentiam, quæ per ſe communicabilis erat, cum infinitibus hominibus, ad vnum dumtaxat hominem reſtringi, & coarctari.

Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.

LAtinus interpres ſecutus ſeptuaginta vertit pluraliter faciamus, Hebraicè tamen, & Chaldaicè eſt ſingulariter faciam. *Pere. lib. 4. in Gen.*

Pro eo autẽ quod nos legimus adiutoriũ ſimile ſibi, Chaldaicè ad verbum, eſt ſuſtentaculum, quod ſit pœnes eum; quę oratio ad eos alluditur, qui in ſubleuandis oneribus mutuas ſibi in auxilium manus porrigunt, tale ſuſtentaculum, & vicarium auxilium, voluit Deus mulierem eſſe marito; quaſi dicat ad manus ſit vxor marito, vt eum adiuuet, conſoletur, & laboribus ſubleuet. Pro illo ſimile ſibi: Septuaginta verterunt ſecundum ipſum, id eſt reſpondens, & congruens ipſi, videlicet, ſecundum eamdem naturę ſpeciem, & tamquam naturaliter idoneum, ex quo vir prolem ſuſcipere queat: rectè igitur latinus interpres, non verba, ſed ſenſum perpendens vertit, ſimile ſibi. Neceſſe enim erat mulierem fieri partim ſimilem, & partim viro diſſimilem. Similem quidem in ſpecie, & natura, diſſimilem vero ſecundum ſexum, & ſecũdum ea, quę ſexum naturaliter, & neceſſario conſequuntur: duabus enim rebus opus erat ad perficiendam hominis generatio- *Mulierẽ neceſſe erat fieri partim ſimilẽ, & partim viro diſſimilem.*

ratio-

rationem, principio actiuo, & paſſiuo, efficiente, & materia; & harum rerum alteram habet vir, altera vero penes feminam tantum eſt.

Hæbraicè pro illo, quòd latina lectio habet ſimile ſibi, ſic eſt, contra ipſum, quòd triplicem habet interpretationem, quidam enim hæbrei ita intelligunt, quòd mulier facta ſit cõtraria viro: ferè enim aduerſatu viro, eum que inſectatua, infeſtat, & quoquomodo vexare non prætermittit: Sed peruerſa eſt iſthæc interpretatio, non enim eo facta eſt mulier à Deo, vt aduerſaria viro eſſet; nec talis vlla fuiſſet mulier in ſtatu innocentiæ. Toſtatus propterea exiſtimat dictū eſſe mulierem eſſe contra virum, quòd inter feminam, & marē contrarietatem aliquam eſſe neceſſe ſit; ea nimirum, quę eſt inter agens, & patiens; ſi enim mulier fuiſſet omnino ſimilis viro, nullam ad efficiendam generationem hominis vim habere, & operam conferre poſſet. Tertio ſic explicatur, vt contra ipſum pro eo dictum ſit, quod eſt coram ipſo, quæ locutio frequens eſt in ſacris literis, vt in Pſalm. 50. & peccatum meum contra me eſt ſemper, & in Euangelio: Ite in Caſtellū quod contra vos eſt, & alibi millies. Caietan. in Geneſ. illud coram ipſo, vel contra ipſum ſignificare putat, mulierem eſſe diſſimilem ceterorum animalium; erectam enim in pedes, excelſo vultu rectoque totius corporis habitu, coram viro ſtare, vt corpore, ita quoque animo ei ſimillimam. Sed circa hanc literam

Toſtatus.

Caietan.

Quęſt. 1. Quæritur primo quis loquitur hic, & ad quem ſit hæc locutio: licet ſupra cū de hominis formatione ageremus, aliqualiter fuerit hæc difficultas ſoluta; attamen nunc videndū eſt quid ad eam D. Auguſt. reſpondeat: is enim libro quinto de Gen. ad lit. capitul. 27. ita ſcribit. Si modum quærimus, quomodo iſta locutus ſit Deus; modus quidem ipſe à nobis propriè comprehendi non poteſt. Certiſſime tamen tenere debemus, Deum aut per ſuam ſubſtantiam loqui, aut per ſibi ſubditam creaturam, ſed per ſubſtantiam ſuam non loqui niſi ad creandas omnes naturas: ad ſpirituales verò, atque intellectuales non ſolū creandas, ſed etiam illuminandas: cum iam poſſunt capere locutionem eius, qualis eſt in Verbo eius, quod in principio erat apud Deū, & Deus erat Verbum, per quod facta ſunt omnia; illis autem, qui eam capere non poſſunt, cum loquitur Deus, non niſi per creaturam loquitur, aut tantummodo ſpiritualem, ſiue in ſomnis, ſiue in Eſtaſi ſimilitudinem rerum corporalium, aut etiam per ipſam corporalem, dum ſenſibus corporis, vel aliqua ſpecies apparet, vel inſonāt voces. Hæc Aug. Secundo obſeruādū eſt quòd hic non fuit aliqua locutio vocalis vel organica, quia oporteret, quòd eſſet aliquis, ad quem fieret, & qui natus eſſet accipere per locutionem notitiam; non eſt autem aliquis huiuſmodi niſi homo: nam inter perſonas diuinas non eſt locutio aliqua, & à fortiori non eſt locutio vocalis: inter Angelos quoq; non eſt locutio vocalis: quia illi non ſunt nati ſic accipere, cum ſint incorporei, ergo ad ſolum hominem ſpectat vocalis locutio, & tamen videtur, quod non fuerit facta ad hominem huiuſmodi locutio: quia cum Deus voluit formare Euam, Adā erat ſolus, nam dixerat Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum; & tamen non fuit facta locutio ad ipſum, cum ſit ſermo de ipſo in tertia perſona, ſcilicet non eſt bonum hominem eſſe ſolum. Ergo non fuit hic facta locutio.

Deus quo modo loquatur.

Aug. lib. 5. de Ge. cap. 27.

Toſt. vbi ſupr. 307. & 300.

Ad difficultatem ergo poteſt dici primo, quòd hic non fuit facta locutio aliqua, ſed ponitur iſtud ad ſignificandum conſilium Dei de his, quæ pertinebant ad mulieris formationem; licet enim Deus non conſilietur, quia non eſt ibi dubitatio, neque inquiſitio, neque inuentio, ſed cognitio tota plena, & ſemper manens; Inducitur tamen Deus quaſi cum ratione quadam,

Toſt. vbi ſupra.

dam, & conſilio, & deliberatione ad efficiendam mulierem accedere, vt hinc inoteſcat dignitas operis futuri, ſingularis enim modus eius perficiendi ſingularem quoque eximiam eius dignitatem oſtendit, atque ita non eſt quærendum quis loquatur, vel cui facta fuerit locutio.

Toſt vbi ſupra. Secundo dici poteſt: (quoniam hic dicitur, quòd dixit Deus) quod non poteſt intelligi, quòd dirigatur ſermo niſi vnius perſonæ ad aliam, eo quod id, quod hic dicitur, non poteſt conuenire Angelis, nam dicitur non eſt bonum hominem eſſe ſolum, etiam illud adiutorium fuit femina; & tamẽ in factione feminæ non communicauerũt Angeli. Tum quia non ad animam, quoniam illa creatur, & creatio non cõmunicatur Angelis, Tũ quia non ad corpus, eoquod corpus mulieris ſumptum eſt de corpore viri, & tã in ſumptione, quam informatione fuit miraculum, vt dicemus infra, & in miraculo non communicant Angeli.

Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 2. Vel dici poteſt tertio, quòd Deus homini fuerit locutus, ei ſuum reuelando conſilium; quo mulierem formandam deliberauerat, vt innuit. D. Auguſt. lib. 9. de Gen. ad lit. capitul. 2. *Aug. lib. 8. de Gen. cap. 27.* quòd duplici poterat fieri modo, aut per ſubſtantiam ſuã, aut per ſubditam ſibi creaturam. Si enim Adam talis erat, vt poſſet capere illam locutionem Dei, quam mentibus Angelicis per ſuam præbet ſubſtantiam, nõ dubitandum eſt, quòd eius mentem per tẽpus mouerit miro, & ineffabili modo, non motus ipſe per tempus; ſi autem ad eum modum Adam iuſtus erat, vt ei adhuc opus eſſet alterius creaturæ ſanctioris, & ſapientioris authoritas, per quam cognoſceret Dei voluntatem, atque iuſſionem, ſic nobis prophetæ, ſic ipſis Angeli; cur ambigimus per aliquam huiuſmodi creaturam ei eſſe locutum Deum, talibus vocum ſignis, quæ intelligere poſſet? hęc D. Auguſt. quæ licet ſcribat explicans illa verba, & præcepit Dominus Deus de omni ligno, quod eſt in medio Paradiſo, &c. eadem tamen replicat, & applicat ad hunc locum infra lib. 9. capitul. 2. D. Chriſoſt. homilia 14. in Gen. inquit cui hoc dixit? non creatæ alicui potentię, ſed ei, qui ex ſe natus eſt, conſiliario admirabili; potenti principi pacis, vnigenito filio ſuo. *D. Chriſoſt.*

Poſtremo dicendum eſt, quòd ſecundum veritatem nihil hic Deus dixit; nã non dixit aliquid homini, cum potius de homine fiat ſermo in tertia perſona, neque etiam fiat ſermo Angelis: quia Angeli non poterant cõmunicare Deo in formatione mulieris; neque etiã eſt locutio perſonæ ad perſonam diuinam, quia earum non eſt locutio vocalis, neque mentalis; ſed iſtud ponitur ad oſtendendum, quaſi eſſet conſilium Dei de formando mulierem, vt ſignificetur aliquid eſſe melius alijs animalibus, in quorum productione non dicitur fuiſſe diuinum conſilium; ſecundo introducuntur iſta verba, vt innoteſcat cauſa formationis mulieris. *Toſt. vbi ſup. q. 310.*

Quęritur ſecundo, ſi non erat bonũ hominem eſſe ſolum quomodo ergo erat homo ſolus, vel cur Deus fecit hominem ſolũ: nam homo ſe ipſum non fecerat, ergo videtur, quòd Deus fecerit, quod non erat bonum. Aliqui dicunt, quòd Deus fecerat id, quod non erat bonum, & tamen quia illud non bonum fuit completum per illum, & non per alium, non eſt inconueniens; ſic dicunt, quòd Deus facit hominem prius eſſe infantem, quam virum, & infans eſt incompletus, & tamen ipſe poſtea complet illum faciẽdo virum, & non eſt inconueniens, quod ſic faciat, ſed hoc ſtare nõ poteſt; quoniam ſi Deus faciat primo rẽ incompletam, & poſtea illam compleat, non facit à principio malum, vel non bonum, ſed facit incompletum, & poſtea completum, ipſum autem incompletum non eſt malum, ſed bonum non conſumatum, qui autẽ facit prius aliquid malum, *Quęſt. 2. Toſt. vbi ſup. q. 312. Homo quo erat ſolus, ſi non erat bonũ hominẽ eſſe ſolum.*

Digitized by Google

lum, vel non bonum, & poſtea facit bonum, videtur, quòd ſe emendauerit, quod dici nequit, niſi de eo, qui errat, vel deficit in operando. Dicendum eſt ergo, quòd Deus non fecit malum, vel non bonum, ſed omne quod fecit eſt bonum, & ipſe fecit hominem ſolum, ſed aliquando fuit bonum hominem eſſe ſolum, & aliquando erat malum eſſe ſolū, quando erat bonum eſſe ſolum, fecit eum ſolum eſſe, quando autem erat malum eſſe ſolum, fecit quòd non eſſet ſolus; fuit autem aliquando bonum hominem eſſe ſolum, ſcilicet vt non producerentur ſimul duo indiuidua maſculus, & femina, ſicut in alijs ſpeciebus multa indiuidua ſimul producta ſunt, & tamen neceſſe erat aliquando ſolū eſſe virum, ad hoc vt de eo produceretur femina, quòd autem diu maneret ſolus vir, erat malum, & ſic fecit Deus, quòd non ſic maneret diu, atque adeo nullum malum fuit in opere Dei, neque in ordine; & quando dicitur non eſt bonum hominem eſſe ſolum, accipitur ibi eſſe pro manere, vt ſit ſenſus. Malum eſt, quòd homo ſolus maneat, & intelligitur non de eſſe præterito, ſed de futuro, & ideo prouidit ſtatim Deus, quod non eſſet ſolus. In tempore autem præterito, quod parunm valde fuerat; non fuerat malum eſſe hominem ſolum, atque ita fecerat Deus, tunc ſolum manere.

Homini eſſe ſolum aliquãdo fuit bonum, aliquãdo nõ bonum.

Quæſt. 3. Quæritur tertio. Cum Moſes intenderet deſcribere formationem mulieris quare non dixit faciamus feminã, ſed faciamus adiutorium. Aliqui dicunt, quoniam Deus nõ impoſuit nomen mulieri, ſed Adam: nam dixit hęc vocabitur Virago: quia de viro ſumpta eſt, atque adeo non introducit Moſes, quòd Deus dixerit faciamus feminam, vel mulierem, quia tūc repugnaret ſibi ipſi, & ideo vſus eſt alio nomine, & dicit, quòd Deus dixit. Faciamus ei adiutorium. Sed hoc ſtare non poteſt nam hæc ratio facit aliquid ad hoc, quòd non vocetur mulier, vel Virago; ſed non reddit rationem, cur vocetur adiutorium: nã potuit alijs nominibus appellari. Ideo dicendum eſt, ita Deum eſſe locutum, vt oſtenderet, quòd vir non eſt datus mulieri in ſociū, ſed mulier viro: ſecundo dictum eſt ad ſignificandum id, ad quod femina propriè eſt, ſcilicet ad generãdum. Maſculus enim perfectior eſt femina, & continet totam excellentiam ſpeciei. Ideo ſoli maſculi producerentur ſi in eis ſolis poſſet ſeruari ſpecies, ſed non poteſt: quia maſculi ſoli non propagant indiuidua, & cum ſit indiuiduum quodlibet corruptibile, ſi non multiplicat ſe ipſum, peribit tota ſpecies cum ipſo indiuiduo. Ad hoc ergo, quòd multiplicetur, & non pereat neceſſarium fuit indiuiduum quod maſculo commixtum generare poſſet, & iſtud indiuiduum vocatur femina, & iſta eſt neceſſe, quòd ſit ſecundum naturam maſculo minus perfecta: ſi enim penitus eiuſdem perfectionis in natura eſſent maſculus, & femina, eſſet impoſſibilis generatio per commixtionem eorum; ad hoc ergo facta eſt femina, quæ eſſet minoris perfectionis, quam vir; & vocatur adiutorium ad ſignificandum, quod non eſt æqualis, ſed minus perfecta. Et ex hoc ſequitur feminam per ſe, ac primaria Dei intentione non eſſe, generatam, ſed propter virum, vt eſſet ei adiutorium ad procreãdum ſobolem, & cum hac Moſis doctrina, valde congruit, & conſentit Ariſt. ſententia, appellantis feminam animal occaſionatum, ideſt, non per ſe, & ex principali naturæ intentione generatum, ſed ex occaſione ſcilicet propter imbecillitatem, & defectum virtutis generatiuæ, quæ eſt in ſemine virili, quod ſi validum ſemper, & perfectum eſſet, ſemper marem, & nunquam feminam generaret.

Toſt. vbi ſup. q. 314.

Deus cur dixit faciamus adiutorium, & non dixit faciamus feminã.

Mulier non eſt à Deo producta per ſe, & primaria intentione.

Quæſt. 4. Quæritur quarto ad quam rem fieri oportuerit hoc adiutorium; B. Aug. libro 9. de Geneſi. ad lit. capitulo tertio quarto, & quinto huic quæſt. ſatis-faciens

D. Aug. libro 9. in Ge. ad lit. cap. 3. 4. & 5.

Mulier propter quod facta eſt in hominis adiutorium.

faciens ſcribit. Nihil aliud probabiliter occurrit quam propter filios procreandos, ſic adiutorium ſemini, terra eſt, vt virgultum ex vtroque naſcatur: hoc enim & in prima rerum conditione dictum erat maſculum, & feminam fecit eos, & benedixit eos Deus, dicens. Creſcite, & multiplicamini, & replete terrã, & dominamini eius, quæ ratio conditionis, & coniunctionis, maſculi, & feminæ benedictio, nõ poſt peccatum hominis, pœnamq; defecit, & capitulo quarto, in fine inquit. Aut ſi ad hoc adiutorium gignendi filios non eſt facta mulier viro, ad quod ergo adiutorium facta eſt; ſi vt ſimul operaretur terram; nondum erat labor, vt adiumento indigeret & ſi opus eſſet, melius adiutorium maſculus fieret, hoc & deſolatio dici poteſt, ſi ſolitudinis fortaſſe tędebat: quanto, congruentius ad conuiuendum, & colloquẽdum duo amici pariter quam vir, & mulier habitarent? quod ſi oportebat alium iubendo, alium obſequendo pariter viuere, ne contrariæ voluntates pacem cohabitantium perturbarent, nec ad hoc retinẽdum ordo fuiſſet, quo prior vnus, alter poſterior, maxime ſi poſterior ex priore crearetur, ſicut femina creata eſt, qua propter nõ inuenio ad quod adiutorium facta ſit mulier viro, ſi pariendi cauſa ſubtrahatur. Hactenus Auguſtinus.

Mulier partim fuit homini neceſſaria, partim nõ neceſſaria.

Poteſt ergo dici, feminam partim fuiſſe viro neceſſariam, partim nõ neceſſariam, ſed valde vtilem; neceſſaria fuit viro generandæ, ac iam genitæ nutriendæ prolis cauſa; quæ munera ſine muliere à viris nullo modo præſtari poſſunt. Et in hunc ſenſum loquitur D. Auguſt. ad officia verò domeſtica congrue peragenda, mulier etſi nõ neceſſaria, erat tamen perquã vtilis; nam licet ea munera, vt Auguſt. docet, poſſent à viris obiri; opportunius tamen, & melius perficiuntur à feminis.

Quæſt. 5. Toſt. vbi ſup. q. 315.

Quæritur quinto. Quare dicitur adiutorium ſimile ſibi. Dicendum quòd ponitur primo ad excludendum indignitatem feminæ. Nam dicebatur, faciamus adiutorium, & nomen adiutorij ſignificat rem minoris dignitatis, quam id, cuius eſt adiutorium, cum & pecora, & res inanimes ſint adiutoriũ hominis, atque adeo, vt non exiſtimetur femina tale adiutorium, dicitur ſimile ſibi id eſt non eſt de imperfectis adiutorijs, ſed eſt tale, quod accedit ad viri ſimilitudinem. Et ex hoc excluditur error quorumdam, qui exiſtimauerunt, quòd fecerit Deus mulierem in adiutorium homini ad ſeruiendum ei.

Mulier cur dicatur adiutoriũ ſimile viro.

Nam Dauid Kimhi explanans illum locum, quòd Deus fecit mulierem coram viro, quod noſter interpres vertit ſimile ſibi. Coram viro, inquit, facta eſt mulier, vt ſit ei præſto & parata ad miniſtrandum, atque ſeruiendum, more ſcilicet ſeruorum, ſtantium corã Dominis ſuis, eorumque non verba modo, ſed nutus etiam obſeruãtium; miniſtrorum enim alij remoti ſunt a conſpectu dominorum, alij vero ſemper eis aſſiſtũt, & talem viro voluit Deus eſſe mulierem. Verum hæc ſententia falſa eſt: non enim femina facta eſt, vt ſerua, ſed vt ſocia eſſet viri, atq; ob eam cauſam non ex pedibus, nec ex tergo viri, ſed ex latere, quo ſocietas eius, & communitas cum viro, denotaretur fabricata eſt; quod patet etiam ab Ariſt. primo politicorum, capitulo primo, vbi loquens de communicationibus dicit: quia quidam voluerunt, φ femina eſſet extremũ combinationis diſpoticę, id eſt, φ vir eſſet dominus, & femina ſerua, ſed Ariſtot. improbat, ibi iſtorum poſitionẽ dicens, quòd femina eſt pars communicationis naturalis, quæ eſt prima, & eſt ad ſimile tertiũ delinquere, & non eſt pars communicationis diſpoticæ: quia natura facit vnum ad vnum, & non vnũ ad multa; ſicut facit ars, quæ facit gladiũ delphicum pro paupere, & ille eſt ad duo, ſcilicet ad ſcindendum, & ad ſecandum, & tamen femina naturaliter eſt ad generandum, ergo non eſt ad ſer-

ſeruiendum; ſecundo dixit ſimile ſibi, vt ex hoc denotaretur minor dignitas feminæ, quam viri, quia oſtenditur eſſe femina ad ſimilitudinem viri, & nõ plene adæquantem, ſicut vir factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Et iſtam differentiam dignitatis inter virum, & feminam expreſſit D. Paulus 1. ad Cor. 11. vbi dicit, quòd vir debet orare capite nudo, femina autem capite velato, & ſi aliter fiat turpe eſt; cauſam huius reddit ex differentia dignitatis, quaſi vir ſit dignior, & ideo debeat nudato capite orare, femina verò, & tamquam minor, & ſubdita, capite velato, & oſtendit iſtam dignitatẽ primo dicens, quia vir eſt caput mulieris, ſcilicet volo autem vos ſcire, ꝙ omnis viri caput eſt Chriſtus, caput autẽ mulieris eſt vir, caput aũt Chriſti eſt Deus. Secundo oſtendit differentiam; quia dicit hominem eſſe imaginem Dei, & nõ feminam; ſed vir quidem non debet velare caput quoniam imago, & gloria Domini eſt; mulier autem gloria viri, & ita mulierem non dixit imaginẽ, vel gloriam Dei, ſed viri. Tertio ſignificauit iſtam inæqualitatem, quia vult feminam eſſe propter virum, & virum non eſſe propter feminam; non enim eſt vir ex muliere, ſed mulier ex viro: etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum: hæc autem habitudo finis facit magnam inæqualitatem.

Toſt. vbi ſupra q. 317. *Dignitas mulieris ſuper cetera aĩalia ex tribus poteſt oſtendi.* Poteſt tamen oſtendi dignitas feminę ſuper cetera animalia ex tribus; Primo, quia de alijs animantibus non ponitur conſilium aliquod Dei, neq; cauſa productionis, ſed ſolum dixit Deus, fiat, & factum eſt, de femina ponitur conſilium Dei, & cauſa cum dicitur. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus &c. Secundo, quia in productione aliarum rerum, non fit mentio de pluribus diuinis perſonis, ſed ſolum ponitur Deus, ſine vlla diſtinctione pſonę, quaſi non ſit aliquid tale neceſſarium ad productionem illã, ſed in productione mulieris fit mentio de pluribus perſonis, cum dicitur faciamus ei adiutorium ſimile ſibi, quaſi tam excellens opus ſit, ad quod oporteat concurrere omnes diuinas perſonas; Tertio, quia in productione aliorũ animaliũ dicitur; producat aqua, vel ꝑducat terra in quo ſignatur parua illorũ dignitas: quoniam terra, & aqua ſe habent, vt actores; in productione autẽ feminæ dicitur, quòd Deus produxit: nam ipſe dixit faciamus ei adiutorium, etiam dicitur, quòd Deus immiſſit ſoporem in Adam; & tulit vnam de coſtis eius &c.

DE ANIMALIVM AD ADAM adductione, & impoſitione nominis.

Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli. Et adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea.

NOn temerè, neq; abſq; cauſa hoc factum eſt, ſed propter futura: Deus enim præſcius, quid non multo poſt eſſet euenturũ, oſtẽdit nobis quãtã ſapientiam cõdito homini dedit, vt cũ præuaricatio mandati à Deo dati contingat, non putetur per ignorantiã peccaſſe, ſed ſciamus quod lapſus ille ex deſidia fuerit; at primo videndum eſt *Chriſoſt. hom. 14. in Gen.* *Toſt. vbi ſupra q. 318.* Queſt. I.

Cur fecerit Moſes mẽtionẽ de formatione aĩalium, cũ ſuperius poſita iã eſſet. Ad qđ dicendum eſt, ꝙ hic ſeruauit Moſes ordinem artis; iam .n. poſita fuerat formatio animaliũ, & præterierat ſecundum tẽpus, voluit tñ recolere, quo animalia adducta fuerãt ad Adã; & quia nõ poterant adduci niſi formata eſſent, & iam omiſerat dicere de illis; ideo repetit iſtud verbum formatis animantibus, vt res planior fieret, non eſt tñ intelligendum formatis animantibus, ideſt ſtatim, vt formata fuerunt: quoniam animalia omnia fuerunt formata priuſquam Adam, & tñ non potuerunt duci ad Adam ante formatio-

 nem

Digitized by Google

nem eius,ſed intelligitur quòd iam formata erant animalia; qñ adducta ſunt ad Adam. dicitur autem formatis omnibus animantibus: quia verum eſt, ꝙ omnia formata fuerunt ante Adam,& tamen cauſa fuit: quia omnia adducta ſunt ad Adam, ideo oportuit dici omnia iam formata eſſe.

Queſt.2. Toſt. vbi ſupra q. 319. Vide ad hoc Alexand. de Ales p.2. q. 58. m. 5. §.1. & 2.

Aĩalia omnia an ſint de humo formata.

Quæritur ſecundo, quomodo dicitur formatis omnibus animantibus de humo; nã videtur falſum eſſe: quoniã humus eſt terra,& tamen non fuerunt formata omnia de terra: nam piſces,& aues formati ſunt de aqua. Dicendum, quòd ſatis poteſt intelligi de ſolis animalibus terreſtribus, & quòd non referatur ſimpliciter ad omnia, tum quia ponitur ibi adiectio quædam .ſ. formatis de humo cunctis animantibus terræ; animalia autem terræ dicuntur, quę ſunt, vel mouentur ſuper terram,& de iſtis verum eſt, quòd formata ſunt de terra; tum quia illa ratio non tenet, nã de volatilibus non dicitur ſub eadem clauſula, ſed ſub alia; ſcilicet formatis de humo cunctis animantibus terrę,& formatis cunctis volatilibus,& ibi non dicitur de humo, vnde neque determinatio illa refertur ad omnia.

Queſt.3. Caiet. in 2.c. Gen. Animalia an verè, et realiter fuerint adducta ad Adam.

Quæritur tertio, an verè, & realiter animalia adducta fuerint ad Adam: an vero modo quodam intellectuali: Caiet. cenſuit animalia non fuiſſe re vera adducta ad Adamum, ſed tãtum intellectuali quodã modo fuiſſe à Deo eius intellectui pręſentata, vt ea conſiderãs, & conuenienter eorum naturis nomina imponens, agnoſceret nullum ex eis eſſe ſibi ad vitæ ſocietatem congruens, & prolis generationem adiutoriũ. Nã Moſes (inquit Caietanus) narrat Deũ adduxiſſe animalia ad Adamum, vt videret quomodo ea vocaret; manifeſtũ eſt aũt non fuiſſe Adamo opus viſione corporali animalium ad ponenda eis nomina, talis namq; viſio ad impoſitionẽ nominũ nihil conferre poterat, ſed opus fuiſſe intellectuali viſione, ſine qua talis nominũ impoſitio rectè fieri nõ poterat: nõ igitur corporaliter, ſed intellectualiter aĩalia eſſe ad Adamum adducta intelligere oportet. Verũ hæc Caiet. ſententia cõi omnium patrũ, & Theologorũ ſnĩæ repugnat, & argm̃, quo à tam probata, receptaq; patrum & theologorum ſnĩa receſſit puerile, & valde futile eſt: Nam illud, vt videret quid vocaret ea referri poteſt ad ipſum Deum, vt in Deo dictũ ſit phraſi hębraica non infrequenti ſacris literis. Poteſt ẽt referri ad Adamũ, & intelligi, tam de viſione intellectuali, quã corporali, hęc .n. excitabat, & determinabat gñalem ſcientiã aĩalium, quæ erat in intellectu Adami ad ſingulas animaliũ ſpecies, quarũ cernebat indiuidua propriè,& diſtinctè contẽplandas, & aſpectus illorum animaliũ, ſumma voluptate animum Adami profundebat, quæ per ſcientiam infuſam ratione ipſa percepta,& cognita habebat, eadẽ ſenſibus experientiãque recognoſcẽtis.

Queſt.4. Toſt. vbi ſupra q. 326.

Quæritur quarto, an omnia animalia fuerint adducta ad Adam. Nã dicit Moſes, formatis Dominus Deus cunctis animantibus &c.

Animalia oĩa an fuerint adducta ad Adam.

Dicendum, ꝙ non fuerunt adducta oĩa animalia; ideſt oĩa indiuidua omniũ animaliũ ad Adam. Tum quia nõ erat conueniens. Nã iſta adductio erat ad imponendum nomina aĩalibus, ſed ad hoc non erat neceſſe adduci omnia indiuidua, ſed pauca, de qualibet ſpecie, Tũ quia adduci omnia, magis impediret finem, ob quẽ adducebantur: nam iõ adducebantur, vt Adam illa cognoſceret,& imponeret eis nomina, at ſi oĩa indiuidua ſimul adducerentur, nõ poſſet Adã bene illa videre pp multitudinẽ, atq; adeo nõ fuerunt oĩa adducta. Si autẽ quæratur quot adducta fuere de qualibet ſpecie; põt dici, ꝙ ſatis erat de qualibet ſpecie adduci vnũ indiuiduũ: quia quale vnũ eſt, talia ſũt cetera, vel ad plus dicendũ ꝙ eſſẽt duo aĩalia de qualibet ſpecie .ſ. maſculus, & femina; & hoc eſt veriſimile, tum quia aĩalia adducebãtur ad Adã, vt ea agnoſceret,& ideo debebant ei oſtendi oẽs differentiæ aĩalium; at in aĩalibus

duæ

Digitized by Google

duæ ſunt differentiæ, vna ſcdm ſpeciē, altera ſcdm ſexum, cū maſculus, & femina differāt in aliqua figuratione ſecundū corpus, & vt plurimū in magnitudine; Tum quia, vt infra dicemus animalia fuerunt adducta ad Adā, vt videret, ſi erat inter ea aliquod, quod pertineret ad conſortiū eius, & tamen Adam indigebat conſortio feminę ad generationem, ergo adduci debebant feminę de omnibus ſpeciebus in quibus eſſent maſculus, & femina.

Queſt. 5. *Toſt. vbi ſup. quaſt. 327. Deus an de oībus animalibus aliqđ adduxit ad Adā.*

Quæritur quinto, an de oībus animalibus .i. de oībus ſpeciebus animaliū adduxerit Deus aliqua ante Adam. Dicēdum ꝙ aīalium quędā ſunt per gñationē, quędam per putrefactionē, vt vermes pediculi, pulices, & hmōi. De animalibus, quæ per ſolā putrefactionē gignuntur, Deus nō adduxit aliqua ante Adā. Tum quia nullius dignitatis ſunt, tum quia talia aīalia nondū erant, nondum .n. alterationes, & corruptiones factę erant ad gñationem talium aīaliū, dicendū eſt ergo ꝙ nō fuit adductū aliqđ de aīalibus, quæ gignūtur ex corruptionibus, ſiue ex putri; ſed ſola aīalia, quæ à Deo producta ſunt, hęc .n. tunc oīa erāt, & poterāt adduci.

Queſt. 6. *Toſt. vbi ſupra q. 328. Alex. de Ales vbi ſup. §. 3. Piſces an fuerint adducti ad Adā.*

Quæritur ſexto, an piſces fuerint adducti ad Adam. Nā Adam non impoſuit nomina niſi animalibus ſibi præſentatis, ſi ergo piſces non fuerūt ante ipſum adducti, nō impoſuit eis nomē, & tñ poſuit nomina omni rei viuenti; nam dr̄ infra oē quod vocauit Adam animæ viuenti, ipſum eſt nomen eius. Dicendum ꝙ ante Adamum non fuerūt ducti piſces, quia ſcriptura dicit expreſſe, ꝙ non fuerunt adducti: nam dr̄ formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, & ita ſolum expreſſum eſt ibi, quod animantia terræ, & volucres adducta fuerint, ſed nomine horum non intelliguntur piſces, cum animantia terræ dicantur, quæ ſuper terram mouentur, & in ea manent, & de ijs non ſunt piſces, & ad id quod dicitur quod Adā impoſuit nomen omni animæ viuenti. Dicendū, quòd ex illa authoritate non habetur, quòd Adam impoſuerit nomina oībus rebus viuentibus, ſed ſolū, quòd omnia nomina, quæ ipſe poſuit omnibus rebus viuentibus, māſerunt eis: nā dicitur omne .n. quod vocauit Adam animę viuenti ipſum eſt nomen eius, atq; ita omne nomen ab eo impoſitum manet viuentibus, ſed non ſignificatur, ꝙ oībus nomina impoſuerit.

Queſt. 7. *Toſt. vbi ſup. quæſt. 329. Piſces quare nō fuerunt ducti ad Adam.*

Quæritur ſeptimo. Quare non fuerunt piſces adducti ad Adam. Dicendum, quia non erat conueniens, tum quia non habent cum homine cā conuenientiam, & conſuetudinem, quam habent cetera animalia; Tum quia certū erat in eis nullum idoneū Adamo adiutorium eſſe futurū propter nimis diuerſam corporis cōformationem, & figuram. Tum quia extra aquam poſiti, confeſtim interijſſent, niſi eos Deus ſingulari aliquo miraculo conſeruare voluiſſet, denique quia adducta ſunt ad Adam animalia, vt eis imponeret nomina tamquā ſeruis, quorum famulato, & obſequio vſurus erat, id quod in piſcibus haud euenturum erat.

Queſt. 8. *Chriſoſt. hom. 14. & 15. in Gen. & Toſt. vbi ſupra q. 332. ex D. Aug. lib. 9. de Geneſ. ad lit. c. 12. Deus quare adduxit animalia ad Adam.*

Quæritur octauo. Cur Deus adduxit animalia ad Adam. Dicendum ꝙ hoc ideo fecit, vt ex eorum aſpectu, & contemplatione, atque comparatione cum ſua ipſius natura, non obſcurè cognoſceret, quanto illis eſſet præſtans, atque ab eis differret, quantoque plura, & excellentia bona à Deo acceperit, & ob hanc cauſam ad laudes Dei celebrandas, gratiasque ei perpetuo agendas, vehementius incitaretur; Secundo, quia fecerat Deus hominem cunctorum animalium principem, ac Dominum, atque adeo voluit, vt cognoſceret ipſe ſuos ſeruos, & animalia obſequium, & ſeruitutem ei ſponderent. Tertio, vt imponendo nomina animalibus conderet, augeretq; linguam, qua mox generandi homines vſuri erant; etenim ea lingua vſi fuiſſent omnes homines, & omni æuo ſi eo in ſtatu permanſiſſent. Quarto, vt ea ratione per-

Digitized by Google

noteſceret omnibus, quãta ſciẽtię præſtantia Deus Adamum donauiſſet, atque decoraſſet. Poſtremò, vt cernens in ſingulis animaliū ſpeciebus eſſe marem, ac feminam, idem quoque in humana ſpecie fieri oportere intelligeret, neceſſitatemque creandi mulierem, futuram ſibi ad generationẽ prolis adiutricem, planè perſpiceret.

Queſt.9. Toſt. vbi ſupra q. 333. Quis adduxit animalia ad Adam.

Quæritur nono. Quis adduxit iſta animalia ad Adam, & q̃uo fuerunt adducta: nam certum eſt, ꝙ iſta animalia, & aues, non venerunt ſponte, nullo mouente, aut ea impellente, ſed ab aliquo agente diuino mota venerunt, ꝙ apparet primo, quia Moſes hoc Deo aſcribit dicẽs, formatis Dñs Deus, &c. adduxit ea ad Adam. Secundo, quia ponitur verbum adduxit, quod denotat, nõ illa à ſe mota, ſed ab alio impulſa: nam non dicitur venerunt ad Adã, ſed adduxit ea ad Adam. Sed quis fuerit modus adducendi? cenſuerunt aliqui, qđ fuit per impulſum venti. Quaſi Deus immiſerit ventum validum, qui rapta animalia duceret in Paradiſum, quemadmodum ventus egreſſus à Domino Coturnices raptas trãs mare detulit in Caſtra Iſrael, ſicut legitur Numer. 11. ſed hæc ſententia ſtare nõ poteſt. Tum quia iſta animalia, quæ adducta fuerunt ad Adamum, non erant in vnica parte terræ, ſed in omni parte diſperſa; atq; adeo, ſi vento impellente debuiſſent deduci, neceſſe erat ventos flare, ex omni parte terræ, atque ita vnus ventus, alium impediret. Cum eſſent oppoſiti, & ita ex nulla parte venirent animalia, vel ſaltem nõ ex omnibus. Tum quia animalia, quę venerũt in Caſtris Iudæorum erant aues, quarum eſt volare, & ventus ille nihil faciebat aliud; niſi dirigere eas contra vnam partem, quod erat ſatis facile, quod fieret, at non erat ſic de animalibus ductis ad Adam, hæc enim erant animalia terreſtria, & volatilia; quod autem de animalibus omnium generum raperentur à vento, & ducerentur per aerem non videtur poſſibile: nam, etſi forti impulſu tollerentur modicũ in aerem, ſtatim caderent, cum à ſeipſis ſuſtentari non poſſent, & eſſent magni ponderis. Probanda igitur eſt ſententia D. Auguſt. lib. 9. de Geneſ. ad lit. cap. 14. dicentis, quòd hoc potuit fieri duobus modis, priori modo, vt dicatur, quod cuncta animalia iſta, fuerunt adducta per Angelos de omnibus terræ partibus, & iſtud erat facile, & ſine inconuenienti. Sic enim dicemus factum fuiſſe in Diluuio, quando animalia venerunt ad Noë, vt intrarent in Arcam: quia illa ſola venerunt, quæ ab Angelis ducta fuerunt. poſteriori modo, per interiorem inſtinctum, & impulſum, quo illuc à Deo rapiebantur, Finxit enim in illis Deus, hoc eſt in ea facultate animę ſentientis, quam Phyloſophi æſtimatiuam, ſeu phantaſiam appellant, viſum quoddam à Gręcis dictum phantaſma, reprę ſentans cuique animalium, conueniens illud eſſe, ſcilicet ire ad eum locum, vbi erat Adam, atq; eius Imperio, & voluntati ſubijci.

Animalia quomodo adducta fuerunt ad Adam.

Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. ca. 14. et Alexan. de Ales vbi ſupra.

Queſt.10 Toſt. vbi ſupra q. 334. Moſes cur refert animalia fuiſſe adducta ad Adam.

Quæritur decimo. Ad quid Moſes fecit mentionem, quod animalia adducta fuerint ad Adam? & differt hæc quæſtio à pręcedẽti, quia aliud eſt quęrere, quare Deus adduxit animalia ad Adam, & aliud quare Moſes illud retulit: quia alia facta ſunt, quæ non referuntur. Dicendum, quòd hoc retulit Moſes, vt oſtenderet cauſam formationis mulieris, de qua principaliter agit, & non de auibus: nam de formatione viri dictum fuerat, & quòd nondum habebat conſortium ad generandum; atq; adeo adduxit Deus oĩa animalia ad Adam, vt videret, ſi eſſet ibi aliqđ conſortium ſibi conueniens, & ſi eſſet acciperet illud, & ſi non eſſet formaret illud de nouo quòd patet primo ex ordine literę: Nam inceperat Moſes dicere, quòd dixit Deus. Non eſt bonũ hominẽ eſſe ſolum &c. Quod intelligebatur de formatione mulieris, quę eſſet adiutorium, & ideo ſtatim poſt hoc debebat adiungi: Immiſſit Dominus Deus ſoporem in Adam, &c. Qđ erat forma-

formatio ipſius mulieris, & tamē non adiungitur hoc, ſed dicitur ſtatim, formatis igitur Dominus Deus &c. atque ita interpoſuit hoc, quod erat de adductione auium, & animalium, ergo neceſſe eſt, quòd iſta adductio animalium ad Adā pertineat ad hoc, quòd debebat ſibi dari adiutorium ſimile ſibi, quia alias inepte introduceretur, incepto ſermone de adiutorio præbendo Adæ, antequam compleretur ſecundo, quia ſubditur ibi in litera. Appellauit Adam nominibus ſuis cuncta animalia, Adæ vero non inueniebatur adiutor ſimilis: ergo innuitur, ꝙ inter omnia animalia quærebatur aliquod animal, quod eſſet adiutorium Adæ, & non fuit inuentum, licet ei fuerint omnia præſentata tertio, quia quando dicitur; Adæ vero non inueniebatur adiutor ſimilis eius, ſubditur ſtatim, immiſſit ergo Dominus ſoporem; & fit ibi conſequentia, ideſt quia non inueniebatur de animalibus adiutorium competens Adæ, voluit Deus formare de nouo illud, & ad hoc immiſit ſoporem in Adam.

Toſt. vbi ſup. quæſt. 335. Sed videtur, quòd iſta non ſit ratio: Nam Deus certo ſciebat, quòd inter omnia animalia, non erat aliqua femina ſimilis Adæ, cum qua cōmixtus gignere poſſet indiuidua ſpeciei humanæ, ideo ſuperuacum erat illa adduci ad Adam, Tum (& eſt argumentum Diui Auguſtini) quia, aut homo Deo credebat, aut non; ſi Deo credebat, poſſet hoc illi eo modo dicere, quomodo, & præceptum dedit, ſi autem non credebat, profectò neque hoc ſcire poterat, vtrum ad illum omnia ille, cui non credebat, adduxerit, an forte in aliquibus ab illo è remotioribus terræ partibus aliqua ei ſimilia, quæ non demonſtraſſet abſconderit. Dicēdum, quòd certum erat Deo, quòd non eſſet aliqua femina in animalibus, vſque tunc productis, ſimilis Adæ, cum ipſe produxiſſet omnia, ſed non erat hoc certū Adæ. Ideo propter Adam voluit facere iſtam præſentationem omnium animaliū. Multa enim facit Deus, quæ quantum ad ſe ipſum erant ſuperuacua, tamen quantum ad nos ſunt conuenientia, ſcilicet vt inſtruat, vel arguat, conuincat, aut propter alios fines ſic enim poſtquā Adā peccauit, & latuit inter arbores Paradiſi ſciebat Deus vbi eſſet, & tamē dixit; Adam vbi es, & ita quærebat, quaſi ignoraret, & tamen non ignorabat, ſed ideo ſic quærebat, vt induceret Adam ad reſpondēdum de eo, quod ipſe volebat. Sicut etiam quando voluit punire ſodomitas, ſciebat peccatū eorum, & quantū deliquiſſent, & tamen dixit. Clamor ſodomorum, &c. deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me opere compleuerint, &c. quòd ſolum dixit Deus ad inſtruendum nos, vt non ſubito credamus malum de aliquo, & potiſſimè quantum ad prælatos, & Iudices, ne audito delicto de aliquo per famam, vel alium modum, confeſtim procedant ad pœnam, quouſque fuerint ſufficienter de veritate informati. Ita nunc certum erat Deo, quod nullū animal eſſet ſimile Adæ, ſed quia ipſe non erat certus, voluit certificare ipſum adducēdo corā ipſo cuncta animalia. Et hoc conueniebat ad manifeſtandam mulieris excellentiam ſuper omnia animalia infra virum, & vt Adam magis deligeret feminam; nam ſi Eua fuiſſet formata, & data Adæ non viſis alijs animalibus, vidiſſet quidem Adam eam pulchram, & excellentem ſecundū naturam, & tamen ignoraſſet, an alia animalia eſſent pulchriora, atq; adeo eam non amaret tam ardenter, Cum verò omnia animalia vidit, agnouit nō eſſe aliquid melius, ideo magis eā amauit, quare ipſemet dixit, propter hanc demittet homo patrem, & matrē ſuam, &c. & fuit conueniēs, quòd homo valde amaret feminam in principio, quia alias ſequerentur in conuenientia; primum quia non vellet vacare proli per commixtionem: cum enim homo magis, *Toſt. vbi ſup. quæſt. 336.*

Virum diligere mulierem cō ueniens fuit propter multa.

Cc 3

gis, quam alia animalia, cognoſcat incomoda, quę ſunt in commixtione carnali, & abiectionem ſuam non vacaret proli, niſi eſſet in eo magna inclinatio, & ad hoc debuit valde diligere feminam: ſecundo principaliter quantũ ad Adam: nam Eua fuerat cauſa tantorũ malorum: ipſa enim manducauit, & dedit ei, & ob hoc perdidit locũ Paradiſi, & incidit in multas pœnalitates, ideo inſurgere poterat ei tam graue odiũ contra ipſam, quòd occideret eã, vel nollet cõmiſcere ei, ad hoc ergo debuit præcedere tam vehemens amor, quòd etiã ſi poſtea accederent magnæ cauſæ ad iram, vel odium, ardentiſſimus amor non fineret, vt in eam concitaretur, & ita factũ eſt, nam quamuis in tanta mala incidendi cauſa fuerit Eua; ſemper tamen eam tenerrime dilexit, atque ſociam habuit.

Queſt. 11. *Toſt. vbi ſup. quæſt. 337.*

Deus an dederit Adæ licẽtiã accipiẽdi ſibi aliquod animal.

In Talmud. ord. 3; Tracta tu 1. diſ. 6.

Quæritur vndecimo. Cũ Deus pręſentauit animalia Adæ, vt videret, &c. an dederit ei licentiam accipiendi aliquod de animalibus illis, quod ei placeret. Concedũt Iudæorum multi, quòd de facto Adam commixtus fuerit cum omnibus animantibus, tam maſculis, quam feminis, neq; vnquã appetitui ſuo ſatisfecit, niſi poſtquam cum Eua cõcubuit, & quòd de illis generauit, & ſic expertus eſt tãdem eſſe Euã meliorem alijs animalibus. Sed iſtud nõ ſolum eſt abſurdum, ſed etiam cogitare eſt turpiſſimum; quòd ſanctus vir plenus naturali lumine intellectus; qui nihil adhuc peccauerat, ad tantã, ac tam infamen turpitudinem deueniret, vt femellas beſtiarum, ne dum maſculos cognoſceret, neq; eſt dicendum, quòd Deus hoc ei conceſſerit; quia id, quod nobis prohibitum eſt, à fortiori fuit ipſi Adæ vetitum; quia tunc vir erat ſanctus. Dicendum eſt ergo, quòd nõ præſentauit Deus animalia Adæ, vt videret, quid ei conueniret; quaſi accepturus eſſet aliquid de illis, ſed vt per iſtã pręſentationẽ notificaretur Adę, quòd mulier dignior erat cunctis animalibus, vt diximus ſupra.

Queſt. 12. *Toſt. vbi ſup. quæſt. 338.*

Deus quare voluit quòd Adam animalibus nomina imponeret.

Quæritur duodecimo, quare adduxit Deus animalia ad Adã, vt vocaret ea: dicendum huius cauſa fuit ad oſtendendũ dominiũ Adæ ſuper animalia: nam qui Dominus eſt rei, & põt vti ea pro voluntate ſua, à fortiori poterit ei imponere nomen; ſecundo fuit ad declarandam perfectam eius ſcientiã animalium, excellentemq; vim, & dignitatem rationis, qua cũctis animalibus homo antecellit: nam rite imponere nomina rebus rationis eſt munus, non qualiſcunq; ſed ſcientia excellentis, & ſapientia perfectæ.

Queſt. 13. *Pererius in libr. 4. Gen.*

Adã an re vera animalibus nomina impoſuit.

Quæritur decimotertio, an re vera huiuſmodi nominum impoſitio facta fuerit ab Adamo. Moſes Barcepha in eo libro quem de Paradiſo edidit, refert opinionem quorumdam, qui arbitrati ſunt hãc impoſitionẽ nominum, non eſſe re vera factam, ſed per eã eſſe myſtice ſignificatam rationis, & imperij humani in animalia excellentiam. Ceterum cõmunis eſt patrũ, & Theologorum ſentẽtia, vere impoſita fuiſſe animalibus nomina ab Adamo, id enim tam apperte, & explicate ſcriptura tradit, vt non modo negari, ſed vel in dubium vocari ſine flagitio nõ poſſit, quid enim aliud ſignificat ſcriptura, niſi hoc, cum inquit. Adduxit Deus animalia ad Adam, vt videret quid vocaret ea omne enim quod vocauit Adã animæ viuentis, ipſum eſt nomẽ eius, appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia? nimirum ſuperuacanea ſunt argumenta vbi ſunt tã apperta diuinæ ſcripturæ verba, & cum hæc narratio Moſis, non minus ſit hiſtorica, quam ſuperiores, non minus etiam, quam illæ ſecundum propriam ſignificationem, vulgaremque vſum vocum interpretanda, & intelligenda ſunt.

Queſt. 14. *Toſt. vbi ſup. quæſt. 339.*

Deus cur nõ impoſuit animalibus nomina.

Quæritur decimoquarto. Cur Deus non impoſuit nomina animalibus, cũ ſufficiẽtius Deus imponere poſſet: dicendum, quòd fuit primo ad deferendum honorem magnum Adæ: nam ſi Deus imponeret nomina animalibus, nul-

nullum ex hoc honorem conſequeretur Adam, ſed Deus voluit eum honorare, ideo fecit, vt ipſe imponeret nomina; ſecundo fuit ad deſignandũ dominium Adæ in animalia, ſi autem Deus imponeret nomina animalibus, nõ ſignificaretur aliquod Dominium Adæ in animalia.

Alex. de Ales vbi ſupr. §. 5. Adã cur arboribus, & herbis nõ impoſuit nomina. Sed cũ impoſuerit nomina aĩalibus ad oſtendẽdum dominium, quod habebat ſuper illa, cur non impoſuit nomina alijs rebus ſcilicet arboribus, & rebus, quæ ſunt in terra, cum etiam ſit Dominus illorum, vt patet ſupra cap. 1. Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & Pſal. 8. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, &c. dicendum, quòd cauſa quare non impoſuit Adam nomina alijs rebus, fuit: quia non fuerunt adductæ coram eo, cum ſolum impoſuerit nomina rebus ad ſe adductis, ſed ſola animalia adducta ſunt, ratio autẽ, quare aliæ res non fuerunt adductæ coram eo, fuit: quia non poterant conuenienter adduci, nam erant immobilia, vt arbores, & alia, quæ ſunt partes terræ, vel terræ affixa, hæc autem non poterant adduci ſeruata proprietate naturæ eorum; vel forte alijs omnibus rebus erant nomina impoſita, & ideo non oportuit nũc iterum accipere nomina; animalia autem non habebant nomina, & impoſita ſunt illis, qđ hoc modo contingere potuit (vt refert ex quorumdam ſententia Moſes Barcepha vbi ſupra) ſcilicet Adam in altiori loco Paradiſi reſidens auguſta authoritate, & maieſtate, ac tali vultus ſplendore, qualem à facie Moſis effulſiſſe traditur. Exod. 34. voce, quæ ſenſu excipi poſſet pronunciata, ſingulis animantium generibus nomina indidit, vnumquodque nominatim appellando, at illa ſubmiſſis capitibus prona; neque præ nimio ſplẽdore, quo ille ſplendebat intueri ipſum audentia, ſingulatim preteribant, & ſuis ab illo appellabantur ex ordine nominibus verbi gratia. Cũ ille leonẽ nomine appellaret, continuo is audito nõie ſuo tranſibat corã illo capite ſummiſſo, ſimiliter nominatim citatus equus, prærteribat deiecta ceruice, & ſic de ſingulis.

Quæritur decimoquinto, quõ Adã poterat imponere nõia animalibus; cũ iã nomina haberent, nã Deus dederat Adæ propriũ Idioma ante hoc, ſed nõ eſt Idioma ſine complemẽto nominũ ſignificantiũ pro omnibus rebus, atq; adeo dedit ei nõia pro animalibus, & volatilibus. Pro ſolutione obſeruandũ eſt, q; Deus formato Adamo dedit Idioma in quo loqueretur: ante impreſſit Deus animæ Adæ ſciẽtiã habitualẽ, de oibus vocis ſignificantibus, quas res ſignificarẽt, & de modo, & de arte prolationis earum, tam ad cõia, quã ad propria, & hoc ſecundum ſingulas partes orationis idest nomina, verba, participia, pronomina, & ita de alijs ita, vt videretur iſtud eſſe idioma perfectũ licet vere non eſſet: quia poterat Adã loqui de quibus vellet, & interrogatus reſpõdere de oibus, de quibus peteretur: ſecundo obſeruãdũ eſt, q; non accepit cognitionẽ, quaſi Deo erudiẽte ipsũ, ſicut inſtruit vnus homo alterũ in cognitione noui idiomatis, quod non nouerat; ſed dedit Deus confeſtim homini notitiã habitualẽ vocũ, ita vt ſtatim ſciret tã expedite loqui, ac ſi ſemper p annos multos verſatus fuiſſet in illo Idiomate tertiò obſeruandũ eſt, quòd cũ Deus dedit in hoc idiomate voces ſignificatiuas pro ceteris rebus, nõ dedit pro animantibus, terræ principalibus, & pro auibus, & ideo iſta potuit poſtea Adã introducere, quarto obſeruandũ eſt, q; rõ ob quã Idioma Adæ relinqueretur imperfectũ, ſeu incõpletũ fuit, vt locus eſſet Adæ imponẽdi aliquibus rebus nomina, q; nõ fieret ſi omnibus rebus nomina dediſſet Deus in cognitione habituali Adæ, & iſta impoſitio relinquebatur ipſi Adæ, ad ſignificandũ, vt diximus, dominiũ eius. ſ. quòd libere poterat vti rebus ſibi ſubditis pro volũtate ſua. Impoſuit ergo Adam nõia animãtibus, & imponere potuit, per ſapientiã

Quæſt. 15 7 eſt. vbi ſup. quæſt. 341. 342. 343. & 344. Alexa. de Ales vbi ſup §. 4. Adã quõ potuit animalibus nomina imponere.

ſibi a Deo datam fuit .n. valde perfectus homo ille, tã ſecundũ corpus, quã ſecundũ aĩam, & ita ſciret inuenire nomina pro animalibus, prçterquã quod Deus illuſtrauit intellectũ Adç nõ quidẽ dando ei iſta nomina in mẽte, quia tunc Deus illa imponeret, ſed dãdo ei lumẽ, & vim intellectus ad excogitãdũ, & inueniendũ diuerſa nomina, ſicut patet Exodi 31. de artificibus, quos Deus elegit ad fabricandũ opera ſanctuarij: nam nõ dedit eis figuras rerũ, quas fabricaturi erant, ſed ſapientiã ad excogitandũ: quia quid ſubtiliter fieri poterat. Ecce vocaui Beſeleel ex nomine, & impleui eum ſapientia, & intelligentia, & ſciẽtia in omni opere ad excogitandũ quidquid fabre fieri põt ex auro, & argento. Adã ergo per ſcientiã, quam habebat animaliũ, & per notitiã plurimarũ vocum, quã acceperat, nomina indidit, atq; impoſuit animalibus ſingulorũ naturis, rite cõgruentia, nec ea quidẽ vno modo formata; ſed diuerſis, ex cauſis petita, vel ex propria differentia ſpecifica, vel ex naturali proprietate, vel ex motu, vel ex figura, vel ex peculiari aliqua operatione, vel ex aliquo ſingulari, & proprio accidente.

DE IMPOSITIONIS nominum approbatione, ſeu permanentia.

Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis ipſum eſt nomen eius.

IDeſt omne nomen, quod impoſuit Adã rebus, hoc fuit nomen earũ, & hoc maxime indicat excellentiam Adæ: nam his verbis ſignificatur, tantam fuiſſe Adæ authoritatẽ, vt animalia omnia ab eo acciperent nomen, remouetur etiam dubium, nam adductis animantibus ad Adam, ſi nõ exprimeret Moſes Adamum eis nomina impoſuiſſe exiſtimare qs poſſet, ꝙ forte Adã nõ impoſuiſſet eis nomina, & ſi Deus ad hoc animalia adduxiſſet; oſtẽditur poſtremo nominũ permanentia: nam poſſet quis credere, quòd Adã impoſuit nomina animalibus ſed in breui ceſſauerunt, Deo poſtmodũ meliora imponẽte vel quod per vſum mutata fuerint, & alia inuenta, ſicut multis in rebus accidit; dicitur autem quòd illa non fuerunt mutata, ſed manſerũt eadem, quæ Adam impoſuit, & manebant vſq; ad tempus Moſis, cum dicatur hoc eſt nomen eius, ideſt etiã nunc eſt nomen, quod impoſuit Adã, & refertur ad tempus, quo Moſes iſta ſcribebat, vocant autem animam viuentem ipſum animal; quia omne animal viuit, & vocatur totum à parte, iuxta conſuetudinẽ ſcripturæ, & quia interdum animã abſolute vocat pro animali. Ideo obſeruandũ eſt, quòd quando vult ſignificare animal brutũ, vocat animam viuentẽ, vt ſupra primo cap. producant aquæ reptile animç viuentis, & iterũ; creauit Deus grandia cete, & omnem animam viuentẽ, & ita ſæpe habetur: quando aũt ſcriptura vult ſignificare hominẽ, vocat animam abſolute, & non viuentẽ vt infra cap. 12. habetur, & animas, quas fecerũt in Aram ideſt ſeruos, & cap. 14. da mihi animas cetera tolle tibi; & cap. 4. & Exodi primo de animalib. egreſſis de femore Iacob, & ingreſſis in Aegyptum. Cauſa autem huius differentiæ videtur eſſe ad diſtinctionem, & notificationem perfectionis hominis, & aliorum animalium: vocantur enim animalia animæ viuentes, quaſi hçc ſit maxima perfectio eorũ, quod viuant, & nihil aliud vltra habeãt, niſi viuere, & ſentire, homines autem vocantur animæ abſolutè, ad ſignificandũ, quòd non habent vnam ſolã perfectionem animæ, ſed omnem perfectionẽ, quæ poteſt eſſe illius. Sunt autẽ tres gradus animæ ſcilicet vegetatiuũ, ſenſitiuum, & intellectiuum, qui omnes ſunt in anima ideo cum homo habeat omne, quòd habet anima, vocatur anima abſolute, & nõ cum dictione reſtringente, ne videatur habere animam ſecundum determinatam participationem perfectionis animæ. Iuxta hoc

Quæ-

Queſt. 1. Toſt. vbi ſup. q. 3. 346. Quæritur primo. In quo Idiomate Adam poſuit nomina animalibus. Dicendum quòd in eo Idiomate Adam nomina poſuit, quod ipſe tunc habebat, ſcilicet illud qđ Deus ei dederat, & tale Idioma erat Idioma hębreũ, quod à principio mundi fuit, & erat vnicum in omnibus hominibus, quod ante linguarum diuiſionem non appellabatur hębręum, erat quippe vna dumtaxat lingua communis hominum omniũ, & vt ſcriptura teſtatur capit. 11. Gen. erat terra labij vnius, & ſermonum eorumdem; facta vero diuiſione: quoniam ea lingua, quæ fuerat communis omnium, facta eſt ſpecialis in ſola familia Hęber, quo viuente contigit diuiſio linguarum religioſè cnſtodita, idcirco ab Hęber poſtea dicta eſt hębręã, quod nomen primum legimus Abrahamo tributum 14. cap. Gen. fuiſſe autem primam omnium linguarum hębręa, apparet ex nominibus proprijs, quæ inueniũtur in ſacra Scriptura pertinentia ad tempus Adę, vel primam ætatem, per quorum rationes quaſdã, vel reſolutiones in nomina communia apparet, quòd ſint illa hębręa quia ſoluuntur in linguam hębręam, quæ nũc eſt, & non in aliquam aliam; & apparet in voce mulieris, quæ in hoc capit. dicitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt, & in hębręo dicitur Iſſa vbi nos legimus Virago, & pro viro habetur in hębręo Is, & Iſſa, cum additione ſola literę, & ita Is & Iſſa, ſunt eiuſdem Idiomatis, adhuc melius apparet in alio nomine mulieris, qđ eſt proprium, & poſtea poſuit id Adam infra cap. 3. ſcilicet Eua, cũ dicitur, & vocauit Adã nomen vxoris ſuæ, Eua, eo ꝙ mater eſſet cunctorum viuentium, & ita nomen Eua ſignificat vitam, vel viuens cum hęc cauſa reddatur huius nominis, & hoc cõuenit in hębręo: quia pro Eua dicitur Haua, & pro viuentibus dicitur Haim, quod ex eadem origine venit; Similiter in nomine primogeniti Adę, quem vocauit Cayn, infra cap. 4. Concepit, & peperit Cayn; dicens poſſedi hominem per Deum, & ita neceſſe eſt, quòd Cayn ſignificet poſſidere, vel poſſeſſionem, cum iſtud detur pro cauſa nominis eius; & in hębręo conuenit hoc: quia dicitur Cayn, Chanici, & ſignificat Chanici poſſidere, qđ ex eadem radice venit, ex qua Cayn, & eſt preteritum Chanici, ideſt, poſſedi. Ita alius filius Adę vocatus eſt Seth; & poſuit nomen eius Seth, dicens: poſuit mihi Deus ſemen aliud, & hoc cõuenit in hębręo; quia Seth ſignificat Portionem; nam etiam Noe infra c. 5. vocatur ſic, ideſt quies: quia quieſcere faciet à laboribus, vt ibi patet, atq; ita cum nomina illa reſoluantur in nomina communia hębręa, quę nunc ſunt, & non in aliquam aliam linguam, apparet illud Idioma, in quo nomina illa ponebantur, fuiſſe hębręa.

Adã in quo Idiomate impoſuit nomina animalibus.

Aug. lib. 16. de Ciuit. Dei c. 11. et lib. 18. c. 39.

Lingua habræa fuit omnium prima.

Queſt. 2. Toſt. vbi ſup. 347. Quæritur ſecundo, Quomodo eſt verum, quòd nomina illa, quæ impoſuit Adam animãtibus, & volatilibus, erant tempore Moſis, ſicut dicitur hic. omne quòd vocauit Adam animæ viuentis, hoc eſt nomen eius. Nam poſt Diluuium perijt vnitas linguæ, & ſubintroierunt multa Idiomata, & hæc diuiſio linguarum, multo tempore ante Moſem fuit facta; ideò videtur quòd non manſerint nomina illa, quæ impoſuit Adã. dicendũ quod Idioma quod primo erat non perijt, neq; in alio mutatum eſt, ſed multa Idiomata fuerunt adiuncta, & factum eſt, quòd illi, qui illud Idioma habebant perderent illud, & alia acciperent, ipſum tamẽ non perijt, ſed manſit integrum in familia Hęber, atque adeò nomina animaliũ, & volatilium, quæ poſuit Adam, manſerunt in tota prima ętate, & manſerũt etiam poſt Diluuium vſq; ad diuiſionem linguarum: quia manebat tunc illud Idioma, & poſt diuiſionem, mãſerunt etiam, quia totum illud Idioma manſit, ſed in hoc differebat: quia illud Idioma erat prius apud omnes, poſt vero apud paucos, ſcilicet in ſola familia Hęber, & fuit conſeruatum hoc Idioma purum, vſque ad captiuitatem Baboloni-

Nomina quæ animalibus impoſuit Adã quõ mãſerũt poſt Diluuium.

bilonicam, poſt eam vero lingua popularis hębręorum non fuit pure hębraica, ſed ex hębręo, & Caldaico ſermone mixta, atque contaminata; ſed tantum in ſacris Biblijs remanſit lingua pure hębręa; Ex ijs ſequitur, quòd nomina animum, & volatilium, quæ Adam poſuerat, manſerunt omnia, atque adeo benè dicat Moſes. omne quod vocauit Adam animę viuentis, ipſum eſt nomē eius. quod refertur ad tempus, in quo Moſes iſta ſcribebat: quia tunc omnia illa nomina manebant apud hębręos.

Quęſt. 3. *Toſt. vbi ſupra q. 348.* *Eua quo Idiomate loquebatur.*

Quæritur tertio; Quo Idiomate loquebatur Eua, & à quo habuit illud; dicendum quòd fuit idem Idioma Adæ, & Euæ: quia ante Diluuium in tota prima ętate, & poſtea, vſq; ad ędificationem Babylonis omnium hominū fuit idem Idioma, & tamē illud erat, quod datum fuit Adæ, atque adeo illud fuit, in quo loquebatur Eua. Accepit autē Eua Idioma ab ipſo Deo, ſicut & vir ſuus: nam ſicut, quando Deus formauit Adam, dedit in anima ſua habitualem cognitionem Idiomatis, vt ſciret loqui, ac reſpondere; ita cum formauit Euam, dedit ei cognitionē Idiomatis, ita vt nō indigeret doctrina aliqua, ſed fuit iſta cognitio habitualis fixa, manens, & indelebilis in intellectu mulieris, atque ita potuit ſtatim ſibi dari pręceptum, & continuo tentari, & tentata reſpondere, & omnia alia, quæ de ea referuntur, cum plenam haberet Idiomatis cognitionem, & hòc fuit in ſolis Adam, & Eua; qui confeſtim habuerūt plenè linguę cognitionem. Ceteri autē, qui ab eis nati ſunt, acceperunt linguam per inſtructionem à parentibus, quemadmodū nos paruuli erudimur in materna lingua. Fuit tamen aliqua differentia in cognitione Idiomatis inter Adamum, & Euam; nam licet vterque à Deo ſine doctrina cognitionem linguæ acceperit; Eua tamen plenius accepit, quam Adam: quia quādo fuit datum Adæ Idioma deerant nomina animalium terrę, & volatilium, quę Adam poſtea adinuenit, & impoſuit, cum non eſſent à Deo impoſita, cum autem Deus formauit mulierem ad viro, iam erāt impoſita nomina ab Adā, vt hic apparet ex ordine literę, & ideo cum dederit Euæ miraculoſam cognitionem Idiomatis, dedit ei completam illius cognitionem, cum iam nomina illa exiſterent, atque ita plurium cognitio, quantum ad Idioma, data eſt Euæ à Deo, quam Adæ.

Inter cognitionē Idiomatis q̄ habuit Adā & eam q̄ habuit Eua nōnulla fuit differentia.

De Scientia Adami.

CErtum cum hoc loco de impoſitione nominum ab Adamo facta ſatis ſit diſcuſſum, modo aliquæ difficultates de Adami ſcientia enucleandi ſunt.

Quęſt. 1. *Alex. de Ales p. 2. q. 92. in 1. & Ric. in 2. diſt. 23. ar. 2. q. 3.* *Adā an ſtatim cōditus perfectā habuerit ſciētiam.*

Quæritur itaque primo vtrum Adā ſtatim cōditus perfectā habuerit ſcientiam. dicendum quòd Adam ab exordio ſuæ conditionis habebat ſcientiæ complementum, & ratio eſt; quoniam proculdubio decens fuit, vt Deus hominem primum totius generis humani parētem, principium, & ſeminariū, ſecundum poſſibilitatem naturæ, & exigentiam eius, in cognitione perfectum faceret, ita vt ſciēs diuinas leges, & ipſas obſeruans, Deo placere, & in via morum ambulare, & poſteris ſuis exempla rectè ambulandi, & ſequendi ſe præberet; & animalia omnia, quibus erat præfectus, regere, & gubernare valeret. Nam ſicut non decet ſapientem Dominum curam rerum ſuarum gubernatori ſtulto, ſed prudenti committere; ita decuit Deum facere hominem intelligentem, & vt ſciret, quid vnicuique expediret. Congruum itaque fuit, vt Adam ab exordio ſuæ conditionis, haberet ſcientiæ complementum; Tū propter comparationem ipſius ad ſuū principium, quod colere debebat; Tū propter comparationem ex ipſo propagandum, quod debebat inſtruere; Tū propter comparationem ipſius ad genus animalium ab ipſo gubernandum.

Quęſt. 2. *D. Tho. p. 1. q. 94. art. 3.*

Quæritur ſecundo. Vtrum Adam ab exordio ſuę conditionis habuerit rerum omnium ſcientiam, quę naturali

via,

Digitized by Google

Pererius lib. 5. in Geneſ. de perfectione naturali Adæ q. 2. & Toſt. vbi ſupra q. 507.

Adã an ab exordio ſuæ cõditionis habuerit rerũ omniũ ſcientiam.

via, & ratione cognoſci, & ſciri ab homine poſſunt. Caiet. locum Moſis de impoſitione nominum ab Adamo facta explanans, arbitratus eſt, Adamum habuiſſe ſcientiam omnium rerum corporalium, præter elementorũ tantũ, & cęlorũ, & ſyderũ, nã cũ hę res ſint Principes mundi partes, earum perfecta cognitio reſeruata eſt ſoli Deo, qui teſte Dauid Pſalm. 146. Numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat, atque ob eam cauſam, non dixit Moſes, Adamum omnibus rebus impoſuiſſe nomina, ſed volatilibus tantum, & terreſtribus animantibus. Ceterum hæc Caieta. ſententia omni probabilitate caret: nam ſententia eſt omnium Theologorum, Adamũ creatum eſſe à Deo virum, tam animo, quã corpore perfectum, animi autem perfectio, quantum ad mẽtem, & rationem, ſcientia eſt, huius autem primas partes tenet ſcientia rerum cęleſtium, quomodo ergo credibile erit, ceterarum rerum cognitione Adamo conceſſa, hanc vnam cœleſtium rerum ſcientiã non fuiſſe ei à Deo tributam? Item Eccleſiaſtici 17. legitur Deum repleuiſſe cor Adami ſcientia, & diſciplina, & oſtendiſſe ei magnalia ſua; at ſi defuit ei ſcientia rerum cęleſtium, & elementorum; quomodo fuit repletus ſciẽtia, & diſciplina. Ad hęc in lib. Sapientiæ cap. 7. legitur Deum dediſſe Salomoni omnium ſcientiam his verbis. Ipſe dedit mihi horum, quę ſunt, ſcientiam veram, vt ſciẽtiã diſpoſitionis orbis terrarum, & virtutes elementorum; initium, & conſummationem temporũ, viciſitudinum permutationes; & conſummationes temporum, morum mutationes, & diuiſiones temporum, anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differẽtias virgultorum, & virtutes radicũ, & quęcumque ſunt abſcõſa, & improuiſa didici: omnium enim artifex docuit me ſapientiam. Ecce quomodo Salomoni data fuit vera, ideſt certa, euidens, ac perfecta ſcientia orbis terrarum, elementorum, & ſtellarum, & omnium, quæ abſcondita ſunt & abſtruſa; non igitur earum rerum perfecta cognitio ſoli Deo, vt putauit Caiet. reſeruata eſt, & ſi Salomoni fuit cõceſſa, non videtur ipſi Adamo neganda, cum fuerit ſapientior Salomone, vt infra oſtendemus.

Quæſt. 3. Alexan. vbi ſupra in 2. ar. 3. & Ric. in 2. diſ. 23. ar. 2. q. 3. & D. Bona. ead. d. ar. 2. q. 1.

Adam ſi ſtetiſſet in cognitione creaturarum profeciſſet.

Profectus ſciẽtia triplici via conſiderari poteſt.

D. Aug. Magiſt. Sent.

Quæritur tertio. An ſi Adam ſtetiſſet in cognitione creaturarum profeciſſet. Dicendum quòd profectus ſcientiæ triplici via poteſt conſiderari, vel à parte ſcibilium, vel à parte modorum ſciendi, ſiue cognoſcendi, vel à parte maioris habilitatis ad cognoſcendum; iuxta primum modum obſeruandum eſt, quòd quædam ſunt res, quæ fiunt curſu naturali, quædam fiunt curſu mirabili, ſiue ſupernaturali, quædam, quæ fiunt curſu voluntario, ſecũdum quòd docet D. Anſel. In earum ergo rerum cognitione, quæ fiunt in curſu naturali, non profeciſſet Adam, quantum ad noui habitus acquiſitionem, accepit .n. (vt docent D. Auguſt. & Magiſt. Sent.) à ſui exordio omnium generum rerũ plenam notitiam. Proficere tamen potuiſſet quantum ad alium modum cognoſcendi, & quantum ad perfectiorẽ habitum ſciendi; Quantum ad alium modum proficere poterat, quia quod nouerat ſimplici notitia, cognoſcere poterat experientia, quod nouerat intellectu, cognoſcere poterat & ſenſu; proficere etiam poterat quantũ ad maiorem habilitationem; quia ex frequẽti conſideratione rerum, quas nouerat, promptior fuiſſet, & paratior ad iudicandum de eiſdẽ, quarum habebat cognitionem per habitum innatum; & licet primus homo non haberet tarditatem hebetudinis, propter aggrauationem corporis corrupti; habebat tamen ſpiritus eius velocitatem tardiorem, ſeu minorẽ, propter corporis animalis vegetabilitatem, atque ita in cognitione rerum naturalium Adã quodammodo profeciſſet, quodammodo minimè, ſi ſtetiſſet. In earum vero re-

um.

Digitized by Google

rum cognitione, quæ fiunt curſu voluntario, & mirabili, ſiue ſupnaturali, ſimpliciter perficere potuiſſet, non ſolum quantum ad modum cognoſcendi, ſed etiam acquirendo nouam cognitionē; Nec mirum, quia adhoc, quòd cognoſceret Diuina myſteria, indigebat ſuperna illuſtratione; adhoc vero, vt cognoſceret ſecreta alterius, indigebat ipſius detectione. Nec talis perfectus ſtatui innocentiæ derogabat, cum etiam beati Angeli in cognitione diuinorum myſteriorum, ac humanorum ſecretorum proficiant, propter quod dicitur Ephe. 3. vt innoteſcat principibus, & poteſtatibus per eccleſiā, multiformis ſapientię Dei.

A generali rerū ſcientia q̄ in Adamo ponūt Theologi tria rerū genera excipiuntur. Ex his ſequitur, qđ à generali rerū ſcientia, quā in Adamo ponunt Theologi, tria rerum genera excipiēda ſunt, vnum eorū, quæ vocantur futura contingentia, alterum eorum, quæ appellantur arcana, vel ſecreta cordium. Tertium etiam omnium præſentium indiuiduorum cuiuslibet ſpeciei, verbi gratia, non ſciebat Adam omnia indiuidua piſcium, nec omnem numerum arenę, aut lapidum: huiuſmodi enim, nec pertinet ad perfectionem humani intellectus, neque conferebant ad perfectionem, & felicitatem illius ſtatus innocentiæ.

Quęſt. 4. Nicol. de Lyra ſup. 3. cap. 3. Reg. & Toſt. ibidem q. 7. ſuper Geneſ. c. 2. Quæritur quarto. Vtrum Adam ſapientior fuerit cunctis mortalibus. Pro ſolutione obſeruandum eſt, quod non includimus in hac comparatione Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, nec ſanctiſſimam eius Matrem.

Adā an ſapiētior fuerit cū ctis mortalibus. Ariſt. Secundo obſeruandum eſt, quòd nomine ſapiētię intelligimus perfectam, & conſumatam rerum omnium ſcientiam, quæ cum alias doctrinas complectitur, tum potiſſimè Metaphyſicā, cui pręter ceteras diſciplinas nomē ſapientię conuenire lib. 1. Met. docet Ariſtot. Ex his dicendum eſt, quòd Adam fuit ſapientior cunctis mortalibus: nā tribus modis pręceſſit ſapientia ceteros mortales. Primo amplitudine ſcientię.

Adā tribus modis præceſſit ſapientia ceteros mortales. habuit enim Adamus, vt ſupra oſtēdimus, ſciētiam omnium rerum naturalium, & non ſolum ſcientiam habitualem, ideſt, habitus ſciētiales, vtputa habitū Logices, Phyſicę, Methaphyſicę, &c. Sed etiam ſcientiam habitualem, quo ad actum primum, ideſt, ſpecies intelligibiles omnium quidditatum naturalium, & etiā ſenſibiles in ſenſibus internis omnium rerum ſenſibilium. Quod nulli adhuc mortalium cōtigit. Secundo præſtantia modi ſciendi: Nā alij pleraque norunt probabili tantum ratione, vel non ex cauſis, ſed ex effectis, vel non oſtenſiua demōſtratione, ſed ducente ad impoſſibile, Adamus vero perfectam cuiuſq; rei, & ex proprijs eius cauſis, ductam ſcientiam tenebat. Tertio firmitate, atque immobilitate ſcientię: non enim in ſtatu innocentię amitti ſcientia potuiſſet: nam Adamus in ſtatu innocentię ab omnibus morbis, vitijs, incommodis, & defectibus corporis, & ſenſuum, tam interiorum, quam exteriorum vacuus, & liber fuiſſet.

Adā an fuerit ſapientior Salomone. Sed huic videtur repugnare, quod de Salomone legitur. 3. Reg. 3. vbi Deus ita cum Salomone loquitur. Dedi tibi cor ſapiens, & intelligens in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit: nam his verbis videtur Salomonem ſapientiorem fuiſſe omnibus hominibus, qui eū anteceſſerunt, atq; adeo, & ipſo Adamo.

Toſtat. Toſtatus 3. Regum ſupra 3. c. q. 7. non dubitauit affirmare Salomonem fuiſſe Adamo ſapientiorem, licet ſupra c. 2. Gen. alterā partem docuiſſe videatur.

Lyranus. Ego tamen potius cum Nicolao Lyrano ſuper cap. 3. 3. Reg. arbitror Adamum omni genere ſcientię, ac ſapientię humanę prętantiorem fuiſſe Salomone; tum quia Adam creatus eſt in ſtatu innocentię, hoc eſt perfectiſſimo, & ipſe tam corpore, quam animo perfectiſſimus; tum etiam, quia perfecta ſcientia rerum naturalium, non tā neceſſaria; aut vtilis futura erat Salomoni, quam Adamo, quippe qui primus futurus erat magiſter humani generis,

pri-

Digitized by Google

primusque omnium diſciplinarũ Doctor. Quod autem ſcriptura dicit Salomonem excelluiſſe ſcientia omnes, qui ante eum fuerant, quatuor modis interpretari poteſt. Primò Salomonem fuiſſe ſapientiorem omnibus, vno tamen excepto Adamo, non enim raro vniuerſales ſcripturę ſententię nõ vniuerſaliter accipiendæ ſunt; ſed vt plutimum, & maxima ex parte, & hæc interpretatio eſt ipſius Toſt. Gen. cap. 2. vel ſit comparatio Salomonis cum omnibus alijs hominibus, qui proprio ſtudio induſtria, & diligentia ſapientiam ſunt adepti, extra quorum numerum eſt Adamus; qui eam ſibi diuinitus inditam habuit: namque velimus, nolimus ex illa generali ſententia Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum excipere neceſſe eſt; vel dictus eſt Salomon ſapientior omnibus, non quidem ſimpliciter omnibus hominibus, ſed omnibus regibus, & principibus, qui ante eũ prędfuerunt hæbręo, populo; aut etiã quibuslibet gentis hæbręæ, qui doctrinã vllo tempore excelluerũt Hieroſolymis: ita explicat illum locum Lyranus; ſicut etiam ſecunda explicatio eſt Toſtati vbi ſupra, & Lyrani interpretationem valde probabilem facit, quod ſeſe ipſemet Salomon ſcripſit ſub finem primi capitis libri Eccleſiaſte. Ecce (inquit) magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientia, qui fuerunt ante me in Hieruſalem. Vel denique ſcriptura non loquitur de ſapientia, quæ eſt ſcientia ſpeculatiua rerum naturaliũ, & diuinarum, ſed de ſcientia politica, quæ eſt prudentia bene regendi populum hębræum, atque hoc genus ſapiẽtiæ, vtiq; excellentiorem fuiſſe credã in Salomone, quam in Adamo; hæc enim ſapientia magis neceſſaria erat Salomoni innumerabilem nempe recturo populum, eamque præcipuè Salomon à Deo petijt, & Deus ei perfectiſſimam tribuit, vt in 3. lib. Reg. c. 3. ſcriptum legimus: ſicut accipiendo ſapientiam, vel pro vno ex ſeptem Donis Spiritus ſancti, vel pro ſcientia rerum diuinarũ, & myſteriorum fidei; maiorem fuiſſe in Apoſtolis, & quibuſdã eccleſię Doctoribus, quam in Adamo crediderim, cum in priori acceptione tanta ſit in quolibet homine ſapientia, quanta eſt in eo charitas, & gratia gratum faciẽs; & in Apoſtolis maiorẽ credimus fuiſſe gratiam, quam in Adamo; & myſteria fidei, & rerũ diuinarũ poſt aduentũ Chriſti vberius, ſubtilius, diſtinctius, & enodatius percepta, & cognita ſunt.

Salomon quõ excel luit ſapiẽ tia oẽs, qui ante ipſũ fuerunt.

Quęritur quinto. An Adam in ſtatu innocentię circa creatarum rerum cognitionem decipi, falliue potuiſſet. Fuit aliquorum opinio dicentiũ Adamum aliquo modo potuiſſe decipi in ſtatu innocentię; diſtinguebant tamẽ; quòd deceptio, quędam eſt circa ſcibilia, quędam circa opinabilia, ſcibilia autem dicuntur illa, quæ recta ratione comprehendi poſſunt, ſicut ſunt illa de quibus ſunt ſcientię liberales; opinabilia verò, ea dicuntur, quę non habent cognoſci niſi per quandam coniecturã, huiuſmodi ſunt ſecreta mentis alienæ, & futura contingentia, quæ ſunt à caſu, & fortuna, & libera voluntate. In primis Adam falli non poterat, quia omnium perfectam habebat cognitionem. In ſecundis autẽ dupliciter contingit aliquem falli; aut quia adhæret firma credulitate, aut q a adhæret qualicumque ęſtimatione; Prima autẽ deceptio vocatur propriè error, & hęc in primo homine ſtante non fuiſſet; Secunda verò poteſt dici opinio, in qua eſt acceptio ſine pleno conſenſu credulitatis; Et hęc poteſt dici ęſtimatio falſa, & hęc poteſt eſſe in Adam in ſtatu primo abſque culpa, & pœna; maximè cũ ex huiuſmodi ęſtimatione, nec incideret in pctm̃, nec incurreret damnũ.

Quęſt. 5. Alex. de Ales vbi ſup. in 2. art. 4. D. Bon. vbi ſup. ar. 2. q. 2. Ric. ead. diſt. ar. 2. q. 4. & Dur. ead. diſt. q. 3. & D. Tho. par. 1. q. 94. ar. 4.

Adam an circa creatarũ rerũ cognitionẽ, falli vel decipi potuiſſet.

Ceterũ hæc opinio videtur eſſe contra D. Auguſt. dicentem in Enchi. Cum nihil aliud ſit errare, quam verum putare, quod falſum eſt, vel quòd verum eſt, & certum habere pro incerto; incertum vèrò pro certo, ſiue falſum, ſiue verum ſit, idque ſit tam in animo deforme, atq; indecẽs, quam pulchrũ,

Aug. in Enchi. c. 16.

atque

atque decorum eſſe ſentimus, vel in loquendo, vel in aſſentiendo, eſt, eſt, nō, non, profectò eſt vita miſera iſta, qua viuimus, quòd ei nonunquam, vt nō amittatur, error eſt neceſſarius. Hactenus Aug. ex quibus verbis apparet ipſum appellare errorem generaliter omnem deceptionem, & illam dicit indecoram, & indecentem, & ad vitam miſeram pertinere & in lib. de vtilitate credendi expreſse dicit quòd nullus error abſque vitio eſſe poteſt.

Aug. in lib. de vtilitate credendi.

Dicendum eſt ergo, quòd licet Adā in ſtatu innocentiæ potuerit aliqua neſcire, non potuit tamen errare, nec decipi: quia deceptio vltra neſcientiam addit iudicij obliquitatem, quæ in Adā in ſtatu innocentiæ non fuiſſet, ſic nec paſſio corporalis, & hoc poteſt ſic explicari; ſicut enim cōtingit dupliciter aliquid pati, aut paſſione intrinſeca, aut paſſione illata ab extrinſeco: ſic cōtingit aliquem decipi dupliciter, aut ita, q̄ ſeipſum paralogizet, aut ita, quòd paralogizetur ab alio; neutrum autē horum in Adam fuiſſet. Sicut enim in eo nulla fuiſſet paſſio intrinſeca: quia virtus animæ regetiua perfectè ſuo corpori præſidebat, & ipſum in ſtatu debito conſeruabat, vel propter aliquam aliā cauſam; ſic nulla fuiſſet deceptio veniens ab intrinſeco; quia iudicium rationis omnibus viribus inferioribus p̄ſidebat, nec ipſę in contrarium rationi, aliquo modo mouebantur, ſed potius ab ea ſufficienter dirigebantur. Præterea quemadmodum pati non poterat paſſione illata ab extrinſeco; ſiue quòd nullus in tempore illo eſſet, qui inferret; ſiue quia, ſi adeſſet, diuina virtus eū protegeret, ſiue propter aliam cauſam, ſic etiam in ſtatu illo nemo eſſet, qui hominem circumueniret, aut paralogizaret: nam vnuſquiſque loqueretur veritatem cum proximo ſuo, aut ſi eſſet diuinæ inſpirationis reuelatio, ſiue per ſe, ſiue per Angelum ei manifeſtando veritatem, nè falleretur, ſubueniret, ſicut virtus diuina ſuccurreret, ne in corpore lęderetur, atq; adeo, Adamo ſtante, nulla in eo fuiſſet deceptio, nec ab intrinſeco, nec ab extrinſeco.

Aliquē decipi cōtingit dupliciter.

De Adami ſupernaturali notitia.

CVm primi parentes ad finem cōderētur ſupernaturalem ad quē proprijs meritis diuina gratia præuentis peruenirent, neceſſe fuit, vt notitia ſupernaturalis de vltimo fine, ac præmio, quod haberent propoſitum, deq; nonnullis alijs rebus illis conferretur, ideo circa notitiā ſupernaturalē Adami, mouentur aliquę difficultates, & primo

Queſt. 1. D. Tho. par. 1. q. 94. art. 1. Ric. in 2. diſt. 23. ar. 2. q. 1. Durand. ead. diſt. q. 2. & Toſt. vbi ſupra q. 498.

Quæritur vtrum Adam in ſtatu innocentiæ viderit Deum per eſſentiam. Dicēdum, quòd cum loquamur de cognitione Dei, quam habuit Adā in ſtatu innocentiæ, aut loquimur de cognitione, quam habuiſſet ſecundum communē ſtatum, vel quam habuiſſet ſecundum ſpeciale priuilegium; ſi fiat ſermo de cognitione, quam potuit habere ex ſpeciali priuilegio, ſic nulli dubium eſt, quin Deus potuerit Adæ, vel alij, cui voluit manifeſtate ſe per eſſentiam, & manifeſtauit, vt quidā credūt, non ſolum Adæ in raptu, quādo immiſit ſoporem in Adam, vt dicitur in hoc cap. ſed etiam Moſi in lege, & Paulo in tempore gratię, & de hoc cum ſit de facto, quod dependet ex mera voluntate diuina, non poteſt haberi alia certitudo. ſatis eſt quòd nulla, ex parte rei, poteſt aſſignari repugnantia.

Adā an in ſtatu innocētia viderit Deū per eſſentiā. Alex. de Ales vbi ſup. in 2. art. 1. & D. Bona. in 2. diſt. 23. art. 2. q. 3. & Toſt. vbi ſupra q. 499.

Si autem fiat ſermo de cognitione, quæ competebat ei ſecundum communem ſtatum, eſt triplex modus dicendi, primus, quòd cognitio in ſtatu innocentiæ media eſt inter cognitionē ſtatus gloriæ, & ſtatus miſeriæ, ſicut & locus Paradiſi medius eſt inter hanc vallem miſerię, & patriam cæleſtem, & quemadmodum Paradiſus Terreſtris plus ſe tenet cum terra, quam cū cœlo, ſic Adæ cognitio, ſiue ſtatus innocentiæ, plus ſe tenet, ſeu conſormis eſt cognitioni ſtatus præſentis, quam futuri, vnde in ſolo ſtatu gloriæ, videbitur

Cognitio in ſtatu innocētia media bat inter cognitionē patria & via.

Deus

Deus immediate in ſua ſubſtantia, ita quod nulla erit ibi obſcuritas, in ſtatu vero innocentię, & naturæ lapſę, videt Deus mediante ſpeculo; ſed differēter, quia in ſtatu innocētiæ videbatur Deus per ſpeculum clarum, nulla enim erat in anima peccati nebula; in ſtatu vero miſeriæ, videtur per ſpeculum obſcuratum per peccatum primi hominis, & ideo nunc videtur per ſpeculum, & in ęnigmate; Enigma autem dicit (Auguſt. lib. 14. de Trinit.) eſt ſimilitudo obſcuram.

Ric. & Durand. vbi ſup. & D. Tho. 1. par. q. 94. art. 1.

Secundus modus dicendi eſt, quòd Adam in ſtatu innocentię, cū eſſet viator ſicut nos, vidit Deum in eodem genere viſionis, quo nos, ſcilicet ex creaturis ſumens cognitionem, ſed tanto perfectius, quam nos, quanto perfectiorē cognitionem habuit de creatura, quā nos: nam quāuis haberet corpus animale, non erat tamen de neceſſitate corruptioni ſubiectum, atque adeo nō ſic aggrauabatur anima corpore, ſicut in ſtatu miſeriæ. Hoc etiam requirebat rectitudo illius ſtatus, vt inferiora ſuperioribus ſubderentur, & ſuperiora ab inferioribus non impedirentur; vnde primus homo in ſtatu innocentiæ per res exteriores, & actus virium inferiorum, non impediebatur à firma cōtemplatione intelligibilium effectuū, ſuę cognitioni intelligibilium proportionatorum, quod dico propter ſubſtātias intelligibiles creatas quas etiā per eſſentiam non videbat. In ſtatu autem miſeriæ per res exteriores, & actus virium inferiorū diſtrahitur intellectus à contemplatione intelligibilium effectuum, qui ſunt clarius ſpeculū; quam effectus ſenſibiles, & diuinam eſſentiā expręſſiuè repręſentant.

Scotu in 12. Sent. d 3. q. 9. Gulielm. Rubian. in 2. diſt. 23. q. 4. et maior. ea

Tertius modus dicendi, qui elici poteſt ex doctrina Doct. Sub in 2. diſtinct. 3. q. 9. eſt, quòd ſicut ſtatus innocentiæ fuit medius inter ſtatum gloriæ, & ſtatum culpæ, ſic homo in ſtatu illo habuit cognitionem de Deo medio modo: nam in ſtatu gloriæ videtur Deus per eſſentiam, in ſtatu culpę videtur à nobis per ſpeculum, & in ęnigmatę, ex contuitu creaturarum, & in ſtatu innocentię videbatur per ſpeciem influxā:

dē d. q. 1. & To vbi ſup. q. 501.

Vnde ſecundum hunc modum dicendi, quem probabilioream exiſtimo, pono aliquas concluſiones, & primo ſuppono ſecundum oēs Theologos Adamum habuiſſe altiorem, & excellētiorem notitiam de Deo, quam nos hic habeamus. Sed altior, cognitione confuſa, à tota ſpecie non poteſt eſſe niſi cognitio diſtincta, nam ſecūdum omnes, Adam in ſtatu innocentiæ non cognouit Deum in ęnigmate hoc eſt obſcure, ſiue confuſo modo, ſed clarè, atque diſtinctè. Nam genus cognitionis, quo in illo ſtatu innocentiæ vſus eſt Adam, vſque adeo ſublime, & excellens fuit, vt ſępenumero mens eius ab omnium vſu ſenſuum abſtracta, & in extaſim rapta, curię cęleſti, & Angelorū Choris intereſſet, vt apertiſſimis verbis oſtendit D. Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. c. vlt. & Greg. lib. 4. Dialogorum cap. 1.

Adā habuit altiorē, & excellentiorē notitiam de Deo, quā nos ī hoc ſtatu habeamus.

Suppono ſecundo, quòd Adam in ſtatu innocentiæ non habuit cognitionem Dei diſtinctam intuitiuam: quoniam hæc, cū beatifica ſit, ponit hominem extra ſtatum viæ; Adam autē in ſtatu innocentiæ viator erat, vel ergo habuit diſcurſiuam, vel abſtractiuā, hoc eſt, vel per medium cognoſcendi cognitū, vel per medium cognoſcendi non cognitum; Tertio ſuppono, quòd per diſtinctam cognitionem eſſentiæ diuinæ intelligo cognitionem quidditatiuam, quæ immediate ad eſſentiæ quidditatem, & ad ipſam eſſentiam deitatis terminabatur, & qua eſsētia cognoſcebatur, qualis eſt cognitio hominis, qua ſub rōne animalis rōnalis cognoſcitur. Ex his ſit

Adā in ſtatu innocentiæ nō habuit cognitionem Dei diſtinctā intuitiuā.

Prima concluſio. Adam per ſuam eſſentiam, tamquam per medium cognitum, cognouit Deum eſſe, & alia multa, quæ ratio naturalis creata de Deo attingit; prima pars ꝓbatur, quia per eſſentiam effectus cognoſcitur exiſtentia cauſæ præſertim cauſantis; & conſeruantis effectū; ſed eſſentia Adami eſt effectus Dei, ergo per eius exiſtentiam

Adā per ſuā eſſentiā tamq. per medium cognitum cognouit Deū eſſe.

ſtentiam cognitã, cognoſcitur exiſtentia Dei cauſantis,& conſeruantis eam, iuxta illud Apoſtoli ad Rom.1.Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt à creatura mundi intellecta conſpiciuntur. Secunda pars eſt clariſſima, quia Adã habebat rationem naturalem creatam perfectam,ergo ea,quę de Deo cognoſcere poteſt ratio naturalis, potuit & Adam. Ea autem eſſe plura oſtendit Scotus in libro de primo principio per totum;vbi oſtendit,quid poſſit de Deo attingere humana ratio naturalis.

Scotus.

Adam in ſtatu innocentia nõ potuit naturali ter cognoſcere Deum eſſe Trinũ & unum.

Secunda Concluſio. Adam in ſtatu naturæ inſtitutæ ex viribus ſuæ naturæ concurrentibus, ſcilicet cauſis naturalibus; neque demonſtratione propter quid,neque demonſtratione quia, potuit cognoſcere Deum eſſe Trinũ. concluſio eſt Sco. in quodlib.q.14. artic.1. & communis Theologorum cõſenſus, cuius probationem vide in Sco. loco citato.

Adã in ſtatu innocentia nõ potuit naturali ter attingere ad diſtinctã & definitiuã Dei cognitionem.

Tertia Concluſio. Adam in primo ſtatu non potuit attingere ad Dei notitiam propriam,hoc eſt, perfectam,& diſtinctam,ſeu definitiuam:nec immediatam, prout immediata cognitio excludit medium cognitũ ex perfectione ſua naturali, concurrentibus etiam quibuſcunque cauſis naturaliter motiuis ad cognoſcendum; quoniam omnis cognitio talis requirit ipſum obiectum pręſens,vel in propria exiſtentia, ſi eſt intuitiua, vel in aliquo perfectè repręſentãte ipſum ſub propria,& per ſe ratione cognoſcibilis, ſi fuerit abſtractiua; Deus autem ſub propria ratione diuinitatis,non eſt præſens alicui intellectui creato, vllis ex prædictis modis naturaliter,ſed mere voluntariè,atque adeo nullus intellectus creatus ex perfectione ſua naturali, poteſt cognoſcere Deum ſub propria,& immediata cognitione diuinitatis,quòd autem Deus neutro modo ſit præſens intellectui creato; patet quia ſi eſſet præſens primo modo hoc eſt in propria exiſtentia, poſſet creatura eſſe beata naturaliter in viſione deitatis, quod eſt à fide alienum, quod non ſecundo modo; patet quia nulla creatura poteſt cauſare aliquid,quòd ſit repręſentatiuũ propriũ, & per ſe diuinitatis, ſub propria ratione cognoſcibilis.

Adã per ſuã eſſentiam tãquam per mediũ cognitum nõ potuit Deũ ſub rõne deitatis cognoſcere.

Quarta Concluſio. Adam per ſuam eſſentiam tamquam per medium cognitum nõ potuit Deum ſub propria, & diſtincta ratione deitatis cognoſcere; neque tamquam per rationem intelligendi, ſeu ſpeciem intelligibilem; prima pars eſt euidens ex concluſione præcedenti: nam ſi Adam ex viribus ſuæ naturæ, quibuſcunque cauſis naturalibus cõcurrentibus, non põt Deum ſub propria ratione attingere, ſequitur ſtatim,quòd per eſſentiam ſuam;tamquam per medium cognitum,non poteſt Deũ ſub propria rõne cognoſcere. Secunda pars probatur: quia eſſentia Adæ,ſolum repręſentat Deum,vt effectus ſuam cauſam, ſed effectus ſolũ eſt ratio cognoſcendi ſuam cauſam,vt cognitus, vt conſtat in eſſentijs aliarum rerum, per quas tantum potuit Adam cognoſcere Deum, tamquam per media cognita,ex prima quæſtione ergo eſſentia Adę ſolum eſt ratio cognoſcendi,vt cognita.

Adã vt Deũ diſtincte cognoſceret indiguit ſpecie intelligibili repræſentante diuinam eſſentiam.

Quinta Concluſio. Adam, vt cognoſceret Deum propria, & diſtincta cognitione abſtractiua, indiguit ſpecie intelligibili repræſentãte diuinam eſſentiam, Hæc concluſio manifeſta eſt ex dictis: nam ſi non potuit cognoſcere Deum propria diſtincta cognitione per aliquod medium cognitum,neceſſario ſequitur ad huiuſmodi cognitionem habẽdam,indiguiſſe ſpecie aliqua intelligibili, diuinam naturam repræſentante, quia talis cognitio nõ poteſt, niſi,vel per medium cognitum,vel per rationem cognoſcendi haberi; ergo cũ per medium cognitum non poſſit acquiri,ſequitur, quòd per rationem cognoſcendi,quę ſpecies intelligibilis dicitur, ſit acquirenda, atque adeo, vt eã haberet Adam,huiuſmodi ſpecie indigebat.

Sexta Concluſio. Non eſt contra om-

Species intelligibilis diſtincte repreſentās diuinam eſſētiam dari oīno poteſt.

omnem rationem, (vt aliqui Thomiſtarum volunt) ſed rationi maximè cōſentaneum, poſſe dari ſpeciem diuinæ eſſentiæ diſtinctè, licet abſtractiuè, repræſentantem. Probatur primo. Aliquis in raptu videns tranſitoriæ diuinæ eſſentiam, ceſſante iſto actu videndi, poteſt habere memoriam obiecti, ſub ratione diſtincta ſub qua erat obiectum viſionis, igitur per aliquam rationem perficientem intellectum, poteſt obiectum eſſe obiectiuè pręſens intellectui eius qui tranſitoriè in raptu eſſentiam diuinam viderat, ſed talis ratio, per quam obiectum eſt illi pręſens, non eſt niſi ſpecies intelligibilis; ergo dari poteſt ſpecies impręſſa diuinę eſſentiæ: eſt enim euidens cōſequentia à facto eſſe, ad poſſibile; antecedēs patet ex raptu Pauli 2. ad Corinth. 12. Vbi poſt raptum, in quo eſſentiam diuinā viderat, fatetur ſe audiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui. Præterea D. Thom. 1. p. q. 94. art. 1. ait primum hominem altiori cognitione, quā nos per intelligibilem effectum cognouiſſe Deum; vbi aliqui moderni Thomiſtę affirmant, per effectum intelligibilem intellexiſſe D. Thom. ſpeciem diuinæ eſſentię impręſſam, ipſam abſtractiuè repręſentantem; ergo ſecundum iſtos dabilis eſt talis ſpecies, quamuis in alijs locis ipſam diffiteantur.

Bannes 1. p. q. 94. art. 1.

Adā in principio ſuæ creationis habuit notitiā diſtinctā eſſentiæ diuinæ per ſpeciem impreſſam.

Septima Concluſio. Adam habuit à principio ſuæ creationis notitiam diſtinctam diuinæ eſſentiæ per ſpeciem impreſſam: conſimilem concluſionem ponit Doct. ſub. de angelis in 2. diſt. 3. quæſt. 9. & poteſt eodem modo explicari, quo eam doct. explicat de Angelis, quam nos in noſtris Commētarijs ſuper 2. ſent. doc. ſub. & explicauimus, & comprobauimus.

Notitia q̄ habuit Adā de eſſētia diuina per ſpeciē intelligibilē fuit quidditatiua.

Octaua Concluſio, cognitio diuinæ eſſentiæ, ſibi indita, fuit quidditatiua: quia illa ſpecies repręſentabat Adæ diuinam naturam, & eſſentiam diſtinctè, atq; adeo per illam cognouit Deū quidditatiua cognitione; conſequentia eſt euidens, antecedēs vero probatur: quia illa ſpecies repræſentabat diuinā naturam ſub ratione deitatis, & non ſub aliqua attributali ratione: quia ſub hac, abſque ſpecie poterat Adā Deum cognoſcere, ergo per illam cognouit Deum cognitione quidditatiua, ſcilicet ſub ea ratione, qua Deus eſt, præterea cognitio diſtincta diuinæ eſſentiæ neceſſario eſt quidditatiua, ſed ex præcedenti concluſione Adam habuit diſtinctam diuinæ eſſentiæ cognitionem, ergo habuit cognitionem quidditatiuam Dei.

Queſt. 2. Alex. de Ales vbi ſup. in 2. art. 2. D. Bona. vbi ſupra q. 3. & Gabr. in 2. diſt. 23. q. 1. ar. 3. dub. 2.

Adam quot modis Deū cognouit in ſtatu innocentiæ.

Quæritur ſecundo. Quot modis Adam Deum cognouit in ſtatu innocentiæ præter diſtinctam cognitionē, quam habuit per ſpeciem intelligibilem. Dicendum, quòd quadruplex eſt genus cognitionis: nam quædam eſt cognitio fidei, quædam intellectualis, ſiue contemplatiua, quædam per apparitionem in creatura, quædam per appertam viſionem; Primum eſt gratiæ communis; ſecundum eſt gratiæ excellentis; tertium gratiæ ſpecialis; quartum eſt gratiæ conſumatæ, ſiue perfectę: diſtinctio autem iſtorum modorum, ſic habetur, omne quod cognoſcitur cognitione intellectiua, cognoſcitur per aliquod præſens intellectui, & voco hic præſens ſecundum quòd vocat Auguſt. quod pręſens eſt intellectui ad videndum; præſens autem intellectui poteſt eſſe per manifeſtationē factam per verbum, per effectum, per ſignum, per ſpeciem, id eſt, per propriā eſſentiam, præſens autem fit Deus intellectui, per manifeſtationem factam per verbum, per cognitionem fidei; per verbū dico duplex, ſcilicet expreſſionis vocalis, & inſpirationis, id eſt, exterius, & interius, quòd enim Deus ſit Trinus, & vnus, hoc ego credo Dei Filio, qui hoc enarrauit, & prædicauit, & Spiritui ſancto, qui hoc inſpirauit: qđ enim credimus debemus authoritati, ſicut dicit D. Auguſt. de vtilitate credendi. Per manifeſtationem autem in effectu fit pręſens in notitia contemplatiua, ſiue ſpeculatiua; per hoc enim

Aug. lib. de vtilitate credendi c. 11.

quòd Deus eſt pręſens in effectu proprio, videt anima Deum, non in ſua eſſentia, ſed in aliquo effectu gratiæ, ſeu influentiæ, quam in ſe per experientiã ſenſit, quæ tanto eſt eminentior, quanto effectum diuinæ gratię magis ſentit in ſe homo, vel quanto etiam melius ſcit conſiderare Deum in exterioribus creaturis; per manifeſtationem in ſigno, fit pręſens intellectui in cognitione apparitionis, ſicut apparuit Deus Abrahæ in ſubiecta creatura, quando Tres vidit, & vnum adorauit Gen. 19. & ſicut Spiritus sãctus apparuit in Columba. Matth. 3. per manifeſtationẽ in propria luce, in lumine proprio, ſeu in ſeipſo Deus fit pręſens intellectui viſione, qua videtur facie ad faciem, & hæc eſt aperta viſio, quæ tota dicitur merces omnium meritorum.

Adam autem in ſtatu innocẽtię pręter hunc vltimum modum omnibus alijs modis vidit Deum; quod cognitione fidei patebit ſequenti quæſt. Q*d* viſione intellectuali, ſiue contemplatiua, habetur ab Auguſt. ſuper Geneſ. ad lit. lib. 11. cap. 33. vbi ſic ſcribit fortaſſis in illis intrinſecus, vel effabilibus, vel ineffabilibus modis Deus cum illis antea loquebatur, ſicut etiam cum Angelis loquitur, ipſa incommutabili veritate illuſtrans mentes eorum, vbi eſt intellectus noſſe ſimul quæcumque etiam per tempora non fiunt ſimul. Forte inquam ſicut cum eis loquebatur, & ſi non tanta participatione diuinę ſapientię quantum capiunt Angeli, tamen pro humano modulo quãtumlibet minus, ſed ipſo genere viſitationis, & locutionis, fortaſſis etiam illo, qui fit per creaturam, ſiue in extaſi ſpiritus corporalibus imaginibus, ſiue ipſis ſenſibus corporis, aliqua ſpecie pręſentata, vel ad videndum, vel ad audiendum, ſicut in Angelis ſuis ſolet videri Deus, vel ſonare per nubẽ. Quod viſione apparitionis, patet per eumdem Auguſtinum, eo loci, vbi ita conſequenter ſcribit. Nunc tamen quòd audierunt vocem Domini ambulantis in Paradiſo ad Veſperam, non niſi per creaturam viſibiliter factum eſt, ne ſubſtantia illa inuiſibilis, & vbique tota, quæ eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, corporalibus eorum ſenſibus locali, & tẽporali motu apparuiſſe credatur.

D. Aug. lib. 11. de Geneſ. ad lit. c. 33.

D. Aug. vbi ſup.

Quæritur tertio. An Adam in ſtatu innocentiæ habuerit fidem. D. Bonau. in 2. diſtinct. 23. artic. 2. quæſtio. 3. videtur negare Adamum in ſtatu innocentię habuiſſe fidem: nam dicit quòd primu cognitionis genus, quod eſt per fidem non competebat ſtatui innocentię propter enigmaticam cognitionẽ, & quia cognitio fidei, vt plurimum exauditu eſt: Nam ſecundum Hugone lib. 1. de Sacramentis p. 6. c. 14. Cognouit homo creatorem ſuum non ea cognitione, qua Deus modo à credentibus abſens fide quæritur, ſed ea, quæ tunc per præſentiam contemplationis ſcienti manifeſtus cernebatur. Item ſi habuit fidem, ergo habuit cognitionem articuli de reparatione, ergo habuit cognitionem de lapſu, atque ita caſum cognouit, ergo habuit prius pęnam, quam culpam, quod eſt cõtra diuinam iuſtitiam. Subinde cognitio fidei eſt ex auditu, vt docet Apoſtolus. Rom. 10. at dixit Hugo. Cognouit homo Creatorem ſuum non ea cognitione, qua foris ex auditu ſolo præcipitur, ſed ea potius, qua intus per inſpirationem miniſtratur. Sed dicendum eſt, quòd Adam in ſtatu innocentiæ fidem habuit; tum quia fides eſt fundamentum edificij ſpiritualis ad Hebr. 11. & fundamento deficiente deficit totum ędificium; tum quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo; tum quia iuſtus ex fide viuit. Habac. 1. Tum quia Adam, dum erat in ſtatu innocentiæ, dicere poterat cum D. Paulo, dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, ambulantes per fidem, & non per ſpeciem, & nunc videmus per ſpeculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem; tum quia habuit ſpem, & charitatem, cur ergo non habuit fidem; tum

Quęſt. 3.

D. Bona. in 2. diſt. 23. art. 2. q. 3.

Adã an in ſtatu innocentia habuerit fidem.

Hugo.

Alex. de Ales p. 2. q. 91. in 2. artic. 2. §. 1. Ric. in 2. diſt. 23. art. 2. q. 2.

2. Cor. 5. 1. Cor. 13

tum demum, quoniam fides diſtinguitur per fidem formatam, & informẽ, & hæc duplex fides duplici ſtatui homi nis reſpondet, ſcilicet, ſtatui gratiæ, & ſtatui peccati: nam exiſtentes in pec cato habent fidem informem, & exiſtentes in gratia fidem formatam; ſed conſtat quòd Adam lapſus per peccatum, habuit fidem informem, ergo ſtans in gratia habuit fidem formatam.

Fides duo cõcernit. Eſt tamen obſeruãdum, quòd fides duo concernit, quæ ſunt cognitio, & adhęrentia primæ veritatis propter ſe, quæ eſt firmitas credendi: penes cognitionem determinatur eius materiale, penes adhęrentiam, ſiue firmitatẽ, eius eſſe formale. *Hugo.* Vnde Hugo, duo ſunt in quibus fides conſtat, cognitio, & affectus, ideſt, conſtantia, & firmitas credendi, in altero conſtat, quod ipſa illud eſt, in altero conſtat: quia ipſa in illo eſt; in affectu enim fidei inuenitur ſubſtantia, in cognitione materia: aliud enim eſt fides, qua creditur, aliud, qđ fide creditur, in affectu inuenitur fides, in cognitione id, quod creditur fide: propterea fides in affectu habet ſubſtãtiam: quia affectus ipſe fides eſt, in cognitione habet naturam: quia de illo, & ad illud, quod in cognitione eſt, fides eſt. Præterea cognitio, quæ fidei eſt, duplex eſt, quædam imperfectionis eſt, ſcilicet illa, quę eſt ęnigmatica, de de qua 1. Corinth. 13. Videmus nunc per ſpeculum in ęnigmate: ęnigma enim eſt ſimilitudo obſcura, vnde videre per ſpeculum eſt videre per creaturas aliquas, in quibus ſimilitudo Dei relucet, & in ęnigmate, ideſt, in obſcura ſimilitudine. Eſt alia, quæ eſt perfectionis, ideſt illa, quæ non eſt ęnigmatica, ſed lucida; & huiuſmodi cognitionem fidei habuit primus homo in ſtatu innocentię, ideſt, non illam, quæ eſt ęnigmatica, ſed illam, quæ eſt lucida. *Cognitio eſt triplex.* Vnde triplex eſt cognitio, ſcilicet, per ſpeciem, & lumen, per ſpeculum in lumine, & per ſpeculum in ęnigmate. Prima eſt patriæ; ſecunda erat in ſtatu innocẽtię; tertia in ſtatu naturæ lapſę. Habuit ergo primus homo fidẽ, quantum ad illud, quod eſt ſubſtantiale in fide, ſiue formale; quantum ad illud autem quod eſt materiale, habuit illud quod eſt perfectionis, ideſt lucidam cognitionem.

Gulielm. Rubion. in 2. diſt. 23. q. 2. *Fides eſt duplex.* Vel poteſt dici, quòd fides eſt duplex, ſcilicet infuſa, & acquiſita; Adam habuit fidem infuſam, at non fidem acquiſitam ab aliquo exterius erudiente: nam in primo homine actus cognoſcendi Deum per fidem non fuit ex au ditu: nam Deus ipſi inſpirauit habitũ fidei talem, qualem habet quilibet fidelium aliquando in ſtatu pręſenti, vel non talem, ſed alium ab iſto, & alterius rationis, quantum, ſcilicet, ad id, ꝙ eſt imperfectionis in materiale fidei; Eua tamen, & poſteri Adæ in ſtatu innocentię, vltra fidem infuſam habuerunt fidem acquiſitam; de filijs Adæ patet quia ab eo in fide creatoris, & remuneratoris eruditi fuiſſent, & etiam de Eua probabile videtur, cum ipſi pręceptum diuinum per Adam fuerit explicatum. Et ad id, quod dicitur, quòd fides eſt ęnigmatica iam patet reſponſio; quia licet non habuerit cognitionẽ ęnigmaticam; ex hoc tamen nõ ſequitur, quòd nõ habuerit illud, quòd erat maioris cognitionis, & perfectionis in fide; quia habuit cognitionem certiorẽ illa, quæ eſt fidei in ſtatu naturæ lapſę; tum propter pręſtantiam ingenij, & ſcientię; quo fiebat, vt ille multa de rebus diuinis ratione, & intelligentia cõprehenderet, ad quę mens noſtra nunc aſpirare non poteſt, niſi lumine fidei adiuta; tum quia nos habemus fidem tam reſpectu obiecti reuelati, quã Dei reuelantis; non enim eſt nobis euidenter notum, reuelata eſſe à Deo myſteria, quę credimus, at ipſe Adam, etſi non haberet euidentem cognitionem ipſius obiecti fidei, habebat tamen euidentem notitiam reuelationis à Deo factę; nouerat enim euidenter myſteria illa ſibi eſſe à Deo reuelata, ſed vnde nouerat? quia ſentiebat mentem

ſuam interius illuminatam ad cognoſcenda ea, quæ humana ratione nõ poſſunt cognoſci, idq; ſine ordine ad phantaſmata, hoc aũt ab alio, quam à Deo, qui ſolum in mentem humanam illabi poteſt, & ſolus in eam habet poteſtatem, & efficacitatem proficiſci, & effici non poteſt. Vel dici poteſt quòd Adam in ſtatu innocentiæ non cognoſcebat Deum per ſpeculũ in ęnigmate, loquendo de ęnigmate ſecundũ quòd importat obſcuritatem pœnę, vel culpę, ſed ſecundum quòd importat rei creditę non apparentiam in ſua claritate immediate, ſic Deum cognoſcebat ęnigmatice ſecundum communem ſtatum illius vitę cum Deum per eſſentiã non videret, & tale ęnigma ſufficit ad fidei cognitionem: nam ad Hebr. 11. dicitur quòd fides eſt argumentum nõ apparentium.

Ric. vbi ſupra ad tertium.

Per idem patet reſponſio ad aliud: nam quamuis Adam habuerit fidem, perfectius tamen Deum cognoſcebat, ſcdm ſtatum illius vitæ, quã ſecundũ communem ſtatum modo cognoſcatur; & ſic non ea cognitione cognouit, qualiter modo à credentibus abſens fide quæritur: nam modo quęritur, ſiue cognoſcitur cognitione ęnigmatica; ob hoc enim dicitur modo abſens, ſcilicet propter ęnigma interpoſitum inter ipſum, & intuitum mentis, & tunc fuit contemplatio per præſentiã, quia erat in clariori lumine, vt dictum eſt.

Adã an habuit fidẽ de articulo reparationis, & quomodo.

Ad aliud, ꝙ obijcitur, ꝙ ſi habuit fidem, habuit cognitionẽ de articulo reparationis; dicunt quidã, quod habuit reuera, ſed tamen non cõtulit, nec aduertit, & ſic non cognoſcebat ſe caſurũ actu, vnde nec ex caſu eius cõtriſtabatur; Vel poteſt dici, ꝙ habuit fidem articuli de reparatione implicite cognoſcens, ꝙ ille, qui hominem parauit, illum repararet, quocumque modo indigeret reparatione, ſiue perficiendo, qđ erat defectus naturæ conditæ; ſiue aliqui alij defectus contingerent, bene .n. ſciuit, ꝙ Deus parauerat, ſine condiderat hominem ad hoc qđ perficeretur perfectione glorię, & ꝙ ille, qui hominem parauerat ad hoc, tempore opportuno illum repararet tollendo omnes defectus gloriæ contingentes.

Vel poteſt dici tertio ꝙ homo in ſtatu innocentię habuit fidẽ explicitã de Incarnatione Chriſti, & hoc ſecũdum quòd ordinabatur ad conſummationẽ glorię, non autem ſecundum quod ordinabatur ad liberationem à peccato, per paſſionem, & reſurrectionem.

D.Tho. 2.2. q. 2. art. 7.

Ad aliud dicendum, ꝙ ſicut duplex eſt fides .ſ. infuſa, & acquiſita, ita duplex eſt auditus .ſ. interior, & exterior, ad fidem infuſam nõ eſt neceſſarius auditus exterior, nec quo ad habitũ, nec quo ad actum, non .n. eſt neceſſarius auditus exterior ad hoc, ꝙ ſit cognitio fidei, ſed quãque ſufficit interior, ſicut ſuppoſito, ꝙ aliquis eſſet remotus à fidelibus, nec eſſet, qui eum inſtrueret in fide, dummodo omnino viueret ſecundum dictamen rõnis, & ſe ordinaret, & præpararet, quantũ poſſet, ad bonũ, auditu interiori fidem reciperet, & informaretur illis, quæ eſſent ſibi neceſſaria ad ſalutẽ. Vnde non fuit auditus exterior neceſſarius primo homini ad hoc, qđ haberet fidẽ, ſed inſpiratione interna fidei recepit cognitionẽ, hoc eſt illud, ꝙ fuit perfectionis in cognitionẽ fidei.

Quæritur quarto. Quæ myſteria in ſtatu innocentiæ cognouit Adam per habitũ fidei? dicẽdum ꝙ ſex genera rerum ſupernaturalium fuerunt Adamo cognita per fidem. Primũ nouit Adam prœmia ſupernaturalia viris bonis, & Deo ſancte, & pie ſeruiẽtibus, fuiſſe in cælis præparata; namque vt ſcribit D. Pau. ad Hebr. 11. Accedentem ad Deũ credere oportet, quia eſt, & inquirentibus ſe, remunerator ſit; ſecundo habebat ſine dubio fidem, & certã notitiã vltimi finis ſupernaturalis humanæ naturæ: ex fine enim pendet ordinatio totius vitæ; ſicut ordinatio ſcientiæ ſpeculatiuę pendet ex primis cuiuſque ſcientiæ principijs ſpeculatiuis; tertio nouit ea, quæ ſimpliciter omni homini, atque omni tempore neceſſaria ſunt homi-

Queſt. 4. Adã quæ myſteria cognouit in ſtatu innocẽtiæ per habitum fidei.

homini, quo finem illum cōſequatur, hæc autem ſunt gratia gratum faciēs, ſiue charitas cum alijs duabus virtutibus Theologicis, ſcilicet fide,& ſpe,& ſi quid aliud eſt huiuſmodi; hęc autem ſciebat Adā eſſe ſimpliciter Dei dona. Quarto ſatis probabile eſt non latuiſſe Adamum horribilem illum Angelorū caſum, qui propter ſuperbiam cęlo depulſi plurimas cœleſtium ſedium vacuas reliquerunt: nam huius caſus, & ruinę cognitio multum prodeſſe Adamo poterat, vt eum in humilitate,& diuinæ legis obedientia timore ſeueritatis diuini iudicij, ac iuſtitię contineret,& adhoc accommodari poſſunt verba illa Eccleſiaſtici 17. vbi ſcriptura inter alia bona, quæ primis parentibus Deū tribuiſſe narrat, ponit,& hoc,& iudicia ſua oſtendit illis, quæ iudicia? nimirum, quibus Deus reuelauit illis tranſgreſſionem peſſimorum ſpirituū, & quomodo iudicauerat eos, & damnauerat. Quinto, diſtinctè,& explicate cognouit Adam per fidem myſteriū ſanctiſſimę Trinitatis, vt tradit Epiphanius in Exordio libri, quem ſcripſit aduerſus hæreſes; quod eſt valde probabile. Non enim conſentaneum fuit, primum hominem tot tātiſque bonis, tum naturalibus, tū ſupernaturalibus cumulatum, in illo felici ſtatu innocētię poſitum, myſterium Trinitatis primum,& maximum omnium myſteriorum fidei, cuius clara viſio (vt Auguſt. inquit) tota eſt fidei merces, ignoraſſe; Præſertim vero cum hoc myſteriū primo in creatione Adami fuiſſet indicatum, cum dixit Deus; faciamus hominem ad imaginem,& ſimilitudinē noſtram, & coram Adamo poſtea dixit. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum,& malum. Sexto,& poſtremo cognouit Adam futurā filij Dei ex ipſius progenie incarnationem; hoc eſt cognouit filium Dei aliquando ſuſcepturum carnem humanam, non quidem, vt per mortem ſuam liberaret hominē à peccato, quia ſic fuiſſet Adā ſui lapſus,& peccati pręſcius, ſed vt caput eſſet humani generis ad ipſum honorandum, & glorificādum. Sicut Ioſeph. (inquit D. Bona.) Patriarcha pręuidit in ſomno futuram exaltationem ſuam, non tamen ſuam venditionem, aut incluſionem in carcerem, ſic Adam noſſe potuit aliquid, quòd ſpectabat ad hanc naturæ exaltationem, ſicut fuit Chriſti incarnatio, ita tamen, ꝙ ignorabat poſteritatis ſuæ lapſum per ſuam pręuaricationem, vel quòd Deus non reuelauit, vel quia ipſe non pertractauit.

Epiph.

D. Bona. in 2. diſt. 23. circa l. t. Mag. dub. 3.

DE ADAMI SOPORE & Exſtaſi.

Immiſſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam.

FVerat quæſitus adiutor pro Adamo,& non fuerat inuentus, atque adeo neceſſe erat formari ſibi feminā conuenientem, quam Deus voluit formare de corpore viri, & quia volebat, quòd vir non videret, quādo Deus auferebat partem corporis eius ad formandam mulierem, ideo dicit ꝙ fuit immiſſus ſopor Adę, vt tunc neque videret, quid Deus circa ipſum faceret, neque ſentiret, quòd patet ex eo: quia dicitur: Immiſſit ergo Dominus ſoporem in Adam, quibus verbis notatur illatio quædam; ac ſi diceretur, quia Adæ non inueniebatur adiutor ſimilis; ideo Deus immiſſit ſoporem in Adam ad formandam mulierem: ſi enim inuentus fuiſſet adiutor, nō formaretur de nouo femina, atque adeo, neque eſſet neceſſarium in Adam immiti ſoporem ad formandam mulierem; obſeruandum eſt, quòd pro verbo immiſſit hębręū verbū propriè ſignificat cadere, vel delabi fecit Septuaginta habent iniecit, vel immiſſit, pro vocabulo ſoporis, vox hębręa Tardemah plus ſignificat, quam ſimplicem ſomnum; & vt obſeruat D. Hieronymus de quęſtionibus hębraicis in Gen. Aquila vertit, deſcenſum, & totius vigiliæ lapſum; Se-

ptuaginta extaſim, ideſt, mentis exceſſum, & hanc lectionem plerique veterum patrum ſecuti ſunt; vocabulū autem Tardemach ſignificans grauem, & profundum ſomnum, qualis nempe lethargo affectis contingit, ponitur in huius lib. c. 15. in illis verbis, cumq; ſol occumberet ſopor irruit ſuper Abram, & horror magnus, & tenebroſus inuaſit eum; & 1. Reg. c. 26. non erat quiſquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, ſed omnes dormiebāt: quia ſopor Domini irruerat ſuper eos. Dicit vero immiſit: quia non fuit iſte ſomnus ex cauſa naturali; nam accidere ſolet ſomnus ex labore, vel ex repletione cibi, & potus, vt non poſſit, repletis venis, aſcendere ſpiritus motiuus multiplicatis de corde per uenas ad cerebrum; & tunc membra ceſſant à motu, & ſenſu, vel ex magno frigore, vel ex tenebris: iſta enim faciunt dormire, & aliquando morbi, vt lethargia; nihil autem horum adhuc erat in Adam, vt conſideranti patet, quia nondum comederat, cum hoc acciderit parum poſt ſuam formationem, nec laborauerat, nec erat in tenebris, nec frigore, vel morbo. Immiſit ergo Dominus ſoporem, ſcilicet ſupernaturaliter. Circa hoc

Quæſt. 1. *T oſt. ſup. 13. capit. Geneſ. q. 400.* *An ſomnus ſit extaſis.*

Quæritur primo. An ſomnus ſit extaſis, vel ſomnus diſtinguatur ab extaſi. Dicendum, quòd ſomnus nō eſt extaſis, & extaſis non eſt ſomnus: quoniā contingunt quaſi contrario modo: nā ſomnus eſt quies virtutum animaliū, quę ſunt cognitiuę, & appetitiuę cū intenſione naturalium, & quando quieſcunt animales virtutes per quandam ligationem earum, etiam quieſcunt rationales, vel intellectiuę, & ideo in ſomno omnis vis cognitiua ceſſat ab actu, & vis naturalis nō ceſſat, ſed operatio ſua augetur, & fortificatur. In extaſi autem nō eſt ſic formaliter, ſed in aliquo concordant, & differunt: concordant quidem, quia tam in extaſi, quàm in ſomno, omnes vires ſenſitiuę, quę vocantur animales, & appetitiuę, quieſcunt, ideſt ligantur: quia qui eſt in extaſi, nihil videt, neque audit, ſic patet de Paulo in raptu, quem Græcè extaſim vocant: non enim videbat, neque audiebat; Actuum cap. 9. Diſcordant autem in duobus; Primum eſt, quia in ſomno ligantur vires rationales, ſicut, & animales; in extaſi autem non ligantur vires rationales, ideſt, intellectiuæ, ſed potius eleuantur, & adhoc ſolū fit extaſis, vt intellectus ad plura intelligendo perueniat; quam ſufficeret intelligere in vigilia. Et hoc eſt propter qđ rapi dicimus huiuſmodi, ſcilicet, quaſi anima totaliter extra corpus fiat adhoc; quòd non impedita, per immixtionem ad corpus, recipiat altiſſima intelligibilia, quæ non ſufficit conſiderare diſperſa exiſtens; ſufficit autem vnita, ſed vnitas per hoc quòd abſtrahitur rapta ad illud. Secundo differunt, quia in ſomno intenduntur vires naturales in operatione ſua, & quantum ad hoc ſomnus eſt vtilis, & debet eſſe intentus à natura tamquam ad perficiendum operationes naturales, quę ſunt ad cōſeruationem corporis. In extaſi autem non confortantur, ſed debilitantur: quia minores efficiuntur, quam in vigilia.

Quæſt. 2. *T oſt. vbi ſup. q. 401.* *Extaſis vel raptus quid ſit.*

Quæritur ſecundo. Quomodo cauſatur extaſis, vel raptus pro ſolutione obſeruandum eſt, quòd ratio propter quam fit extaſis, vel raptus, eſt, vt anima, quę diſperſa exiſtēs in multas operationes non ſufficit ad aliquod intelligibile altiſſimū ſufficiat, quando vnita fuerit ad recipiendum illud: nā propter hoc ligantur in ſomno vires animales: quia per vigiliam omnes potentię animę ſunt ſolutę, & ſunt in actu; & ideo cum anima ſit vnicum principiū operatiuum, à quo eſt tota actio per virtutes ſuas, cum diſperſa fuerit in multas operationes nullam perfectam reddit.

Ad eſſe et vita cōſeruationē neceſſe

Secundo obſeruandum eſt, quòd neceſſarium eſt ad eſſe, & cōſeruationem vitę operationem naturalium virtutū perfici; atq; adeo natura ligat aliquādo

eſt opera-tionẽ na-turalium viriũ per fecta. do animales, & rationales facultates, & naturales ſolutas relinquit, & quia tunc anima illis ſolis intendit, totus vigor ſuus in illas dirigitur, atque ita operationes redduntur perfectę.

Tertio obſeruãdum eſt, quòd quoniam perfectio, & intenſio operationũ virium animalium, non eſt neceſſaria ad cõſeruationem vitæ, & eſſe; ideo natura non ligat aliquando vires naturales, ſolutis animalibus, ſicut facit è cõtrario, quod vtique faceret, ſi ad conſeruationem vitæ, & eſſe, neceſſaria eſſet perfectio aliqua in operatione virium animalium.

Quarto obſeruandum eſt, quòd ſi natura ſimul ligaret vires naturales, & animales, relinquens ſolutas rationales, ideſt intellectum, tunc eſſet operatio intellectus intenſa: quia anima totaliter intenderet ei, non diffuſa in naturales, & animales. Sed iſtam ligationem non facit natura; tum quia nõ eſt neceſſaria ad conſeruationem vitę, & eſſe; immo non eſt vtilis; ſed potius obnoxia, & nociua; quia dum eſſent ligatæ naturales virtutes deterioraretur indiuiduum; tum quia hoc facere non poteſt, cum repugnet, ligatis viribus ſenſitiuis, naturaliter ſolutas eſſe rationales: nam intellectio non eſt in nobis ſine cõuerſione ad phantaſmata, à quibus intellectus agens abſtrahit ſpecies intelligibiles, & Ariſt. inquit 3. de Anima tex. cap. 39. oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari, at impoſſibile eſt, ꝙ intellectus conuertatur ad phantaſmata, aut poſſet abſtrahere ab illis, exiſtentibus ligatis interioribus ſenſibus, ideſt, phantaſia, & imaginatiua propter connexionem, & ordinem potentiarum in agendo pro ſtatu iſto.

Ceterum quòd natura efficere non poteſt, efficit Deus, qui ſolus hanc tertiam poteſt facere ligationem, ſcilicet, vt ligatis naturalibus, & animalibus viribus, ſolutus maneat intellectus; & tunc eſt extaſis, & eſt intellectus valde eleuatus ad intelligendum, eoqđ totus vigor animæ collectus eſt ad ſolam intellectionem, & licet talis ligatio nõ conueniat ſecundum naturam, ſcilicet ad conſeruandum eſſe animalis, conuenit tamẽ ad aliquid, quod eſt ſuper naturam, ſcilicet ad cognoſcenda aliqua, quorum cognitionem Deus iudicat eſſe neceſſaria ad bonam habitudinem ſtatus ſpiritualis, & ideo natura non facit talem ligationem, tamquam nõ ſibi neceſſariam, Deus autem facit illam tamquam neceſſariam ad ea, quæ ipſe intendit, & iſtam ligationem vocant Doct. raptum, vel extaſim ſecundum Græcos. Ex his ſequitur primo, quòd extaſis non eſt propriè ſomnus, quia in extaſi alleuiatur anima ab his, q ſunt ſecundum animam, in ſomno autẽ maximè eis intendit, atque adeo non alleuiatur, vel abſtrahitur, ſed potius in ſeipſa colligitur; in extaſi autem rapitur: quia tota vadit ad intelligere, qđ non pertinet ad materiam, neque ad naturam: ideo ibi vocatur raptus. Sequitur ſecũdo, quòd raptus dicit quãdam alienationem per modum eleuationis, ſomnus autem non eleuat animam, ſed potius incuruat ad ea, quæ ſunt infimi gradus ſuarum operationũ, nempe ad operationes naturales; in raptu aſcendit ad maximam operationem, ſcilicet ad pure intellectiuam, atque adeo tunc dici poteſt quod rapitur. Tertio ſequitur, quod quia raptus potiſſimè dicit alienationem, & abſtractionem à ſe, ideo cõpetit rei, quando non manet in ſolita operatione propria: quia nõ videtur eſſe in ſe, ſed extra ſe, ita eſt de anima in extaſi, quando ligãtur vires naturales, & animales ſolutis ſolis rationalibus: nam nullam de operationibus notis exercetur. Nos autem in alijs hominibus ſolas operationes naturales, atque animales experimur, intellectiuam verò tantum in nobis experimur, & nõ in alijs; atq; adeo, cum viderimus, quòd in aliquo nõ apparent operationes animales, ideſt, ſenſitiuę, neque naturales, indicamus, ꝙ non ſit anima in corpore: quia nulla operatio eius ibi manifeſtatur, & ita

eſt in raptu, ſecus autem eſt de ligatione, quæ fit in ſomno: quia ibi non rapitur anima, cum operationes eius manifeſtę ſint: nam vigorantur ibi operationes naturales, atque adeo vocabitur ligatio, ſed non raptus, aut extaſis.

Quęſt.3. Toſt. vbi ſup. q.402 Raptus quō fieri poteſt. Quæritur tertio. Quomodo poteſt fieri raptus, vt maneant ſolutæ vires rationales, ligatis ſenſitiuis? quia non fit intellectio niſi per cōuerſionē ad phantaſmata, & tamen ligatis ſenſibus interioribus, ligata ſunt phantaſmata; ideo neque fiet intellectio per conuerſionē ad phantaſmata ligata. Dicendum, ꝙ fieri poteſt duobus modis: priori modo per impreſſionem ſpeciei à Deo in intellectu, & hoc, ſiue illa ſpecies ſit creata, ſicut in communi extaſi, vt erat de Balaam, vt innuitur Num.24. & de alijs, qui extaſim patiuntur; ſiue per hoc quòd diuina eſſentia fit illi intellectui forma intelligibilis, ſicut dicitur de Paulo, de quo aſſeritur, quòd in raptu vidit diuinam eſſentiam. Alius modus eſt, quòd fiat per conuerſionē intellectus ad phantaſma, non præexiſtens, ſed ad aliud à Deo nouiter creatum, vel formatum miniſterio Angelorum; ſed iſte modus magis pertinet ad reuelationes, quæ fiunt in ſomnis, quæ non vocantur raptus, neque extaſis; & modi duo præcedentes de ſpecie creata, & de eſſentia diuina pertinent ad extaſim, vel raptum.

Quęſt.4. Toſt. vbi ſup.q.356 & Perer. lib. 4. in Gen. Sopor Adæ an fuerit Extaſis, vel ſomnus. Quæritur quarto. An iſte ſopor Adę extaſis fuerit, an ſomnus. Dicendum, quòd ſopor iſte negari nō poteſt: quin fuerit ſomnus, tum quia vox hæbrça, & Caldaica, quæ hoc loco eſt, propriè ſignificat ſomnum; tum, quia hoc manifeſte indicat Moſes dicens: Immiſſit Deus ſoporem in Adam, cumque obdormiſſet &c. & ferè omnium Doctorum ſententia eſt, ex latere dormientis Adæ formatam eſſe Euam. Ceterum, etſi hoc verum ſit, inficiari tamen non poſſumus illi ſomno Adæ interueniſſe extaſim, ita vt non modo ſoluta, & libera eſſet mens eius ad naturalem vſum rationis, animique agitationem, ſed ēt diuinitus illuſtraretur, & prophetico ſpiritu impleretur in ipſo ſuo ſomno. Dicendum eſt ergo ſoporem illum fuiſſe quidem ſomnum, vt ſcriptura aſſerit, ſed talem tamen, vt in eo ligatis ſenſibus, nihilominus mens ſoluta, & diuinitus illuſtrata, & res, quæ id temporis gerebantur cerneret, & quæ in eis latebant myſteria intelligeret. *D.Chriſ. hom. 15. in Gen.* Ita docet expreſsè D.Aug. lib.9 de Gen. ad lit.c. vlt. his verbis illa extaſis, quam Deus immiſſit in Adam, vt ſoporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immiſſa, vt & ipſius mens per extaſim particeps fieret, tamquam Angelicæ curiæ, & intrans in ſanctuarium Dei intelligeret nouiſſima; denique euigilans, tāquam prophetiæ plenus, cum ad ſe adductam (coſtam) mulierem ſuam videret, eructauit continuo, qđ magnum Sacramentum commēdat Apoſtolus, hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de Carne mea; hæc vocabitur mulier: qm̄ de viro ſumpta eſt, & propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrē, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Quæ verba cum primi hominis fuiſſe ſcriptura ipſa teſtetur, Dominus tamen in Euangelio Deum dixiſſe declarauit. Ait enim: non legiſtis, quia qui fecit ab initio; maſculum, & feminā fecit eos, & dixit: propter hoc dimittet homo patrem, & matrē, &c. vt hinc intelligeremus propter extaſim, quæ præceſſerat in Adam, hoc eū diuinitus tamquam Prophetam dicere potuiſſe. Hactenus D. Auguſt. & ſimilia D. Chriſoſt. *Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 19.*

Quęſt.5. Toſt. vbi ſupra q. 403. Extaſis quō fieri potuit in ſomno. Quæritur quinto. Quomodo potuit fieri extaſis in ſomno, cum ſint contraria ſomnus, & extaſis. Dicendum, ꝙ ſi propriè accipiatur extaſis nō eſt ſomnus, cum habeant rationes oppoſitas: quia in ſomno ligantur vires rationales, & animales, & ſolutę manent naturales; in extaſi autem è contrario, ligantur naturales, & animales, & ſolutę manent rationales. Vnde videntur plus repugnare ſomnus, & extaſis; quā ſomnus, & vigilia: quia tam in ſomno, quā

in

Digitized by Google

in vigilia manent ſolutæ naturales vires;in extaſi autem ligantur, atq; adeo non concedimus eſſe ſomnum in extaſi,neque extaſim in ſomno. Si autē extaſis accipiatur large,conceditur quòd extaſis fit in ſomno,ſicut aliquando dicimus,& quòd iſta concedantur,vt idē eſt cauſa per aliquod commune accidens, ſcilicet, quia vtrobique ligantur vires animales, & ideo in neutro eorū eſt vigilia;& quia vigiliā opponimus ſomno,dicimus extaſim eſſe ſomnum, vel in ſomno fieri extaſim. Loquendo itaque de extaſi Adæ poteſt dici, quòd aut propriè aſſerimus fuiſſe extaſim, aut non; ſi fuit extaſis verè, dicetur ꝙ non fuit verè ſomnus, ſed raptus, vel abſtractio à ſe, & tunc bene dicitur à Deo immiſſus ſopor: quia extaſis non poteſt fieri per naturam,ſed ſolum per operationem Dei,& cum dicitur,quòd erat ſopor, & quòd Adā obdormiuit, poteſt dici, quòd vocatur ſopor largè, non quòd eſſet verè ſomnus, ſed quòd poteſt vocari ſomnus vulgariter, eo ꝙ accidit ibi paſſio ſenſibilis. Quæ eſt in ſomno,ſcilicet quòd ligantur vires animales, ideſt, ſenſitiuę. Si autem accipiatur extaſis large in Adam;prout aliqua cognitio diuinitus data tunc fuit in illo; poteſt dici, quòd ibi fuit verus ſopor,prout ſomnus iuxta philoſophos eſt quies virtutum animalium cum intēſione naturalium, & eſſet talis ſopor Adæ, qualis in nobis accidit, niſi quòd ille erat cauſatus à Deo, & nobis accidit ſecundū naturam. Quo poſito poſſet adhuc dici, quòd in illo ſopore Adā potuit habere aliquam cognitionem à Deo de coſta ſibi ablata,& muliere inde formata;& de multis alijs, quæ poſtea ipſe prænunciauit: ſic enim accidit nobis in ſopore naturaliter accidente: quia Deus reuelat ibi aliqua, & iſte modus erat communis apud Prophetas in veteri Teſtamēto vt d'r Num.12. Si fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomniū loquar ad illum;& non ſolum erat hoc de prophetis, ſed etiam de alijs hominibus,quibus Deus ſępe reuelat aliqua ad ſolam illorum vtilitatem,& non vocamus illos ſtrictè Prophetas, & de ijs habetur Iob 33.ſomnium in viſione nocturna quando irruit ſopor ſuper homines,& dormiunt in lectulo,Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina. Ita ergo in Adam poterat eſſe verus ſomnus, & Deus reuelaret ei aliqd,& hoc vocant aliqui extaſim. Vterque modus eſt probabilis, prior eſt magis ad aures D. Auguſtini, poſterior verò videtur magis literæ cōſentaneus,cum dicat Moſes,& immiſſit Deus ſoporem in Adam, cumque obdormiſſet, &c.

Quæſt.6. *Toſt. vbi ſupra q. 353. & 356.* *Deus quare immiſſit ſoporē in Adā.*

Quæritur ſexto. Quare Deus immiſit ſoporem in Adam. Dicendum, quòd multæ poſſunt aſſignari cauſæ. Cur Deus immiſerit ſoporem in Adā; Prima, vt ſopor eſſet maior; nā ſopor, qui naturaliter accidit,eſt leuis,& ex quocumque leui motu tollitur, & euigilat dormiens;in ſopore autem à Deo immiſſo,non contingit euigilare, quovſque Deus ſoporem abſtulerit, & hoc videbatur hic requiri,ad hoc quòd coſta auferetur; licet potuiſſet Deus auferre leuiter, non excitando eum à ſopore naturali. Secunda,quia licet aliquando Adam eſſet dormiturus,tamē non eo tempore, quo Deus volebat auferre ei coſtam: nam fortè nōdum comederat, aut nulla alia cauſa ſoporis tunc inerat. Deus autem nolebat differre in longum formationem mulieris,ideo immiſit ſoporem.Tertia cauſa fuit,quia volens Deus de Adami coſta formare mulierem,voluit,vt Adam dormiret, vt res videretur credibilior: nam voluit res facere eo modo,quo facilius credi poſſent, cum autem dicatur coſta ablata de latere viri,& hoc ſine dolore, melius cogitari poteſt factū eſſe in dormiente,quam in vigilante, & ideo factum eſt in dormiente: nam qui de potentia Dei pauca intelligit,& de rerum natura; non ſatis concipere poteſt, quomodo hoc fieri poſſet in vigilante, conciperet autem quomodo

fieret

Digitized by Google

fieret in dormiente. Quarta, vt ex hoc commendaretur Adæ notitia: nam cũ adducta fuit ad eum Eua, dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis &c. Quam cognitionem dicitur accepiſſe diuinitus, tamen ſi vigilanti, & videnti coſta auferretur ad ſenſum eſſet ille certus de re, & non commendaretur eius cognitio.

DE PRODVCTIONE Euæ.

Cumque obdormiſſet tulit vnam de coſtis eius.

ERat enim Adam raptus in extaſim, ſcilicet, non vtens ſenſibus corporeis eratque magis abſtractus, quam dormiens; ſed circa hanc literam.

Quæſt. 1. Alex. de Ales p. 2. q. 58. m. 4. D. Tho. par. 1. q. 92. art. 3. D. Bona. in 2. d. 18. ar. 1. q. 2. Ric. ead. diſt. ar. 1. q. 2. & Toſt. vbi ſup. q. 358 & 359. Coſtaquã tulit Deus de Adam erat, ne, neceſſaria, vel ſuperflua?

Quæritur primo. An illa coſta, quã tulit Deus ab Adam, erat ſuperflua, aut neceſſaria, ſi ſuperflua, ergo homo antea erat monſtruoſus, ſicut qui ſenos digitos in manibus, vel pedibus habẽt. Si autem erat neceſſaria, ergo poſt mãſit homo imperfectus. Pro ſolutione obſeruandum eſt, quòd Phyſiologi, & Medici tradunt, quòd corpus noſtrum vigintiquatuor coſtis, duodenis vtrouis latere, conſtrutum, & coagmentatum eſt; modo eſt dubium, an coſta illa ablata, erat de numero coſtarũ vna, an vltra numerum, ita quòd illa ablata manerent Adæ tot coſtæ, quot nobis, & tot in vno latere, quot in alio. Secundo obſeruandum eſt, quòd vnum de duobus dicere oportet, ſcilicet, ꝙ Adã ex ſua formatione habebat tot coſtas, quot nos, & pares in vtroque latere, & tunc ablata vna, manſerunt ei pauciores, quam nobis, & pauciores in vno latere, quam in alio, aut quòd Adam habuit a principio plures coſtas, quã nos, & plures in vno latere, quam in alio, ablata autẽ illa, manſerunt ei tot, quot nobis, & pares in vtroque latere diſpoſitæ ordine ſuo. Tertio obſeruandum eſt, quòd aliqui dixerunt, quòd in Adam in vno latere erãt duæ coſtę ingeminatæ, ideſt, vna ſuppoſita alteri, ceteræ vero erant ſimplices. Deus autẽ abſtulit illam, quæ ſuper aliam erat, & ita inferior coſta manſit, & fuerunt coſtę numero pares in vtroque latere. Ceterum iſte modus dicendi nõ videtur rationalis: quia ſic ſequeretur mõſtruoſitas, ideſt, deformitas, eleuata aliqua parte corporis, præter proportionem; tum quia ſcriptura dicit, quòd tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carne pro ea, ex quo vr̃ ꝙ ablata coſta, fuit neceſſaria repletio, quaſi aliàs maneret corpus deforme, & tamen ſi eſſent ſic coſtæ ſuperpoſitę potius fieret è contrario: quia exiſtentibus ſic duabus coſtis, erat deformitas propter eleuationem immoderatam, ablata autẽ illa coſta, manebat locus æqualis alijs partibus; ideo non erat neceſſaria repletio, ſed potius erat melius ſine aliqua appoſitione, & tamen fuit facta appoſitio, & ſignificat ſcriptura fuiſſe neceſſariam, ergo nõ erat coſta ſupra coſtã.

Nicol. de Ly. in Geneſ. c. 2. & Toſt. vbi ſup.

Remanent ergo alij duo modi dicẽdi probabiles. Sed dubium eſt, quisnam ſit probabilior? Toſtatus exiſtimat ſecundum modum eſſe probabiliorẽ; tum quia dato priori illo modo, repugnaremus intentioni omnium doctorum, dicentiũ, quòd coſta, de qua fuit formata Eua, fuit in Adam ſuperflua, quantum ad integritatem indiuidui, ſed neceſſaria ad formationem Euæ, & tamen ſi Adam tot coſtas pręciſe habuiſſet, quot nos, fuiſſet coſta illa de perfectione, & integritate indiuidui, quod tamen nemo concedit, ſed omnes doctores dicunt fuiſſe ſuperfluam Adæ; ergo nõ habuit ſolum, quot nos; tum quia ſi tot habuiſſet, maneret deficiens Adam in vna coſta, & tamen nõ eſt dandus defectus informatis à Deo, præſertim in eo, qui primus fuit, & ſupernaturaliter formatus eſt. Et ſi dicatur, quòd Deus reddidit Adę aliã coſtam loco ablatæ. Inſtat Toſt. dicens, ꝙ hoc non poteſt ſtare: quia ſcriptura dicit, ꝙ repleuit carne pro ea, & nõ co-

ſta;

Digitized by Google

Adā quādo formatus fuit habuit in vno latere plures coſtas, q̄ ī alio iuxta Toſtatum.

ſta; dicit itaque Toſtatus, ꝙ Adam quando formatus fuit, habuit in vno latere plures coſtas, quam in alio, & fuerunt plures, quam nos habemus, eratque vna ſuperabundans, q̄ Deus produxerat ex induſtria, vt illā poſtea detraheret, & formaret inde mulierē; & illa erat in vno latere, quam cū abſtuliſſet Deus manſit numerus par coſtarum in vtroq; latere, & fuerunt tot, quot in nobis, & quia in loco, de quo ablata fuerat coſta, manebat quædam vacuitas impleuit Deus locum carne; atque ita coſta illa dicebatur prius ſuperflua indiuiduo: quia non erat de integritate eius, ſed ſolum faciebat ad complementum naturæ. Et ſi arguatur, quòd eſſet tunc monſtruoſitas in Adam, reſpondet, quòd verum eſſet, ſi ſuper abundaret ſimpliciter, ſcilicet, & quo ad indiuiduum, & quo ad ſpeciem, & non eſſet intenta à conditore.

Adā bifariā cōſiderari poteſt.

Adeo quod Adā, poteſt conſiderari bifariam, vel vt perſona quędam ſingularis, atque ita in to coſtarum numero ſupererat illa coſta, & ad integritatem corporis Adæ minimè pertinebat, vel conſiderari poteſt, vt erat primus homo, & totius generis humani caput, atque principium; & ex quo erat formanda Eua; atque ita neceſſaria fuit illa coſta, non quidem ſimpliciter, nec ſecundum naturalem ordinem, & rationem: (potuit enim aliunde formari Eua) ſed ſecundum Dei electionem, & ordinationem, qui ex Adami coſta, corpus Euæ formare conſtituerat. Verum hæc reſponſio non tollit penitus difficultatem: nam concedere ſaltem habent iſti, Adamum, vt erat perſona quædam particularis, fuiſſe monſtruoſum; quippe qui in vno latere plures coſtas haberet, quam ferret natura corporis humani, hoc autem videtur abſurdum, nec abſurditatem minuit, quòd ex illa coſta ſuperflua formanda eſſet Eua: non enim ſi Adam factus eſſet biceps, aut tripes, quamuis ex altero illorum capitum, aut ex vno illorum triū pedum, voluiſſet Deus Euam facere, non fuiſſet tamen propter hoc Adā nō mōſtruoſus, nec iuuat iſtorum opinionem exēplū, qđ adducunt de ſemine, quod homini, vt eſt quoddam indiuiduum ſuperuacaneum eſt, vt generandæ proli neceſſarium, non iuuat inquā: quoniam longè diuerſa ratio eſt ſeminis, atque illius coſtę. Etenim ſemen, naturaliter generatur in homine, & per ſe datum eſt à natura ad generationē hominis, nec eſt pars integralis hominis, nec propter ipſum dicitur homo aliqua ratione monſtruoſus: illa vero coſta præter naturam erat Adæ, nec per ſe referebatur ad formationē mulieris, ſed ex ſola Dei electione, qui tamen, vt ex coſta, ita ex alia qualibet materia Euam formare potuiſſet.

Poſſet itaque dici pobabilius, ſequendo hunc dicendi modum, quòd coſta illa fuit ſimpliciter Adæ ſuperflua ſecundum eius naturam, & ſi in eo permanſiſſet, proculdubio Adamū deformē, ac monſtruoſum reddidiſſet. Erat igitur ſuperflua illa coſta Adæ; nec tamē deformem reddidit Adam: quia latebat ſub carne decenter cum reliquis coſtis compoſita, & concinnata, vt nullum redderet aſpectum deformitatis; & quia breuiſſimo tempore eam geſſit Adam, eaque detracta deinceps per totam vitam; iuſtum coſtarum numerū habuit, nulla ratione dici poteſt Adam fuiſſe monſtruoſum, & præter naturā hominis à Deo creatum. His adde, ꝙ illa coſta non fuit Adamo ſuperflue generata per errorem naturæ; ſed Dei voluntate, & conſilio in formationem corporis mulieris ad neceſſarias Adæ coſtas adiuncta.

Catharinus ī Gen. & Pererius vbi ſupra.

Catharinus in Gen. priorem dicēdi modum ſequitur: nam dicit coſtam illam non fuiſſe ſuperuacaneam Adæ, ſed fuiſſe vnam de coſtis ei neceſſarijs, qua tamen detracta non remanſit mutilus, & mancus Adam: quia in locum coſtę detractę mox alia coſta ei ſimilis ſuffecta eſt: ita vt, nec ante Adam habuerit coſtam aliquam ſuperfluā, nec poſtea caruerit aliqua de neceſſarijs:

licet

licet ſcriptura dicat locum illius coſtæ detractę impleuiſſe Deum carne; non eſt tamen intelligendum ſolam carnē eſſe ſubſtitutam, ſed coſtam carne veſtitam,& cōtectam,& hæc opinio poſſet ſic confirmari. Si fuiſſet illa coſta ſuperflua Adamo,& extra naturā eius, non poſſet verè dici,Euam eſſe formatam ex Adamo,neq; verè dixiſſet Adā, Euam fuiſſe os de oſſibus eius,coſta .n. illa nō erat naturale, & proprium eius os,ſed quātum ad eum pertinebat prę ter naturam,& per accidens,& ad breuiſſimum tempus ei fuerat inditū, certè ad ſignificandam coniunctionē arctiſſimam Adami, & Euæ,& mulieris ex viro naturalem originem,& dependentiam congruentius, & conuenientius erat formari Euam ex coſta, quæ eſſet pars na uralis, & neceſſaria Adamo, quam qđ eſſet ſuperuacua,& prę ter naturam eius. Neque fuiſſet abſurdum in uicem abla æ coſtæ repoſitam fuiſſe aliam, quę non fuerat ex primeua corporis Adę integritate; nam breuiſſimo tempore priorem illam coſtā habuit Adam, & quæ in eius locū ſucceſſit,& per totā vitam in Adamo permanſit,ſimilis eius oīno fuit,& vtriuſque idem fuit opifex Deus, neutraque naturali modo, ſed per omnipotentiā Dei ſupernaturali rōne facta, & Adamo inſerta eſt. Et quidem quòd de po ſter iori coſta Toſtatus opponit,idem aduerſus eum poſſet obijci de carne, quam Deus in locū coſtę detractę ſuffecit, ea ſiquidem ab innitio nō fuerat in Adamo, nec ad integritatem quicquam pertinebat. Nec vero firmum eſt alterum eiuſdem Toſtati Argumentum in reſurrectione, cui redderetur ea coſta, quæ detracta eſt Adamo, & ex qua formata eſt Eua, Adamone, an Euę. Siquidē illa fuiſſet de coſtis Adamo neceſſarijs,neque neutri reddenda eſſet,neque vtrique reddi poſſet: videretur enim Adamo reddenda, quia ab initio fuit Adami,vt pars eius integralis,contra videretur reddenda Euæ;qđ ex illa principaliter formata ſit Eua.

At ſi coſta illa fuit Adamo ſuperuacua, nihil incommodi ſequetur: non enim Adamo, ad cuius integritatem minimè pertinebat, ſed Euę,cuius corpus ex illa formatum eſt reſtitueretur. Verum facilis eſt huius argumentationis diſſolutio, quæ quidem valida eſſet, ſi loco eius coſtę, quę detracta eſt, non eſſet alia plenè ęquiualens ſuffecta, cum autem ſimul, vt illa dempta eſt, altera ſit eiuſdem rationis ſubdita, inualidum eſt argumentum: dicimus enim coſtam illam in reſurrectione nō Adamo; quippe qui loco eius alteram habuit,ſed Euæ cuius ex ea corpus formatum eſt,eſſe reddendam, ex his apparet priorem dicendi modum,non eſſe improbabilē; ſed ſolum in eius comprobatione aliquis grauis,& nobilis auctor deſideratur. Recedendum nō eſt ergo à communi expoſitione ſanctorum, quam ſatis ſacra ſcriptura ſonat. Deum, ſcilicet,ſolam carnem loco coſtę reſtituiſſe.

Quæritur ſecundo. Cur Deus,vt auferret coſtam de Adamo, immiſſit in eum ſoporem. Dicendum, quòd hoc fecit,vt oſtenderetur,quòd Adam nullum ſenſit dolorem,quādo fuit ſibi coſta ablata: nam ſi pœnam aliquā, aut dolorem ſenſiſset,iam non dormiſset, ſed euigilaſset. Sed quomodo potuit Adam non ſentire dolorem,cum auferretur ei coſta,q̄ erat pars corporis eius. Dicendum,quòd hoc potuit contingere duobus modis, vel quia ſopor erat valde grauis, vel quia ablatio fuit tam leuis, vt ſentiri non poſset. Primum ſatis eſse poterat, quia ſopor ille fuit à Deo immiſſus, atque adeo ille potuit eſse tam grauis, vt nihil ſentiret eorū, quæ circa ipſum fierent, etiamſi dura eſſent: nam inquit D. Chriſoſt. tanto illum ſomno oppreſſit, quaſi crapula quadam corruptus, nè quem rei, quæ fiebat,ſenſum caperet,ſicut patet de timore, quem immiſſit Deus ſuper Cananęos infra capit. 35. & hoc apparet veriſimile ex quibuſdam, quæ patiuntur homines ęgrotantes in ſopore, & potiſ-

Queſt.2. *Vide Alexand. de Ales p.2. q. 85. m. 2. in ſol. ult.arg. Toſt.2 bi ſupra q. 354. & Perer.ubi ſup. q. 1. ex Chriſ. hom. 15. in Gen.*

Deus cur immiſſit ſopore in Adā, vt ex eo coſtam auferret.

potiſſime Lethargici: nam tam graui ſopore tenentur, vt etiã ſi circa eos dura exterceantur, non ſentiant; immo vſque adeo omni ſenſu carent, vt nec verba, nec vulnera, nec vſtiones ſentiant. Narrat Toſtatus fuiſſe ſuo tempore in Hiſpania mulieres quaſdam maleficas, quas appellant ſtryges, quæ genere quodam vnctionis Linientes corpus ſuum, in tãtum ab omni ſenſu alienabantur, vt viderẽtur ſibi in longinquas terras per aera deferri, & in amenißimis locis verſari, & ſummis voluptatibus, ac delicijs perfrui, cum tamen facta illa vnctione caderent in terra velut exanimes, ita vt ab ijs, qui aderant, inibi, nec verberibus excitari poſſent, nec acubus vehementer punctæ, nec ignibus aduſtæ. Similia legimus in Extaſi B. Ægidium, B. Patri noſtri Frãciſci ſocium, ac B. Catharinam Senenſem pati ſolitos. Sanctus Paulus in illo ſuo admirabili raptu, adeo fuit ab omni ſenſu abſtractus, vt poſtea neſciret ipſe, vtrum id temporis fuiſſet in corpore, vel extra corpus; dignum etiam admiratione eſt, quòd ſcribit B. Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei c. 24. his verbis. Preſbyter fuit quidam, nomine Reſtitutus, in Paroecia Calamenſis Eccleſiæ, qui qñ ei placebat (rogabatur autem hoc facere ab eis, qui rem mirabilem coram ſcire cupiebant) ad imitatus, quaſi lamentãtis cuiuslibet hominis voces, ita ſe auferebat à ſenſibus, & iacebat ſimillimus mortuo, vt non ſolum vellicantes, atque pungentes minimè ſentiret, ſed aliquando etiam igne vreretur admoto, ſine vllo doloris ſenſu, niſi poſtmodum ex vulnere, non autem obnitendo; ſed non ſentiendo, non mouere corpus eo probabatur, quòd tamquam in defuncto nullius inueniebatur anhelitus; hominum tamen voces, ſi clarius loquerentur, tamquam de longinquo, ſe audiſſe poſtea referebat. Hactenus Aug. ſed iſtud prouenibat ex natura, vel ob aſſuefactionem; ideo à fortiori fiet in eis, quæ à Deo fiunt, vnde dato ꝙ ablatio illa coſtę eſſet in ſe valde

D. Aug. lib. 14. de Ciui. Dei cap. 24.

doloroſa, non ſentiret dolorem Adam immiſſo ſopore illo in eum.

Alio modo poterat hoc accidere, ſi illa ablatio eſſet in ſe tam leuis, ꝙ dolorem non inferret, quod quidem fieri non poterat per naturale agens, ſed à Deo non eſt dubium: quia fieri poſſet, apud quem nõ eſt impoſſibile aliquid. Vnde etiam non ponendo aliquid ad non ſentiendum, aut aliquid quod obſtaret dolori, poterat auferre coſtam, ita vt ablatio in ſe non eſſet ſenſibilis, & impoſſibile eſſet dolorem aliquem ſentire etiam in eo, qui valde eſſet diſpoſitus ad ſentiendum; quia poterat Deus facere ceſſare continuitatẽ illius coſtæ cum reliquo corpore, aut virtutẽ animę non extendi ad illã, & tunc non ſolũ non eſſet dolor in auferendo coſtam; immo non eſſet poſſibilis dolor'. Potuit etiam fieri, vt detractio coſtæ nihil doloris inferret Adamo, Deo, ſcilicet vim ſentiendi Adę, eam dico vim, quæ eſt in ſenſu tactus, ſuſpendente, quantum ad actum ſecũdum, ſicut ſuſpẽdit actionem ignis in camino ignis ardentis. Dan. 3. Suſpendit autẽ Deus actionem cauſæ ſecundę, non alia ratione, quàm, quia ipſe non concurrit generali ſuo concurſu cum cauſa ſecũda ad producendum actum ſuum, nulla enim cauſa quantũvis potens agendi, ſine Dei concurſu, quicquam poteſt agere; & ex hoc ſequitur Deum non immiſiſſe in Adamum ſomnum illũ: quia non potuiſſet & vigilanti ſine doloris ſenſu coſtam detrahere, ſed quòd ea ratione, quod erat agendum in eo, commodius decentius, & ad ſignificationem myſterij accommodatius ageretur.

DE

DE FORMATIONE Corporis Euæ.

Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem.

MAgna verborum vis eſt, & omnem humanum captum tranſcendens: non enim aliter poſſunt hęc magna intelligi, quam fidei oculis cōſpecta. Hæc verba, abſque vlla dubitatione, maximas habent difficultates, quas inſinuans D. Chriſoſt. homil. 15. in Gen. inquit admirabile dictum, noſtram rationem nimia excellentia vincens, atque adeo, circa hanc literam quæruntur multa, & primo

Quęſt. 1. Quæritur, cur Moſes dixit, & ędificauit Dominus, &c. non autem creauit, vel formauit, ſeu fecit, vel aliquo alio verbo. Ad hoc poteſt multipliciter reſponderi. Primo, quòd de homine dictum eſt; formauit Deus hominem de limo terræ: quia cum eſſet limus, nondum venerat ad formam corporis humani, vel in parte, vel in toto, cum autem iam erat coſta iam aliquid formæ corporis humani habebat; ſed quaſi ędificium parabatur à ſummo artifice: pedes enim quaſi rationem fundamenti tenent, coſtę quaſi latera ędificij ſūt, caput vero gerit vicē tecti, & ſuccedit hæc operatio, quæ facta eſt de coſta, illi, quę fit ex limo, quarum vtraque eſt à Deo immediate; operatio artificis in artificialibus ſuperadditur operationi naturæ; primo enim naturaliter producitur lignum, & formatur; ſecundo ex lignis domus ędificatur; quodamodo ergo eſt ſimilitudo; licet ex alia parte ſit diſſimilitudo; ſecundo poteſt dici quòd ſic dictum eſt ad exprimendū modum formationis mulieris, vt dicit Rab. Sal. & verum eſt, eo quòd ſicut ędificiū latius eſt, & groſſius inferius, & magis ſubtile ſuperius, ita corpus mulieris groſſius eſt in partibus inferioribus, de communi curſu, & ſubtilius, & gracilius in ſuperioribus, & hoc eſt propter debilitatem calidi naturalis in muliere, quę naturaliter eſt frigida, & ideo maior pars alimenti de quo fit nutritio, & augumentum remanet in inferioribus partibus, & minor pars ſuperior eleuatur, contrarium autē eſt in maſculo propter fortitudinem calidi naturalis, & ideo communiter habet pectus latius, ſcapulas groſſiores, & caput; tertio poteſt dici, quòd ideo dicitur ędificaſſe: quia illa coſta erat, vt materia rudis de qua fit domus; in qua per variam diſpoſitionem artificis inducitur forma domus, ſic illa coſta erat materia rudis, & per actionē Dei formata fuit in figura mulieris,

Alex. de Ales p. 2. q. 58. m. 4. §. 4.

Quid importatur p hoc qđ dicitur, et ædificauit dominus, &c.

Nic. de Ly. ſup. 2. cap. Gen.

Toſt. in 2. c. Gen. et in cap. 13. q. 394.

Burgenſis diſtinguit tres modos circa rerum productiones in principio tribus terminis expreſſos, ſcilicet, per formare, per generare, & per ędificare; formare dicitur proprie in his, in quibus res producta non habet identitatē ſpecificam cum re, ex qua producitur; immo inter eas eſt quædam oppoſitio: quia ex nō tali fit tale, vt patet 1. Phy. & ideo talis productio propriè nominatur formatio, & ideo de tali productione dicitur formauit Deus hominē de limo terræ. Generatio eſt ſecundum quam res aliqua generat ſibi ſimile ſecundum ſpeciem, vt cum ignis generat ignem, & in tali productione communiter inter generans, & genitum eſt identitas ſecundum ſpeciem. Et ſecundum hanc dicitur quòd Adam genuit Seth ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Aedificatio autem eſt, ſecundū quam manet aliqualis identitas, quaſi indiuidualis, inter ędificatum, & id, ex quo ędificatur, cum enim domus fit ex ligno, & lapidibus, non ſolum remanent in domo ligna, ſeu lapides eiuſdē ſpeciei cum lignis, & lapidibus, ex quibus domus fuit ędificata, ſed etiam ligna, vel lapides, remanēt in domo ędificata eadem, quæ prius indiuidualiter erant, & ſecundum hunc modū quodāmodo facta fuit mulier ex coſta Adæ: nō enim fuit facta primo modo, ita vt

Burg. in add. ad 2. cap. Gen. ada. 5.

non

non remaneret identitas ſpecifica inter ipſam, & Adam; patet, nec etiam ſecundo modo, ſic ſcilicet vt remaneret inter eos identitas ſpecifica tãtum; ſed tertio modo, ſcilicet, vt inter eos remaneret quodam modo, quaſi identitas indiuidualis, ſicut inter ligna, ex quibus domus ædificatur, & ligna, quæ ſunt in domo iam ędificata, remanet identitas indiuidualis, & hoc clarè innuit litera cum dicit. Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c. nam coſta de Adam ſubtracta remanſit eadem indiuidualiter in productione corporis mulieris, ſimiliter & caro, quæ ſimul cum coſta fuit de corpore Adæ ſublata, atq; adeo ſecũdum iſtum modum productionis, dicitur ędificare non generare, ſeu formare, quia ratione iam dicta, habet ſimilitudinem cum ędificio. Et hæc expoſitio eſt myſterio Chriſti, & Eccleſiæ conſentanea, quod in hoc Sacramento matrimonij in Adamum, & Euam figuratur, iuxta illud ad Epheſ. 5. Sacramentum magnum inter Chriſtum, & Eccleſiam. Nam corpus Chriſti myſticum, licet multa cõtineat ſuppoſita, vnum tamen eſt quodam modo indiuidualiter, cuius compoſitio etiam ędificatio dicitur, iuxta illud Matth. 16. Et ſuper hanc petram ędificabo eccleſiam meam.

Exploditur Burg. explicatio. Ceterum hæc Burg. explicatio, quæ videtur fundari in proprietate ſermonis, multa falſa ſupponit. Non enim Deus propriè generauit cælum, & terrã, cum non ſint generabilia, & tamen in hoc cap. 2. dicitur. Hæ ſunt generationes cæli, & terræ; præterea ſi verum eſt quòd formare propriè in his dicitur, in quibus res producta non habet identitatem ſpecificam cum re, ex qua producitur, ſequitur quòd ædificatio coſtæ in mulierem nõ differt à formatione, eo quòd mulier producta nõ habet identitatem ſpecificam cum coſta ex qua producitur, cum non contineatur ſub eodem genere immediato: eſt enim mulier animal; quod de coſta dicere non eſt verum; niſi in obliquo, inter mulierem etiam productam, & coſtam, ex qua eſt, eſt oppoſitio; ſicut in formatione: quia ex nõ muliere fit mulier. Coſtæ etiam in formatione mulieris forma apponitur quaſi materiæ, ergo etiam ſecundum rationes Burg. verè formatio dicitur, falſum eſt etiam illud, quòd ideo formatio mulieris ex coſta Adæ dicitur ędificatio; quoniam inter productum, & id, ex quo producitur remanet identitas quaſi indiuidualis: quia domus ędificata, & ligna, & lapides, non habent identitatem indiuidualem, eo quòd non habent aliquam ſpeciem eis communem: ligni enim indiuiduum non eſt indiuiduum domus, nec è conuerſo, ſed ſunt non ſolum indiuidualiter, ſed etiã ſpecificè, & eſſentialiter diſtincta, nec ſequitur, lignum ante ędificium, & in ędificio eſt vnum, & idem indiuidualiter, igitur eſt idem indiuidualiter cum ędificio, ſed bene ſequitur, ergo eſt vnum, & idem in ędificio præterquam quod exemplum de lignis, & lapidibus in ędificio nõ faciunt ad propoſitũ Burg. nam coſta vnde mulier facta eſt, non manſit in Eua indiuiduum coſtæ, vt patet ſiue ponatur in ſe multiplicata, ſiue aliunde aucta; nec eſt verũ, quòd coſta illa, & caro in Adam ſupleta, ſit indiuidualiter vna in Adam, & Eua, vt ex identitate tali, magis literaliter, & propriè, productio mulieris dicatur ędificatio, quam formatio. Certum eſt enim Deum coſtæ, ſicut, & limo terræ nouam formam attribuiſſe, & ſic ędificatio à formatione, non videtur differre. Dicendum eſt ergo ſcripturam, vt plurimũ trãſumptiue vno, pro alio vti: interdum enim exprimit creationem per producere, interdũ per facere, interdum per plantare, interdum per formare, generare, ſiue ędificare. At quia ſecundum Ariſtot. omnes transferentes ſecundum aliquam ſimilitudinem transferunt, poteſt talis congruentia aſſignari, vt dicatur coſta in mulierem ędificari ad inſtar Domus, quæ ſecundum Ariſt. fit, vt nos defendat ab in- *Mathias Doringh. in Reſp. ad Burg. in cap. 2. Gen.*

commo-

Digitized by Google

commodis, imbribus, caumatibus, &c. Ita mulier conſtructa eſt, vt ſit domus, & receptaculum naturaliſſimi effectus naturæ, ſcilicet generationis, in quo præſeruetur ab incommodis, foueatur nutrimentis &c. Et hæc congruentia videtur fundari circa finem, cap. 26. Ecleſiaſtici vbi mulierem dicit ornamentum domus, columnas aureas ſuper baſes argenteas, fundamenta æterna ſuper petram ſolidam, ex quibus patet inſtitutionem mulieris merito exprimi per ędificationem, quia eſt domus naturæ.

Quęſt. 2. Alex. de Ales p. 2. q. 58. m. 4. §. 5. & q. 85. m. 3. & D. Tho. p. 1. q. 92. artic. vlt. & Toſt. vbi ſupra 13. c. Gen. q. 395. Mulier à quo fuit formata.

Quæritur ſecundo, à quo fuerit formata mulier, hoc eſt an Deus mulierē formauerit à ſeipſo ſolo, an aliorū miniſterio. Dicendum quòd congruebat mulierem primam fieri ex viro, & ex coſta, vt dicemus infra, ex quibus patet quòd immediate facta fuerit à Deo, ſi enim de viro facta eſt, & non ſecundū curſum naturæ eo modo, quo filia de patre, & hoc congruebat, oportuit ꝙ fieret de ipſo opere ſuper naturam, & ita per potentiam mirabiliter operātē. prætereа cum coſta non eſt in propinqua potentia, vt de ea fieret mulier, ſed in valde remota, & nullo modo diſpoſita, cum de ea debuit fieri corpus mulieris indilate, ſiue, ſine mora temporis, oportuit, vt fieret illa potentia, cui perfectè obedit omnis creatura. Præterea ſicut mulier de viro habuit fieri, vt mōſtraretur viri nobilitas, quantum ad dignitatem Principatus, ſiue principij, & ſicut decuit mulierem fieri de latere, vt oſtenderetur viri, & mulieris ęqualitas, ſic decuit vt immediatè fieret à Deo, vt ſeruaretur primi principij dignitas (dico in genere mulierum, ſiue matrum) vnde ſicut Adam, qui erat Pater omnium viuentium immediate à Deo factus eſt, ſic Eua, quæ erat Mater cunctorū viuētium, ſicut hr̄ Gen. 2. immediate debet ab ipſo fieri: nō enim debuit mulier in genere hominum dignitatem perdere, quam habēt animalia vtriuſque ſexus in omni genere animalium. Et in hoc mira apparet Dei prouidentia, quæ ſic nobilitat vnū ſexum, vt nihil detrahat de nobilitate alterius. Conueniebat ergo, vt immediate fieret à Deo, & hoc habetur à D. Aug. lib. 9. ſuper Gen. ad lit. cap. 15. 18. & 19. vbi inquit natura mulieris creata eſt, quamuis ex virili, quæ iam ęrat; Angeli autem nullam omnino creare poſſunt naturā; ergo Formare, vel ędificare coſtam, vt mulier eſſet, vſq; adeo non potuit, niſi Deus à quo vniuerſa natura ſubſiſtit, vt neque illud quidem carnis ſupplementum in corpore viri, quòd in illius coſtæ ſucceſſit locum, ab Angelis factum eſſe crediderim; ſicut nec ipſum hominem de terrę puluere, & infra; certiſſimè dixerim, ſupplementū illud carnis in coſtæ locum, ipſiuſq; feminæ corpus, & naturam, formationemq; membrorum, circa viſcera ſenſus omnes, & quicquid erat quo illa, & creatura, & homo, & femina erat, non niſi in illo opere Dei factum eſt, quod Deus nō per Angelos, ſed per ſemetipſum operatus eſt.

Aug. lib. 3. de Trinit. et lib. 9. de Gen. ad lit. c. 15.

Quęſt. 3. Alex. de Ales p. 2. q. 42. m. 2. artic. 3. D. Bona. in 2. diſt. 18. art. 1. q. 2. ad vltimū, & Gulielmus Rubion ead. diſt. Concl. 1. q. 3. Eua formatio de coſta Adæ an ſit opus miraculoſū.

Quæritur tertio. An formatio Euę de coſta Adæ opus miraculoſum dicendum ſit. Dicendum eſt, quod reuera nō fuit illud miraculum, ſed mirabile. Vnde obſeruandum eſt, ſecundum D. Aug. lib. 6. de Gen. ad lit. c. 10. quòd triplex eſt ratio exeundi res in eſſe, & dicitur prima ratio cauſalis, & ſecūdum hoc dicit Auguſt. quod de primo creatis ſecundum rationem cauſalem, ſiue ſecundum rationes cauſales potuerūt omnia fieri, quæ poſtmodū facta ſunt, hæc autem cauſalitas dicitur eſſe in ipſo Deo, & nō in ipſis creatis, niſi ſecundum potentiam obedientialem, ſecundum quòd de ipſis poteſt facere, & ipſe ſunt poſſibiles obedire: Eſt autem alia ratio, quæ dicitur ſeminalis, ſecundum quam multa poſſunt fieri per Angelorum occultas operationes, & per motum corporum ſuperiorum, ſicut ſunt ranæ, & huiuſmodi; alia, quę fiunt ex putrefactione. Eſt & tertia ratio reſpectu corporalis creaturæ, ſicut naturę inſitę ipſis rebus corporalibus creatis,

tis ſecundum q nos dicimus, per hæc naturaliter producitur ab illa, vt granum ex grano, & planta ex planta; dicimus ergo, quòd nihil q fiat ſecundũ rationem naturalẽ, aut ſeminalem, eſt miraculum, ſed oẽ miraculum fit ſecũdum rationẽ cauſalem tm̃, non tamen conuertitur, vt omne q fit ſecundũ rationem cauſalem ſit miraculũ. Fieri autem ſecundum rationem cauſalem poteſt aliquid dupliciter. Vnde D. Aug. 9. ſuper Gen. ad lit. c. 17. omnes iſtę naturæ vſitatiſſimus curſus habet quaſdam naturales leges ſuas, ſecundum quas, & ſpiritus vitæ, qui creatus eſt, habet quoſdam appetitus ſuos determinatos quodam modo quos etiã mala voluntas nõ poſſit excedere, & elementa mundi huius corporei habent determinatam vim, qualitatemq; ſuã quid vnumquodque valeat, vel nõ valeat, quid de quo fieri poſſit, vel nõ poſſit, ex ijs velut primordijs rerũ omnia, quæ gignuntur ſuo quoque tempore ex ortus, progreſſusque ſumunt fineſque, & deciſiones ſui, cuiuſq; generis, vt de grano tritici non naſcatur Faba, vel de Faba Triticũ, vel de pecore homo, vel de homine pecus. Super hunc autem motum, curſumque naturalem poteſtas Creatoris habet apud ſe poſſe aliud de his facere, quam eorum quaſi rationes ſeminales habent, non tamen id, quòd in eis non poſſit, vel de his fieri, vel abſque ipſo poſſit. Neque enim potentia temeraria, ſed ſapientiæ virtute omnipotens eſt; hæc de quacumque re in ſuo tempore facit, quod ante in ea fecit, vt poſſit; alius ergo eſt rerũ modus, quod illa herba ſic germinet, illa ſic, illa ętas parit, illa non parit, homo loqui poteſt non pecus. Horum, & talium modorum rationes nõ tantum in Deo ſunt, ſed ab illo etiam rebus creatis inditæ, atque concretæ. Vt autem lignum exciſum de terra aridum, ſine radice vlla, ſine terra, & aqua repente floreat, & fructum gignat, vt ſterilis femina in ſenectute pariat, vt Aſina loquatur, & ſi quod huiuſmodi eſt, dedit quidem naturis, quas creauit, vt ex eis, & hæc fieri poſſent.

Quæritur quarto. An re vera mulier producta ſit ex viro, & ex coſta illius, an vero illud accipiendum ſit ſecundum figuram, & methaphoram. *Queſt. 4.* *Caiet. in Gen. 1. 2.*

Mulier an re vera ex viro producta ſit.

Dicendum quòd Caiet. Gen. 2. aſſeuerauit Euam non fuiſſe verè productam de coſta Adami, ſed ſcripturam, dum ſoporem Adamo immiſſum, & productionẽ Euæ de coſta Adami narrat, loqui methaphoricè. Ceterum hęc ſententia eſt parum tuta in fide, ne amplius dicam. Ideo de fide tenendũ eſt Euam re uera formatam fuiſſe ex coſta Adami, quòd patet expreſſe Gen. 2. vocabitur Virago: quia de viro ſumpta eſt; in quibus verbis nomen mulieri imponens Adam, illius ethymologiam, & deriuationis rationẽ expreſſit, vt quẽadmodũ à viro mulier educta fuerat, ita à viri nomine nomen mulieris duceretur; eandem ſententiam docet D. Paulus 1. Cor. 11. Sic (inquiens) mulier gloria viri eſt. Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro; ecce audis mulierem ex viro eſſe factam, & nũquam alibi legitur ex viro facta niſi, cum Eua fuit ex coſta viri formata; item Eccleſiaſtici 17. dicitur creauit Deus de terra hominẽ, & creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi; præterea ſi veritatem hiſtoriæ illius tollas; cõtinuo ruat neceſſe eſt Sacramẽtum illud magnũ, quòd in ea latere affirmat Paulus ad Epheſios, ſcilicet, Accedit ad hæc concors omnium ſanctorum Doctorũ ſententia, quæ tanti eſt momenti, vt pro eccleſiæ definitione ſit tenẽda, omnes enim præter vnum Caiet. hoc concorditer ſenſerunt, lege D. Aug. lib. 9. ſuper Gen. ad lit. c. 19. & lib. 12. de Ciuit. Dei c. 21. Chriſoſt. homil. 15. in Geneſ. Greg. lib. 30. Moraliũ c. 24. Theophilactum ſuper Paul. ad Epheſ. 5. & 1. ad Corinth. 11. Anſel. ſuper eandem Epiſtolam D. Paul. Eucheriũ ſuper Gen. cap. 20. & 21. D. Hierony. ſuper Epiſtolam ad Philem. declarantem locum Exodi. Credidit populus Deo, & *D. Aug.* *D. Chriſ.* *D. Greg.* *Theoph.* *Anſelm.* *Eucher.* *D. Hier.*

Digitized by Google

Magiſt. Sent. Moyſi ſeruo eius. Mag. Sent. diſt. 18. & cum eo omnes Scholaſtici, nemine excepto. Quibus addendum eſt, quòd *Sexta Synodus Concil. Vien.* in ſexta Synodo Conſt. act. 11. damnātur Origeniſtæ, qui explicant Parabolicè, & Metaphoricè, ea quæ narrãtur Gen. 1. & 2. & in Concilio Viennenſi, ſicut refertur in Clemen. Vnica, de Sūma Trinit. & fide Cath. c. 4. *Inn. III.* Innoc. III. in cap. Gaudentes, extra de diuortijs, expreſſe explicatur hic locus, de formatione mulieris in ſenſu proprio, & literali; quamuis dicatur, id factum eſſe in figura Chriſti, & Eccleſiæ. Hinc ſequitur, quòd qui aſſereret Euam non eſſe formatam ex coſta Adæ, & locum de formatione Euæ ex coſta Adæ non eſſe intelligendum iuxta literam, ſed iuxta myſterium, nō quidem per allegoriam, ſed per parabolam, erraret in fide; ratio eſt: nam etſi in Sacris Hiſtorijs ea, quæ geſta narrantur, myſteria alia ſub literæ cortice contineant, ſemper tamen in illis veritas Hiſtoriæ prius iuxta germanam interpretationem accipiēda eſt, deinde miſticus ſenſus quęrendus eſt, iuxta regulam D. Ba- *D. Baſil. D. Aug.* ſilij homil. 3. in exam. D. Aug. & aliorum patrum.

Obſeruandum eſt tamen, quòd non eſt intelligendum corpus Euæ fuiſſe formatum de coſta viri, remanēte eadem numero, quantum ad materiam, & ad formam in corpore mulieris formato, quæ fuerat primo in corpore viri, nō enim totum mulieris corpus intelligendum eſt fuiſſe formatū de huiuſmodi coſta, tanquam de aliqua parte ſui integrali, modo quo aliqua nauis facta de ligno alterius nauis, diceretur facta de quolibet ligno illius, & omne totum dicitur factum ex qualibet ſui parte in ipſo actualiter remanēte: non enim in Eua remāſit forma coſtæ, ſed tantum materia, quæ præceſſerat in Adam, ſicut nec in viro forma terræ, de qua quidem terra, ſeu eius limo ipſius corpus legitur eſſe factum; ex quo ſequitur, quod eo modo eſt intelligendum corpus mulieris factum eſſe de coſta, & corpus viri de limo terræ, quo de albo dicitur fieri nigrū, vel ignis de aqua, vel de omni alio elemēto: ſicut enim nigrum dicitur fieri de albo; quia nigredo introducitur in ſubiecto, in quo primo præceſſit albedo, & ignis ex aqua, quia forma ignis introducta eſt in materia ſub forma aquæ antea exiſtente: ita conſimiliter in propoſito eſt intelligendum corpus viri fuiſſe formatum de limo terræ, & corpus mulieris de coſta: quia forma corporis viri fuit introducta in materiam ſub forma terræ, & corpus mulieris in materia ſub forma coſtæ antea exiſtente.

Quæritur quintò, Quomodo potuit formari mulier ex coſta illa: quia coſta eſt paruę quantitatis, & mulier eſt magna. *Queſt. 5. Toſt. vbi ſup. q. 381.*

Dicendum quòd quidam dixerunt, ꝙ mulier fuit formata à Deo in quantitate tā parua, ſic vt fuit quantitas ipſius coſtæ, quemadmodum formari ſolent fętus in vtero; atque adeo nō fuit neceſſaria maior quantitas ad formandum mulierē; ſed hæc opinio eſt prorſus irrationalis, & aliena à communi ſanctorum Patrum, & Doct. ſententia, & etiam à legitimo ſenſu ſcripturę Sacræ: quoniam Sancti, & Doctores vniuerſi docent, quòd ſicut Adam creatus eſt in perfecta quantitate, vltra quam non creuit; ita etiam mulier in quantitate perfecta producta eſt: illa enim quæ immediatè producuntur à Deo, producūtur in ſtatu perfecto, pręterea hęc ſententia ex eo aliena eſt à perfecto ſenſu ſcripturę: quia hic expreſſe legitur, mulierem formatam eſſe in adiutorium viri, & ad opus generationis filiorum, ſed in illa modica quantitate mulier fuiſſet inepta ad miniſtrãdum viro, & ad opus generationis, ergo &c. *Mulier quo potuit formari de coſta.*

Suppoſito ergo, ꝙ mulier formata fuit in tanta magnitudine corporis, quãta poſtea fuit per totam vitam; eſt dubiū quomodo potuerit fieri mulier tam magnæ quantitatis, ex tam parua coſta; de hac re eſt duplex opinio, quidam *Toſt. vbi ſupra q. 383. Nicol. de Ly. vbi ſupra.*

Digitized by Google

dam enim dixerunt quòd licet materia coſtæ Adæ fuit ante modicæ quantitatis; tamen ratione rarefactionis, creuit, & augumentata fuit, & ideo ſub maiori forma, quam eſſet prius, puta ſub forma totius corporis fieri potuit, & in natura ita fit, vt aliquod rarefiat, & condenſetur, & paruum rarefactum efficiatur magnum, & magnum condenſatum efficiatur paruũ, ſicut ex vno pugillo aquæ fiunt decem pugilli aeris, & conſonat hoc intentioni Diui Auguſtini libro decimo ſuper Geneſ. ad lit. Quid abſurdius, quam nullum eſſe corpus, quod manente naturæ ſuæ quantitate, ideſt, ſine additione vndique creſcat, niſi rarefiat?

Gulielm. Rub. in 2. d. 18. q. 1. Sed hæc poſitio eſt omnino irrationalis: quia quando aliquid rarefit efficitur minoris ſoliditatis, & tranſit ad alteram naturam, vt ſi rarefiat pugillus vnus aquæ, vſque ad magnitudinem decem pugillorum; non manet iam in natura aquea, ſed tranſit ad naturam aeream; & ita dicitur, quòd ex vno pugillo aquæ fiunt decem pugilli aeris; ſed ad hoc quòd de tam parua quantitate, ſicut erat coſta, fieret aliquid tam magnum, vt mulier perfecta ſecundum totam ſui corporis magnitudinem, opottebat, vt rarefieret vnum in centum, vel plus, & ita ſubſtantia mulieris veniret non ſolum ad raritatem aeream, ſed etiam ad igneam, & adhuc plus, quod nõ eſt audiendum: nam ſub tali raritate non poteſt manere corpus humanum; immo nullum corpus mixtum. Item ſequeretur, quòd corpus Euæ fuiſſet incomparabiliter, & improportionabiliter rarius, quam corpus Adæ, atq; adeo formam corporis rarioris materiæ fuiſſe rariorem, quòd eſt abſurdum.

Hugo de S. Vict. Magiſt. Sent. Henr. de Gand. Tho. ab Argent. Alij vt Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis p. 6. c. 37. Magiſt. Sent. in 2. diſt. 18. c. 5. & Henr. de Gand. quol. 7. q. 9. & Tho. ab Arg. in 2. diſt. 18. q. 1. artic. 4. dicunt, Coſtam illam Adami, non per rarefactionem, neque per additionem externæ materiæ, ſed per ſolam multiplicationem ſui ipſius, infinita Dei virtute factam, in tantũ fuiſſe auctam, vt efficiendo corpori mulieri, ſufficeret, eo modo, quo de quinque panibus ſaturata ſunt hominum quinque millia: namque ſi extrinſecus aſſumpta fuiſſet materia, & ad illam coſtam adiuncta; fuiſſet vtique materia illa maior, quam coſta, ob idque verius diceretur Eua eſſe formata ex illa materia, quam ex illa coſta, quòd eſt contra ſcripturam, & patrum doctrinam.

Ceterum, & hic modus dicendi eſt omnino irrationabilis, vt prior: nam primum cum illo coincidit: quoniam nulla ſubſtantia poteſt nunc maioris quantitatis eſſe, quam prius, niſi vel propter ſubſtantiæ appoſitionem, vel propter rarefactionem; ſicut nec etiã econuerſo aliqua ſubſtantia poteſt fieri minor nũc, quàm prius, niſi, vel propter alicuius partis eius ſubtractionẽ, vel propter ipſius condenſationem, ſed materiæ coſtę Adæ nulla pars ſubſtantiæ fuit appoſita, vt concedunt, ergo quòd poſtquam Adæ ſubtracta, & ſub forma corporis mulieris poſita, fuerit maior, quam ante, hoc eſſe non potuit: niſi quia rarefacta fuit, ex quo apparet, quòd cum priori modo dicendi coincidit iſte ſecundus modus.

Præterea mens capere nedum fides admitere poteſt, aliquid ex minori fieri maius, niſi alterutro duorum modorum, vel per ſolam extenſionem quantitatis, vt contingit in rarefactione, vel per acceſſionem, vel additionem nouæ materiæ, vt fit in accretione, extra hos duos modos multiplicari aliquid, vt ex minori fiat maius, neque credi, neque fieri poteſt. Coſta autem illa non fuit aucta per rarefactionem, vt probauimus ſupra; ſic enim corpus mulieris non fuiſſet ita plenum, denſum, craſſum, ſolidum, firmumque, vt eſſe debet ſecũdum naturam; nec ex illa vna coſta tantum per rarefactionem amplificata potuiſſet fieri vigintiquatuor coſtæ, quibus corpus muliebre cõſtructũ

Digitized by Google

eſt, aliaque oſſa feminei corporis, tantę ſoliditatis, & firmitudinis, quanta ſcilicet in humano corpore ea pollere neceſſe eſt.

D. Tho. 1.p.q.92. artic.3. Sco. in 2. d.18.q.1. ad vlt. Gulielm. Rub. vbi ſupra. Gulielm. Vorilion d.18.q.1. concl.1. Toſt. vbi ſupra q. 384. Perer. ubi ſup.q.5.

Dicendum eſt ergo coſtam illam in tantam materiæ molem, quanta ſufficeret fabricando corpori mulieris eſſe auctam non aliter, quam per additionē nouæ materiæ; pro cuius intellectu obſeruandum eſt, ꝙ omnis forma tam ſubſtantialis, quàm etiam accidentalis extenſa eſt tanta, quantū eſt eius ſubiectum, per ipſam actualiter informatū, nec eius ſubiectum poteſt eſſe maius, quam ipſa in aliquo, nec minus; quanta enim eſt ſuperficies tantam albedinem eſſe dices: quoniam ſi ſuperficies excederet albedinem, non tota ſuperficies, ſed aliqua eius pars tantum eſſet albedinis ſubiectum, & etiā econuerſo ſi ſuperficies eſſet minor albedine, aliqua pars albedinis exiſteret ſine ſubiecto. Ex hoc ſequitur, ꝙ cum forma totius corporis Euæ fuerit maior, quam forma coſtæ, quòd etiam maior fuerit materia ipſi ſubiecta, quam fuerat materia ſubiecta antea formæ coſtæ. Sequitur ſecundo, quòd maior fuit propter nouā ſibi appoſitam materiæ portionem: quoniam vt probatum eſt, non potuit ſic eſſe maior; tanta videlicet quanta fuit propter rarefactionē, ergo propter alicuius materię appoſitionē.

Ex his ergo apparet, quid dicendum ſit ad difficultatem: non enim eſt intelligendum, quòd materia illa coſtæ ita modica fuerit, vt ſit ſubiectum formæ ſubſtantialis totius corporis mulieris: ſed illi materiæ fuit alia addita, quæ ſimul cum illa fuit æqualis quantitatis cum forma corporis mulieris, totā ipſam materiam .ſ. tam ſub forma coſtæ præſuppoſitam, quam aliam ſibi additam informante. Vnde non eſt intelligēdum, corpus mulieris ſic formatum fuiſſe ex coſta, ſicut ignis generatur ex aqua, vel ſicut corpus Adæ formatum fuit, vel formari potuit ex materia: qm̄ ignis generatur ex aqua, vel ecōuerſo, tanq̄ ex illo cuius materia eſt totale ſubiectū termini generationis .ſ. formæ, in ipſa materia introductę, cōſimiliter corpus viri fieri potuit ex limo terræ, & ſic factum fuit, ſuppoſito, ꝙ hmōi limus terrę, vel eius materia fuerit ęqualis quantitatis cū forma corporis in ipſa introducta, vel eſto ꝙ aliquantulo minoris quantitatis fuerit, ſuppoſito, ꝙ forma terræ requirit materiam denſiorem, quam forma corporis, hoc .n. dato, potuit illa materia, licet minor ip ſa forma corporis viri, rareſieri, & ſic ſub minori forma effici, nulla addita ip ſi parte; non ſic aūt ex coſta formatum extitit corpus Euæ, cum nec eius materia fuerit totale ſubiectū totius formæ corporis mulieris, ſed tantūmodo partis eius, & ideo corpus ipſum fuit formatum ex materia coſtę, tamq̄ ex parte totius ſubiecti formæ corporis formati. Ad id aūt ꝙ obijcitur ꝙ corpus mulieris verius diceretur factum ex illa materia, quam ex coſta Adami; eo ꝙ materia illa longe maior eſſet, quā coſta viri. Reſpondetur, ideo dici, ꝙ mulier formata ſit ex coſta Adę, qd ea primo, & principaliter electa, & aſſūpta ſit à Deo, ad formationē corporis Euæ. Cetera vero materies, tanq̄ quid adiectitium, & acceſſiuū adhibita ſit. quēadmodum multiplicatio illa quinque panum facta eſt à Dño per additionē materiæ: nam licet eſſent ordeacei, & groſſi, nō erāt tamē ſic cōpacti, & graues, ꝙ in eis tanta eſſet materia, quāta requiritur ad ſaturitatē quinque millia hominum, nec eſt probabilis, ꝙ ſub formis eorum tanta fuerit materia: nā certa eſt quantitas materiæ, q̄ naturaliter perficit tanta forma, vel talis forma naturalis, quæ non vr̄ fuiſſe tanta, atque adeo oportet dicere, ꝙ panes illi fuerūt multiplicati per additionē materię extrinſecę, quæ procul dubio longe maior fuit, q̄ materia, & ſubſtantia quinq; panū; nihilominus tn̄ veriſſime dicitur multiplicationem illam ex quinq; panibus hordeaceis eſſe factam: quoniā illi primo, & principaliter ad id deſtinati, & adhibiti à Domino fuerunt.

Panes multiplicati fuerūt à Dño per additionē materiæ.

Quæ-

Queſt.6. Quæritur ſexto. An huiuſmodi materia addita materiæ coſtæ fuerit nouiter tunc creata, an fuerit alicuius reſoluti in ipſam.

Toſt. vbi ſupra q. 384. & Pererius vbi ſup.

Ad hoc dicendum quòd vtroque modo fieri potuit. Potuit enim Deus ipſam nouiter creare,& creatam addere, vel aliud compoſitum ex ipſa, & forma in eam reſoluere, & ipſam illi addere. Quo autem iſtorum modorum factum fuerit, Deus nouit, qui fecit. Toſtato ſecundus modus viſus eſt probabilior: quia Deus non facit aliquid fruſtra, neque natura, quæ eſt ordinata, vt dicit Ariſt. de partib. animalium cap.13.lib.1.de cęlo tex.32.& primo Politicorum capit.2. Sed Deus in prima creatione rerum creauerat ſufficientem materiam in quatuor corporibus ſimplicibus, & in mixtis ad omnes tranſmutationes, & formationes, quæ poſtea fierēt, ideo ſuperuacua erat noua creatio alicuius materiæ. Etiam peccatum eſſet fieri per plura, quòd poteſt fieri per pauciora, vt dicit Ariſt. lib. 8. Topicorum. Neque concedimus pluralitatem ſine neceſſitate,& tamen non erat hic aliqua neceſſitas ad ponendum nouam creationem; cum poſſet fieri hoc de materia præexiſtente. At D. Thomæ viſus eſt primus modus probabilior, ſcilicet per ipſius materiæ nouam creationem; quoniam ſi fuiſſet factum per alicuius reſolutionē in ipſam, corpus mulieris nō fuiſſet factum tantum de coſta, ſed etiam ex illa ſubſtantia in materiam reſoluta, & conſimiliter vt coſta, ſed ſi ſic corpus formatum fuiſſet, hoc ſcriptura explicaſſet; ſicut enim explicauit coſtam,& materiam, ex qua formatum extitit corpus viri; ita vt videtur explicaſſet quācumque aliam ſubſtantiam, ſi corpus fuiſſet formatum ex ipſa in materiam reſoluta, ſed conſtat quòd nō facit de aliqua alia ſubſtantia mentionē, quam de coſta, & de limo terræ, reſpectu corporis viri.

Materia, q̄ addita fuit coſtæ Adæ an fuerit de nouo creata. *Toſtat.* *Ariſt.* *Ariſt.* *D.Tho. vbi ſupra ad primū & Rubio vbi ſup.*

Queſt.7. Quæritur ſeptimo. De illa materia, vel de nouo creata, vel præexiſtente, quomodo addita fuerit ad coſtā Adami, & concurrit ad formationem corporis Euæ.

Toſt. vbi ſupra q. 385. Rubion, & Perer. vbi ſup.

Dicendum ꝙ hoc potuit fieri duobus modis, vel immediate, vt ex ipſa, ſcilicet, ex Adami coſta cōpingeretur corpus Euę, aut mediate, vt ſcilicet illa materia primo conuerteretur in coſtam Adami tantæ molis, vt perficiendo mulieris corpori ſatis eſſet. Et tunc ex illa coſta fabricaretur corpus Euæ, atque hic vterque modus ſatis eſt probabilis ſed ſecundus modus magis videtur conſonare modo loquendi ſcripturæ: nam dicit ſcriptura factam Euam de coſta Adæ, ſi autem ambæ materiæ ſimul, & immediate tranſirēt in corpus Euæ,& vna non haberet ordinem ad aliam, æqualiter poſſet dici, formata Eua de materia illa extrinſeca, ſicut de coſta Adæ, immo potius de materia extrinſeca; quia illa erat maior. Concedimus tamen formatam de coſta, & nō dicimus formatam de aliquo alio, ideo videtur quod materia illa habuit ordinem ad coſtam, ſcilicet quòd illa conuerſa ſit in coſtam, per quam coſta maior eſt effecta ad quantitatem tantā, vt ſufficeret ad formandum inde corpus mulieris.

Materia quo fuit addita coſtæ viri ad formādū corpus mulieris.

Queſt.8. Quæritur octauo. Vtrum Eua ſit formata ex nuda coſta Adę, ſine carne.

Magiſt. hiſt.c.17. D.Bona. in 2. diſt. 18.q.1.ad vltim. et Vobiliori vbi ſup. *Eua an ſit formata ex nuda coſta.*

Dicendum quod fuit formata de coſta carnibus cooperta. Vnde dixit Adā hoc nunc os ex oſſibus meis,& caro de carne mea, ex quo patet, quòd cum coſta fuit particula carnis ſumpta; fecit autem Deus Euam, non de ſolo oſſe, ſed etiam de carne; vt vno facto duo ſignificaret: nam ideo formauit Euam ex oſſe, vt vir eſſet in robur mulieris, quæ eſt inferioris ſexus, & ſic mulier per virum iuuaretur, & conſeruaretur in iuſtitia, ac ſuſtentaretur, ſicut caro per oſſa formatur,& ſuſtentatur, vnde mulier per conſortium viri vigoratur: ſed quoniam vir per mulierem emollitur,& ſępe ad bona, vel mala inclinatur, vt patet de Adam,& Eua in tentatione ſerpentis,& de multis alijs etiam

Digitized by Google

ſanctis viris, ideo caro ſimul cum coſta eſt ſumpta.

Queſt. 9. Magiſt. ſent. diſt. 18. lib. 2. & Alex. de Ales p. 2. q. 58. m. 4. ad 6. ex D. Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 13. et Nico. de Ly. in Geneſ. cap. 2.

Quæritur nono. Quare de latere Adami formata fuit Eua, & non de alia parte, cum ſint nobiliores partes in homine, & minus nobiles.

Dicendum quòd hoc fuit, quia mulier parabatur viro, vt ſocia, & non vt Domina, neque vt ancilla, ideo debuit ex loco formationis apparere ad quem finem formabatur: ſi enim de pedibus formaretur, videretur ad ſeruiendum facta; ſi autem de capite ad dominandum, quia hæc ſunt extrema, ſcilicet ſupremum, & infimum; vt ergo videatur ad amorem, & ſocietatem creata, debuit eſſe de medio, ſcilicet de latere, & ita fuit de vna ex coſtis eius.

Eua cur formata fuerit ex latere viri. Alex. de Ales q. 85. m. 2. Toſt. vbi ſupra q. 380.

Poteſt etiam dici, quòd quia Deus voluit oſtendere, quòd mulier erat de ſubſtantia viri, & de veritate naturæ eius, & non de aliquo ſuperfluo viri, & ſubſtantia corporis viri conſtat ex carnibus, & ex oſſibus; ideo debuit pars illa de qua formanda erat mulier, habere carnes, & oſſa; Pars autem illa debuit eſſe talis; vt exiſtens in Adam non faceret deformitatem, & ablata non faceret defectum; hoc autem non potuit eſſe in capite, neque in pedibus, neque in aliqua extremitate: quia extrema ſunt graciliora, & quicquid ibi addatur tollit pulchritudinem, & facit monſtruoſitatem, & ſi non tollatur inde ex ſuperfluo, faciet defectum: maximè cũ de capite, vel pedibus, ſiue manibus aliquæ partes cum oſſibus tollerentur: de partibus autem denſioribus potuit hoc tolli, ſine incommodo, ſicut eſt coxa, vel clibanus; quia ablato pauco non apparet defectus, & addito nõ appareret monſtruoſitas; & hoc maximè erat in coſtis: quia poterat Deus ponere vnam coſtam vltra numerum conuenientẽ hominibus, quæ eſſet in vno latere in loco, vbi non ſolet eſſe coſta, ſed caro, & quamdiu Adam illam haberet non appareret aliqua deformitas: quia illa non ſupereminreret, & cum auferretur non faceret defectum: quia repleretur locus carne, ſicut factum eſt, & non eſſet alia coſta neceſſaria in locum eius; de quocumque autem alio loco auferrentur aliqua oſſa, & maximè ſi de extremitatibus, eſſent oſſa neceſſaria propter motum, & deberent reſtitui, vel ſi eſſent ibi oſſa duplicata ſupereminerent, & facerent deformitatem, atque adeo non fuit locus de quo cõuenientius carnes, & oſſa, quam de latere, auferendo ibi coſtam ſumerentur.

Pelb. in verbo Eua §. 4. Eua ex quo latere formata ſit.

Si autem quæratur, de quo latere fuit formata Eua, an de dextro, vel de ſiniſtro. Pelbartus dicit, quòd ex dextero; tum propter figurationem Eccleſiæ, & Chriſti in dextero latere vulnerati; tum propter honorandam Euam tamquam cõſortem regni cum Adamo: nam reges dexteras dant Reginæ. Aſtitit regina à dextris tuis, & cæt.

Pererius vbi ſup.

Pererius autem dicit quòd ex ſiniſtro latere formata creditur, in quod vergit cor humanum, propter ſummum amorem, qui inter virum, & vxorem eſſe debet, & propter conſenſionem animorum, & concordiam voluntatum, tum quoniam ſiniſtrum latus infirmius eſt dextero, declaratum eſt infirmiorem eſſe ſexum fœmineum, quam virilem; mares præterea concipiuntur in dextero latere, feminę autem in ſiniſtro: quia etiam ſiniſtrum latus ignobilius eſt dextero, nec ſine eius auxilio ſeſe poteſt ſubrigere, ac ſuſtentare.

Queſt. 10 Alex. de Ales vbi ſupra. Os mulieris an factũ ſit ex oſſe viri, & caro ex carne, & ex quo cartilagines, & nerui.

Quæritur decimo. Cum os mulieris factum ſit ex oſſe viri, & caro ex carne, ex quo ergo factus eſt neruus, & cartilago, & de alijs partibus conſimilibus.

Item cum ſint partes officiales plurimæ, & partes conſimiles dicuntur fieri ſecundum quandam ſimilitudinem, propter quid non partes officiales: ex latere enim factus eſt pes, facta eſt manus, & ita de alijs partibus officialibus, ſiue organicis.

Dicendum quòd in latere ſunt illa duo

duo

Digitized by Google

duo manifeſte, ſcilicet, os, & caro, & hæc ſunt quaſi ex materia partiũ conſimilium, os tamquam fundamentum machinæ humanæ caro, cum cute aliud extremum, & in his erat poſſibilitas materialis ad omnia fienda: non ſecundum modum naturalem generationis, ſed diuinæ formationis, & quo ad partes officiales.

Dicendum eſt, quod ſicut os, & caro habent poſſibilitatem, vt ex illis fierent aliæ partes operatione diuina, ſic coſta habet poſſibilitatem, reſpectu aliarum partium officialium, Iſte enim modus non fuit producendi ſimile ex ſimile, ſed indifferenter ſimile membrum ex ſimili, & diſſimile ex diſſimili.

Quęſ. 11. Deus cur uoluit mulierẽ fieri ex viro.

Quæritur vndecimo. Cur voluit Deus mulierem fieri ex viro; & non ſicut vir, ex terra factus erat, ita quoque mulierem generari: vel quare non fecit virum de mare, ſicut femina de viro, & ſic conſequenter; etſi congruebat facere maſculum, & feminam quare non fecit virum de femina, ſicut fecit femina de viro.

Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei c. 21.

Dicendum quod ad primum quòd Deus vnum, & ſingulum creauit, non vtique ſolum ſine humana ſocietate deſerendum; ſed vt eo modo vehementius ei commendaretur ipſius ſocietatis vnitas, vinculumque concordiæ: ſi non tantum inter ſe naturę ſimilitudine, verum etiam cognationis affectu necterentur, quando nec ipſam quidẽ feminam copulandam viro, ſicut ipſum creare, illi placuit, ſed ex ipſo, vt omne ex homine vno diffunderetur genus humanum.

Alex. de Ales vbi ſupra.

Et licet potuiſſet feminam de limo formare, non tamen ita conuenienter: facta enim eſt ex aliqua parte viri, vt oſtenderetur, quòd ſicut originem ſumpſit ex viro, ita debet eſſe viro ſubdita ſecundum conditionem naturæ.

Ioſephus Ang. in 2. diſt. 18. diſſ. 5. & Pererius vbi ſupra q. 2.

Item factum eſt, vt arctiori conſtringeret amore virum; & feminam, eo quod ex illo eſſet facta, atque id propterea valde neceſſarium erat: quia matrimonium viri, & mulieris futurum erat indiſſolubile, perpetuam continẽs vitæ ſocietatem, & conſuetudinem, quòd non licet ceteris in animantibus reperiri. Deinde facta eſt mulier ex viro, vt ea ratione commendaretur dignitas viri, qui referebat quandam Dei ſimilitudinem; quia ſicut Deus principium eſt omnium rerum, ita principiũ omnium hominum vnus fuit Adam.

Alex. de Ales vbi ſupra.

Ad aliud dicendum, quòd ſicut feminam formauit ex viro, poſſet virum ex viro formare, ſi ſibi placuiſſet hoc tamen congruum non fuit; quia ſi ita factum eſſet, ordo naturæ oſtenderetur in parte, quo ad hoc, quòd vnus, ſcilicet eſſet ab alio, ſed non oſtẽderetur, quòd tertius eſſet ex duobus; vt ergo totum ſeruetur mulier eſt ex viro; ex viro autem, & muliere tertia perſona procedit. Sed hic obſeruandum eſt, quòd per quandam anthyteſim eſt generatio, ſeu proceſſio in creatura ad proceſſionem, quæ eſt in creatore. In creatura enim ſecunda perſona procedit à prima non ſecundum generationem; tertia vero procedit ſecundum generationem ex vtraque: in diuinis autem perſona Filij procedit à Patre per generationem, perſona Spiritusſancti procedit à Patre, & Filio, non per generationem; & huius poteſt aſſignari ratio talis; quia creatura deficit à creatore, generatio enim eſt in creatura ſecundum deciſionẽ partis ſubſtantiæ; in diuinis vero eſt ſecundum totam ſubſtantiam, & ideo prima proceſſio in diuinis fuit generatio, ſecunda vero in humanis, vt de parte vtriuſque fieret generatio, ſcilicet naturalis: mirabilis vero de parte ſubſtantię alterius, ſicut fuit. Chriſtus homo de Beata Virgine; vt ſic compleretur ordo ſecundum generationem de ſubſtantia Filius à Patre, de tota ſubſtãtia Patris in diuinis Chriſtus homo de parte ſubſtantię Matris, ſcilicet B. Virginis, & homo qui eſt tã-

Proceſſio, quæ eſt in creatura eſt per q̃dam anthyteſim ad proceſſionẽ, quæ eſt increatore.

Ee 4 tum

Digitized by Google

tum homo, de parte ſubſtantiæ vtriuſque in humanis, mirabilis productio præcedit naturalem: nam mirabilis fuit illa, quæ fuit Euæ de coſta Adæ naturalis fuit illa, qua fuit genitus Abel ab vtroque. In Chriſto vero Deo, & homine naturalis pręceſſit mirabilem: nam filius Dei eſt à Patre ſecundum naturam à Matre vero modo mirabili.

Angles vbi ſup. et D. Bona. in 2. diſt. 18. art. 1. q. 2. ad tertium.

Ad aliud dicendũ, quòd magis mulier erat de viro formanda, quam econtra: quia in ſecundo Adam Chriſto erat hoc quoque futurum: ex eo enim formanda erat Eccleſia, & ideo, vt perfecta eſſent Dei opera, debuit eſſe similiter & mulier de ſolo viro: ſic enim completi ſunt quatuor modi producẽdi hominem. Vnus communis ex viro, & muliere, alter ſine viro, & muliere, vt productio primi Adæ, tertius ex muliere tantum ſine viro, & fuit Chriſti ex Virgine productio; & Quartus productionis Euæ ex viro ſine muliere: ſic enim tunc congruebat, quia vir eſt caput mulieris, & non vir propter mulierem, ſed mulier propter virum facta eſt.

Quatuor ſunt modi producendi hominem.

Quæſ. 12

Alex. de Ale. p. 2. q. 58. m. 4. § 2. & q. 85. m. 2. D. Bonau. in 2. diſt. 18. ar. 1. q. 1. & Ric. eod. diſt. ar. 1. q. 1.

Quæritur decimoſecundo. An mulier cõgruè fuerit formata de viro dormiẽte. Dicendum ꝙ hoc fuit congruũ; tum propter ordinis habitudinem, quę attenditur inter virum, & mulierem in humana ſpecie; tum propter ordinem, & habitudinem, quæ attenditur inter ea, quæ per virum, & mulierem habẽt ſignificari; vir enim, & mulier ſecundũ ſuorum ſexuum proprietatem, & naturam, ſic facti ſunt, vt inuicem coniungerẽtur, & ex hoc vnus in altero quietaretur, & vnus ab altero ſuſtẽtaretur: quia igitur forti vinculo, & ſingulari, mulier coniungitur viro, & econuerſo; ideo vnus ſexus productus eſt ab altero, quia vero iſta coniunctio dat viro quietationem, ideo producta eſt de viro dormiente: rurſus quia dat mulieri fortitudinem, & ſuſtentationem, hinc eſt, quòd mulier dicitur facta eſſe de oſſe, & quia in omnibus his eſt quædã æqualitas mutuæ ſocietatis, ideo formata eſt mulier de oſſe non quocumque, ſed de coſta, & eius latere.

Eua an congruè formata fuit ex Adamo dormiẽte

Secundo conſonat his, quæ ſignificantur per mulierem, & virum; per virum namque, & mulierem ſignantur Deus, & anima, Chriſtus, & Eccleſia, ſuperior portio rõnis, & inferior; Congruit primæ ſignificationi: quia omnes ſpiritus rationales immediate producuntur à Deo, tamquã à primo principio, & immediato, & Deus in eis requieſcit, & quaſi ſoporatur, dum delicię ſunt cum filijs hominum; & rationalis ſpiritus à Diuino ſpiritu inhabitante confirmatur, & roboratur. congruit ſecundę ſignificationi: quoniã Eccleſia ex Chriſto formatur dum de latere Chriſti dormiẽtis in Cruce profluxit ſanguis, & aqua, ex quibus in Sacramentis Eccleſiæ redundaũt efficacia, per quæ Sacramenta fundatur Eccleſia; & ſic vir rñdet Chriſto, dormitio rñdet morti, ablatio coſtę appertioni lateris. Congruit demum; tertię ſignificationi: ſicut enim vir eſt fortior, & mulier eſt infirmior, ſic ſuperior portio, & inferior, & ſicut mulier eſt ex viro, ſic inferior portio eſt ex conuerſione ſpiritus ad hęc inferiora; dum aũt ad hęc inferiora conuertitur, ceſſat à vigilantia contẽplationis, & quodammodo efficitur infirmior ſemetipſo, & tendit ad mollitiem mulieris, & iõ quodãmodo ſoporari dr̃, & os ei auferri, & mulier inde formari. Itẽ ex Adamo dormiente Eua formata eſt, ne horrorẽ, vel pęnam monſtraretur ſenſiſſe Adã in detractione coſtę, & ſic Dei opus mirabile cõmendaretur cũ latus apperuit, & partẽ ſeparauit, & tñ illud à ſopore nõ excitauit, nec à quiete contemplationis turbauit, neq; lęſit, nec tñ ſoporem immiſit Deus in Adam ad mitigandum, quẽ ſentire poterat dolorem: quia potuiſſet Deus ſine vllo prosus dolore, & horrore, coſtam à vigilante ſeparare. Sed propter ſignificationem, & mentis Adæ eleuationem: nam ideo immiſſit Deus ſoporem in Adam, & mens eius in ſopore eleuaretur ad præuidendum

Auguſt. tract. 9. in Ioannem.

Dei

Digitized by Google

Dei releuatione, multa futura, de Chriſto, de Eccleſia, & de Sanctis, qui ex ſacro matrimonio procrearentur, ſcilicet Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtolis, & ſic de alijs, vnde, & ſtatim cum euigilauit prophetauit dicens: Hoc nunc os ex oſſibus meis, vt patet per D. Auguſt. lib. 9. ſuper Geneſ. ad lit. capit. vlt. tales autem viſiones ſępe fiunt in ſomno ſenſibus quietis, vt patet in pluribus locis ſacræ Scripturæ. Et pręcipuè hoc fecit ad figurandum myſteriū Chriſti, & Eccleſiæ: quemadmodum enim ex Adami dormientis latere formata eſt Eua: ita ex latere Chriſti dormientis, ideſt in Cruce mortui profluxit ſanguis, & aqua, vnde formata eſt Eccleſia. Mortem enim ſuam ipſemet Dominus appellat ſomnum apud Dauidem. Pſal. 3. Ego (inquit) dormiri, & ſoporatus ſum, & exurrexi.

D. Aug.

Toſt.

Vnde non eſt, cur Toſtatus ſup. capit. 13. Gen. q. 352. Hanc rationem improbet, eo potiſſimum argumento, ꝙ Eccleſia potius dicenda eſt ex Chriſto viuēte, quam ex mortuo eſſe formata, ſi quidem redentio noſtra omnino fundatur, ac nititur merito Paſſionis Chriſti vnde vim, & efficacitatem ſuā omnia traxere Sacramēta; quare ſanguis, qui effluxit ex latere Chriſti iam mortui nihil contulit ad redentionem humani generis, nec per eum Chriſtus quicquam nobis meruit, cum iam eſſet mortuus, atque ob eā cauſā in extremū ſtatum merendi conſtitutus. Ceterum hæc ratio quæ Toſtato non placuit, placuit D. Aug. qui ſuper Pſal. 126. ita ſcribit: Quando dormiuit in Cruce, ſignum geſtabat immo implebat, ꝙ figuratum erat in Adam: quia cum dormiret Adam coſta illi detracta eſt, & Eua facta eſt: ſic, & Dominus cū dormiret in Cruce, latus eius Lancea percuſſum eſt, & Sacramenta profluxerunt, vnde facta eſt Eccleſia: Eccleſia enim cōiux Domini, facta eſt de latere, quomodo Eua illa facta eſt de latere, ſed quomodo illa non eſt facta niſi de latere dormientis, ſic iſta non eſt facta niſi de latere dormientis; Et tract. 9. ſuper Ioan. inquit. Dormit Adam, vt fiat Eua; moritur Chriſtus, vt fiat Eccleſia: Dormienti Adæ fit Eua de latere, mortuo Chriſto lācea percutitur latus, vt profluant Sacramenta, quibus formetur Eccleſia. Cui non apparet: quia in illis tunc factis, futura figurata ſunt, quando quidem dicit Apoſtolus, Adam formam futuri eſſe qui eſt inquit forma futuri &c. Quapropter nimis ad viuū reſecans Toſtatus, non eſt aſſecutus Theologorum ſententiā, qui non aliud ſignificare voluerunt, niſi ex latere Chriſti mortui fluxiſſe aquam, & ſanguinem, quibus ſignificabantur, duo pręcipua Euangelicæ legis Sacramenta fluxiſſe propter quamdam ſimilitudinem expreſſiorem cotū, quæ ibi fluxerunt ad ſenſibilia, quæ ſunt in quibuſdam Sacramētis: ſanguis enim ſpecialius aſſimilatur ſpeciei, ſub qua eſt ſanguis, & Euchariſtia; & aqua ſpecialius aſſimilatur materiæ Baptiſmi, quę ſunt duo principalia Sacramenta. His autem duobus Sacramentis maximè continetur, & ſuſtentatur Eccleſia.

Auguſt.

Scoto in 4. ſent. di. 2. q. 1. ad vltimū.

Quæritur decimotertio. Vtrum illa corporis Euę productio fuerit Creatio. Pro ſolutione obſeruandum eſt, quòd aliquid pōt dici creari tripliciter, priori modo propriè, & ſtrictè, & hoc modo, illud ſolum dicitur eſſe creatum, quòd de nihilo ſuppoſito ſimpliciter, tam quidditatiuè, videlicet intrinſece, quā ſubiectiue, ſeu extrinſece eſt productū hoc eſt, illud cuius ſubſtantia nō fuit præſuppoſitum, nec eſt aliquid ſibi intrinſecum. Secundo modo large creatum eſſe dicitur, omne ꝙ eſt à ſolo Deo productū, ſiue de aliquo ſubiecto præſuppoſito ſibi extrinſeco, ſiue de aliquo intrinſeco. Tertio largiſſime dicitur creatū vniuerſaliter omne aliud à Deo, licet à ſecunda cauſa productum, non vt ab ipſa ſecūda cauſa, ſed vt à prima productū, & hoc modo ens diuiditur in creatum, & increatum, & omne ens aliud à Deo dicitur creatum, non autem primo, & ſecundo modo.

Quęſt. 13

Rubion vbi ſupra art. 2.

Eua productio an fuerit creatio.

Aliquid dicitur creatū tripliciter.

Digitized by Google

tum homo, de parte ſubſtantiæ vtriuſque in humanis, mirabilis productio præcedit naturalem: nam mirabilis fuit illa, quæ fuit Euæ de coſta Adæ naturalis fuit illa, qua fuit genitus Abel ab vtroque. In Chriſto vero Deo, & homine naturalis præceſſit mirabilem: nam filius Dei eſt à Patre ſecundum naturam à Matre vero modo mirabili.

Angles vbi ſup. et D. Bona. in 2. diſt. 18. art. 1. q. 2. ad tertium.

Ad aliud dicendũ, quòd magis mulier erat de viro formanda, quam econtra: quia in ſecundo Adam Chriſto erat hoc quoque futurum: ex eo enim formanda erat Eccleſia, & ideo, vt perfecta eſſent Dei opera, debuit eſſe ſimiliter & mulier de ſolo viro: ſic enim completi ſunt quatuor modi producẽdi hominem. Vnus communis ex viro, & muliere, alter ſine viro, & muliere, vt productio primi Adæ, tertius ex muliere tantum ſine viro, & fuit Chriſti ex Virgine productio; & Quartus productionis Euæ ex viro ſine muliere: ſic enim tunc congruebat, quia vir eſt caput mulieris, & non vir propter mulierem, ſed mulier propter virum facta eſt.

Quatuor ſunt modi producendi hominem.

Quæſ. 12 Quæritur decimoſecundo. An mulier cõgruè fuerit formata de viro dormiẽte. Dicendum ꝙ hoc fuit congruũ; tum propter ordinis habitudinem, quę attenditur inter virum, & mulierem in humana ſpecie; tum propter ordinem, & habitudinem, quæ attenditur inter ea, quæ per virum, & mulierem habẽt ſignificari; vir enim, & mulier ſecundũ ſuorum ſexuum proprietatem, & naturam, ſic facti ſunt, vt inuicem coniungerẽtur, & ex hoc vnus in altero quietaretur, & vnus ab altero ſuſtẽtaretur: quia igitur forti vinculo, & ſingulari, mulier coniungitur viro, & econuerſo; ideo vnus ſexus productus eſt ab altero, quia vero iſta coniunctio dat viro quietationem, ideo producta eſt de viro dormiente: rurſus quia dat mulieri fortitudinem, & ſuſtentationem, hinc eſt, quòd mulier dicitur facta eſſe de oſſe, & quia in omnibus his eſt quædã æqualitas mutuæ ſocietatis, ideo formata eſt mulier de oſſe non quocumque, ſed de coſta, & eius latere.

Alex. de Ale. p. 2. q. 58. m. 4. § 2. & q. 85. m. 2. D. Bonau. in 2. diſt. 18. ar. 1. q. 1. & Ric. ead. diſt. ar. 1. q. 1.

Eua an congruè formata fuit ex Adamo dormiẽte

Secundo conſonat his, quæ ſignificantur per mulierem, & virum; per virum namque, & mulierem ſignantur Deus, & anima, Chriſtus, & Eccleſia, ſuperior portio rõnis, & inferior; Congruit primæ ſignificationi: quia omnes ſpiritus rationales immediate producuntur à Deo, tamquã à primo principio, & immediato, & Deus in eis requieſcit, & quaſi ſoporatur, dum delicię ſunt cum filijs hominum; & rationalis ſpiritus à Diuino ſpiritu inhabitante confirmatur, & roboratur. congruit ſecundę ſignificationi: quoniã Eccleſia ex Chriſto formatur dum de latere Chriſti dormiẽtis in Cruce profluxit ſanguis, & aqua, ex quibus in Sacramentis Eccleſiæ redundant efficacia, per quæ Sacramenta fundatur Eccleſia; & ſic vir rñdet Chriſto, dormitio rñdet morti, ablatio coſtę appertioni lateris. Congruit demum; tertię ſignificationi: ſicut enim vir eſt fortior, & mulier eſt infirmior, ſic ſuperior portio, & inferior, & ſicut mulier eſt ex viro, ſic inferior portio eſt ex conuerſione ſpiritus ad hęc inferiora; dum aũt ad hęc inferiora conuertitur, ceſſat à vigilantia contẽplationis, & quodammodo efficitur infirmior ſemetipſo, & tendit ad molliciem mulieris, & iõ quodãmodo ſoporari dr̃, & os ei auferri, & mulier inde formari. Itẽ ex Adamo dormiente Eua formata eſt, ne horrorẽ, vel pęnam monſtraretur ſenſiſſe Adã in detractione coſtę, & ſic Dei opus mirabile cõmendaretur cũ latus apperuit, & partẽ ſeparauit, & tñ illud à ſopore nõ excitauit, nec à quiete contemplationis turbauit, neq; lęſit, nec tñ ſoporem immiſit Deus in Adam ad mitigandum, quẽ ſentire poterat dolorem: quia potuiſſet Deus ſine vllo proſus dolore, & horrore, coſtam à vigilante ſeparare. Sed propter ſignificationem, & mentis Adæ eleuationem: nam ideo immiſſit Deus ſoporem in Adam, & mens eius in ſopore eleuaretur ad præuidendum

Auguſt. tract. 9. in Ioannem.

Dei

Digitized by Google

Dei reuelatione, multa futura, de Chriſto, de Eccleſia, & de Sanctis, qui ex ſacro matrimonio procrearentur, ſcilicet Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtolis, & ſic de alijs, vnde, & ſtatim cum euigilauit prophetauit dicens: Hoc nunc os ex oſſibus meis, vt patet per D. Auguſt. lib. 9. ſuper Geneſ. ad lit. capit. vlt. tales autem viſiones ſępe fiunt in ſomno ſenſibus quietis, vt patet in pluribus locis ſacræ Scripturæ. Et pręcipuè hoc fecit ad figurandum myſteriũ Chriſti, & Eccleſiæ: quemadmodum enim ex Adami dormientis latere formata eſt Eua: ita ex latere Chriſti dormientis, id eſt in Cruce mortui profluxit ſanguis, & aqua, vnde formata eſt Eccleſia. Mortem enim ſuam ipſemet Dominus appellat ſomnum apud Dauidem. Pſal. 3. Ego (inquit) dormiri, & ſoporatus ſum, & exurrexi.

D. Aug.

Toſt.

Vnde non eſt, cur Toſtatus ſup. capit. 13. Gen. q. 352. Hanc rationem improbet, eo potiſſimum argumento, ꝙ Eccleſia potius dicenda eſt ex Chriſto viuẽte, quam ex mortuo eſſe formata, ſi quidem redentio noſtra omnino ſundatur, ac nititur merito Paſſionis Chriſti vnde vim, & efficacitatem ſuã omnia traxere Sacramẽta; quare ſanguis, qui effluxit ex latere Chriſti iam mortui nihil contulit ad redentionem humani generis, nec per eum Chriſtus quicquam nobis meruit, cum iam eſſet mortuus, atque ob eã cauſã in extremũ ſtatum merendi conſtitutus. Ceterum hæc ratio quæ Toſtato non placuit, placuit D. Aug. qui ſuper Pſal. 126. ita ſcribit: Quando dormiuit in Cruce, ſignum geſtabat immo implebat, ꝙ figuratum erat in Adam: quia cum dormiret Adam coſta illi detracta eſt, & Eua facta eſt: ſic, & Dominus cũ dormiret in Cruce, latus eius Lancea percuſſum eſt, & Sacramenta profluxerunt, vnde facta eſt Eccleſia: Eccleſia enim cõiux Domini, facta eſt de latere, quomodo Eua illa facta eſt de latere, ſed quomodo illa non eſt facta niſi de latere dormientis, ſic iſta non eſt facta niſi de latere dormientis; Et tract. 9. ſuper Ioan. inquit. Dormit Adam, vt fiat Eua; moritur Chriſtus, vt fiat Eccleſia: Dormienti Adæ fit Eua de latere, mortuo Chriſto lãcea percutitur latus, vt profluant Sacramenta, quibus formetur Eccleſia. Cui non apparet: quia in illis tunc factis, futura figurata ſunt, quando quidem dicit Apoſtolus, Adam formam futuri eſſe qui eſt inquit forma futuri &c. Quapropter nimis ad viuũ reſecans Toſtatus, non eſt aſſecutus Theologorum ſententiã, qui non aliud ſignificare voluerunt, niſi ex latere Chriſti mortui fluxiſſe aquam, & ſanguinem, quibus ſignificabantur, duo pręcipua Euangelicæ legis Sacramenta fluxiſſe propter quamdam ſimilitudinem expreſſiorem eorũ, quæ ibi fluxerunt ad ſenſibilia, quæ ſunt in quibuſdam Sacramẽtis: ſanguis enim ſpecialius aſſimilatur ſpeciei, ſub qua eſt ſanguis, & Euchariſtia; & aqua ſpecialius aſſimilatur materiæ Baptiſmi, quę ſunt duo principalia Sacramenta. His autem duobus Sacramentis maximè continetur, & ſuſtentatur Eccleſia.

Auguſt.

Auguſt.

Scoto in 4. ſent. di. 2. q. 1. ad vltimũ.

Quæritur decimotertio. Vtrum illa corporis Euę productio fuerit Creatio. Pro ſolutione obſeruandum eſt, quòd aliquid põt dici creatũ tripliciter, priori modo propriè, & ſtrictè, & hoc modo, illud ſolum dicitur eſſe creatum, quòd de nihilo ſuppoſito ſimpliciter, tam quidditatiue, videlicet intrinſece, quã ſubiectiue, ſeu extrinſece eſt productũ hoc eſt, illud cuius ſubſtantia nõ fuit præſuppoſitum, nec eſt aliquid ſibi intrinſecum Secundo modo large creatum eſſe dicitur, omne ꝙ eſt à ſolo Deo productũ, ſiue de aliquo ſubiecto præſuppoſito ſibi extrinſeco, ſiue de aliquo intrinſeco. Tertio largiſſime dicitur creatũ vniuerſaliter omne aliud à Deo, licet à ſecunda cauſa productum, non vt ab ipſa ſecũda cauſa, ſed vt à prima productũ, & hoc modo ens diuiditur in creatum, & increatum, & omne ens aliud à Deo dicitur creatum, non autem primo, & ſecundo modo.

Quęſt. 13 Rubion vbi ſupra art. 2.

Eua productio an fuerit creatio.

Aliquid dicitur creatũ tripliciter.

Digitized by Google

Ex his dicendum, quòd productio corporis mulieris, fuit creatio ſecundo modo, non aũt primo modo: qm̃ conſtat huiuſmodi corpus à Deo tm̃ ſupernaturaliter, de aliquo tñ materialiter præſuppoſito, videlicet de materia coſtæ eſſe formatum: omne aũt ſic productum, ſcilicet à Deo ſupernaturaliter, & de aliquo præſuppoſito materialiter eſt creatum ſecundo modo, nõ autem primo modo. Poteſt ẽt dici, ꝙ vocando illud eſſe creatum ꝙ eſt productum nõ de aliquo præſuppoſito ordine durationis ipſum præcedente, aliqua pars formę corporis Euę fuit creata, & alia nõ; & hoc patet quia materia coſtæ prius fuit tpe, corpore mulieris, materia autem alia de nouo creata, & materię coſtæ addita, ſimul cum corpore eſt creata, ergo pars formæ corpori in materia corporis præſuppoſita introducta, non fuit hoc modo creata, ſed illa alia, quæ fuit in alia materia, creata nouiter introducta, bene poteſt dici creata primo modo.

Queſt. 14
Perer. ubi ſup. q. 8. ex D. Bonau. in 2. diſt. 18. artt. 2. q. 3. ad primum ex D. Aug. lib. 10. de Geneſ. ad lit. cap. 1. & 10.

Moſes cur non memoret aïæ Euæ creationẽ

Quęritur decimoquarto. Cur Moſes non memoret creationẽ animæ mulieris; Ad hoc reſponderi poteſt, id quo differebat productio Adæ, & Euæ, modus, ſcilicet quo vtriuſque corpus effectum eſt, ſeparatum, ac diſtinctè fuiſſe explicatum, creandi vero vtriuſq; animam; quia planè ſimilis fuerat rõ, propterea nihil attinebat bis hoc edocere, ſed erat ſatis in generatione viri ſemel indicaſſe. Nec ſinit nos ſcriptura dubitare, quin Eua aïam rationalem æquę habuerit, atq; Adamus: id enim nõ obſcure ipſa demonſtrat, cũ inducit Deũ dicentem faciamus ei adiutoriũ ſimile ſibi, neq; enim mulier, aut ſimilis Adamo fuiſſet, aut idoneum, ei adiutoriũ, ſi anima rationali caruiſſet. ſimilitudo quoque vtriuſque corporum, ſimilitudinem animorum declarauit, quomodo etiam Euæ (ſi expers rationis fuiſſet) à Deo eſſet lex impoſita? vel legis violatæ tam grauis pęna fuiſſet irrogata?

Queſt. 15

Quæritur decimoquinto. Vtrum quemadmodũ corpus Euæ ex corpore Adami factum eſt, ita ex huius anima illius anima ſit creata. Eucherius ſuper hoc loco ſcribit quæſtionẽ eſſe ad definiẽdum difficilem, cùm nihil ſuper ea ſit vel à patribus definitum, vel Eccleſiæ authoritate conſtitutum. Ceterum creationem cuiuſcũque animæ rationalis eſſe à ſolo Deo immediate apud Theologos, & in Eccleſia Catholica extra controuerſiam eſt. Dicendum eſt ergo quòd nec Euæ, anima, nec aliæ ſunt extra duce, vel ex anima parentũ, vel aliorum productæ; ſicut ignis ex igne, & ratio eſt; quia traductio duo requirit primum, quòd vnum originetur ab alio, vnde ſi lignum, vel domus diuidatur in partes, tunc vna pars non traducitur ab alia parte: quia non originatur ex ea; ſecundo requirit quòd ſit diuiſio, vel deciſio illius, quod ſcilicet traducitur ab eo à quo fit traductio, vnde licet vnus ignis alium originet, non tamen vnus eſt extra duce alterius: quia ibi non eſt diuiſio ignis propriè, ſed ſolũ multiplicatio proinde non conuenit traductio animæ rationalis ex probatione tali, quoniam ſi anima Euæ traduceretur ex Adamo, vel traduceretur ex corpore, vel ex anima, non à corpore; quia per naturam non poteſt ex corpore fieri non corpus, vt dicit D. Aug. anima autem eſt ſubſtantia incorporea tam ſecundũ Theologos, quam ſecundum Philoſophos, nec traducitur ab anima: quia hoc non poteſt fieri, nec ſecundum partem animæ rationalis cum ſit indiuiſibilis, nec ſecundum totum, quia tunc generans generando moreretur, cum totam animam ſuam daret genito, nam deſineret ipſe habere animam.

D. Bona. in 2. diſt. 18. art. 2. q. 2.

Anima Euæ an ex anima Adami creata ſit.

Traductio duo requirit.

D. Aug.

Queſt. 16
Toſt. vbi ſupra q. 372. 373. & 375.

Mulier an ſit creata ad ſeruiendum viro.

Quæritur decimoſexto. Quo ad cauſam finalem productionis Euæ. Et poſſumus loqui de fine duplici, vel de fine conditionis Euæ abſolutè, vel de fine conditionis Euæ de viro; & quæritur primo. An mulier ſit creata ad ſeruiendum viro. Pro ſolutione obſeruandum eſt, primo quòd mulier formata

eſt

Digitized by Google

eſt à Deo talis, vt viro eſſet minor ſecũdum naturalem dignitatem, nõ tamẽ formata fuit propter virum, iõ eſt minor eo, cũ finis ſit potior eo, quod eſt ad finem; quia finis eſt bonum rei. 2. Meth. aſſumptum patet, quoniã dicit Apoſtolus 1. Cor. 11. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. Item Apoſtolus ibidem oſtendit talem eſſe habitudinẽ inter virum, & mulierem, qualem inter Deum, & Chriſtum, & inter Chriſtum, & virum; cum dicit volo autem vos ſcire: quia omnis viri caput Chriſtus eſt, caput autẽ mulieris vir, caput autẽ Chriſti Deus; & tamen inter iſtos non eſt ordo ſecundum voluntatẽ, aut ſecundum aliquam inſtitutionem, ſed ſecundum naturalem excellentiam, ergo inter virum, & feminam ſimile eſt. Deinde vir habet rationem principij ad feminam; eſt autem principium nobilius principiato, & hanc etiam rationem inducit D. Paulus vbi ſupra.

Ariſt.

Secundum etiam patet, quia Ariſtot. 8. Ethyc. cap. 10. reprehendit quaſdam politias apud Perſas, in quibus vxores accipiuntur in ancillas; ſed ille principatus eſt Tirannicus, vt ibidem dicit Ariſtot. quia viri opprimunt mulieres per potentiam, ideſt, quia robuſtiores ſunt. Item primo Politicorum cap. 1. Ariſtot. redarguit illos, qui ponunt feminam, vt extremum, in combinatione deſpotica: dicebant enim illi, quòd femina naturaliter eſt ſeruus, & ideo conuentus maſculi, & feminę, erit combinatio Domini, & ſerui, quod vocamus combinationem deſpoticam, ideſt dominatiuam, & mouebantur ad hoc: quia ſeruus eſt naturaliter deficiens iudicio, Dominus autem qui ratione, & ingenio excellit, ſed femina naturaliter habet hoc, quòd deficiat à viro in ingenio, & ratione; ideo erat natura ſeruus.

Ariſt.

Ariſtot. autem arguit contra iſtos: quia certum eſt fœminam, tam in hominibus, quam in animalibus eſſe propter generationem; natura autem non facit vnum ad multa, quemadmodum gladium delphicũ pro paupere, qui ſcilicet eſt ad ſcindendum, & ad ſecandum, &c. Sed facit vnum ad vnum, & tamen facta fuit ſecundum naturam ad generandum, ideo nõ fuit facta ſecundum naturam ad ſeruiendum, atque adeo non erit fœmina naturaliter ſerua.

Secundo obſeruandum eſt, quòd ſi homo non peccaſſet, manerent omnes homines in Paradiſo, quouſque transferretur in cęlum, & interim vacarent proli modo matrimoniali: quia non eſſet ibi communitas vxorum, ſed determinatio earum, ſicut dixit Adam. Dimittet homo patrem, & matrem ſuam, &c. Cum autem eſſent vir, & vxor haberent inter ſe ſpecialem conuerſationem, quam cum alijs, & quoniam ea, quæ fiunt, oportet, vt dirigantur, non poterant autem ſimul à viro, & à femina dirigi, oportebat ergo alterum eorum eſſe directorem, & quoniam qui naturaliter excellentior eſt, debet imperare, & ordinare, vir autem eſt excellentior, ideo ipſe imperaret, & femina obediret.

Dicendum eſt ergo quòd mulier nõ fuit facta ad ſeruiendum viro. Nam ſubiectio mulieris ſub viri poteſtate in ſtatu innocentiæ fuiſſet mulieri voluntaria, & iocunda, atq; omnis expers moleſtiæ, vt diximus ſupra cum de hominis dominio loqueremur: & infra magis dicemus de maledictione Euæ loquentes.

Queſt. 17 *T oſt. vbi ſupra q. 376. & 377.*

Mulier an ſit condita in hominis adiutoriũ.

Quæritur decimoſeptimo. An mulier ſit condita in hominis adiutorium? nam aliquando femina vocatur adiutorium, & ſignificatur eſſe aliquid minus; faciamus adiutorium ſimile ſibi, aliquando vocatur ſocia, quod ſignat ęqualitatem, ſicut dixit Adam infra ca. 3. Mulier quam dediſti mihi ſociã: aliquando vocatur ſubdita, vt infra eodem cap. ſub poteſtate viri eris. Pro ſolutione obſeruandum eſt, quòd duæ ſunt combinationes inter virum, & feminam; prima eſt combinatio naturalis, quæ eſt propter ſimile tertium de-

Inter virũ & feminãdua ſunt cõbinationes.

Digitized by Google

relinquere, ideſt, propter generare tertiũ ſibi ſimile. Alia eſt cõbinatio œconomica, ideſt, domeſtica. In prima combinatione, quæ eſt naturalis, ſunt ſolum maſculus, & femina propter ſimile tertium derelinquere, vt habetur prima Politicorum, capitulo primo, & hoc non ſolum in hominibus, ſed etiam in alijs animalibus, vt habetur octaua Ethicorum capitulo decimo. In combinatione œconomica, quæ eſt tertia in combinationibus poſitis ab Ariſt. ſunt ſex extrema, ſcilicet vir, & vxor, pater, & filius, Dominus, & ſeruus, vt habetur 1. Politicorum cap. 3. In prima combinatione mulier eſt adiutorium viro. Nam adiutorium ſolemus dicere, quando plura ad operationem concurrunt, & non æqualiter, quòd minus principale eſt vocatur adiutorium, & aliud quaſi operans. Et quoniam in generatione, neque ſolus vir gignit fœtum, neque ſola femina, ſed ambobus conuenientibus in vnum fœtus gignitur, & quoniam vir magis facit ad generationem fœtus, quam femina, & femina eſt quaſi minus conferens: Ideo femina ſic eſt aditorium. In ſecunda autem combinatione, ſcilicet œconomica non vocatur femina aditorium, ſed ſocia: quia adiutorium eſt reſpectu vnius operationis, in quam multi concurrunt. In œconomica autem combinatione ſunt diuiſa opera viri, & vxoris, Domini, & ſerui: quoniam tamen ſunt ad vnum finem, habent ſocietatem omnes, qui illa opera faciunt, atque ita poteſt vocari femina, vel vxor ſocia, & hoc ſpecialiter inuenitur in maſculo, & femina in hominibus: quia maſculus & femina in animalibus conueniunt ſolum gratia generationis, vt habetur 8. Ethycorum capitulo duodecimo; in hominibus autem non ſolum propter generationem, ſed etiam propter diuerſitatem operum, vt conferentes propria ad commune abundantiores fiant, quando autem in maſculo, & femina non inuenitur diſparitas operum, non eſt in eis, niſi naturalis combinatio, cum autem eſt diuerſitas, eſt in eis œconomica vltra naturalem.

Dicendum eſt ergo ex his, quòd in ſcriptura Sacra quædam dicuntur de muliere ſecundum ſtatum, & conditionem naturæ ſimpliciter quædam ſecundum conditionem naturæ lapſæ, & peccati, quando ergo dicitur ſub poteſtate viri eris; intelligitur dictum eſſe in pœnam, & poſt peccatum, & iſtud ſemper competiuit ei poſt peccatum, ſicut & nunc competit. Alia duo, ſcilicet eſſe in adiutorium, & ſociam, dicuntur ſecundum ſtatum naturæ, & ante pecatum: nam femina etiam in ſtatu innocentiæ; diceretur adiutorium, inquantum confert ad generationem, & ſocia, propter æqualitatem, quam habet ad virum ſecundum ſpeciem: ſunt enim in eadem ſpecie, & ſpecies dicit vnum gradum ſubſtantialis perfectionis, ſub quo tamen eſt quædam inæqualitas participationis: quia tamen non excludit illa inæqualitas ſubſtantiæ æqualitatem; vocatur mulier ſocia: quia ſocietas dicit æqualitatem, & hoc ſignificauit etiam Deus: quia non dixit ſolum, faciamus ei adiutorium, ſed addidit ſimile ſibi, & iſta ſimilitudo ſignat æqualitatem ſpeciei, in qua eſt æqualitas, & ſocietas ad differentiam femellarum aliorum animalium: quia inquantum erant femelle erant adiutorium ad generandum cum maſculo: ſed quia non erant in eadem ſpecie, in qua Adam, non diceretur de aliqua aliarum, quod erat adiutorium ſimile ſibi.

Quæritur decimooctauo. An congruum fuerit corpus mulieris fieri in adiutorium ad prolis procreationem? Dicẽdum eſt, quòd ſic, vnde obſeruandum eſt, quòd conueniens fuit genus humanum formari in ſexuum diſtinctionem, ſecundum quadruplicem rationem,

Quęſt. 18 *Alex. de Ales p. 2. q. 85. m. 1.* *Corpus mulieris an con-*

tionem,

Digitized by Google

gruè factū ſit in adiutoriū uiri ad generationem. tionem, ſcilicet literalem, moralem, allegoricam, & anagoricam, & primo fuit ad hoc ratio literalis : quia natura deſiderat perfectionem, & refugit confuſionem, & ideo homo debuit fieri taliter, vt eſſet in eo perfectio ad actum propagandi, atque ita in primaria hominis conditione debuit fieri agens, & patiens, & hæc inconfuſa, & hinc eſt, ꝙ mulier formata fuit à viro diſtracta, ne ſi pluralitas ſexuum in vna perſona concurrerent, confuſionem facerent, quam refugit natura, & rectè rationis iudicium, ſicut videmus circa hermaphroditum. Ratio vero moralis fuit, vt in hoc erudiretur homo, quantum ad vſum humilitatis, & exercitium charitatis, videlicet vt dum vir videret ſe alieni ſexus indigere, ſeipſum illi liberaliter, & charitatiuè impenderet. Ratio allegorica fuit, vt in illorum ſexuum diſtinctione, & coniunctione in carnis vnitatem, ſignificaretur coniunctio Chriſti, & Eccleſiæ.

Poſtremo fuit ratio anagorica, vt in illa amicabili coniunctione viri, & mulieris ſignificaretur coniunctio animæ, & Dei, & quantum ad magnitudinem adhærentis, & quantum ad fructus fœcunditatem ſicut enim mulier in coniunctione ad virilem ſexum habet fœcundari, ſic bona voluntas fœcundari habet dum homo Deo adhæret per gratiam Spiritus ſancti.

Queſt. 19 *Alex. de Ales p. 2. q. 58. m. 4. §. 1. & Toſt. vbi ſupra q. 360. & 361.* Quæritur decimonono. Ad quid voluit Deus formare feminam de viro: nam ſi oportuit propter multiplicationem; quare non fuit facta multiplicatio ad modum, quo multiplicatio facta eſt in Angelis, vt fierent duo mares à Deo, vel plures, ſicut facti ſunt Angeli; æque enim participarent gloriam Dei, ad quam creati eſſent.

Deus ad quid voluit formare feminā de viro. Dicendum quòd conueniens fuit formari feminam ex maſculo, vt generis humani vnicum eſſet principiū: nam in alijs animalibus non eſt idem principium omnium, quæ ſunt in eadem ſpecie: ſed multa erant principia: nam Deus produxit multos equos ſimul, & multos boues, & oues, & ita in omnibus ſpeciebus animalium, non ſolum maſculum, & feminam, ſed multos maſculos, & feminas ſimul, atque adeo non eſt in eis vnicum principium, cum non deſcendunt ea, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei ab vno illius ſpeciei. In hominibus autem fuit omnium principium vnum: quia omnes homines qui nati ſunt deſcenderunt ab Adam, & Eua per commixtionem; Eua autem deſcēdit ab Adam, & quia non poterat deſcendere ab eo efficienter, quia nec per generationem cum Adam non haberet aliam feminam ex qua gigneret, nec per creationem, vel formationem, quia hoc ſolus Deus poteſt, & ideo deſcendit ab eo materialiter, atque adeo formata fuit à Deo, de aliqua particula Adæ, nempe de coſta, & hoc fuit neceſſarium, vt totum genus humanum ab vno principio procederet.

Ad id, quòd dicitur de Angelis, dicitur, quòd non eſt ſimile: nam homo eſt media quædam natura inter Angelos, & animalia, atque adeo mediam quoque conueniebat eſſe rationē originis generis humani: Angeli quidem omnes, ac ſinguli à Deo proximè creati ſunt, nec in tanto Angelorum numero, vnum aliquem reperire licet ex alio Angelo procreatum; animalia vero ex alijs orta ſunt, ſed non omnia etiam, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ex vno generata ſunt. In homine ergo medio modo res ſe habere debuit, vt primus homo proximè à Deo conderetur, & ex eo fabricaretur mulier ab ipſo Deo, & ab vtroque cuncta hominum generatio proueniret. Vel dici poteſt quòd non fuit facta multiplicatio ad modum multiplicationis in Angelis: quoniam in hoc non oſtenderetur homo conditus ad imaginem Trinitatis. In Trinitate enim eſt perſona vna ab altera; & perſona Spiritus ſancti ab vtraque perſona ſcilicet Patris, & Filij; (vnde ordo naturæ videtur oſtendi ſicut dicit Auguſtinus)

quòd non fieret in homine ſi omnes immediatè conditi eſſent à Deo, vt ergo ſignificetur quòd homo conditus eſt ad imaginem Trinitatis, rectè dicitur multiplicatio in genere hominum, vt vnus ſit ex alio, & ſic deinceps.

Quæſt. 20 Toſt. vbi ſupra q. 362.

Deus quare voluit quòd totū genus humanū eſſet ex uno principio.

Quæritur vigeſimo. Quare voluit Deus, vt totum genus humanum eſſet ex vno principio.

Dicendum quòd fuit primo propter honorem generis humani, vt haberet quandam ſimilitudinem Dei, ſcilicet ſicut Deus eſt principium omnium per creationem, ita eſſet homo vnus principium omnium hominum materiale, vel effectiuum.

Secundo fuit ad confundendam ſuperbiam diaboli exaltando naturam humanam: nam diabolus concupierat eſſe principium poſt Deum, & quòd eſſet vnicum principium omniū non aſſecutus eſt illud, ideo confuſus fuit, homo autem accepit ex gratia, quòd eſſet vnicum principium. Nam peccatum diaboli fuit, quòd voluit æqualitatem Dei, ſaltem quo ad hoc; videlicet, quòd ſicut Deus eſt ſimpliciter principium omnium, ita diabolus poſt Deum, eſſet omnium principium. Deus enim habet eſſe, & perfectionem omnem, & beatitudinem ſecundum ſuam naturam, & non accipit aliquid ab alio, & ita eſt ſimpliciter principiū omnium; diabolus vero à Deo accepit, ſed videns ille, qui maior fuit inter omnes Angelos, ſe excellentiorem eſſe omnibus creaturis ſecundum naturam, voluit totum bonum, & eſſe omnium inferiorum deriuari ab eo, ita vt omnibus exiſteret immediata cauſa eſſe, & beatitudinis, licet ipſe à Deo acciperet, quod eſſet, & quod beatus eſſet; hoc autem non fuit aſſecutus, quòd omniū eſſet ipſe vnicum principium ſub Deo: Ideo Diabolus confuſus eſt: quia cupiuit quod non potuit aſſequi, homo autem, qui ſecundum naturam minor erat Angelo, aſſequutus fuit, quod non concupiuit, ſcilicet fieri principium in tota ſpecie ſua, vt ab vno homine omnes deſcenderent; & quo ad hoc magis fuit ſimilitudo Dei in homine, quam in Angelo.

Lucifer quō appetijt æqualitatem Dei.

Tertio fuit ad cauſandam magnam dilectionem: nam quando omnes homines ſcirent ſe eſſe ab vno, amarent ſe, vt vnum, quod patet in cognatis, nā cognatio cauſat naturaliter amorem, ſicut oſtendit Ariſtotel. 8. Ethicorum cap. 5.

Quæſt. 21 Toſtat. q. 363. & Alex. p. 2. q. 85. m. 6.

Quæritur vigeſimoprimo. An mulier condita de viro fuit propter genus humanum, an vero ſpecialiter propter ipſammet mulierem.

Mulier an condita ſit propter genus humanum.

Dicendum quod vera, & præcipua cauſa quare mulier formata fuit de viro, fuit propter humani generis honorem, vt eſſet ibi vnus homo principium omniū, ſicut Deus eſt ſimpliciter principium omnium entium: ſed vltra hāc cauſam fuit etiam propter mulieris dignitatem: nam vult ſcriptura oſtendere dignitatem feminę, vt non videatur ignobilis, & apparet eius nobilitas, qa fuit formata de corpore viri. Vir autē de terra ſumptus eſt, & ita fuit de nobiliori materia mulier, quam vir, quod mulieris dignitatem oſtendit, non tamen maiorem dignitatem reſpectu viri; vt ex hoc quidam minus ſcitè coclu ſerūt: nam ex eo, quod mulier formata fuit de viro, eſt vir melior, & dignior, quia vir eſt, vt principium, femina vt principiatum, & principium melius eſt principiato, vt hmōi: Si autem femina eſſet formata ex alia materia, quæ eſſet nobilior, quam terra, & non eſſet pars viri, poſſet aliqualiter argui eſſe feminā digniorem viro, quia eſſet materia feminę melior materia viri, & non eſſet vir principium feminę materialiter; at quia femina formata fuit de coſta viri, non poteſt concludi ex hoc mulierē eſſe viro digniorem; fuit autem formata mulier de viro, vt vir iudicaret feminam præferēdam eſſe omnibus animalibus; nam voluit Deus dare Adæ adiutorium ſimile ſibi, ideſt feminā ad cōſortium, quæ eſſet excellens, ſicut ipſe, & ideo fecit eam de ſubſtantia eius, qđ

Mulier non eſt viro dignior

&

Digitized by Google

& ipſe dixit; Hoc nunc os ex oſſibus meis,&c.

Tertiò hoc fecit propter amorem, quia magis eam amaret, cũ ſciret de ſe ſumptam, ſicut filij amantur à parentibus, quia parentes cognoſcunt illos fuiſſe aliquid in eis.

Quarto, vt Adam non poſſet eam odiſſe, quod valde neceſſarium erat, futura enim erat Eua ipſi Adę cauſa perditionis, & totius calamitatis, propter quod Adam incidēs in tot mala abhominaretur Euam, & occideret, vel ſaltem ab ea omninò diſcederet, at Deus volebat quod ex eis genus humanum deſcenderet, ideo dedit ei aliquid, quo ipſam odiſſe non poſſet, ſed amare, ētſi ei cauſa omnium malorum extitiſſet, & hoc eſt, quod eſſet de carne eius, nam carnem ſuã nemo vnquã odio habuit, ſed nutrit, & fouet ad Epheſ.5. Sicut, & parentes nõ abhominantur filios, licet eos ad iram interdum prouocent, atq; adeo fuit conueniens, quod mulier eſſet de ſubſtantia viri, & ſic vir non poſſet eã odiſſe; Patet ergo quod femina formata fuit ex viro, nedũ propter genus humanũ, ſed etiã propter feminã.

Queſ.22 Alex.ubi ſup.m.5.

Quæritur vigeſimoſecundo. Vtrum Eua quæ fortis fuit ſecundũ corpus ac Adam? Dicendum quod vir erat maioris virtutis quam mulier, vt habetur à D.Aug. dicente de diabolo, quod parum de ſuis viribus præſumens humanam naturã in eam partē, vbi debilior videbatur, aggreſſus eſt, vt ſi forte illic aliquatenus præualere potuiſſet poſtmodũ cum maiori fiducia ad alteram, quæ robuſtior fuit, pulſandam, aut potius ſubuertēdã accederet. Cõgruebat autem mulierem fieri minus fortem, & virilem, quantum ad corpus, quam virum quadruplici ratione.

Aug.lib. 14. de ciuit. Dei c.11.

Eua an ſit æque fortis ſecũdũ corpus ſicut Adam.

Mulier quadruplici rõne infirmior viro condita eſt.

Prima ratio eſt ex parte actionis, & paſſionis, quia .n. ſexus virilis ordinatur ad agēdum, mulieris ad patieudũ, non ſolum ſecundũ ſtatum naturæ lapſæ, ſed etiã inſtitutæ, & hoc dico in officio generationis (...) Philoſophus [illegible] ſicut (...) ſicut agens patiente præſtantius, & virilius eſt, ſic fortius, & robuſtius debuit eſſe corpus viri quam mulieris.

1. Phyſ. t.c.81.

Secũda ratio eſt ex parte regiminis, & ſubiectionis: quia regens in virtute præualere debet ei, quod regitur, ſed vir deputatus eſt ad regimen mulieris, vt docet Aug.lib.11. ſuper Gen. ad lit. nec ſolum ſecundum aĩam, ſed etiam ſecũdum totum coniunctũ. Vnde primo Cor.11. Volo vos ſcire quod omnis viri caput Chriſtus, caput autē mulieris vir; ſenſibus autē qui vigent in capite, reguntur aliæ partes corporis; & quod hoc fuit in ſtatu innocētiæ, oſtendit Apoſtolus conſequenter dicēs: Nõ enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro, propter quod decuit corpus viri fieri robuſtius.

D. Aug.

Tertia rõ ſumitur ex parte nutriendę prolis: quia mulier ad hoc maximè deputatur, vt prolem nutriat intra ſeipſam, & ita neceſſe fuit ipſum abundare magis in humiditate, quam virum; ratione cuius maioris humiditatis minor eſt conſertio, & conſolidatio in membris feminæ quam maris, & hinc eſt, quod naturaliter ſunt minoris roboris, & vigoris.

Quarta ratio ſumitur ex parte ſignificationis, quia enim in coniunctione maris & feminæ ſignificatur coniunctio Dei, & animæ, ſicut anima, quę eſt per ſe imbecillis, recipit à Dẽo virtutē, ſiue vigorem multiplicandi Deo prolē ſpiritualem, ſic vt ſignum ſignato reſpõderet, debuit mulier, quę opere viri multiplicatiua eſt prolis materialis, minus fortis fieri, & vir magis. Obſeruandum eſt tamen, quod ex hoc nõ ponimus quod Deus infundat aĩas infirmiores corporibus mulierum quã virorum: ſed quia diſpoſitiones ſpiritus exiſtētes in corpore concomitantur diſpoſitiones corporis, cui vnitur, corpus autem muliebre ab initio fragilius, & infirmius erat corpore virili, ideo Spiritus, ſiue anima vnita corpori muliebri infirmior eſt illa, quę vnitur corpori virili; [illegible] ſ, & melius vi-

Deus corporibus mulierũ nõ infundit aĩas infirmiores.

get in corpore meliori. Quod tamẽ corpus Euæ fuerit infirmius, & imbecillius corpore Adæ, non fuit pœna ſpiritui mulieris, qui vtique plus viguiſſet, & in meliori corpore, ſicut nec fragilitas corporis Adæ reſpectiua, id eſt cõparatione alterius corporis fortioris fuit ſpiritui eius pœna, quia ſpiritus plus viguiſſet, ſi vnitus fuiſſet corpori fortiori.

Quęſ.23 Alex. de Ales vbi ſup. q.58. m.6.

Quæritur vigeſimotertio. An corpus Euæ æquè nobile fuit ac corpus Adæ.

Corpus Euæ an æque nobile ſit ac corpus Adæ. D. Aug.

Reſpondeo, qđ ſimpliciter loquendo, maioris dignitatis fuit corpus primi viri, quã primæ mulieris, & generaliter ſexus virilis, quã muliebris: tũ rõne continentię gñalis. Tota .n. humana natura propaganda, & ẽt natura humana aſſumpta à filio Dei erat in illo ſecundum corpulentam ſubſtantiã; ſecundum D.Aug. tum rõne productionis principalis: quia etſi corpus mulieris cooperabatur productioni humani generis; ab illo tñ fuit principaliter productio, quia in productione vir erat agens, mulier patiens. Tum rõne vigoris, ſiue roboris amplioris; corpus .n. viri erat maioris vigoris, ſiue roboris amplioris corpore mulieris, vt patet ex dictis. Tum rõne conditionis nobilioris, quæ attenditur penes ſexum; nobilior enim eſt ſexus virilis ſexu muliebri, ſexus .n. penes corpora diſtinguuntur. Tum demum rõne ſpiritualis ſignificationis, quę ex coniunctione maris, & feminę intelligitur, vt patet ex dictis.

Quęſ.24 Eua an producta ſit in Paradiſo. Ioſephus, Rupert. Tertull. Baſil. homi.11. in Gen. Ambr. lib. de Paradiſo c.4. Magiſt. ſent.

Quæritur vigeſimoquarto. De loco, in quo creata fuit mulier, an .ſ. formata fuit in Paradiſo, vel extra illũ. Ioſephus lib.1. Antiquitatũ, & Rupertus lib.2. de operibus Trin.c.3. & Tertull. contra Marcionẽ crediderũt Euã ſicut Adamum eſſe conditã extra Paradiſũ. Ceterũ oppoſitũ docent Baſil.hom.11. in Gen. Ambr.lib.de Paradiſo c.4. Magiſt.in 2.d.18.& oẽs ſcholaſtici ea.diſt. & D.Th.1.p.q.102.art.4. quod vr̃ eſſe maximè congruens, & cõſentiens cum narratione Moſis, ex qua ſi quis eã bene cõſiderat, liquido intelliget, poſtq̃ introductus eſt Adã in Paradiſum, fuiſſe ad eum introducta aĩalia, & cognitã neceſſitate creandi mulierẽ in adiutorium eius ex latere ipſius formatã eſſe Euam; facta eſt igitur Eua in Paradiſo; nã certũ eſt, qđ Adam intra Paradiſũ erat qñ formata fuit mulier ex ipſo; poſtq̃ .n. Moſes deſcripſit plantationẽ Paradiſi, dixit, qđ tulit Deus hominem quem formauerat, & poſuit eũ in Paradiſo, & cũ non fuerit expulſus de Paradiſo, quouſque peccauerit, & qñ formata fuit mulier, nõdũ peccauerat, cõſtat, qđ in Paradiſo erat, qñ Deus abſtulit coſtam, ex qua mulierem formauit.

in 2.d.18. D.Th.1. p.q.102. art.4. & oẽs ſcholaſtici in 2. diſt.18. Toſt. vbi ſupra q.397.

Quęſ.25 Eua quo die producta fuit. Origen. Chriſoſt. Eucher. D. Tho. Alex. de Ales p.2. q.60. m.2.ar.2. et D.Bona. in 2. diſt. 18.art.1. q.2.ad 1. Adam fuit primo creatus & poſteà Eua.

Quæritur poſtremò. Quo die producta fuit Eua? Orig. Chriſoſt. hom.10. in Gen. & Euch. in illud Gen.1. Maſculũ, & feminã fecit eos, D.Th.1.p.q.73. art.1.ad 3.& pleriq; alij affirmant Euã productã fuiſſe poſt ſextã diẽ, collocatoq; iã Adamo in Paradiſo, eo aũt mouẽtur, q a poſtq̃ Moſes ſcripſit Deũ die ſeptima requieuiſſe ab oĩ opere ſuo, hominemq; collocatũ fuiſſe in Paradiſo, narrat Euæ pductionẽ de latere Adami. Ceterũ hęc opinio nõ põt ſtare; iõ obſeruandũ eſt, qđ Adã, & Eua nõ fuerunt creati ſimul, prius .n. fuit creatus Adã, poſterius Eua, hoc .n. manifeſtè tradit ſcriptura q ppe q̃ in lib. Sap.c.10. docet Adamũ primũ, & ſolũ fuiſſe creatũ his verbis. Nec illũ, q primus formatus eſt à Deo, pater orbis terrarũ, cũ ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit, & eduxit illũ à delicto ſuo. Et Paul.c.2. prioris Epiſto.ad Thim. inquit Adã prius creatus eſt, deinde Eua. Idemq; luce clarius apparet ex ipſa Moſaicę narrationis ſerie, & cõtextu; narrat .n. primo formatũ eſſe hoĩem ex limo terrę, deinde introductũ fuiſſe in Paradiſum, poſtea eſſe ad eũ introducta aĩalia, & quia inter illa nõ inueniebatur Adamo adiutoriũ ſimile ipſi, immiſiſſe Deũ ei ſomnũ, & ex latere eius dormientis detraxiſſe coſtã, ex eaque formaſſe corpus Euę; ex quo patet aliq̃ interceſſiſſe morã, inter creationẽ Adami, & Euę. Verũ hanc morã, quãtacumq; illa fuerit, intra tñ ſextum diẽ fuiſſe cõſtat, nõ ſolũ auctoritate pa-

trum

Digitized by Google

trum ita ſentientium, ſed et ipſius ſcripturę, quæ id non obſcurè indicat, oīa enim Dei opera in creatione mundi facta, ſexto die abſoluta, & cōſummata colligitur ex illis extremis verbis capitis primi. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, & mox ſubditur, & factū eſt Veſpere, & mane dies ſextus, & in exordio capitis ſequentis, Requieuit (inquit) Deus die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat, & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo. Idemque clariſſimis verbis cōfirmatur Exodi c. 20. Memento (inquit) vt diē Sabbati ſanctifices, ſex diebus operaberis, & facies oīa opera tua, ſeptimo aūt die Sabbatum Dn̄i Dei tui eſt, nō facies oē opus in eo, &c. & rōnē reddens eius pręcepti, ſubiungit, ſex .n. diebus fecit Dn̄s cęlum, & terrā, & mare, & oīa, quę in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo: Ex hoc loco perſpicuè intelligitur oīa illa primęua Dei opa creationis mūdi, intra illos ſex dies eſſe facta. Eua igitur nō ſeptimo die, vt exiſtimauit Catharinus, & vt ſignificare vr̄ S. Thomas, ſed die ſexto procreata eſt.

Cathar.

Caiet.

Ex his patet quod valde errauit Caietanus Adamum, & Euā ſimul productos fuiſſe in eodē inſtanti tpis aſſerēs: Et ad motiuū alterius opinionis dicendū eſt cū Alex. & D. Bonau. quod etſi formatio mulieris poſt diē ſextum narretur, nō eſt tn̄ credendum, qđ tam longo tēpore viri formatio pręceſſerit, ſed quod die ſexta de latere viri producta ſit, adeo quod non tātum homo factus eſt in operibus ſex dierum ſcilicet Adā ſecundum animā, & corpus, ſed etiam Eua ſimiliter in opere ſextæ diei, licet non in eadem parte indiuiſibili diei illius, vt diximus ſupra.

Illud autem quod ſubditur, intelligendum eſt per recapitulationem; recapitulat enim ſcriptura, vt addat, vt maior fieret expreſſio, cum enim fecit herbas, & plantas in opere diei tertiæ; nonne tunc, & ligna Paradiſi? ergo pari ratione de alijs.

Et adduxit eam ad Adam.

Chriſoſt. hom. 15. Gen.

OStendens quod pp illum illā condiderit, adduxit illā ad Adā, qm̄ nullus, inquit, in oībus brutis adiutor ſimilis ſibi inueniebatur, eccē qđ pollicebar, promiſi .n. tibi facturū me adiutoriū ſimile tibi; nūc perfectū trado tibi. Adduxit illā ad Adā: Nam qn̄ Deus ſoporē in Adamū immiſſit, & tulit vnā de coſtis eius; in locū ab Adamo aliquātulū ſeparatum illā adduxit, ibiq; ex ea ędificauit Euā, & ſcientia, atq; rerū cognitione eam repleuit, ſicut repleuerat Adamum, ibique cum ea fuit locutus: expergefacto autem Adamo, eam ad illum adduxit, vt matrimonio illos copularet, atque id eſt, quod dicit Moſes his verbis, & adduxit eam ad Adam.

Queſt. 1. *Toſt. vbi ſupra q. 397.*

Deus cur Euā adduxit ad Adamū.

Quæritur primo. Cur dicatur Deū adduxiſſe Euā ad Adamū, ad hoc multę ſunt rōnes. primo quia mulier facta eſt, ad hoc qđ nō eſſet vir ſolus, nam dictū fuit ſupra nō eſt bonū hominē eſſe ſolū, faciamus ei &c. q̄ diu aūt femina nō eſſet cum viro, eſſet ille ſolitarius, atq; adeo debuit adduci ad eū. Secūdo quia oīa aīalia terrę, & volatilia adduxit Deus ad Adā, vt videret, an cōuenirēt ei in cōſortiū; ergo à fortiori femina formata debuit adduci ad illū, vt videret, qđ de illa iudicaret, & patet, qđ ad hoc adducta ſit: qa Adā ſtatim oſtēdit, qđ placeret ei, & nō alia aīalia. Tertio qa, vt diximus, femina nō fuit in p̄ſentia viri formata, ſed formata fuit diſtāter ab Adā, atq; adeo ipſe nō iret ad illā, q̄ neſciret formatā, neq; illa veniſſet ad eū, iō Deus adduxit eā ad illū. Quarto fuit ad oſtendendū traditionē quandā, qa Eua nō ſolū fuit p̄ſentata Adę, ſed tradita ei, vt eius eſſet nō quidē ancilla, ſed vxor, & ſocia, ſicut dixit Adā infra c. 3. Mulier, quā dediſti mihi ſociā &c. iſta autem traditio nō poterat fieri ſine præſentatione quadam, ideo adducta fuit mulier ad Adam, nā fuit ibi quaſi deſponſatio quædam.

Queſt. 2. *Toſt. vbi*

Quæritur ſecundo cum mulier non fuerit formata, vbi erat Adam, ſed inde

Digitized by Google

ſupra q. 398.

de diſtanter, cur potius illa adducta eſt ad Adam, quam ipſe ad eam?

Ella cum non fuit formata, vbi erat Adam: quare Adam non iuit ad eã

Dicendum quod fuit primo, quia femina erat propter virum, & non vir propter feminam, vt dicit Apoſtolus, 1. Corinth. 11. ideo non debebat adduci vir ad feminam, quia adduci vnum ad alterum eſt eſſe vnum propter alterum.

Secundo, quia femina formata fuit, eo quod non fuit inuentum adiutorium ſimile Adæ in animalibus, ſed animalia ducta ſunt ad Adam, vt videret, ſi erat in eis aliquid, quod conueniret ei, ergo & femina debebat adduci ad Adam.

Tertio, quia fuit facta vt adiutoriũ viri; adiutorium autem dicitur relatiuè ad id, cuius eſt adiutorium, & ad illud pertinet, & non res ad adiutorium, ideo femina ad virum debuit adduci, & non è conuerſo.

Quarto, quia vxor ad domum viri ad habitandum accedere debet, & non vir ad domum vxoris.

Dixitque Adam. Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.

Chryſoſt. hom. 15. in Gen.

Excitatus Adam è ſomno ſpiritu prophetico, quo in illo ſopore, & extaſi fuerat afflatus, nec modo videbat rem, quæ tunc in ipſo geſta erat, ſed abditiſſimum, etiam, & diuinum eius rei myſterium erupit in hæc verba. Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c. Sed audiat lector abſurdiſſimam Hebræorum huius loci interpretationem, quam refert Toſtatus ſuper 13. capit. Gen. q. 404. Rabbi Salomon, & multi de Hebræis (inquit Toſtatus) dicunt, quod quando Deus præſentauit animalia Adæ, vt videret, ſi aliquod com petebat ſibi, Adam cõmiſcebatur carnaliter cuilibet femellæ animalium, ſed nulla placuit ei, cum verò pra ſen- [illegible] femina, cognouit eam carna- [illegible] placuit illi, & ideo dixit; iſta [illegible] carne mea, ideſt quando [illegible] animalia, non inue niebam carnem de carne mea, quod tactus demonſtrat, ſed iſta vice cum acceſſi ad hanc, inueni eſſe carnem de carne mea: at iſta ſunt nefanda cogitari, & maximè contra ſanctum virum Adam patrem totius generis humani; neque etiam ſunt poſſibilia, ſi quis illa aduertat eſſe turpia: ſed hanc fatuam opinionem reiecimus ſupra.

Toſt. vbi ſupra q. 404. Rabbi Salomon.

Magiſt. hiſt. ſen. capit. 17. & Toſt. vbi ſup.

Sed aliam non minus abſurdam interpretationẽ huius loci afferunt Talmudiſtæ dicentes, quod Adam antequam haberet Euam in vxorem, habuit aliam priorem vocatam Lilis, quã tenuit centum, & triginta annis, quibus fuit excommunicatus pro commeſtione ligni vetiti, & in toto illo tempore non genuit ex ea homines aliquos, ſed genuit dæmones: Vnde hoc aduerbium, Nunc, traxit Iudæos in errorem, vt dicerent Adam habuiſſe duas vxores, aliam prius formatam de limo terræ vna cum Adam, de qua dictum eſt, Maſculum, & feminam fecit eos, & aliam, quam formauit ex Adami coſta, quaſi diceret Adam, prior mulier facta eſt de limo terræ mecum; ſed hęc nunc de carne mea; & ex duabus vxoribus Adæ innumerabiles, ſiue interminabiles fingunt genealogias: ſed ex ipſo textu conuincuntur, in quo ſemper ſingulariter eſt ſermo de eius vxore, & hæc ſemper appellatur Eua. Quapropter quis non videat has Iudæorum nugas, figmenta, & deliramenta, vel etiam contra Scripturam ſacram blaſphemias? nam nulla femina erat ante Euam: quia ſi aliqua fuiſſet, non fuiſſet formata Eua, cum illa ſufficeret, & tamen adductis omnibus animantibus ante Adam non inueniebatur adiutoriũ ſimile ei quouſque formata Eua adducta fuit ad ipſum: nam tunc dixit. Hoc nunc os ex oſſibus meis &c. atque ita non fuit aliqua mulier, quam prius vidiſſet Adã, quam Euam.

Secundo falſum eſt, quod aliquo tẽpore manſerit excommunicatus pro eſu ligni vetiti, ſed ipſo die facta expulſus

ſus

ſus de Paradiſo, & poſtea nunquam illuc redijt, & tamen ſtatim, vt exiuit de Paradiſo, cognouit Euam vxorem ſuam, & peperit Cayn, & poſtea Abel, vt patet infra c. 4. Item eſto, quod eſſet Adam excommunicatus pro eſu ligni vetiti, vt ipſi dicunt, hoc non erat cauſa, quare non cognoſceret Euam, cum ſacra Scriptura teſtetur, quod cognouit eam, ſtatim poſt exitum de Paradiſo. Præterea cuius eſt amentiæ putare dæmones ex Adamo, & ex illa priori vxore generatos eſſe; nam dæmones ſunt incorporei non habentes carnem, neque oſſa, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut dicit Chriſtus Lucæ 24. dæmones autem ſpiritus ſunt: quia vocat eos Chriſtus ſępè ſpiritus. Matth. 12. ergo non habent carnem, & oſſa, at omne quod de muliere naſcitur, carnem, & oſſa habet, ergo non poterant dæmones naſci de muliere, neque gigni ab Adam: Vnde licet ſit impoſſibile dæmones ſic genitos eſſe, Iudæi tamen, qui hoc aſſerunt, coguntur confiteri ſe eſſe fratres dæmonum, cum pater eorum Adam dæmones genuerit, ſicut illi, qui dicunt Adamum coiſſe cum femellis beſtiarum, coguntur dicere, quod Aſina, & porca eſt eorum nouerca; quia Adam, qui eſt pater eorum, Aſinam, & porcam carnaliter cognouit. Sed miſſas faciamus nugas, & ineptias Iudæorum.

Caiet. in 2. c. Gen. Sed non minus inepta eſt expoſitio, qua Caietanus hunc locum explicat. Manifeſtè (inquit) Moſes his verbis mulieris naturam ſimul, & productionem indicauit, mulier enim quælibet cum ſit vir læſus, eſt os de oſſibus virilibus, & caro de carne virili; Intendit .n. virile ſemen producere virum, ſed defectu interueniente, cum non valeat facere virum integrum, facit virũ læſum, hoc eſt mulierem, quare mulier eſt os de oſſibus viri intentis, & caro de carne virili intenta: dicitur autem pluraliter ex oſſibus, vt ſignificetur minimum virilis roboris ſeruari in muliere: dicitur autem ſingulariter de carne mea, vt ſignificetur, quamuis imperfectior ſit caro mulieris, quam viri, non tamen minorem eſſe carnalem eius affectum, immò verò tanto maiorem, quanto minori corporis robori coniunctus eſt. Verum hęc præter falſitatem, & abſurditatem ſententiæ quam continent, & à qua fluxerunt, etiam ipſa, tam obſcura, perplexa, dura, & violenta eorum tractatio, veras eſſe nugas, & Caietani figmenta declarat.

Quæritur primo, quare dixit Adam. Hoc nunc os ex oſſibus meis? nonnè ſufficiebat dicere. Hoc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea? ad quid appoſuit illud aduerbium, Nunc? Dicendum, quòd illud, nunc, dupliciter poteſt accipi, primò vt referatur ad animalia, quæ Deus adduxit ad Adam, in quibus nullum ille reperit ſui ſimile: illud enim os ex oſſibus meis, & caro de carne mea denotat ſimilitudinem ſpeciei ex materiæ corporis humani ſimilitudine petitam. *Queſt. 1. Toſt. vbi ſup. q. 404*

Cum autem Adam videret mulierẽ ſibi ſecundum naturam ſimilem, dixit. Hoc nunc os ex oſſibus meis, quaſi diceret; Domine Deus quæ prius ad me adduxiſti animalia non erant mihi ſimilia; hęc autem mulier, quam nunc ad me adduxiſti, eſt planè ſimilis mei: quando prima vice adduxiſti ad me omnia animalia, non eſt mirum, quod non inuenerim adiutorium ſimile mei: quia illa non erant os de oſſibus, nec caro de carne mea, ſed nunc, ideſt in iſta vice, femina iſta, quam mihi præſentaſti, eſt caro de carne mea, & os ex oſſibus meis. Ita legit litera Hebræa. Iſta vice os de oſſibus meis, & caro de carne mea, vbi nos legimus, Hoc nunc os ex oſſibus meis &c.

Poteſt ſecundo illud, nunc, referri ad formationem primæ mulieris ex coſta Adami, vt ſit hic ſenſus, Hæc mulier nunc, i. hac prima vice, ſic formatã eſt ex viro, ſcilicet, nam quæ deinceps futuræ ſunt mulieres, earum nulla ſic generabitur, ſed per naturalem tãtum generationem ex mare, & femina; atq;

hæc

Digitized by Google

Chryſoſt. hom. 15. in Gen. hæc interpretatio eſt D. Chryſ. ho. 15. in Gen. Cuius hæc ſunt verba. Alius quidam interpres pro nunc vertit ſemel, manifeſtando quod ſemel tantū hoc factum eſt, neq; vltra erit talis formatio mulieris. Nunc (inquit) facta eſt ex viro mulier, poſt hac nō ſic erit, ſed ex muliere vir; immò non ex muliere, ſed ex vtriuſque cooperatione, ſicut *1. Cor. 17* etiam Paulus inquit. Non eſt enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro, & non conditus eſt propter mulierem, ſed mulier propter virum: At iſthæc ipſa, (dicet aliquis,) oſtendunt nobis, quæ ſunt dicta, quod mulier ex viro facta ſit. Verum expecta, & vide doctrinam quam ſubijcit; dicit n. Veruntamen neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro: quo docet nos, quod poſtea vtriuſque congreſſu, virorumque, & viri, & mulieris conſtitutio erit. Hactenus Chryſoſt.

Queſt. 2. Toſt. vbi ſup. q. 398

Ada cur dixit: hoc nunc os, ex oſſibus meis, & caro de carne mea.

Quæretur ſecundo, quare adducta muliere dixit Adam. Hoc nunc os &c.

Dicendum, quod fuit primo ad ſignificandum ſe ſcire, vnde illa femina eſſet: nam formauerat eam Deus de coſta viri dormientis, atque adeo Adam non vidit eam formari, vt ergo ſignificetur, quod Adam ſciebat, quomodo formata fuerit, ſcribitur, quod ille dixit, Hoc nunc os &c.

Secundo fuit ad oſtendēdum, quod ſibi placebat eius cōſortium: nam cum præſentatis omnibus animantibus non inueniſſet inter ea conſortium, præſentata ſibi fuit Eua, quæ valde ei placuit, atque adeo dixit. Propter hanc dimittet homo patrem, & matrem ſuā &c. quia ergo cetera animalia reſpexerat, & mulierem elegerat, conueniens erat, vt cauſam oſtenderet; ideo dixit Hoc nunc os &c. quaſi diceret. Ego potius iſtam accepto feminam, quā ceteras, quia ceteræ erant alienæ à me ſecundum naturam, hæc autem eſt mihi proxima, quia eſt caro de carne mea, & os de oſſibus meis, & non poteſt eſſe maior propinquitas ad me.

Queſt. 3. Quæritur tertio, quare dicitur caro de carne mea, & os de oſſibus meis? *Toſt. vbi ſupra q. 399.*

Dici poteſt primo quod hoc fuit ad ſignificandam maximam propinquitatem; non enim poterat eſſe maior propinquitas, quam in carne, & in oſſe, cum iſta duo ſint, ex quibus corpus conſtituitur, & ad ſignificandam identitatem viri ad feminam in corpore, dixit, quod erat de oſſibus ſuis, & de carne ſua.

Eua quare dicitur os de oſſibus, & caro de carne Adæ.

Secundo poteſt dici, quod in hoc ſignatur vnitas in ſpecie, inquantum dicitur de carne, & oſſe: quia animalia diuerſarum ſpecierum, etſi habeant carnem, & oſſa, non habent tamen eandem carnem, & eadem oſſa; quia ſicut animal differt ſpecie ab animali, ita caro à carne, & os ab oſſe: quia ſicut tota ab inuicem differunt, ita, & partes, vt docet Ariſtot. lib. 1. de animal. cap. 1. atque ita eſt ſenſus, quia cetera animalia non erant de carne mea, neque de oſſe, i. non erant in eadem natura, in qua ego eram, non acceptaui aliquod de illis; Iſta autem femina eſt de ſpecie, in qua ego ſum; quia habet carnem, & oſſa eiuſdem naturæ cum meis, quia eſt os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.

Tertio poteſt dici, quod hoc fuit ad ſignandam veritatem, ſcilicet, quod Deus formauerat mulierem de latere viri auferēdo inde coſtam, atque adeo erat verum, quod erat caro de carne eius, & os de oſſibus eius, atq; iſte fuit ſenſus, quem verbis illis intendebat facere Adam: tum quia ſemper Scriptura debet accipi iuxta rigorem verborū, niſi expreſſe apparet ſequi inde inconueniens: & tamen hic rigor verborum ſignat, quod erat Eua de oſſibus Adę, & de carne Adæ; quod vtique verum eſt, atque ita accipi debet. Tum quia ſi intenderet Adam ſignare proximitatē naturæ, & nihil aliud, vel vnitatem tantum ſpeciei, vocaret Euam carnem ſuā dicens. Hoc caro mea eſt: ſic enim fratres Ioſeph ad ſignandum, quod ille erat eorum frater, & valde propinquus, dixerunt, caro, & frater noſter eſt infra cap. 37.

Digitized by Google

cap. 37. & non dixerunt de carne. Sed Adam dixit caro de carne; ideo voluit aliquid vltra ſignificare, ſcilicet, non ſolum proximitatem, ſed etiam originē, hoc eſt, quod Eua formata fuerat de Adam, & hoc ſignat illa præpoſitio, ſcilicet, de oſſibus meis, & de carne mea. Tum quia Adam in verbis iſtis id potiſſimum deſignauit, quod Deus fecerat, dicens, ſcilicet, Hoc nunc os ex oſſibus meis &c. In quo ſignauit primo quod non ſolum fuit illa de carne Adæ, vel ſolum de oſſibus Adæ, ſed de vtroque, & verum fuit: quia tulit Deus vnam de coſtis Adæ, & illa non fuit nudata carne, ſed cum carne ei adhęrente, atque ita fuit vtrumque, ſcilicet os, & caro.

Secundo, quia dixit, os de oſſibus, & non dixit pluraliter, oſſa de oſſibus; quia ita fuit in veritate, ſcilicet, quod vnum de oſſibus Adæ ablatum eſt, ſcilicet coſta, Adam autem multa oſſa habebat, & illud vnum os ſuffecit ad formationem mulieris: ita vt non oporteret ſumi plura.

Tertio, quia prius ponitur os, quam caro, cū dicatur, hoc nunc os de oſſib. &c. & ratio eſt, quia os per ſe intendebatur, & ſic ſcriptura nominat, quod vnam de coſtis Adę tulit Deus, caro autem quaſi per conſequentiam tracta eſt, quia coſtæ adhærebat, & ideo verè voluit Adam in hoc ſignare Euam ſumptam eſſe de latere ſuo, & non aliquid aliud. Illud autē ex oſſibus meis pluraliter dictum eſt pro ex oſſe meo; non enim Adę niſi os vnum eſt ablatum, ſed abuſus numeri pluralis pro ſingulari, & viciſſim ſingularis pro plurali frequens eſt in ſcriptura; Vel eſt ſenſus, ex oſſibus meis, i. ex vno oſſium meorum.

DE IMPOSITIONE nominis Euæ.

Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt.

Circa hæc verba obſeruandum eſt, conſonantiam, & conuenientiam huius denominationis mulieris ex viro, cum re ipſa, quæ geſta eſt: quia mulier, ſcilicet, de viro ſumpta eſt, verum hoc ſolum in lingua Hebræa manifeſte apparet; In qua vir dicitur Is, mulier verò vnius ſolum adiectione litteræ appellatur Iſſa; vt ſicut mulier ſumpta eſt ex viro, ita nomen mulieris ex viri nomine ductum eſt, velut ſi latinè mulier diceretur vira, quod ex viro ſūpta ſit. Nec bene Pagninus in ſua tranſlatione poſuit viriſſam: nam ſi nomen fingere licebat, ſatius erat ponere vira, quam viriſſa, vt optimè fecit Lyranus. Theodorion aliam Ethimologiam ſuſpicatus eſt dicens: hæc vocabitur aſſumptio, quia ex viro ſumpta eſt, poteſt enim vox Iſſa, ſecundum varietatem accentus etiam ſignificare Aſſumptionem: ſed circa hoc. *Hieron. in lib. de tradition. Hebraicis ī Gen. Mulier ī Hebræo appellatur Iſſa; et vir Is. Nicol. de Lyra ſuper ca. 2. Gen.*

Quæritur primo, quare Adam hoc nomine Euam appellauit? Dicēdum, quod fuit primo ad imponendum nomen feminæ: dabatur enim illa Adę à Deo ideo voluit ipſe imponere nomen ei. Queſt. 1. *Toſt. vbi ſup. q. 406*

Secundo ad oſtendendum, quod homo præſidebat illi non tanquam ſeruę, aut ancillę, ſed tanquam ei, quę per virum gubernari deberet, atque adeo vir tanquam mulieris caput debuit ei nomen imponere. *Eua cur dicta ſit virago.*

Tertio dixit hoc ad magis oſtendendum propoſitum, Adam namque adducta muliere voluit oſtendere ſe ſcire, vnde illa erat, & dixit. Hoc nunc os ex oſſibus meis &c. & vt hoc magis oſtenderet, adduxit, & vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt; quod idem erat cum pręcedenti, ſcilicet, eſſe carnē de carne eius, vel poterat in hoc magis notificari: quia cum dicitur, Hoc nunc os ex oſſibus meis &c. Licet ſignificetur, quod erat ipſa formata de Adam poterat aliquis intelligere ſolā ſimilitudinem ſpeciei, vbi eſt caro eadem, & eadem oſſa ſecūdum ſpeciem: cum autem dicitur quod de viro ſumpta eſt, non poteſt dubitari, quin caro Eug ſit ſumpta de carne Adę, quia hoc

eſt

DE CONIVGII INſtitutione.

Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.

Magiſt. hiſt.c.19. Gen.

IMpoſito nomine ſtatim prophetauit de lege coniugij dicens, quamobrem &c. Quæ verba dupliciter explicari poſſunt.

Explicatio verborũ quam ob rem relinquet homo patrẽ ſuũ, &c.

Primo, vt illud quamobrem referatur ad coniunctionem mulieris cum viro; quamobrem, ſcilicet, quia mulier eſt os de oſſibus viri, & caro de carne eius, vel quia de latere viri ſumpta eſt; propter hanc tantam mulieris cum viro naturæ coniunctionem derelinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, i. derelinquet ſępè homo patrem, & matrem ſuam propter vxorem, & adhærebit vxori ſuæ, ideſt magis ſociari debet cum vxore ſua, quam cum parentibus. Ceterum ſecundum hanc interpretationem verba hæc ad ſolum primorum hominum coniugium pertinerent, in quo, ſcilicet, tãtummodo mulier ex viro ſumpta eſt.

2 Secundo poteſt illud quamobrem, referri ad mulierem, ita vt quaſi demõſtrando vxorem dicat, propter hãc mulierem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & hoc fit quotidie à viris, qui relinquunt cohabitare corporaliter, vel etiam ſpiritualiter cum parẽtibus propter vxores: quia maior eſt zelus in vxores, quam amor filiorum in parentes, non dico parentum in filios: Humor enim aſcendit de trunco ad ramos, ſed non redit, & ideo non dixit, quod propter hoc relinquent parentes filios.

Pererius, lib. 4. in Gen. & Mo. na de operib. ſex dierũ diſp.21.

Poſſet etiam huius loci explicatio deſumi ex verbis Domini Noſtri. Matthę.19. vbi hæc eadem verba commemorantur. Cum enim Dominus præmiſiſſet Deum ab initio feciſſe maſculum, & feminam, & quidem feminam Deus fecit ex maſculo, eoſque inter ſe coniunxit, & benedixit illis dicens. Creſcite, & multiplicamini, Ex his rectè infertur, propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, huius autem illationis, & concluſionis hæc eſt ſententia, & uis. Neceſſitudinem, & cõiunctionem mariti, & vxoris eſſe maximam ſatis declarauit Deus, cum primos homines fecit marem, & feminam, & feminam quidem ex mare, eoſque arctiſſimo vinculo inter ſe conſtrinxit, tũ ad intimam ſocietatem, tum ad prolis generationem, quamobrem, quia ſcilicet tam arctum amoris, & coniunctionis vinculũ voluit Deus, vt eſſet inter virum, & vxorem, relinquet homo patrem ſuum, & matrem, ſi opus fuerit, vt cum vxore, coniugali ſocietate, & amore viuat: nam huic tantæ coniunctioni, etiam neceſſitudo parentum merito poſt habenda eſt, & adhærebit vxori ſuę, non dixit vxoribus, quia vir vni tantum vxori copulari debet, qua ſuperſtite nefas eſt tranſire ad ſecundas nuptias. Quod autem neceſſitudo parentum ſit poſt habenda propter coniugalem neceſſitudinem Rupertus eo probat argumento, quod vt quis Deo ſeruiat votis ſe monaſticis obſtringens, poteſt nõ modo licitè, ſed etiam laudabiliter parentes vel inuitos deſerere, at vxorem conſentire ei nolentem nullo modo poteſt derelinquere: ſic autem ſcribit Rupertus. Hoc pro lege habetur, vt patrem, & matrem homini relinquere liceat poſcente cauſa idonea; vxorem autem nemini niſi volentem relinquere nec humana concedit lex, nec diuina niſi pro ſola fornicationis cauſa.

Rupertus Abb. lib. 3. de Tri. & operibus eius, c.38.

D. Aug. Hug. Caiet. Toſt.

D. Auguſt. & Hugo de S. Vict. in ſuis annot. ſuper Gen. & Caiet. ſup 19. cap. Matt. Toſt. etiam ſuper c.2. Gen. q.28. Interpretantur Deum illis verbis propter hoc relinquet homo, &c. interdixiſſe coniugia inter parentes, & filios, cum cetera coniugia non ſint ita vetita: nam in exordio mundi propter hominum paucitatem inter fratres, & ſorores licitè matrimonia contracta

eſſe

Digitized by Google

eſſe conſtat; cui explicationi ſuffragari putant ſcripturam Caldaicam, quæ ſic habet hoc loco, propter hoc relinquet homo lectum patris, & matris ſuę, quibus verbis deſignantur perſonę prohibitæ ad connubium, ſcilicet filius cum matre, vel filia cum patre, cum matre quidem nullo modo propter reuerentiam maternalem, coniugalis enim cõmixtio ęqualitatem dicit, & aliquo modo ſubiectionem vxoris ad virum, ideò in nullo caſu licebit viro contrahere cũ matre, quia eſt contra naturale ius, & omnem inclinationem bonam; nec etiam filia cum patre, ſed de hoc magis erit ſermo infra cum loquemur de filiabus Loth.

Quęſt. 1. *Toſt. ſup. c. 2. Gen. q. 28.* Quæritur primo. Quomodo dicitur quod Deus inſtituit matrimonium, ſi Adam verba hæc inſtitutionis protulerit?

Reſpõdetur, quod dicitur Deus inſtituiſſe, quia mouit intellectum, & voluntatem Adæ ad intelligendum, & dicendum iſta: quæ autem prophetæ dicunt, Deus dicitur illa dicere, vt patet 2. Pet. 1. Vel poteſt dici, quod Deus dixit hæc verba, prout Chriſtus videtur ſignificaſſe Matth. 19. Non legiſtis, quia qui fecit ab initio, maſculum, & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrẽ, & adhærebit vxori ſuę, & erunt duo in carne vna, & ita patet quod Deus hoc dixit, & ipſe inſtituit matrimonium, & non Adam; ſed quomodo igitur Moyſes introducit Adam dicentẽ, quamobrem relinquet homo &c. Dici poteſt, quod quædam pars horum verborum fuit dicta ab Adam, & quædam alia à Deo: illud enim primum, Hoc nunc os ex oſſibus meis &c. prolatũ fuit ab Adam, & non ſunt verba Dei, nec eſſe potuerunt: quia Deus carnem, & oſſa nõ habet: quia Deus ſpiritus eſt Ioã. 4. & ſpiritus non habet carnem, vt dixit Chriſtus Lucæ 24. atque adeò non poterat eſſe Eua de carne eius. Verba autem ſequẽtia ſunt Dei, ſcilicet propter hanc dimittet homo patrem &c. Quia

Matrimoniũ à Deo inſtitutũ fuit. vbi ſup.

iſta verba poterant conuenire Deo ad inſtitutionem matrimonij; & hoc videtur apparere ex verbis Chriſti Matth. 19. Vbi non ponitur iſta particula. Hoc nunc os ex oſſibus &c. Sed verba ſequẽtia, ſcilicet, propter hanc dimittet homo &c. & hoc ſtante dicendum eſt, quod licet videatur idem contextus continuus cum dicitur. Hoc nunc os, &c. tamen non eſt ita, ſed ibi, Quamobrem relinquet homo &c. ſunt verba Dei. Alio modo poteſt intelligi; qđ Deus hoc dixerit, atque etiam Adam, ſed Deus dixit illud prius deinde Adã, & hic non fit mentio, niſi quomodo illud dixit Adam, & Matth. 19. Non ponitur, niſi quomodo dixerit illud Deus, & quia alia verba cõueniunt Deo, alia Adæ, aliter ponũtur hic, aliter ibi, quia hic dicitur, hoc nũc os de oſſibus meis, &c. vſque in finem, & Matth. 19. Tolle principium, & dictum propter hanc, vel propter hoc relinquet homo, &c. & tunc eſſet ſic ordo inducendo, quod Adam viſa Eua diceret. Hęc nunc eſt caro de carne mea, & os de oſſibus meis, & vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt, quo dicto Deus adiecerit, quaſi dicendo Adæ ad quid eſſet mulier, & qualiter cum ea ſe haberet vir, propter hanc dimittet vir patrẽ, & matrẽ, &c. & Adam auditis verbis Dei, quaſi approbando retulerit eadem, atque ita dixit illa Adam, & dixit illam Deus, ſed quomodocumque dicatur, certum eſt quod Dei afflatu, & inſpiratione dicta ſunt, atque adeo dominus in Euangelio ea verba à Deo dicta eſſe commemorat.

Et erunt duo in carne vna.

NEc Hebraicè, nec Caldaicè eſt vox illa duo, & eſt in accuſatiuo nomen carnis, ad hunc ſcilicet modũ, erunt in carnem vnam, ſeptuaginta tamen addiderunt illud duo, & ita commemoratur à Dño noſtro Matth. 19. Quapropter bene illud duo addidit Latinus Interpres, illud porrò in carne *Pererius*

vna

vna dictum eſt phraſi Hebraica, pro eo quod eſt, erunt duo vna caro, vt patet ex cõcluſione Domini in prædicto Euangelij loco: nam cum dixiſſet, & erũt duo in carne vna, infert illud itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro, ſicut igitur ſupradictum eſt; Adã factũ eſſe in animã viuentem, pro eo, quod Adam factum eſt eſſe hominem viuentem, ita dictum eſt hoc loco, erunt duo in carne vna, vel in carnem vnam, pro eo, quod eſt, erunt duo vna caro. Quatuor autem de cauſis coniuges poſſunt intelligi eſſe vna caro.

Magiſt. diſt. cap. 19. Gen. Molina & Pererius vbi ſupra. Primo quidem propter quod inuicem coniungũtur ad agendum vnam vitam communem externam, carnalem, ſeu corporalem, cum inter illos ſit omnium rerum communitas.

Secundo propter copulam carnalẽ propter quã ſolam dixit Paulus. 1. Corinth. 6. Qui adhæret Meretrici vnũ corpus efficitur cum ea.

Tertio propter vnius carnis, ideſt prolis generationem: vna enim caro, ideſt vna carnalis proles ab vtriſque efficitur à femina quidem materialiter à viro autem efficienter.

Quarto, per vnam, & communẽ, ac mutuam vtriuſque coniugis poteſtatẽ corporis. Caro enim mulieris eſt etiam viri, & caro viri eſt etiam mulieris. Mulier enim vt dicit D. Paulus. 1. Cor. 7. Sui corporis poteſtatem nõ habet, ſed vir, ſimiliter autem, & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.

DE EXCELLENTIIS ſtatus innocentiæ.

Erat autem vterque nudus Adam, ſcilicet, & vxor eius, & non erubeſcebant.

1.

Chryſ. hom. 16. in Gen. Ecce quomodo ſuperiores erãt omnibus corporalibus neceſſitatibus, quomodo terram quaſi Cælum incoluerint, & cum eſſent in corpore, nihil corporale tulerint, neque tecto, neque veſte, neque alio tali opus habentes. Porrò Diuina ſcriptura non ſimpliciter, & abſque ratione hoc nobis ſignificauit, ſed vt cum didicerimus vitam illorum triſtitiæ, doloriſque expertem, & Angelicum quemdam ſtatum (vt ita dicam,) & poſtea viderimus illos omnibus illis deſtitui, & quaſi è magnis diuitijs in extremam inopiam redigi ipſorum peccato totum, quod fit, abſcribamus. At quoniam Moſes hac oratione ſignificat, fuiſſe illos homines animo ſimplici, & candido, atque innocenti, tales, ſcilicet, vt quamuis nudi eſſent, nullo tamen pudore afficerentur, atque breuibus verbis; qualis fuerit primæuus ille ſtatus hominis ante peccatum, tam ſecundum corpus, quã ſecundum animam opere pretium eſt poſt huius literæ explicationem, vt de ampliſſimis ſtatus innocentiæ bonis, & excellentia accurate diſputemus, & primo de excellentijs illius ſtatus quo ad animam deinde de prærogatiuis eius quo ad corpus in ſequenti capitulo.

Quò ad literæ explicationem obſeruandum eſt primo, quod eſſe nudum ſignificat non habere veſtes, atq; adeo tam in ſacra Scriptura, quam in modo noſtro loquẽdi dicitur aliquis duobus modis nudus. Priori modo, quia nullas habet veſtes, alio modo; quia non habet ſufficiẽtes ad tegendum corpus. *Toſt. vbi ſupra q. 412. Nudum quid ſignificet.*

Primo modo dicitur, qd homo: naſcitur nudus: quia tunc nullum operimentũ habet, natura enim veſtes non dat, ſed ſubſtantiam. *Nudus dicitur aliquis dupliciter.*

Secundo modo dicitur Iſaiæ cum videris nudum operi eum, &c. Nõ enim vocatur ibi nudus, qui nullo operimento tegitur; qui talis inter homines pp verecundiam non incederet, ſed quia non habet veſtes ſufficientes, aut quæ totum corpus tegant, & ita accipitur Iac. 2. Si ſint ſoror, & frater nudi, ideſt non habentes ſufficientia tegumenta. Ad propoſitum Adam, & Eua erant nudi: quia nulla omnino veſtimẽta habebant, neque tegumentorum partes: quia Deus eis ſola naturalia dederat, veſtimenta autem vltra naturam ſunt.

Secun-

Digitized by Google

Toſt. vbi ſupra q. 535.

Nuditas dupliciter accipitur.

Secundo obſeruãdum eſt, quod nuditas dupliciter accipitur: vno modo, vt dicit puram negationẽ, alio modo, vt dicit priuationem.

Primo modo nudus vocatur omnis, qui veſtes non habet, & hoc eſt large dictum, quia ſic etiam lapides vocabimus nudos, & arbores, quia nullas veſtes habent, & etiam cælum vocabitur nudum; quia nõ veſtitum, ſed hęc nullus dicit.

Secundo modo accipitur, vt priuatio, & propriè, & tunc dicitur nuditas carentia veſtis, ſcilicet, non habere veſtes, & indigere eis; atque ita propriè dicuntur homines nudi, qui veſtes non habent, quia omnes homines indigent veſtibus, qui ergo non habuerit eas, nudus eſt, & propter hoc lapides, nemo vocat nudos, quia licet veſtes non habeant, veſtibus tamen non egent, & ita de alijs, in quibus non eſt vſus, neque indigentia veſtium.

Accipiendo primo modo, dicimus quod homines ante peccatũ nudi erãt, quia nullas veſtes habebant.

H'ies ante peccatum q̃uo erant nudi.

Accipiendo tamen ſecundo mõ nõ erant nudi; quia licet veſtes non haberent, non egebant eis, immo non erant eis vtiles ad aliqd, & ob hoc ſequitur, Quod abſolutè, & propriè loquẽdo primi parentes non erant nudi, quia nuditas verè, & propriè dicta, accipitur vt priuatio, & tamen in eis nulla priuatio erat, quia non erat indigentia veſtium, ergo non erant nudi niſi large, quis nudos vocet, ſed

Queſt. 1.

Toſt. vbi ſupra q. 537.

Adã & Eua q̃uo erãt nudi ante peccatũ.

Quæritur primo. Quare Moſes vocauit nudos Adam, & Euã ante peccatum, cum non eſſent verè nudi?

Dicendum quod nuditas accipitur dupliciter propriè, & impropriè, vt diximus ſupra, & vtrumque motiuum tenuit ſcriptura, aliquãdo accipitur nuditas largè, & impropriè pro non habente veſtes vt hic, aliquando ſumitur propriè & ſtrictè pro priuatione vt infra 3. c. Cumque vidiſſent ſe nudos, id eſt, non habentes veſtes, & veſtibus indigentes; Cum ergo quæritur cur Moſes appellauit eos nudos, cum nõn eſſent verè nudi.

Dicendũ eſt primo, quia voluit Moſes, & veritatem tenere, & ſequi modũ loquendi: quia ſcriptura data eſt propter nos, atque adeo noſtris loquendi modis ſe conformat, quia aliter nobis eſſet non vtilis, pro quanto ergo voluit tenere veritatem, dixit nuditatem fuiſſe poſt peccatum, at pro quanto ſequitur noſtrum loquendi modum quo nõ habentes veſtes nudos appellamus, dixit, erãt vterque nudus Adam, & Eua.

Secundo fuit ad obſeruandum differentiam ſtatus illius ab iſto, nã tunc erant homines nõ habentes veſtes, atque ita mãſuri eſſent, ſi non peccaſſẽt; nunc verò veſtes acceperunt, quia veſtibus indigent.

Tertio fuit ad oſtendendum excellentiam illius ſtatus ſuper iſtum; erat namque tam beatus ille ſtatus qd homines tunc veſtibus non indigebant; & non habentes eas non erubeſcebãt, nunc vero illis indigent, & cum eas nõ habuerint, erubeſcunt, ſed hæc ſignificari non poſſent niſi diceretur; quod Adam, & Eua erant tunc nudi.

Queſt. 2. Pererius lib. 4. in Gen.

Quæritur ſecundo, Cur primi parentes in ſtatu innocentiæ non habebant veſtes.

Homines quare poſt peccatũ habuerint veſtes.

Dicẽdum quod poſt peccatũ neceſſe fuit homines habere veſtes ob multas cauſas, quarum prima fuit ad tegẽdum, ſcilicet, & tuẽdum corpus aduerſus Cæli, & aeris iniurias.

Secũda fuit honeſtatis, & verecundiæ cauſa ad velandum, ſcilicet, obſcenitatem quandam membrorum.

Tertia fuit ad vitium aliquod, & deformitatem corporis occultandam.

Quarta fuit ad ornatum, & pulchritudinem, quin etiam (proh nephas) ad laſciuiam, & libidinem irritandam.

Quinta fuit ad diſcernendos varios dignitatis, & poteſtatis hominum gradus; Hæc autem in ſtatu innocentiæ locum non habuiſſent, atque ideo nullus fuit tunc vſus veſtium.

Quæritur tertio. An Adam antequã forma- *Queſt. 3.*

Digitized by Google

Toſt. vbi ſup. 413. formata eſſet Eua, fuerit nudus cũ hic dicatur, erant autem vterque nudus.

Dicendum quod nõ ſolum Adam, & Eua erant nudi, quando ambo erãt, ſed etiam Adam, quãdo ſolus erat, nudus fuit, ſi enim veſtitus fuiſſet, quãdo ſolus erat; non fuiſſet nudatus poſtquã cum conſortio erat, quod autem Adã aliquando fuerit ſolus, patet, cum ſcriptura dicat, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, & fuit poſtea de eo formata mulier, & tamen quando fuit cum muliere erat nudus, ergo & prius erat nudus.

Adã antecq̃ fuiſſet formata Eua nudus fuit.

Queſt. 4. *Toſt. vbi ſup. 413.* Quæritur quarto. Cum Adam fuerit nudus, quando erat ſolus, cur ſcriptura ſolum facit mentionem de eius nuditate quando ipſe, & mulier ſimul erant.

Dicendum quoniã ſcriptura deſcribit eorum nuditatem tanquam quoddam arduum, atque mirabile, nempe quod nudi eſſent, & non erubeſcebãt, nam cum erant ambo ſimul poterant de alteterutro erubeſcere, quod nõ contingebat quando Adam erat ſolus, atque adeo ſcriptura Sacra expreſſit, qđ erat vterque nudus, & nõ erubeſcebat, & ſi dicatur, quod quando Adam erat, & non Eua, Adam non erat ſolus, quia erat Deus ſępe cum illo, qui loquebatur, ſicut quando adduxit animalia ad ipſum, & quando tranſtulit eum in Paradiſum, & quando dedit ei mandatũ de non commedendo de ligno ſciẽtiæ boni & mali, & ideo Adã poterat erubeſcere, atq; adeo poterat fieri mẽtio, tunc, quod Adam erat nudus, & non erubeſcebat, poſſet dici, quod non dicitur de Adam quod erubeſcebat tũc, quia de Deo non erubeſcimus, licet ſciamus illum præſentem eſſe vbicunque ſimus, ſiue nudi, ſiue veſtiti, ſecus de hominibus, quorum conſpectum erubeſcimus; ſed hoc non videtur ſtare, quia non ſolum hominem erubeſcimus, ſed etiam Deum, ſi enim manſerit Deus inuiſibilis ſicut in natura ſua eſt, & apud nos ſe habet, nõ erubeſcemus eum, quia ſenſu non apprehendimus eum, atque apud ſenſum eſt, ac ſi Deus non eſſet, & quia erubeſcere eſt paſſio quædam in parte ſenſitiua, non poſſumus erubeſcere de eo, quod non ſentimus, & quia Deum non videmus, ac ſi non videamur ab illo, & ita de illo nunquã erubeſcimus. Secus ſi Deus appareat, vel aliquid loco eius in figura humana, quia tunc erubeſcimus cõſpectum eius, velut hominis, vel timebimus, ita grauiter, quod timor excludat verecundiam, & faciat non ſentiri. Deinde Adam erubuit conſpectũ Dei, cum audiuit vocem Dei, deambulãtis ad Auram poſt meridiem, abſcondit ſe vterque, ideſt, Adam & Eua, & vocatus Adam vbi eſſet, dixit quod ſe abſconderat, quia nudus erat, infra cap. 3. ergo erubeſcebat Adam Deum videre, aut à Deo videri nudus exiſtens.

Nuditas primorũ parẽtum deſcribitur velut quoddã arduum, atque mirabile.

Adã exiſtens nudus quare loquẽs cum Deo non erubeſcebat.

Dicendum eſt ergo, quod ſcriptura dixit, quod Adam, & Eua, nudi erant, & non erubeſcebant, & non dixit de Adam ante formationem Euæ; tum quia voluit ponere rem magnam, ſcilicet nõ erubeſcere de nuditate, ideo poſuit in eo, quod maius erat; maius autem erat, quod vir, & vxor non erubeſcerent nudi, quam quod vir ante formationem mulieris nõ erubeſceret de nuditate, nam ſi de Deo homo nudus erubeſceret, maiorem cauſam ruboris habebat poſt formationem mulieris, quia erubeſceret vnus de altero, & vterque de Deo; Cũ autem ſolus Adã eſſet, erubeſceret de ſolo Deo, debuit dicere, quod non erubeſcebant Adam, & Eua, nudi exiſtentes: quia hoc maius eſt; tum quia an de Deo homo nudus erubeſcat, non eſt notum hominibus; quia nos Deum non videmus, vt hoc experiamur, ſed certum eſt, quod quilibet nudus exiſtens, erubeſcit, conſpectũ alterius hominis, vt igitur pro magno haberetur illud; voluit ſcriptura dicere de eo, quod certum erat; tum quia Adã, & Eua erant ſemper ſimul, vt vir & vxor, Deus autem non erat ſemper cum eis poſt formationem mulieris, vt cum Adam ante formationẽ

feminæ,ideo minus erubeſcendũ erat, etiamſi de Deo erubeſcerent quam vir de muliere, vel econtra; tum demum, quia poterat dici,quod fortè Deus non apparebat Adæ in corporali figura, quando non erat formata mulier, ſed per intellectualem impreſſionem, aut per ſomnium, cum ei præceptum dabat, aut aliquid oſtendebat, ſicut in Prophetis, & in talibus nemo poteſt erubeſcere nudus exiſtens, cum nõ ſit ibi aliquis conſpectus, ſecus inter virũ & mulierem,quia vterque conſpicit alterius nuditatem; Cum autẽ poſt peccatum apparuit Deus, & abſcondit ſe Adam; ſecus erat:quia ibi facta eſt apparitio ſenſibilis, nam primum audita eſt vox,deinde apparuit Deus,ideo poterant erubeſcere Adam,& Eua.

Queſt. 5. *Toſt. vbi ſup. q. 414* *Adã & Eua nudi quare non erubeſcebãt.*

Quæritur quinto. Cum Adam, & Eua nudi eſſent, quare non erubeſcebant,Aliqui dicunt,qđ iſtud fuit, quia habebant velamẽtum capillorum operientium totum corpus; Ideo non habebant,vnde erubeſcerent, ſed hoc eſt falſum, quia contra naturam,& cõtra ſcripturam: nam humanæ naturæ cõuenit ſecundum ſpeciem non eſſe animalia piloſa, niſi principaliter in capite,vt dicit Ariſt.2.de animalibus.Accidit enim ex ſpeciei conditione quædã animalia piloſa,& quędam nõ,& quędam multum piloſa alia vero parum, At Deus in naturę inſtitutione nõ turbaret eam ab eo,quod ſemper eſt, atq; adeo non fecerat homines ita piloſos, quod poſſent operire tota eorum corpora pilis, aut capillis, ita vt non erubeſcerent; Quo dicerentur nudi qui operti eſſent tam ſufficienter ſicut veſtibus,& tamen ſcriptura vocat eos nudos. Deinde quando Adam, & Eua peccauerunt, erubuerunt de nuditate ſua, & fecerunt ſibi Perizomata,ideſt, ſuccintoria, quæ operirent partes genitales, & tamen ſi habuiſſent talem capillaturam, non erubuiſſent, neque opus eſſet fieri ſuccintoria, quia capillatura omnia operiret.

Alij dicunt quod hoc prouenìebat: quia Adã, & Eua erant tunc ſicut paruuli,qui propter neſcire cauſam nimitam de nulla re confunduntur, atque ita nuditatem ſuam non erubeſcunt. Ita dicit Ioſephus lib.1.Antiquitatum *Ioſeph.* vbi ſcribit qđ guſtatio illius ligni acuebat ingenium, & accelerabat vſum rationis,& ita Adam,& Eua prius non ſciebant ſe eſſe nudos pro ignorantia rerum, poſtmodum vero poſt guſtum illius ligni cõfortati in intellectu agnouerunt ſuam nuditatem, ſed hoc etiã eſt falſum; tum quia illud lignum non *Nicol. de Ly. in Geneſ. c. 2.* habebat talem vim, vt ſciẽtiam daret, vt diximus ſupra; tum quia falſum eſt, quod Adam, & Eua eſſent prius, vt paruuli nõn intelligentes; quia Deus creauit eos quo ad animam, & quo ad corpus cum omnium rerum ſcientia, vt diximus ſupra.

Pererius vbi ſup. Dicendum eſt ergo quod multis de cauſis poteſt euenire,vt quis de corporis nuditate non erubeſcat, vel quia quis non ſit rationis compos, vt pueri, & amentes, vel quia nimius aliquis timor occupat, & obruit pudorem, vt ſi *Cauſa multiplex, vt de nuditate quis nõ erubeſcat.* quis ſentiens ruinam, vel incendium nudus è lecto proſiliat in publicum, vel ob antiquiſſimam regionis conſuetudinem, vt in Braſilia, & alibi nudo ſunt corpore; mos etiam lauãdi ſimul in balneis nuditatis pudorem auffert; vel quia corpus amictu glorię veſtitũ, atque ornatum eſt: corpora enim beatorum poſt reſurrectionẽ nuda erunt; ſed quia tunc fulgebunt iuſti, ſicut ſol ea nuditas magno illis decori & gloriæ erit. Poſtremo in ſtatu innocentię nuditas corporis minimè pudẽda fuiſſet. Vnde inquit D.Auguſt.lib.17.de *Auguſt.* Gen.ad lit.cap.1. Nudi erant primi homines,& non confundebantur,nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur, nihil putabant velandum, quia nihil ſenſerant refrenandũ. Quid enim puderet eos, quando nullam legem ſenſerant in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, *Toſt. vbi ſup. q. 416* atque adeo non eſt petenda cauſa, quare non erubeſcerent, immo eſſet petenda quare erube-

erubeſcerent, aut quõ cum hoc potius eſſet contra rationem: nam erubeſcere eſt paſſio, & non ſine pęna magna, vt in Adam, & Eua nõ debuit eſſe pęna ante peccatum. Præterea erubeſcere eſt de aliquo turpi, vel quod pro turpi habetur; ſed ante peccatum nihil erat turpe, quia non erat tunc aliqd niſi naturale, & quod fecerat Deus, nihil autem à Deo factum eſt turpe, & immundum. Deinde nuditas non erat aliqd in ſe malum, quia nõ erat priuatio, ſed negatio, atque adeo erubeſcere, & nuditas non veniunt ex natura, ſed in pęnam pro peccato, antequam homo peccaret non erat aliquid de quo erubeſceret, ideo non habebat aliquid quod tegeret, ſed poſtquam peccauit, dedit ei Deus in pęnam, quod de aliquo erubeſceret, & cũ erubuit, cognouit ſe eſſe nudũ, adeo quod iſta ſe conſequuntur, ſcilicet erubeſcere, & nudũ eſſe, & eſt prius erubeſcere: nam qui de nullo erubeſcit, non habet quid tegat, atque ita, nec veſtibus indiget, qd eſt nudum eſſe, qui autem erubeſcit, opus habet, vt tegat id, de quo erubeſcit, etſi veſtes non habet, quibus tegat, malum habet, & hoc eſt eſſe malum. Iſtud ſignificauit Deus, cum infra c. 3. dixit Adæ. Quis dixit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod de ligno, de quo præceperam tibi, ne commederes, comediſti, & ita innuit, quod nuditas nihil erat ſecundũ naturam, neque erat aliquid quod præceſſerit in homine, ſed fuit pęna ſecuta ad peccatum, ſcilicet, quia homo: comedit de eo, quod vetitum erat, ſecuta fuit in eo nuditas, id eſt veſtium indigentia ad operiendum id, quod turpe videri factum eſt, ex pęna à Deo inflicta, & ita dicendum qd Adam, & Eua nudi erant, & non erubeſceb nt. quia conditio naturæ erat, vt non erubeſcerent, cum nihil erubeſcendum haberent, vt dixit D. Aug.

Nudum eſſe, ſicut erubeſcere eſt peccati pœna.

Nudum eſſe, & erubeſcere ſe cõſequuntur.

Q ſt. 6. Toſt. vbi ſup. q. 417.

Quæritur ſexto. Quare ſcriptura expreſſit, quod erant Adam, & Eua nudi, & non erubeſcebant.

Dicẽdum quod prima cauſa fuit ad ſignificandum felicem cõditionem illius ſtatus ante peccatũ, ſcilicet, quod homines non habebant veſtes, neque tamen illis indigebant: quia potiſſimũ eſt pro quo veſtes habemus, vt pudenda noſtri corporis tegamus, & tamen tunc non erat pudẽdum aliquod, ideo neque veſtes.

Triplex eſt cauſa quare Moſes expreſſit ꝙ Adã, & Eua nudi exiſtentes nõ erubeſcebant.

Secunda, vt innuatur. Quæ mala pro peccato acciderint: nam inter cetera aduenit erubeſcere, quod eſt pęna grauis, & accidit indigentia veſtiũ, in quo eſt magna miſeria, quia bona pars miſeriæ occupationis noſtræ eſt, veſtes quærere; ante peccatum vero nõ eſſet hæc occupatio quærẽdarũ veſtiũ.

Tertia, & potiſſima cauſa eſt, vt reddat rationem eorum, quæ poſt ſcriptura dicet: nam apud ſapienter ſcribentes, talis debet eſſe eorum, quæ narrãt contextus, vt vnius cauſa aperiatur ex altero, & nihil extra petatur, quod cauſa ſit eorum, quæ ſcribuntur. Cum ergo eſſet Moſes relaturus, quod Eua, & Adam de ligno vetito comederint, cũque cognouiſſent ſe eſſe nudos, cõſuerint folia ficus, & fecerint ſibi perizomata, aliquis dicere potuiſſet, qũo nudos ſe cognouerunt; quia poſſet quis exiſtimare, quod eſſent veſtiti iuxta noſtram cõſuetudinem, atque adeò proponitur ante peccatũ, quod nudi erãt. Item poſſet quis dubitare ſi ante peccatum nudi erant, quid opus erant qđ poſtea ſe operirent, & ideo redditur ratio; quia prius non erubeſcebant, ac ſi diceret prius erant nudi, & de nuditate non erubeſcebant, atque adeo operimenta non quærebãt poſt peccatum autẽ cępit erubeſcentia nuditatis, ideo quæſierunt tegumenta, & ita conſuerunt ſibi folia Ficus facientes perizomata.

Quo ad ſtatus innocentiæ, prorogatiuas, atque excellentias, quo ad animã ipſius Adæ, duo ſunt à nobis examinãda, vnum eſt de gratia gratum faciente, alterum autem de iuſtitia originali, & de gratia gratum faciente

De

Digitized by Google

De gratia quam habuit Adam in ſtatu innocentia.

Queſt. 1. Adã ante lapſum fuit in gratia.

QVæritur primo, Vtrum Adam ſit creatus in gratia, pro ſolutione obſeruandum eſt quod apud Theologos extra controuerſiã eſt, Adam habuiſſe gratiam ante ſuum lapſum. Teſtimonia patrum ad id probandũ commemorat Magiſter lib. 2. diſt. 29. & Gratianus de pęnit. diſt. 2. c. Tolle charitatem, & eſt communis ſententia omnium Theologorum, cui contraire eſſet error in fide, probatur ex Concil. Trid. ſeſſ. 5. can. 1. vbi dicitur: Si quis non cõfitetur primum hominẽ Adam cum mandatum Dei fuiſſet tranſgreſſus in Paradiſo, & ſanctitatem, & iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat amiſiſſe, anathema ſit, & can. 2. Si quis Adæ præuaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem, & iuſtitiam quã perdidit ſibi ſoli, & non nobis amiſiſſe, anathema ſit, & poſt ſeſſ. 6. c. 7. dicitur, Itaque veram, & Chriſtianam iuſtitiã accipientes eam, ſeu primam ſtolam pro ea, quam Adam ſua inobedientia ſibi, & nobis perdidit; quibus in locis aperte definitur quod primus homo ante peccatum habuit dona ſupernaturalia iuſtitiæ, & ſanctitatis. Ex his intelligi poteſt auctorem quæſt. noui, & veteris teſtamenti, non ſolum non eſſe ſanctum Auguſtinum, vt in titulo eius libri ſcribitur, ſed neque eſſe hominem catholicum. Nam is Auctor in q. 129. diſertis verbis refellit eos, qui dicunt Adamum accepiſſe Spiritum ſanctũ, & Filium Dei fuiſſe per adoptionem, & eam adoptionem per Adami inobedientiam perditam nos per Chriſti obedientiam, ac merita recuperare, neque in hac re ſolum auctor ille errauiſſe conuincitur, ſed in alijs etiam plurimis; ſi quidem q. 2. ſcribit mundum à Deo conditum ob Diaboli præſumptionem q. 21. ſcribit mulierem non eſſe conditam ad imaginem Dei q. 45. ſcribit Iephtę nullum habere iuſtitiæ teſtimonium, cum tamen habeat tam pręclarum apud Apoſtolũ ad Hebręos capitulo 12. & quæſtio. 109. ſcribit Melchiſedech eſſe Spiritum ſanctum, & ſacerdotem, non tamen ſummum. Sequitur ſecundo caute legendum eſſe Thomam ab Arg. in 2. diſt. 29. art. 3. concl. 2. vbi ſcribit quod primus homo antequam peccauit, non habuit gratiã gratum facientem. Hoc igitur cum omnium cõſenſu pro certo haberi debeat, pro certo etiam ſupponimus.

Concil. Trid.

Errata Auctoris q. noui, & veteris Teſtamẽtis.

Tho. ab Argent. Marſ. in 2. q. 16. art. 6. & Palud. in 4. diſt. 27. q. 4. concl. 2.

Illud autẽ inter Theologos eſt controuerſum, Vtrũ Adam ab eius exordio fuerit in gratia cõditus, vel poſtea eam habuerit, & certè Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis parte 6. Magiſter Sent. in 2. diſtinct. 20. Alexan. de Ales 2. par. q. 91. m. 1. D. Bonau. in 2. diſt. 29. art. 2. q. 2. Ric. eadem diſtinct. artic. 1. q. 1. Io. nnes de Baſſolis, Franc. Maironus, & Gulielmus Rubion in 2. diſt. 4. q. 29. & Ægidius eadem diſt. par. 1. q. 2. docent Adamum ſicut, & Angelos non fuiſſe in gratia conditũ, ſed Albertus Mag. in 2. diſt. 24. artic. 1. D. Thom. prima par. q. 95. art. 1. Durandus in 2. diſt. 4. & 29. & omnes Thomiſtę tenent, primum hominem cum gratia fuiſſe conditum. Doct. ſubr. in 2. diſt. 4. q. 1. Maior. eadem diſt. & Gabriel dicunt, vtramque partẽ eſſe probabilem. Gulielmus tamen Vorilion in 2. diſt. 4. q. 7. concl. 1. par. 2. dicit ſe tenere Angelos eſſe creatos cum gratia; tum auctoritate Sanctorum, tum Doctoris Sub. auctoritate, & certè ſi recte, & diligenter conſiderentur, quæ ſcribit Doct. Sub. in illa diſt. 4. 2. Sen. non obſcure videbit quis eum magis ad eam partem inclinare, & illi opinioni adhærere, quę tenet Ang. fuiſſe cum gratia conditos, & quod de Angelis dicit, de homine affirmaſſet.

Hugo de S. Vict. Magiſt. Sent. Alex. de Ales. D. Bona. Ricar. Aegid. Baſſolis. Mair. Rubion. Tho. ab Argent. Albertus Mag. D. Tho. Durand. Sco. in 2. diſtinc. 4. Maior ead. diſt. Gabr. in 2. diſt. 4. & 29. Gulielm. Vorilion.

Dicendum eſt ergo quod homo in eo inſtanti, quo creatus fuit, accepit à Deo gratiam gratum facientem, quod poteſt confirmari auctoritate Anacleti Papæ qui Epiſtola ſua prima Decreta-

Adam fuit creatus in gratia.

li,

Chryſoſt. hom. 15. in Gen. hæc interpretatio eſt D. Chryſ. ho. 15. in Gen. Cuius hæc ſunt verba. Alius quidam interpres pro nunc vertit ſemel, manifeſtando quod ſemel tantū hoc factum eſt, neq; vltra erit talis formatio mulieris. Nunc (inquit) facta eſt ex viro mulier, poſt hac nō ſic erit, ſed ex muliere vir, immò non ex muliere, ſed ex vtriuſque cooperatione, ſicut *1.Cor.17* etiam Paulus inquit. Non eſt enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro, & non conditus eſt propter mulierem, ſed mulier propter virum: At iſthæc ipſa, (dicet aliquis,) oſtendunt nobis, quæ ſunt dicta, quod mulier ex viro facta ſit. Verum expecta, & vide doctrinam quam ſubijcit; dicit .n. Veruntamen neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro: quo docet nos, quod poſtea vtriuſque congreſſu, vtrorumque, & viri, & mulieris conſtitutio erit. Hactenus Chryſoſt.

Quæſt.2. *Toſt. vbi ſup. q.398*

Ada cur dixit: hoc nunc os, ex oſſibus meis, & caro de carne mea.

Quæretur ſecundò, quare adducta muliere dixit Adam. Hoc nunc os &c.

Dicendum, quod fuit primo ad ſignificandum ſe ſcire, vnde illa fœmina eſſet: nam formauerat eam Deus de coſta viri dormientis, atque adeo Adam non viderat eam formari, vt ergo ſignificetur, quod Adam ſciebat, quomodo formata fuerit, ſcribitur, quod ille dixit, Hoc nunc os &c.

Secundo fuit ad oſtendēdum, quod ſibi placebat eius cōſortium: nam cum præſentatis omnibus animantibus non inueniſſet inter ea conſortium, præſentata ſibi fuit Eua, quæ valde ei placuit, atque adeo dixit. Propter hanc dimittet homo patrem, & matrem ſuā &c. quia ergo cetera animalia reſpexerat, & mulierem elegerat, conueniens erat, vt cauſam oſtenderet; ideo dixit Hoc nunc os &c. quaſi diceret. Ego potius iſtam accepto feminam, quā ceteras, quia ceteræ erant alienæ à me ſecundum naturam, hæc autem eſt mihi proxima, quia eſt caro de carne mea, & os de oſſibus meis, & non poteſt eſſe maior propinquitas ad me.

Quæſt.3. Quæritur tertio, quare dicitur caro de carne mea, & os de oſſibus meis? *Toſt. vbi ſupra q. 399.* Dici poteſt primo quod hoc fuit ad ſignificandam maximam propinquitatem; non enim poterat eſſe maior propinquitas, quam in carne, & in oſſe, cum iſta duo ſint, ex quibus corpus conſtituitur, & ad ſignificandam identitatem viri ad feminam in corpore, dixit, quod erat de oſſibus ſuis, & de carne ſua.

Eua quare dicitur os de oſſibus, & caro de carne Adæ.

Secundo poteſt dici, quod in hoc ſignatur vnitas in ſpecie, inquantum dicitur de carne, & oſſe: quia animalia diuerſarum ſpecierum, etſi habeant carnem, & oſſa, non habent tamen eandem carnem, & eadem oſſa; quia ſicut animal differt ſpecie ab animali, ita caro à carne, & os ab oſſe: quia ſicut tota ab inuicem differunt, ita, & partes, vt docet Ariſtot. lib.1. de animal. cap.1. atque ita eſt ſenſus, quia cetera animalia non erant de carne mea, neque de oſſe, i. non erant in eadem natura, in qua ego eram, non acceperam aliquod de illis; Iſta autem femina eſt de ſpecie, in qua ego ſum; quia habet carnem, & oſſa eiuſdem naturæ cum meis, quia eſt os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.

Tertio poteſt dici, quod hoc fuit ad ſignandam veritatem, ſcilicet, quod Deus formauerat mulierem de latere viri auferēdo inde coſtam, atque adeo erat verum, quod erat caro de carne eius, & os de oſſibus eius, atq; iſte fuit ſenſus, quem verbis illis intendebat facere Adam: tum quia ſemper Scriptura debet accipi iuxta rigorem verborū, niſi expreſsè apparet ſequi inde inconueniens: & tamen hic rigor verborum ſignat, quod erat Eua de oſſibus Adę, & de carne Adæ; quod vtique verum eſt, atque ita accipi debet. Tum quia ſi intenderet Adam ſignare proximitatē naturæ, & nihil aliud, vel vnitatem tantum ſpeciei, vocaret Euam carnem ſuā dicens. Hoc caro mea eſt: ſic enim fratres Ioſeph ad ſignandum, quod ille erat eorum frater, & valde propinquus, dixerunt, caro, & frater noſter eſt infra cap.37.

Digitized by Google

cap.37.& non dixerunt de carne. Sed Adam dixit caro de carne; ideo voluit aliquid vltra ſignificare, ſcilicet, non ſolum proximitatem, ſed etiam originẽ, hoc eſt, quod Eua formata fuerat de Adam, & hoc ſignat illa præpoſitio, ſcilicet, de oſſibus meis, & de carne mea. Tum quia Adam in verbis iſtis id potiſſimum deſignauit, quod Deus fecerat, dicens, ſcilicet, Hoc nunc os ex oſſibus meis &c. In quo ſignauit primo quod non ſolum fuit illa de carne Adæ, vel ſolum de oſſibus Adæ, ſed de vtroque, & verum fuit: quia tulit Deus vnam de coſtis Adæ, & illa non fuit nudata carne, ſed cum carne ei adhęrente, atque ita fuit vtrumque, ſcilicet os, & caro.

Secundo, quia dixit, os de oſſibus, & non dixit pluraliter, oſſa de oſſibus; quia ita fuit in veritate, ſcilicet, quod vnum de oſſibus Adæ ablatum eſt, ſcilicet coſta, Adam autem multa oſſa habebat, & illud vnum os ſuffecit ad formationem mulieris: ita vt non oporteret ſumi plura.

Tertio, quia prius ponitur os, quam caro, cũ dicatur, hoc nunc os de oſſib. &c. & ratio eſt, quia os per ſe intendebatur, & ſic ſcriptura nominat, quod vnam de coſtis Adę tulit Deus, caro autem quaſi per conſequentiam tractata eſt, quia coſtæ adhærebat, & ideo verè voluit Adam in hoc ſignare Euam ſumptam eſſe de latere ſuo, & non aliquid aliud. Illud autẽ ex oſſibus meis pluraliter dictum eſt pro ex oſſe meo; non enim Adę niſi os vnum eſt ablatum, ſed abuſus numeri pluralis pro ſingulari, & viciſſim ſingularis pro plurali frequens eſt in ſcriptura; Vel eſt ſenſus, ex oſſibus meis, i. ex vno oſſium meorum.

DE IMPOSITIONE nominis Euæ.

Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt.

CIrca hæc verba obſeruandum eſt, conſonantiam, & conuenientiam huius denominationis mulieris ex viro, cum re ipſa, quæ geſta eſt: quia mulier, ſcilicet, de viro ſumpta eſt, verum hoc ſolum in lingua Hebræa manifeſte apparet; In qua vir dicitur Is, mulier vero vnius ſolum adiectione litteræ appellatur Iſſa; vt ſicut mulier ſumpta eſt ex viro, ita nomen mulieris ex viri nomine ductum eſt, velut ſi latinè mulier diceretur vira, quod ex viro sũpta ſit. Nec bene Pagninus in ſua tráſlatione poſuit viriſſam: nam ſi nomen fingere licebat, ſatius erat ponere vita, quam viriſſa, vt optimè fecit Lyranus. Theodotion aliam Ethimologiam ſuſpicatus eſt dicens: hæc vocabitur aſſumptio, quia ex viro ſumpta eſt, poteſt enim vox Iſſa, ſecundum varietatem accentus etiam ſignificare Aſſumptionem: ſed circa hoc.

Hiero. in lib. de traditionib. Hebraicis ĩ Gen.

Mulier ĩ Hebræo appellatur Iſſa, et vir Is.

Nicol. de Lyra ſuper ca. 2. Gen.

Quæritur primo, quare Adam hoc nomine Euam appellauit? Dicẽdum, quod fuit primo ad imponendum nomen feminæ: dabatur enim illa Adę à Deo ideo voluit ipſe imponere nomen ei.

Queſt. 1. *Toſt. vbi ſup. q. 406*

Secundo ad oſtendendum, quod homo præſidebat illi non tanquam ſeruę, aut ancillę, ſed tanquam ei, quę per virum gubernari deberet, atque adeo vir tanquam mulieris caput debuit ei nomen imponere.

Eua cur dicta ſit virago.

Tertio dixit hoc ad magis oſtendendum propoſitum, Adam namque adducta muliere voluit oſtendere ſe ſcire, vnde illa erat, & dixit. Hoc nunc os ex oſſibus meis &c. & vt hoc magis oſtenderet, adduxit, & vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt; quod idem erat cum pręcedenti, ſcilicet, eſſe carnẽ de carne eius, vel poterat in hoc magis notificari: quia cum dicitur, Hoc nunc os ex oſſibus meis &c. Licet ſignificetur, quod erat ipſa formata de Adam poterat aliquis intelligere ſolã ſimilitudinem ſpeciei, vbi eſt caro eadem, & eadem oſſa ſecũdum ſpeciem: cum autem dicitur quod de viro ſumpta eſt, non poteſt dubitari, quin caro Euę ſit ſumpta de carne Adę, quia hoc

eſt

eſt ſumi de viro, ſolus autem Adam erat tunc vir.

Nicol. de Lyra vbi ſupra.

Obſeruandum eſt tamen, quod hæc locutio eſt impropria, quia Virago latinè non ſignificat mulierem de viro ſumptam, & deriuatam, ſed magis mulierem fortem, prudentem, magnanimam, virilique animo, & virtute præditam, atque adeo magis propriè diceretur Vira, ſi ſermo latinus pateretur.

Virago quid propriè ſignificet.

Queſt. 2. Toſt. vbi ſupra q. 407.

Quæritur ſecundo, an hoc nomen Virago ſit nomen proprium illius mulieris, vel commune? Dicendum, quod ſi accipiatur Virago iuxta ſignificationem Latini ſermonis, eſt nomen commune ſignificans omnes feminas robuſtas: quia in robore viros agant, id eſt, imitentur eos, vel oſtendant, atque ita non eſt nomē ſpeciei, neque ſexus, ſed eſt nomen qualitatis in ſexu muliebri: ſi autem accipiatur iuxta intentionem Adæ imponentis nomen, eſt nomen ſexus, & conuenit omnibus mulieribus: nihil .n. ſignificat Virago hoc modo, niſi mulierem, i. viri feminā, vel feminā ſumptam de viro. Et confirmatur, quia mulier Hebraica lingua appellatur Iſſa, & tamen loco huius ponitur in noſtra lectione Virago, ergo Virago ſignificat mulierem, atque ita eſt nomen ſexus, ergo Virago ſignificat mulierem, & eſt nomen commune conueniens omnibus; Magiſter hiſtor. dicit, quod hoc nomen fuit proprium primæ mulieris nunc autem eſt omnium commune, c. 18. in Gen.

Virago non eſt nomen propriū, ſed cōmune.

Virago ē nomē ſexus.

Magiſt. hiſt.

Vnde obſeruandum eſt, quod iſta tria nomina, ſcilicet femina, mulier, & Virago in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt; conueniūt in hoc, quod omnia ſignant ſexus; at femina eſt nomen communius: quia ſignat ſexus in omnibus animalibus, in quibus eſt diſtinctio maſculi, & feminæ, licet abſolutè melius dicatur de ſexu in humana ſpecie, quam in alijs. Mulier autem eſt nomen ſexus in ſola humana ſpecie, in qua femina vocatur mulier, in alijs autem ſpeciebus vocatur femina, ſed nō mulier. Virago autem ſignat ſexum, & in ſola ſpecie humana, ſed ſub ratione magis ſpeciali, quam mulier: quia Virago non poteſt dici, niſi quæ de viro ſumpta eſt. Vir autem eſt in ſola humana ſpecie, ideo Virago eſt in ſola ſpecie humana; & ita apparet quod Virago eſt nomen ſexus, ſed ſub ſpecialiori ratione, quam mulier, quoniam ſignat ipſam mulierem, vt de viro accipit originem ſubſtantiæ, atque adeo apparet, quod Virago non eſt nomen proprium Euæ, ſic neque mulier, ſed eſt nomen ſexus, & ideo conuenit omnibus mulieribus, & iſtud magis apparet, quia ſub iſto nomine appellantur omnes mulieres apud Hebræos, quod non eſſet, ſi hoc nomen fuiſſet propriū nomen Euæ.

Virago, femina, et mulier differunt.

Quæritur tertio, quare Adam impoſuit poſtea mulieri hoc nomen Eua? Dicendum, quod prima mulier debuit habere nomen proprium, quia cuilibet indiuiduo in ſpecie humana damus nomen proprium, vt de quolibet indiuiduo ſciamus diſtinctè loqui: Erat autē Eua indiuiduum ſecundum in ſpecie humana, ideo nomen habere debuit, & tamen nondum habebat, ideo debuit ei imponi; & licet haberet iam nomen, ſcilicet Virago, hoc nomen tamen non erat proprium illius mulieris, ſed erat nomen ſexus ſignans feminam, vt dictum fuit, ideo vltra hoc debuit habere nomen proprium; tum etiam quia etſi haberet prima mulier hoc nomen Virago vt proprium, non fuit inconueniens, vt haberet aliud etiam proprium, cum ambo acciperentur à duabus rationibus diuerſis, & ipſi inconuenientibus.

Queſt. 3. Toſt. vbi ſupra q. 408.

Adam quare impoſuit mulieri hoc nomē Eua.

Quæritur quarto, an hoc nomen Eua fuerit nomen proprium, vel commune? Dicendum, quod Eua fuit nomen proprium primæ mulieris, tum quia illa mulier habuit aliquod nomen proprium, & aliud non inuenitur niſi hoc nomen Eua; tum quia nomen proprium eſt, quod vni tantum imponitur ad ſignandum illum, etſi alijs competat, non erit ſub ratione illius impoſition is,

Queſt. 4 Toſt. vbi ſup. q. 409

Eua eſt nomē proprium primæ mulieris.

Digitized by Google

tionis, ſed æquiuocè, & ita nomen proprium vniuocè ſignificat vnum tantũ indiuiduum, cui imponitur, ſiue ad placitum, ſiue aliter, ſed ita eſt de Eua, ergo Eua eſt nomen proprium illius. Tũ quia infra ſequẽti cap. Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Euam: tum quia ſacra Scriptura quandocunque loquitur de muliere illa; vocat eam Euam, vt patet infra cap. 4. Adam verò cognouit Euam vxorem ſuam, quæ concepit, & peperit, & in nouo etiam teſtamento ita vocatur, vt primo Timoth. 2. Adam primus formatus eſt, deinde Eua, ergo hoc eſt nomẽ proprium mulieris, quia ſi aliud eſſet, per illud eam vocaret.

Queſt. 5. Toſt. vbi ſup. q. 410 Deus nõ impoſuit nomẽ mulieri, & quare.

Quæritur quinto, quare Adam poſuit nomen mulieri, & non poſuit illud Deus? Dicendum, quod quantum ad hoc nomen Virago fuit cauſa, quia illud eſt ad magis oſtendendum, quod Adam cognoſcebat, de quo eſſet illa mulier: nam dixerat, hoc nũc os ex oſſibus meis &c. In quibus ſignificabat, quod eſſet de ſui ſubſtantia, & de ſe ſumpta, vt diximus ſupra: & quia iſtud nomen conſequens erat cum ratione illa, quam Adam dicebat, debuit ipſe imponere nomen, & non Deus. At quantum ad illud nomen Eua, poteſt eſſe vna ratio, quia Deus conceſſit Adę imponere nomina quibuſdam rebus ad oſtendendum dominium ſuum ſuper illas, ſicut fuit de animalibus, & quia Adam habebat quandam præſidentiam ſuper mulierem, ideo fuit cõueniens, quod ad hanc ſignificandam imponeret ei nomen, & hanc rationem tangit Hiſt. Scol. in c. 18. Gen. Vbi dicit. Impoſuit Adam vxori ſuę nomen tanquam dominus eius.

Magiſt. hiſtor.

Deus impoſuit nomina appellatiua, Adã verò nomina propria.

Secundo, quia aliter eſt de impoſitione nominum appellatiuorum, aliter de impoſitione propriorum, appellatiua pertinent ad integritatem idiomatis, quia ſunt nomina generum, & ſpecierum, quæ ſemper manent, & de quibus eſt ſemper ſermo apud omnes: quia vniuerſalia ſunt ſemper, & vbiq; ideo imponere nomina appellatiua pertinet ad Auctorem idiomatis, & quia Deus dedit idioma, & maximè primum, quod per nullum niſi per ipſum potuit inſtitui, vt ſupra declaratũ eſt, debuit ille imponere nomina communia. De proprijs non eſt ſic, quia non ſunt de integritate idiomatis, cum non ſint rerum permanentium, & rerum, quæ vbique ſunt, ſed indiuiduorum, quæ ſolum alicubi ſunt, & aliquando, & ideo impoſitio nominum talium rerum pertinet non ad inſtitutorem idiomatis, ſed ad eos, inter quos accidit eſſe huiuſmodi indiuidua. Ita fuit de muliere, erat enim iſta indiuiduum quoddam, ideo impoſitiones eius non pertinebant ad Deum, ſed ad Adam, cum nullus alius eſſet, qui feminam tunc nominare poſſet: omnia autem nomina communia, ideſt dictiones ſignificatiuas Deus impoſuit non extra nominando, ſed dando Adæ in anima ſua cognitionem totius idiomatis, ideſt omnium dictionum ſignificatiuarum, & rerum ſignificatarum, & modorum prolationis, & ceterorum, quę ad hoc pertinent, pauca autem nomina per ſe Deus impoſuit, vt nomen diei, & noctis, & cęli, vt patet ſupra c. 1. cetera in anima Adæ, & Euæ dedit cũ cognitione idiomatis: hoc verum eſt, præter nomina animalium ductorum ante Adam: quia ipſe impoſuit illis nomina ſpecierum, quæ poſtea habuerũt, & illa deerant ad integritatem idiomatis. Alia cauſa adhuc poteſt ſumi ex hoc. Adam impoſuit nomina omnibus animalibus ad ſe ductis, ſed Eua fuit ducta per ſe ad Adam, ideo debuit illi nomen imponere, ſed nomina animalium erant communia; quia erant nomina ſpecierum, nomen autem mulieris fuit proprium; quia fuit nomen indiuidui, ergo &c.

DE

Digitized by Google

DE CONIVGII INſtitutione.

Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.

Magiſt. hiſt. c. 19. Gen.

IMpoſito nomine ſtatim prophetauit de lege coniugij dicens, quamobrem &c. Quæ verba dupliciter explicari poſſunt.

Explicatio verborũ quam ob rem relinquet homo patrẽ ſuũ, &c.

Primo, vt illud quamobrem referatur ad coniunctionem mulieris cum viro; quamobrem, ſcilicet, quia mulier eſt os de oſſibus viri, & caro de carne eius, vel quia de latere viri ſumpta eſt; propter hanc tantam mulieris cum viro naturæ coniunctionem derelinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, i. derelinquet ſępè homo patrem, & matrem ſuam propter vxorem, & adhærebit vxori ſuæ, ideſt magis ſociari debet cum vxore ſua, quam cum parentibus. Ceterum ſecundum hanc interpretationem verba hæc ad ſolum primorum hominum coniugium pertinerent, in quo, ſcilicet, tãtummodo mulier ex viro ſumpa eſt.
2 Secundo poteſt illud quamobrem, referri ad mulierem, ita vt quaſi demõſtrando vxorem dicat, propter hãc mulierem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & hoc fit quotidie à viris, qui relinquunt cohabitare corporaliter, vel etiam ſpiritualiter cum parẽtibus propter vxores: quia maior eſt zelus in vxores, quam amor filiorum in parentes, non dico parentum in filios: Humor enim aſcendit de trunco ad ramos, ſed non redit, & ideo non dixit, quod propter hoc relinquent parentes filios.

Pererius, lib. 4. in Gen. & Mo.na de operib. ſex dierũ diſp. 21.

Poſſet etiam huius loci explicatio deſumi ex verbis Domini Noſtri. Matthę. 19. vbi hæc eadem verba commemorantur. Cum enim Dominus præmiſiſſet Deum ab initio feciſſe maſculum, & feminam, & quidem feminam Deus fecit ex maſculo, eoſque inter ſe coniunxit, & benedixit illis dicens: Creſcite, & multiplicamini, Ex his rectè infertur, propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, huius autem illationis, & concluſionis hæc eſt ſententia, & uis. Neceſſitudinem, & cõiunctionem mariti, & vxoris eſſe maximam ſatis declarauit Deus, cum primos homines fecit marem, & feminam, & feminam quidem ex mare, eoſque arctiſſimo vinculo inter ſe conſtrinxit, tũ ad intimam ſocietatem, tum ad prolis generationem, quamobrem, quia ſcilicet tam arctum amoris, & coniunctionis vinculũ voluit Deus, vt eſſet inter virum, & vxorem, relinquet homo patrem ſuum, & matrem, ſi opus fuerit, vt cum vxore, coniugali ſocietate, & amore viuat: nam huic tantæ coniunctioni, etiam neceſſitudo parentum merito poſt habenda eſt, & adhærebit vxori ſuę, non dixit vxoribus, quia vir vni tantum vxori copulari debet, qua ſuperſtite nefas eſt tranſire ad ſecundas nuptias. Quod autem neceſſitudo parentum ſit poſt habenda propter coniugalem neceſſitudinem Rupertus eo probat argumento, quod vt quis Deo ſeruiat votis ſe monaſticis obſtringens, poteſt nõ modo licitè, ſed etiam laudabiliter parentes vel inuitos deſerere, at vxorem conſentire ei nolentem nullo modo poteſt derelinquere: ſic autem ſcribit Rupertus. Hoc pro lege habetur, vt patrem, & matrem homini relinquere liceat poſcente cauſa idonea; vxorem autem nemini niſi volentem relinquere nec humana concedit lex, nec diuina niſi pro ſola fornicationis cauſa.

Rupertus Abb. lib. 3. de Tri. & operibus eius, c. 38.

D. Aug. Hug. Caiet. Toſt.

D. Auguſt. & Hugo de S. Vict. in ſuis annot. ſuper Gen. & Caiet. ſup 19. cap. Matt. Toſt. etiam ſuper c. 2. Gen. q. 28. Interpretantur Deum illis verbis propter hęc relinquet homo, &c. interdixiſſe coniugia inter parentes, & filios, cum cetera coniugia non ſint ita vetita: nam in exordio mundi propter hominum paucitatem inter fratres, & ſorores licitè matrimonia contracta

eſſe

Digitized by Google

eſſe conſtat; cui explicationi ſuffragari putant ſcripturam Caldaicam, quæ ſic habet hoc loco, propter hoc relinquet homo lectum patris, & matris ſuę, quibus verbis deſignantur perſonę prohibitæ ad connubium, ſcilicet filius cum matre, vel filia cum patre, cum matre quidem nullo modo propter reuerentiam maternalem, coniugalis enim cõmixtio ęqualitatem dicit, & aliquo modo ſubiectionem vxoris ad virum, ideò in nullo caſu licebit viro contrahere cũ matre, quia eſt contra naturale ius, & omnem inclinationem bonam; nec etiam filia cum patre, ſed de hoc magis erit ſermo infra cum loquemur de filiabus Loth.

Quęſt. 1. *Toſt. ſup. c. 2. Gen. q. 28.* Quæritur primo. Quomodo dicitur quod Deus inſtituit matrimonium, ſi Adam verba hæc inſtitutionis protulerit?

Reſpõdetur, quod dicitur Deus inſtituiſſe, quia mouit intellectum, & voluntatem Adæ ad intelligendum, & dicendum iſta: quæ autem prophetæ dicunt, Deus dicitur illa dicere, vt patet 2. Pet. 1. Vel poteſt dici, quod Deus dixit hæc verba, prout Chriſtus videtur ſignificaſſe Matth. 19. Non legiſtis, quia qui fecit ab initio, maſculum, & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrẽ, & adhærebit vxori ſuę, & erunt duo in carne vna, & ita patet quod Deus hoc dixit, & ipſe inſtituit matrimonium, & non Adam; ſed quomodo igitur Moyſes introducit Adam dicentẽ, quamobrem relinquet homo &c. Dici poteſt, quod quædam pars horum verborum fuit dicta ab Adam, & quædam alia à Deo: illud enim primum, Hoc nunc os ex oſſibus meis &c. prolatũ fuit ab Adam, & non ſunt verba Dei, nec eſſe potuerunt: quia Deus carnem, & oſſa nõ habet: quia Deus ſpiritus eſt Ioã. 4. & ſpiritus non habet carnem, vt dixit Chriſtus Lucæ 24. atque adeò non poterat eſſe Eua de carne eius. Verba autem ſequẽtia ſunt Dei, ſcilicet propter hanc dimittet homo patrem &c. Quia

Matrimoniũ a Deo inſtitutũ fuit. vbi ſup.

iſta verba poterant conuenire Deo ad inſtitutionem matrimonij; & hoc videtur apparere ex verbis Chriſti Matth. 19. Vbi non ponitur iſta particula. Hoc nunc os ex oſſibus &c. Sed verba ſequẽtia, ſcilicet, propter hanc dimittet homo &c. & hoc ſtante dicendum eſt, quod licet videatur idem contextus continuus cum dicitur. Hoc nunc os, &c. tamen non eſt ita, ſed ibi, Quamobrem relinquet homo &c. ſunt verba Dei. Alio modo poteſt intelligi; qđ Deus hoc dixerit, atque etiam Adam, ſed Deus dixit illud prius deinde Adã, & hic non fit mentio, niſi quomodo illud dixit Adam, & Matth. 19. Non ponitur, niſi quomodo dixerit illud Deus, & quia alia verba cõueniunt Deo, alia Adæ, aliter ponũtur hic, aliter ibi, quia hic dicitur, hoc nũc os de oſſibus meis, &c. vſque in finem, & Matth. 19. Tolle principium, & dicitur propter hanc, vel propter hoc relinquet homo, &c. & tunc eſſet ſic ordo inducendo, quod Adam viſa Eua diceret. Hęc nunc eſt caro de carne mea, & os de oſſibus meis, & vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt, quo dicto Deus adiecerit, quaſi dicen o Adæ ad quid eſſet mulier, & qualiter cum ea ſe haberet vir, propter hanc dimittet vir patrẽ, & matrẽ, &c. & Adam auditis verbis Dei, quaſi approbando retulerit eadem, atque ita dixit illa Adam, & dixit illam Deus, ſed quomodocumque dicatur, certum eſt quod Dei afflatu, & inſpiratione dicta ſunt, atque adeo dominus in Euangelio ea verba à Deo dicta eſſe commemorat.

Et erunt duo in carne vna.

Pererius NEc Hebraicè, nec Caldaicè eſt vox illa duo, & eſt in accuſatiuo nomen carnis, ad hunc ſcilicet modũ, erunt in carnem vnam, ſeptuaginta tamen addiderunt illud duo, & ita commemoratur à Dño noſtro Matth. 19. Quapropter bene illud duo addidit Latinus Interpres, illud porrò in carne

vna

vna dictum eſt phraſi Hebraica, pro eo quod eſt, erunt duo vna caro, vt patet ex cõcluſione Domini in prædicto Euangelij loco: nam cum dixiſſet, & erũt duo in carne vna, infert illud itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro, ſicut igitur ſupradictum eſt; Adã factũ eſſe in animã viuentem, pro eo, quod Adam factum eſt eſſe hominem viuentem, ita dictum eſt hoc loco, erunt duo in carne vna, vel in carnem vnam, pro eo, quod eſt, erunt duo vna caro. Quatuor autem de cauſis coniuges poſſunt intelligi eſſe vna caro.

Magiſt. hiſt. cap. 19. Gen. Molina & Pereirus vbi ſupra.

Primo quidem propter quod inuicem coniungũtur ad agendum vnam vitam communem externam, carnalem, ſeu corporalem, cum inter illos ſit omnium rerum communitas.

Secundo propter copulam carnalẽ propter quã ſolam dixit Paulus. 1. Corinth. 6. Qui adhæret Meretrici vnũ corpus efficitur cum ea.

Tertio propter vnius carnis, ideſt prolis generationem: vna enim caro, ideſt vna carnalis proles ab vtriſque efficitur à femina quidem materialiter à viro autem efficienter.

Quarto, per vnam, & communẽ, ac mutuam vtriuſque coniugis poteſtatẽ corporis. Caro enim mulieris eſt etiam viri, & caro viri eſt etiam mulieris. Mulier enim vt dicit D. Paulus. 1. Cor. 7. Sui corporis poteſtatem nõ habet, ſed vir, ſimiliter autem, & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.

DE EXCELLENTIIS ſtatus innocentiæ.

Erat autem vterque nudus Adam, ſcilicet, & vxor eius, & non erubeſcebant.

Chryſ. hom. 16. in Gen.

Ecce quomodo ſuperiores erãt omnibus corporalibus neceſſitatibus, quomodo terram quaſi Cælum incoluerint, & cum eſſent in corpore, nihil corporale tulerint, neque tecto, neque veſte, neque alio tali opus habentes. Porrò Diuina ſcriptura non ſimpliciter, & abſque ratione hoc nobis ſignificauit, ſed vt cum didicerimus vitam illorum triſtitiæ, doloriſque expertem, & Angelicum quemdam ſtatum (vt ita dicam,) & poſtea viderimus illos omnibus illis deſtitui, & quaſi è magnis diuitijs in extremam inopiam redigi ipſorum peccato totum, quod ſit, abſcribamus. At quoniam Moſes hac oratione ſignificat, fuiſſe illos homines animo ſimplici, & candido, atque innocenti, tales, ſcilicet, vt quamuis nudi eſſent, nullo tamen pudore afficerentur, atque breuibus verbis; qualis fuerit primęuus ille ſtatus hominis ante peccatum, tam ſecundum corpus, quã ſecundum animam opere pretium eſt poſt huius literæ explicationem, vt de ampliſſimis ſtatus innocentiæ bonis, & excellentia accurate diſputemus, & primo de excellentijs illius ſtatus quo ad animam deinde de prærogatiuis eius quo ad corpus in ſequenti capitulo.

Quò ad literæ explicationem obſeruandum eſt primo, quod eſſe nudum ſignificat non habere veſtes, atq; adeo tam in ſacra Scriptura, quam in modo noſtro loquẽdi dicitur aliquis duobus modis nudus. Priori modo, quia nullas habet veſtes, alio modo; quia non habet ſufficiẽtes ad tegendum corpus.

Toſt. vbi ſupra q. 412.

Nudum quid ſignificet.

Primo modo dicitur, qd homo: naſcitur nudus: quia tunc nullum operimentũ habet, natura enim veſtes non dat, ſed ſubſtantiam.

Nudus dicitur aliquis dupliciter.

Secundo modo dicitur Iſaiæ cum videris nudum operi eum, &c. Nõ enim vocatur ibi nudus, qui nullo operimento tegitur; quia talis inter homines pp verecundiam non incederet, ſed quia non habet veſtes ſufficientes, aut quæ totum corpus tegant, & ita accipitur Iac. 2. Si ſint ſoror, & frater nudi, ideſt non habentes ſufficientia tegumenta. Ad propoſitum Adam, & Eua erant nudi: quia nulla omnino veſtimẽta habebant, neque tegumentorum partes: quia Deus eis ſola naturalia dederat, veſtimenta autem vltra naturam ſunt.

Secun-

Digitized by Google

Toſt. vbi ſupra q. 535. *Nuditas dupliciter accipitur.*

Secundo obſeruādum eſt, quod nuditas dupliciter accipitur: vno modo, vt dicit puram negationē, alio modo, vt dicit priuationem.

Primo modo nudus vocatur omnis, qui veſtes non habet, & hoc eſt large dictum, quia ſic etiam lapides vocabimus nudos, & arbores, quia nullas veſtes habent, & etiam cælum vocabitur nudum; quia nō veſtitum, ſed hęc nullus dicit.

Secundo modo accipitur, vt priuatio, & propriè, & tunc dicitur nuditas carentia veſtis, ſcilicet, non habere veſtes, & indigere eis; atque ita propriè dicuntur homines nudi, qui veſtes non habent, quia omnes homines indigent veſtibus, qui ergo non habuerit eas, nudus eſt, & propter hoc lapides, nemo vocat nudos, quia licet veſtes non habeant, veſtibus tamen non egent, & ita de alijs, in quibus non eſt vſus, neque indigentia veſtium.

Accipiendo primo modo, dicimus quod homines ante peccatū nudi erāt, quia nullas veſtes habebant.

H'ies ante peccatum quō erant nudi.

Accipiendo tamen ſecundo mō nō erant nudi; quia licet veſtes non haberent, non egebant eis, immo non erant eis vtiles ad aliqd, & ob hoc ſequitur, Quod abſolutè, & propriè loquēdo primi parentes non erant nudi, quia nuditas verè, & propriè dicta, accipitur vt priuatio, & tamen in eis nulla priuatio erat, quia non erat indigentia veſtium, ergo non erant nudi niſi large, quis nudos vocet, ſed

Queſt. 1. *Toſt. vbi ſupra q. 537.* *Adā & Eua quō erāt nudi ante peccatū.*

Quæritur primo. Quare Moſes vocauit nudos Adam, & Euā ante peccatum, cum non eſſent verè nudi?

Dicendum quod nuditas accipitur dupliciter propriè, & impropriè, vt diximus ſupra, & vtrumque modum tenuit ſcriptura, aliquādo accipitur nuditas largè, & impropriè pro non habente veſtes vt hic, aliquando ſumitur propriè & ſtrictè pro priuatione vt infra 3. c. Cumque vidiſſent ſe nudos, id eſt, non habentes veſtes, & veſtibus indigentes; Cum ergo quæritur cur Moſes appellauit eos nudos, cum non eſſent verè nudi.

Dicendū eſt primo, quia voluit Moſes, & veritatem tenere, & ſequi modū loquendi: quia ſcriptura data eſt propter nos, atque adeo noſtris loquendi modis ſe conformat, quia aliter nobis eſſet non vtilis, pro quanto ergo voluit tenere veritatem, dixit nuditatem fuiſſe poſt peccatum, at pro quanto ſequitur noſtrum loquendi modum quo nō habentes veſtes nudos appellamus, dixit, erāt vterque nudus Adam, & Eua.

Secundo fuit ad obſeruandum differentiam ſtatus illius ab iſto, nā tunc erant homines nō habentes veſtes, atque ita māſuri eſſent, ſi non peccaſsēt; nunc verò veſtes acceperunt, quia veſtibus indigent.

Tertio fuit ad oſtendendum excellentiam illius ſtatus ſuper iſtum; erat namque tam beatus ille ſtatus qd homines tunc veſtibus non indigebant; & non habentes eas non erubeſcebāt, nunc vero illis indigent, & cum eas nō habuerint, erubeſcunt, ſed hæc ſignificari non poſſent niſi diceretur; quod Adam, & Eua erant tunc nudi.

Queſt. 2. *Pererius lib. 4. in Gen.* *Homines quare poſt peccatū habuerint veſtes.*

Quæritur ſecundo, Cur primi parentes in ſtatu innocentiæ non habebant veſtes.

Dicēdum quod poſt peccatū neceſſe fuit homines habere veſtes ob multas cauſas, quarum prima fuit ad tegēdum, ſcilicet, & tuēdum corpus aduerſus Cæli, & aeris iniurias.

Secūda fuit honeſtatis, & verecundiæ cauſa ad velandum, ſcilicet, obſcenitatem quandam membrorum.

Tertia fuit ad vitium aliquod, & deformitatem corporis occultandam.

Quarta fuit ad ornatum, & pulchritudinem, quin etiam (proh nephas) ad laſciuiam, & libidinem irritandam.

Quinta fuit ad diſcernendos varios dignitatis, & poteſtatis hominum gradus; Hæc autem in ſtatu innocentiæ locum non habuiſſent, atque ideo nullus fuit tunc vſus veſtium.

Queſt. 3.

Quæritur tertio. An Adam antequā forma-

Toſt. vbi ſup. 413. formata eſſet Eua, fuerit nudus cũ hic dicatur, erant autem vterque nudus.

Dicendum quod nõ ſolum Adam, & Eua erant nudi, quando ambo erãt, ſed etiam Adam, quãdo ſolus erat, nudus fuit, ſi enim veſtitus fuiſſet, quãdo ſolus erat; non fuiſſet nudatus poſtquã cum conſortio erat, quod autem Adã aliquando fuerit ſolus, patet, cum ſcriptura dicat, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, & fuit poſtea de eo formata mulier, & tamen quando fuit cum muliere erat nudus, ergo & prius erat nudus.

Adã antecq̃ fuiſſet formata Eua nudus fuit.

Queſt. 4. *Toſt. vbi ſup. 413.* Quæritur quarto. Cum Adam fuerit nudus, quando erat ſolus, cur ſcriptura ſolum facit mentionem de eius nuditate quando ipſe, & mulier ſimul erant.

Dicendum quoniã ſcriptura deſcribit eorum nuditatem tanquam quoddam arduum, atque mirabile, nempe quod nudi eſſent, & non erubeſcebãt, nam cum erant ambo ſimul poterant de alterutro erubeſcere, quod nõ contingebat quando Adam erat ſolus, atque adeo ſcriptura Sacra expreſſit, qd erat vterque nudus, & nõ erubeſcebat, & ſi dicatur, quod quando Adam erat, & non Eua, Adam non erat ſolus, quia erat Deus ſępe cum illo, qui loquebatur, ſicut quando adduxit animalia ad ipſum, & quando tranſtulit eum in Paradiſum, & quando dedit ei mandatũ de non commedendo de ligno ſciẽtiæ boni & mali, & ideo Adã poterat erubeſcere, atq; adeo poterat fieri mẽtio, tunc, quod Adam erat nudus, & non erubeſcebat, poſſet dici, quod non dicitur de Adam quod erubeſcebat tũc, quia de Deo non erubeſcimus, licet ſciamus illum præſentem eſſe vbicunque ſimus, ſiue nudi, ſiue veſtiti, ſecus de hominibus, quorum conſpectum erubeſcimus; ſed hoc non videtur ſtare, quia non ſolum hominem erubeſcimus, ſed etiam Deum, ſi enim manſerit Deus inuiſibilis ſicut in natura ſua eſt, & apud nos ſe habet, nõ erubeſcemus eum, quia ſenſu non apprehendimus eum, atque apud ſenſum eſt, ac ſi Deus non eſſet, & quia erubeſcere eſt paſſio quædam in parte ſenſitiua, non poſſumus erubeſcere de eo, quod non ſentimus, & quia Deum non videmus, ac ſi non videamur ab illo, & ita de illo nunquã erubeſcimus. Secus ſi Deus appareat, vel aliquid loco eius in figura humana, quia tunc erubeſcimus cõſpectum eius, velut hominis, vel timebimus, ita grauiter, quod timor excludat verecundiam, & faciat non ſentiri. Deinde Adam erubuit conſpectũ Dei, cum audiuit vocem Dei, deambulãtis ad Auram poſt meridiem, abſcondit ſe vterque, ideſt, Adam & Eua, & vocatus Adam vbi eſſet, dixit quod ſe abſconderat, quia nudus erat, infra cap. 3. ergo erubeſcebat Adam Deum videre, aut à Deo videri nudus exiſtens.

Nuditas primorũ parẽtum deſcribitur velut quoddã arduum, atque mirabile.

Adã exiſtens nudus quare loquẽs cum Deo non erubeſcebat.

Dicendum eſt ergo, quod ſcriptura dixit, quod Adam, & Eua, nudi erant, & non erubeſcebant, & non dixit de Adam ante formationem Euæ; tum quia voluit ponere rem magnam, ſcilicet nõ erubeſcere de nuditate, ideo poſuit in eo, quod maius erat; maius autem erat, quod vir, & vxor non erubeſcerent nudi, quam quod vir ante formationem mulieris nõ erubeſceret de nuditate, nam ſi de Deo homo nudus erubeſceret, maiorem cauſam ruboris habebat poſt formationem mulieris, quia erubeſceret vnus de altero, & vterque de Deo; Cũ autem ſolus Adã eſſet, erubeſceret de ſolo Deo, debuit dicere, quod non erubeſcebant Adam, & Eua, nudi exiſtentes: quia hoc maius eſt; tum quia an de Deo homo nudus erubeſcat, non eſt notum hominibus; quia nos Deum non videmus, vt hoc experiamur, ſed certum eſt, quod quilibet nudus exiſtens, erubeſcit, conſpectũ alterius hominis, vt igitur pro magno haberetur illud; voluit ſcriptura dicere de eo, quod certum erat; tum quia Adã, & Eua erant ſemper ſimul, vt vir & vxor, Deus autem non erat ſemper cum eis poſt formationem mulieris, vt cum Adam ante formationẽ

ſemi-

feminæ, ideo minus erubeſcendũ erat, etiamſi de Deo erubeſcerent quam vir de muliere, vel econtra; tum demum, quia poterat dici, quod fortè Deus non apparebat Adæ in corporali figura, quando non erat formata mulier, ſed per intellectualem impreſſionem, aut per ſomnium, cum ei præceptum dabat, aut aliquid oſtendebat, ſicut in Prophetis, & in talibus nemo poteſt erubeſcere nudus exiſtens, cum nõ ſit ibi aliquis conſpectus, ſecus inter virũ & mulierem, quia vterque conſpicit alterius nuditatem; Cum autẽ poſt peccatum apparuit Deus, & abſcondit ſe Adam; ſecus erat: quia ibi facta eſt apparitio ſenſibilis, nam primum audita eſt vox, deinde apparuit Deus, ideo poterant erubeſcere Adam, & Eua.

Queſt. 5. Toſt. vbi ſup. q. 414 Adã & Eua nudi quare non erubeſcebãt. Quæritur quinto. Cum Adam, & Eua nudi eſſent, quare non erubeſcebant, Aliqui dicunt, qđ iſtud fuit, quia habebant velamẽtum capillorum operientium totum corpus; Ideo non habebant, vnde erubeſcerent, ſed hoc eſt falſum, quia contra naturam, & cõtra ſcripturam: nam humanæ naturæ cõuenit ſecundum ſpeciem non eſſe animalia piloſa, niſi principaliter in capite, vt dicit Ariſt. 2. de animalibus. Accidit enim ex ſpeciei conditione quædã animalia piloſa, & quędam nõ, & quędam multum piloſa alia vero parum. At Deus in naturę inſtitutione nõ turbaret eam ab eo, quod ſemper eſt, atq; adeo non fecerat homines ita piloſos, quod poſſent operire tota eorum corpora pilis, aut capillis, ita vt non erubeſcerent; Quo dicerentur nudi qui operti eſſent tam ſufficienter ſicut veſtibus, & tamen ſcriptura vocat eos nudos. Deinde quando Adam, & Eua peccauerunt, erubuerunt de nuditate ſua, & fecerunt ſibi Perizomata, ideſt, ſuccintoria, quæ operirent partes genitales, & tamen ſi habuiſſent talem capillaturam, non erubuiſſent, neque opus eſſet fieri ſuccintoria, quia capillatura omnia operiret.

Alij dicunt quod hoc proueniebat: quia Adã, & Eua erant tunc ſicut paruuli, qui propter neſcire cauſam innatam de nulla re confunduntur, atque ita nuditatem ſuam non erubeſcunt. Ita dicit Ioſephus lib. 1. Antiquitatum *Ioſeph.* vbi ſcribit qđ guſtatio illius ligni acuebat ingenium, & accelerabat vſum rationis, & ita Adam, & Eua prius non ſciebant ſe eſſe nudos pro ignorantia rerum, poſtmodum vero poſt guſtum illius ligni cõfortati in intellectu agnouerunt ſuam nuditatem, ſed hoc etiã eſt falſum; tum quia illud lignum non *Nicol. de* habebat talem vim, vt ſciẽtiam daret, *Ly. in Ge* vt diximus ſupra; tum quia falſum eſt, *neſ. c. 2.* quod Adam, & Eua eſſent prius, vt paruuli nõn intelligentes; quia Deus creauit eos quo ad animam, & quo ad corpus cum omnium rerum ſcientia, vt diximus ſupra.

Dicendum eſt ergo quod multis de *Pererius* cauſis poteſt euenire, vt quis de corpo- *vbi ſup.* ris nuditate non erubeſcat, vel quia quis non ſit rationis compos, vt pueri, & amentes, vel quia nimius aliquis timor occupat, & obruit pudorem, vt ſi *Cauſa* quis ſentiens ruinam, vel incendium, *multiplex, vt* nudus è lecto proſiliat in publicum, *de nuditate quis nõ* vel ob antiquiſſimam regionis conſuetudinem, vt in Braſilia, & alibi nudo *erubeſcat.* ſunt corpore; mos etiam lauãdi ſimul in balneis nuditatis pudorem auffert; vel quia corpus amictu glorię veſtitũ, atque orn tum eſt: corpora enim beatorum poſt reſurrectionẽ nuda erunt; ſed quia tunc fulgebunt iuſti, ſicut ſol ea nuditas magno illis decori & gloriæ erit. Poſtremo in ſtatu innocentię nuditas corporis minimè pudẽda fuiſſet. Vnde inquit D. Auguſt. lib. 17. de *Auguſt.* Gen. ad lit. cap. 1. Nudi erant primi homines, & non confundebantur, nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur, nihil putabant velandum, quia nihil ſenſerant refrenandũ. Quid enim puderet eos, quando nullam legem ſenſerant in membris ſuis repu- *Toſt. vbi* gnantem legi mentis ſuæ, atque adeo *ſup. q. 416* non eſt petenda cauſa, quare non erubeſcerent, immo eſſet petenda quare

erube-

erubeſcerent, aut quo cum hoc potius eſſet contra rationem: nam erubeſcere eſt paſſio, & non ſine pęna magna, vt in Adam, & Eua nō debuit eſſe pęna ante peccatum. Præterea erubeſcere eſt de aliquo turpi, vel quod pro turpi habetur; ſed ante peccatum nihil erat turpe, quia non erat tunc aliqd niſi naturale, & quod fecerat Deus, nihil autem à Deo factum eſt turpe, & immundum. Deinde nuditas non erat aliqd in ſe malum, quia nō erat priuatio, ſed negatio, atque adeo erubeſcere, & nuditas non veniunt ex natura, ſed in pęnam pro peccato, antequam homo peccaret non erat aliquid de quo erubeſceret, ideo non habebat aliquid quod tegeret, ſed poſtquam peccauit, dedit ei Deus in pęnam, quod de aliquo erubeſceret, & cū erubuit, cognouit ſe eſſe nudū, adeo quod iſta ſe conſequuntur, ſcilicet erubeſcere, & nudū eſſe, & eſt prius erubeſcere: nam qui de nullo erubeſcit, non habet quid tegat, atque ita, nec veſtibus indiget, qd eſt nudum eſſe, qui autem erubeſcit, opus habet, vt tegat id, de quo erubeſcit, etſi veſtes non habet, quibus tegat, malum habet, & hoc eſt eſſe malum. Iſtud ſignificauit Deus, cum infra c. 3. dixit Adæ. Quis dixit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod de ligno, de quo præceperam tibi, ne commederes, comediſti, & ita innuit, quod nuditas nihil erat ſecundū naturam, neque erat aliquid quod præceſſerit in homine, ſed fuit pęna ſecuta ad peccatum, ſcilicet, quia homo; comedit de eo, quod vetitum erat, ſecuta fuit in eo nuditas, ideſt veſtium indigentia ad operiendum id, quod turpe videri factum eſt, ex pęna à Deo inflicta, & ita dicendum qd Adam, & Eua nudi erant, & non erubeſceb. nt. quia conditio naturæ erat, vt non erubeſcerent, cum nihil erubeſcendum haberent, vt dixit D. Aug.

Nudum eſſe, ſicut erubeſcere eſt peccati partus.

Nudum eſſe, & erubeſcere ſe cōſequuntur.

Queſt. 6. Toſt. vbi ſup. q. 417.

Quæritur ſexto, Quare ſcriptura expreſſit, quod erant Adam, & Eua nudi, & non erubeſcebant.

Dicēdum quod prima cauſa fuit ad ſignificandum felicem cōditionem illius ſtatus ante peccatū, ſcilicet, quod homines non habebant veſtes, neque tamen illis indigebant: quia potiſſimū eſt pro quo veſtes habemus, vt pudenda noſtri corporis tegamus, & tamen tunc non erat pudēdum aliquod, ideo neque veſtes.

Triplex eſt cauſa quare Moſes expreſſit Adā, & Eua nudi exiſtentes nō erubeſcebant.

Secunda, vt innuatur. Quæ mala pro peccato acciderint: nam inter cetera aduenit erubeſcere, quod eſt pęna grauis, & accidit indigentia veſtiū, in quo eſt magna miſeria, quia bona pars miſeriæ occupationis noſtræ eſt, veſtes quærere; antē peccatum vero nō eſſet hæc occupatio quærēdarū veſtiū.

Tertia, & potiſſima cauſa eſt, vt reddat rationem eorum, quæ poſt ſcriptura dicet: nam apud ſapienter ſcribentes, talis debet eſſe eorum, quæ narrāt contextus, vt vnius cauſa aperiatur ex altero, & nihil extra petatur, quod cauſa ſit eorum, quæ ſcribuntur. Cum ergo eſſet Moſes relaturus, quod Eua, & Adam de ligno vetito comederint, cūque cognouiſſent ſe eſſe nudos, cōſuerint folia ficus, & fecerint ſibi perizomata, aliquis dicere potuiſſet, quo nudos ſe cognouerunt; quia poſſet quis exiſtimare, quod eſſent veſtiti iuxta noſtram cōſuetudinem, atque adeo proponitur ante peccatū, quod nudi erāt. Item poſſet quis dubitare ſi ante peccatum nudi erant, quid opus erant qd poſtea ſe operirent, & ideo redditur ratio; quia prius non erubeſcebant, ac ſi diceret prius erant nudi, & de nuditate non erubeſcebant, atque adeo operimenta non quærebāt poſt peccatum autē cępit erubeſcentia nuditatis, ideo quæſierunt tegumenta, & ita conſuerunt ſibi folia Ficus facientes perizomata.

Quo ad ſtatus innocentiæ, prorogatiuas, atque excellentias, quo ad animā ipſius Adæ, duo ſunt à nobis examināda, vnum eſt de gratia gratum faciente, alterum autem de iuſtitia originali; & de gratia gratum faciente

De

Digitized by Google

De gratia quam habuit Adam in ſtatu innocentia.

Queſt. 1. *Adã ante lapſum fuit in gratia.*

QVæritur primo. Vtrum Adam ſit creatus in gratia. pro ſolutione obſeruandum eſt quod apud Theologos ex:ra controuerſiã eſt, Adam habuiſſe gratiam ante ſuum lapſum. Teſtimonia patrum ad id probandũ commemorat Magiſter lib. 2. diſt. 29. & Gratianus de pęnit. diſt. 2. c. Tolle charitatem, & eſt communis ſententia omnium Theologorum, cui contraire eſſet error in fide, probatur ex Concil. Trid. ſeſſ. 5. can. 1. vbi dicitur: Si quis non cõfitetur primum hominẽ Adam cum mandatum Dei fuiſſet transgreſſus in Paradiſo, & ſanctitatem, & iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat amiſiſſe, anathema ſit, & can. 2. Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem, & iuſtitiam quã perdidit ſibi ſoli, & non nobis amiſiſſe, anathema ſit, & poſt ſeſſ. 6. c. 7. dicitur, Itaque veram, & Chriſtianam iuſtitiã accipientes eam, ſeu primam ſtolam pro ea, quam Adam ſua inobedientia ſibi, & nobis perdidit; quibus in locis aperte definitur quod primus homo ante peccatum habuit dona ſupernaturalia iuſtitiæ, & ſanctitatis. Ex his intelligi poteſt auctorem quæſt. noui, & veteris teſtamenti, non ſolum non eſſe ſanctum Auguſtinum, vt in titulo eius libri ſcribitur, ſed neque eſſe hominem catholicum. Nam is Auctor in q. 129. diſertis verbis refellit eos, qui dicunt Adamum accepiſſe Spiritumſanctũ, & Filium Dei fuiſſe per adoptionem, & eam adoptionem per Adami inobedientiam perditam nos per Chriſti obedientiam, ac merita recuperare, neque in hac re ſolum auctor ille erraſſe conuincitur, ſed in alijs etiam plurimis; ſi quidem q. 2. ſcribit mundum à Deo conditum ob Diaboli præſumptionem q. 21. ſcribit mulierem non eſſe conditam ad imaginem Dei q. 45. ſcribit Iephtę nullum habere iuſtitiæ teſtimonium, cum tamen habeat tam pręclarum apud Apoſtolũ ad Hebręos capitulo 12. & quæſtio. 109. ſcribit Melchiſedech eſſe Spiritumſanctum, & ſacerdotem, non tamen ſummum. Sequitur ſecundo caute legendum eſſe Thomam ab Arg. in 2. diſt. 29. art. 3. concl. 2. vbi ſcribit quod primus homo antequam peccauit, non habuit gratiã gratum facientem. Hoc igitur cum omnium cõſenſu pro certo haberi debeat, pro certo etiam ſupponimus.

Concil. Trid.

Errata Auctoris q. noui, & veteris Teſtamẽti.

Tho. ab Argent. Marſ. in 2. q. 16. art. 6. & Palud. in 4. diſt. 27. q. 4. concl. 2.

Illud autẽ inter Theologos eſt controuerſum, Vtrũ Adam ab eius exordio fuerit in gratia cõditus, vel poſtea eam habuerit, & certè Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis parte 6. Magiſter Sent. in 2. diſtinct. 20. Alexan. de Ales 2. par. q. 91. m. 1. D. Bonau. in 2. Sent. diſt. 29. art. 2. q. 2. Ric. eadem diſtinct. artic. 1. q. 1. Io. nnes de Baſſolis, Franc. Maironus, & Gulielmus Rubion in 2. diſt. 4. q. 29. & Ægidius eadem diſt. par. 1. q. 2. docent Adamum ſicut, & Angelos non fuiſſe in gratia conditũ, ſed Albertus Mag. in 2. diſt. 24. artic. 1. D. Thom. prima par. q. 95. art. 1. Durandus in 2. diſt. 4. & 29. & omnes Thomiſtę tenent, primum hominem cum gratia fuiſſe conditum. Doct. ſubt. in 2. diſt. 4. q. 1. Maior. eadem diſt. & Gabriel dicunt, vtramque partẽ eſſe probabilem. Gulielmus tamen Vorilion in 2. diſt. 4. q. 7. concl. 1. par. 2. dicit ſe tenere Angelos eſſe creatos cum gratia, tum auctoritate Sanctorum, tum Doctoris Sub. auctoritate, & certè ſi recte, & diligenter conſiderentur, quæ ſcribit Doct. Sub. in illa diſt. 4. 2. Sen. non obſcure videbit quis eum magis ad eam partem inclinare, & illi opinioni adhærere, quę tenet Ang. fuiſſe cum gratia conditos, & quod de Angelis dicit, de homine affirmaſſet.

Hugo de S. Vict. Magiſt. Alex. de Ales. D. Bona. Ricar. Aegid. Baſſolis. Mair. Rubion. Tho. ab Argent. Albertus Mag. D. Tho. Durand. Sco. in 2. diſtinc. 4. Maior ead. diſt. Gabr. in 2. diſt. 4. & 29. Gulielm. Vorilion.

Dicendum eſt ergo quod homo: in eo inſtanti, quo creatus fuit, accepit à Deo gratiam gratum facientem, quod poteſt confirmari auctoritate Anacleti Papæ qui Epiſtola ſua prima Decretali,

Adam fuit creatus in gratia.

Digitized by Google

li, eleganter explicat primos parentes in gratia, virtutibusque omnibus repletos fuiſſe cõditos, túcq; hoĩem plus eſſe ad ſimilitudinem Dei, qui charitas eſt, quando gratia charitate, & virtutibus omnibus eſt repletus, & quia primi parentes tales ſunt conditi ait Geneſ. 1. dici conditos ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, ſubiũgitque. Quas virtutes, quanto plus quiſque in ſeipſo habet, tanto propior eſt Deo, & maior eſt, & ſui conditoris gerit ſimilitudinẽ, & infra. Quapropter quiſque diligentius attendat primæ cõditionis ſuæ excellentiam, & venerandam ſanctæ Trinitatis in ſeipſo imaginem agnoſcat, honoremque ſimilitudinis diuinæ, ad quam creatus eſt, nobilitatem morũ, executionem virtutum, dignitatẽ meritorum habere contendat, vt qñ apparuerit qualis ſit, tunc ſimilis ei appareat, qui ſe mirabiliter ad ſimilitudinẽ in primo Adam condidit eo mirabilius in ſecundo reformauit.

Queſt. 2. *Rubion vbi ſup.* Quæritur ſecundo. An homo in primo inſtanti ſuæ creationis habuerit diſpoſitionem proportionatam ad recipiendam gratiam, quæ à Deo fuit túc ei infuſa.

Homo in primo inſtanti ſuæ cõditionis habuit diſpoſitionẽ proportionatã ad gratiam. Dicendum eſt quod ſic, quia ſicut boni Angeli ſtatim, vt creati ſunt, ſe conuerterunt ad Deum, atque ita per bonum voluntatis actum ad gratiam, quam receperunt, ſe diſpoſuerunt, ita conſimiliter in primis parentibus eſt dicendum, diſpoſitio autem, quam primi parentes habuerunt, non fuit tantũ actus fidei in intellectu, ſed etiam in voluntate actus ſpei, & dilectionis Dei ſuper omnia, nam diſpoſitio creaturæ rationalis ad recipiendam gratiã, conſiſtit in perfecta, & totali conuerſione actuali in Deum vt auctorẽ gratiæ: quoniam dum creatura ita conuertitur in Deum, præbet in exercitio cõſenſum liberum infuſioni gratiæ, reſpicit enim ipſum, vt eius auctorem, & præterea præſtat totum, quod iure poteſt ab ea poſtulari, vt admittatur ad amicitiam Dei; Hæc autem conuerſio *Homo diſponitur ad gratiã recipiẽdã per actũ fidei, ſpei, & charitatis.* fit actibus ipſius creaturæ, atque adeo illi actus ſunt ad eã neceſſarij, qui requiruntur, vt creatura dicatur totaliter, & omnino conuerſa in Deum; eſt autem certũ adhoc non ſufficere actus intellectus, tum quia ipſi ſi præciſe, & formaliter ſumantur, tantũ ſe habent, vt lumen oſtendens tertium, ad quem debet fieri conuerſio, tum etiam quia conuerſio iſta debet eſſe formaliter libera, vt patet, & tandem: quia cõuerſio hæc cum requiratur ad amicitiam ſupernaturalem Dei cum creatura, potius pertinebit ad affectum, atq; adeo ad dilectionem, quoniam amor eſt totum pondus voluntatis, & principium aliorum actuũ: nam ſine amore obiecti per nullum actum cenſetur voluntas perfectè cõuerſa in ipſum, & quoniam per gratiam acceptatur creatura rationalis ad bona Dei, & ad hęreditatem cęleſtem, neceſſariſſimum eſt, vt diſpoſitio ſit ei proportionata, vt ſcilicet per eam ſubiectum reſpiciat huiuſmodi bona ſperando ea, atque adeo requiritur actus ſpei. Quare integra diſpoſitio ad gratiam cõtinet iſtos tres actus. Quod autem Adam huiuſmodi habuerit diſpoſitionem, ex quatuor rebus argumentari poſſumus.

Primo, Adam creatus eſt perfectus animo, & ratione, & potens ſtatim, vt eſt conditus vti ratione, & libero arbitrio.

Secundo, Actus liberi arbitrij, ideſt voluntatis, & intellectus ſunt indiuiſibiles, & vno inſtanti perfici, & abſolui poſſunt.

Tertio, Adã creatus eſt rectus, q̃ rectitudo in primis faciebat, vt Adã rõne & voluntate ſe, ac ſua ſubijceret Deo, & vt primum actum mentis, & voluntatis, quem exerceret, ad Deum cõuerteret. poſtremo excellentior ratio ſanctificationis, & iuſtificationis eſt ſanctificari, & iuſtificari hominẽ per proprium actum, & conſenſum liberi arbitrij, quàm ſine eo. Ex ijs quatuor concluditur. Adamum eo ipſo puncto temporis, quo eſt creatus, ſimul, & ipſum

ſum exercuiſſe actum fidei, & dilectionis erga Deum, & ipſum Deum gratiam ſanctificantem ei dediſſe.

Quæſt. 2. Alex. de Ales p. 2. q. 91. in 2. art. 2. ſ. 2. B. Thom. p. 1. q. 95. arti. 3. Rub. in 2. d. 29. q. 2. art. 3. dub. 2. & Gab. in 2. d. 29. art. 3. dub. 3. & D. Bo. in 2. d. 29. art. 3. q. 1. Durãdus ead. cõcl. q. 2.

Adam in ſtatu innocentiæ habuit vnà cũ gratia omnes virtutes.

Quæretur Secundo An Adam ſimul cum gratia habuerit omnes virtutes. dicendum quod virtutum quędam ſunt, quæ de ſui rõne, nullã importãt imperfectionẽ, vt Charitas, & iuſtitia, & huiuſmodi virtutes fuerunt in ſtatu innocentię ſimpliciter, & quantum ad habitum, & quantum ad actum. Quędam vero ſunt, quę de ſui ratione imperfectionem important, vel ex parte actus, vel ex parte materię & ſi hmõi imperfectio nõ repugnat perfectioni primi ſtatus, nihilominus huiuſmodi virtutes poterant eſſe in primo ſtatu, ſicut fides, quę eſt eorum, quę non videntur, & ſpes eſt eorum, quæ non habentur, perfectio enim primi ſtatus non ſe extendebat ad hoc, quod videret Deum per eſſentiam, & vt habetur cum fruitione finalis beatitudinis, vnde fides & ſpes eſſe poterant in primo ſtatu, & quantum ad habitum, & quantum ad actum; ſi vero imperfectio, quæ eſt de ratione virtutis alicuius, repugnabat perfectioni primi ſtatus, poterat huiuſmodi virtus ibi eſſe ſecundum habitum, & non ſecundum actũ, vt patet de pœnitentia quæ eſt dolor de peccato cõmiſſo, & de mĩa, quę eſt dolor de miſeria aliena, perfectioni aũt primi ſtatus repugnat tam dolor, quã culpa & miſeria. Vnde huiuſmodi virtutes erant in Primo homine ſecundum habitum, & nõ ſecundum actum: erat enim primus homo ſic diſpoſitus vt ſi peccatum præceſſiſſet, doleret, & ſimiliter ſi miſeriam in alio videret, tam pro poſſe repelleret.

Quæſt. 3. Homines in ſtatu innocentiæ quomodo habuiſſẽt abundantiorẽ gratiam, quã in ſtatu miſeriæ.

Quæritur tertio. An Adam in ſtatu innocentiæ, & vniuerſaliter in eodem ſtatu homines abundantiorem habuiſſent gratiam, quam in ſtatu miſeriæ. Dicit quòd aliquibus perſonis data fuiſſet gratia abũdantius quam aliquibus exiſtentibus in ſtatu miſeriæ, & aliquibus exiſtentibus in ſtatu miſeriæ data eſt abundantius, quã data fuiſſet aliquibus in ſtatu innocẽtiæ, & forte in ſtatu innocentia data fuiſſet aliquibus gratia ęqualis gratiæ aliquorum in ſtatu miſeriæ, ſed quantum eſt de communi ſtato ſimpliciter magis abundaſſet extenſiue in ſtatu innocentię ſecundum proportionem numeri hominũ, qui fuiſſent in ſtatu illo ad numerum hominum pro ſtatu miſerię, quia tunc omnes in ſtatu illo gratiam habuiſſent, abundaſſet etiam magis intenſiue, vt aliquibus videtur, Cuius ratio eſt, quod communiter, & vt in plurib. homines ſe perfectius diſpoſuiſſent ad recipiendam gratiam quã modo; propter multa in ſtatu iſto impedientia prædictam diſpoſitionem, quæ in ſtatu innocentiæ nõ fuiſſent, & magis diſpoſitis de cõi lege, Deus abũdantius dat gr̃m.

Pererius. li. 5. Gen. de nam primi hominis. q. 5

Verum pro ampliori huius difficultatis intelligẽtia pono aliquas propoſitiones. Prima propoſitio. In ſtatu innocẽtię, qui minimam habuiſſent gratiam, longe maiorem habuiſſent, quam plurimi nunc habeant in ſtatu legis Euangelicæ. in illo .n. ſtatu nemo ante vſum rationis mortuus fuiſſet, ſed omnes integrum ſuæ vitę curſum cõfeciſſent, quinimo nullus hominũ tunc mortem obijſſent, atque adeo gratiam, quam quiſque ab exordio accepiſſet per bonum vſum liberi arbitrij multũ auxiſſet, at in ſtatu legis Euangelicæ plurimi cum ſola prima gratia, moriunt, vt infantes baptizati ante vſũ rõnis decedẽtes.

Secũda propoſito. Si Adam non peccaſſet, & filius Dei in ſtatu innocentiæ non fuiſſet incarnatus, vt placet B. Thom. plus gratię datum eſſet hominib. in ſtatu legis Euangelicę, propter Chriſti aduẽtum, ac meritũ, quàm in ſtatu innocentiæ, plus in quã gratię non extẽſiue, ſed intenſiue, nam (vt nihil de Chriſto Dño dicã) plus gratię Beatiſſimę Virgini, necnon Io. Bap. atq; Apoſtolis tributũ fuit quam ulli hominum in ſtatu innocentię cõceſſũ fuiſſet, ex quo cõcludi ẽt, quòd in ſtatu legis Euãgelicę plus gr̃ę Infantib. per Baptiſmũ tenaris conferri, quã in ſtatu innocẽtię infantib. gñatis datũ eſſet, & ideo eſt, quia nũc dat infantibus gr̃a pp decẽtiã, ẽt dignitatem, ac meritũ Chriſti; tunc aũt data fuiſſet ſolũ pp decẽtiã, dignitatẽ, ac pfectionẽ ſtat⁹ innocẽtię. Illud autem infinitis partibus apud Deũ, quàm hoc præponderaſſet.

Tertia ꝓpoſitio. Si Adã nõ peccaſſet, &

 nihilo-

nihilominus tñ Chriſtus fuiſſent incarnatꝰ (vt placet Alc. de Ales & Sco.) mihiq; in primis probabilius vr̃, & valde placet licet ꝓbabile uideať plus gr̃ę tũc datũ iri hoib. quoniam ad gratiæ copiã, & abundantius, hominibus dãdam, duo ſimul cõcurrebant, & dignitas ſtatus innocẽtię, & dignitas Chriſti, qui tunc fuiſſet incarnatus, non vt hominis redemptor, aut liberator; ſed vt gloriæ eius perfector, atque conſumator, attñ veriſimilius videť plus gratiæ dari hominib. in ſtatu legis Euangelicæ propter meritum paſſionis, & mortis Chriſti, q̃ tunc fuiſſet datũ propter eũdẽ Chriſtum: nam propter inæſtimabilẽ Domini Noſtri paupertatẽ, humilitatẽ, patiẽtiã, acerbiſſimos animę, & corporis cruciatus, deniq; ignominioſiſſimam atq; crudeliſſimam mortem, credendũ eſt Deũ voluiſſe, ac decreuiſſe, maiorẽ oĩum gratiarũ copiam largiri, q̃ daturus erat hoib. in ſtatu innocẽtię, in quo Chriſtus immortalis, & impaſſibilis fuiſſet, quemadmodũ ẽt licet qualibet Chriſti actione, quia erat Dei ſimul, & hois infinitiq; vigoris, ac meriti redemptio humani generis promerita fuerit, eam tamẽ ſcriptura, merito paſſionis, & mortis eius potiſſimũ attribuere ſolet.

Quæſt. 4. Alex. de Ales p. 2. q. 91. m 2. art. 2. 5. 2 & D. Bonau. in 2. d. 29. art. 5. q. 1.

Quæritur Quarto. An tot dona, & virtutes in ſtatu innocentiæ habuiſſent hoĩes habueritq; Adam, quot in præſenti ſtatu culpæ nos habemus. Dicendũ quod hoc põt intelligi, vel de donis gratiæ gratis datæ, vel de donis gratiæ gratũ faciẽtis, ſi intelligantur de donis gratiæ gratis datę, hoc pacto ſe habent ſicut excedẽtia, & exceſſa, pro eo quod aliqua dona gratiæ gratis datæ habuit Adã in ſtatu illo, vt pote iuſtitiã originalem, impaſſibilitatem, & immortalitatem, quæ non habuit aliquis poſterorum eius, & aliqua dona gratiæ gratis datæ habẽt poſteri eius, quę ipſe nõ habuit, ſicut ſunt gratia ſanitatum, operatio virtutum, & genera linguarum, & conſimilia, rõ aũt huius diuerſitatis eſt, quia illa dona expediebant illi tẽpori, & alia cõpetunt iſti; ſi autẽ loquamur de donis gratię gratum faciẽtis, dicendum eſt ſicut diximus in ſuperioribus difficultatibus.

Homines in ſtatu ĩnocentiæ & in ſtatu miſeriæ quoad dona gratiæ gratis datæ ſe haberent vt excedentia, & exceſſa.

Quæſt. 5. Alex. vbi ſup. 54. & D. Bona.

Quæritur Quinto vtrum dona gratuita efficaciora fuerint ad merendum ante, vel poſt lapſum, dicendum, quod efficacia meriti principaliter ex trib. attendi põt, videlicet ex difficultate operis, & promptitudine voluntatis, & ex magnitudine charitatis, Difficultas operis multum facit ad mæritum, & adeo facit, vt ho: qui eſt multo minoris charitatis q̃ Angelus poſſit mereri, vt proueniat ad ſublimitatem Angelicam ſecundum quod intelligitur ex illo Matth. 11. de Io. Bap. qui minor eſt in Regno cœlorũ maior eſt eo, nõ. n. dubitandũ eſt quin Io. ſit exaltatus ad ordinis excellẽtiũ Angelorũ, & tñ ſecundum ſtatum vię minoris charitatis erat, q̃ aliqs eorũ. Prõptitudo ẽt volũtatis plurimũ facit, ſed voluntas prompta ſecundũ id, quod habet, accepta eſt ad merita: quãtacunq; ſit. n. in hoie gratia, niſi ſit voluntas gratiæ conſentanea, nunq̃ eliciet opera meritoria, & quanto magis voluntas gratiæ ſubiacet, & conformatur, tanto magis ho. in operib. meritoriis exercetur. Magnitudo Charitatis eſt principalior inter omnia, quę faciẽt ad meritũ, quia ſecundum illius quantitatẽ, attendiť remuneratio præmij ſubſtantialis. Pondus enim amoris eſt, quod dat valorem operibus meritorijs.

vbi ſupra q. 2.

Efficacia meriti ex tribus attenditur.

Si ergo fiat comparatio efficaciæ mærẽdi, quantum ad primam conditionem. ſ. quantum ad difficultatẽ efficaciores ſunt virtutes nunc, q̃ tunc fuerunt; nunc. n. magis impugnať, & impugnando probatur, & examinatur virtus, q̃ tũc, ſicut patet in martirib. Si vero fiat comparatio quo ad ſecundam conditionem. ſ. quantũ ad prõptitudinẽ volũtatis, efficaciores fuiſſent in mærendo tũc q̃ nũc, pro eo quod volũtas tunc quaſi continue fuiſſet in bonis operibus, Deo placentib. ſine retardatione, nũc aũt ſiue ex laſſitudine, ſiue ex ſurreptione frequenter ceſſat à bonis operib. & intẽdit aliquando rebus nociuis, aliquando inutilibus; tum pp difficultatem ad bonum, tũ propter pronitatem ad malum. Si fiat demũ comparatio quantũ ad tertiã cõditionẽ. ſ. ex magnitudine Charitatis põt fieri cõparatio, aut particularis perſonæ ad particularẽ perſonã, aut ſtatus ad ſtatũ, ſi priori modo dicendũ eſt, quod ſe habent ſicut

dona gratuita efficaciora eſſẽt ad merendum poſt lapsũ & quo.

exce-

Digitized by Google

excedentia,& exceſſa, ſatis.n. probabiliter credi pōt, quod aliqui ſunt, qui habēt maiorem gratiā aliquib. qui fuiſſent in ſtatu innocētię, ſi Adam ſteuſſet, aliqui vero minorem, ſicut creditur de perſonis exiſtentibus currente lege Moyſi, ex exiſtentibus currente lege Euangelica. Si aūt comparetur generaliter ſtatus ad ſtatum, tunc non videtur vſq; quaq; certū, in quo ſtatu dominus homini maius, minus ve Charitatis,& gratiæ tribuiſſet, pro eo, quod ſm diuerſas conditiones reperitur maior, & minor idoneitas in homine ſuſcipiente,& quod plus eſt, magnitudo gratiæ diſtributæ plus attenditur ſecundum diſtintionē diſtribuentis, quę cognitionem noſtram latet probabilius tamen videtur, qđ Deus maiora munera gratiæ elargitus eſt homini lapſo, q̄ dediſſet homini, ſi in ſtatu innocentiæ permanſiſſet, tum quia ho: maiori adiutorio gratię indiget, tum etiā quia decet Deum de malo maius bonum elicere, quam ſit illud bonum, quod adhimendo malum nocet, tum etiā quia mediator, & interceſſor pro nobis interpellat, quem decet exaudiri in omnibus pro ſua reuerentia. vnde cum appareat vultui Dei ſemper ad interpellandum pro nobis, & pro nobis in Cruce oblatus fuerit,& quotidie offeratur, valde probabile videtur, qđ maius munus gratiæ tribuatur nobis, quam ſi ipſe non fuiſſet incarnatus,& pro nobis oblatus;& hoc ex pſe videt innui Io.7. cū dicitur. Quod ſpiritus nōdum erat datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus; Tamen cum aſcendit in altū, tūc dedit dona hominib. Ex hac igitur triplici rōne, quarum vna eſt in cōmendatione miæ.& ſecūda eſt in cōmendatione ſapientię,& tertia in cōmēdatione diuinæ Iuſtitiæ, ſatis rōnabiliter colligit. quod nunc magis ſint efficacia dona gratuita ad mærendum, quā in ſtatu innocētię nō ſolū rōne difficultatis, verū ēt rōne grę,& Charitatis, quāuis nō abeūde dici poſſit, quod maior efficacia in mærendo erat tunc, ratione promptitudinis voluntatis.

Deus maiora dona gratiæ elargitus ē homini lapſo, q̄ dediſet ſi in ſtatu innocentia permanſiſſet.

Quæſt. 6. Quæritur. 6. An gratia, quam habuit Adam in ſtatu innocētiæ, & quā niſi peccaſſet ipſe, habuiſſet poſteri eius, talis fuerit, vt nullū admitteret veniale peccatum. De hac re eſt duplex opinio. Vna Alex. de Ales p.2.q.104.m.6. D.Th.p.2.q.89.art.3 D.Bona. in 2.d.21.art.3.q.1. Duran. ead.d. q.4.& oīum Thomiſtarū negantium in ſtatu innocentiæ potuiſſe fieri vllū peccatum veniale; ſed neceſſarium fuiſſe primū peccatum fuiſſe mortale, fundamentū huius opinionis (vt patet ex Alex. vbi ſupra) eſt tale, quod vires Inferiores in primo ſtatu hominis, oīno erāt ſuperiorib. ſubditę, Adeo vt nullatenus in ipſis eſſe potuerit inordinatio aliqua, niſi prius deordinatis viribus ſuperiorib. quia taliter erat ho. in ſtatu innocētiæ inſtitutus, (vt ait D.Aug.14.de Ciu.Dei c.10.& 26.) quod quādiu pars ſuperior hoīs firmiter Deo adhæreret, oia inferiora ſuperiori parte ſubdebant, nō ſolū partes aiæ, ſed ēt ipſum corpus & alia exteriora, ſuperior aūt pars hoīs. ſ. mēs. a ſua rectitudine, qua Deo ſubdebatur remoueri nō poterat, niſi per peccatū mortale, q a remotio,& auerſio adeo, cū ſit auerſio ab vlt. fine, neceſſario eſt peccatum mortale. Vnde duplex eſt rectitudo (inquit Alex.) vna, quę eſt in ſtatu innocētię,& hāc Adā non potuit ſeruare peccando venialiter. Alia eſt rectitudo, quę eſt ex gratia gratum faciente,& hæc eſt in ipſa motiua ſuperioris non in aliis virib. per ſe, & Primo & hęc pōt ſeruari cum peccato veniali, in quo pctō veniali egreditur inferior viſa rectitudine, licet non egrediatur, ſuperior. Prima Rectitudo innocētiæ eſt vniuerſalis in oīb. viribus: Secunda vero eſt in ipſa rōne,& iis, quæ p ſe obediunt rōni, p conſequens, quia vero rectitudo innocētię habuit duplicē reſpectū ad Deū, ſub quo recte ordinabat rō,& ad inferiores vires, ſuper quas ordinabatur, ſēper ſeruaretur illa pars rectitudinis, quę eſt ad inferiores vires; ſi ſemper ſeruata eſſet illa pars rectitudinis, q̄ eſt ſub Deo,& iō primus egreſſus à rectitudine fuit mortalis, eo. n. quo rō nō ſeruauit rectitudinē, q̄ erat ſub Deo, iō nec alię vires ſeruauerunt rectitudinē, q̄ habuerunt ſub ratione,& ideo veniale peccatum ſecutum eſt mortale.

Alex. de Ales. p.2. q.104. m.6. D. Th. p.2.q.89. art.3. D. Bonau. in 2.d.21. artic.3.q.1. Dona. in 2.d.21.q.4.

D. Aug.

Rectitudo eſt duplex.

Primus egreſſus à rectitudine fuit mortalis.

Altera opinio eſt Sco. i 2.d.21.q.1. Ric. in 2.d.21.art.3.q.1. Maioris in 2. ead.d.q.

Digitized by Google

Scot. Ric. Maior. Baſſo. Rubion. Voril. Landulphus. de Neap. Almayn in moralibus.

2. Baſſ. ea. d. Rub. Voril. Landul. de Neap. ead. d. & Gab. in. 2. d. 22. q. 1. art. 3. & Almayn in ſuis moralibus tract. 3. ca. 22. & omnes diſcipuli Doct. ſubt. eandē opinionem defendunt. vnde obſeruandum eſt ꝙ ſtatus innocētię pōt ſumi dupliciter, vno. mō pōt accipi innocētia pro immunitate ab oī culpa, Alio mō ꝓ originali iuſtitia, quæ pōt dici quædā innocentia pro quanto, ipſa mediante, ho. in innocentia ſernatus fuiſſet, & cōſeruari faciliter potuiſſet, & ipſa diuina gratia dici poteſt innocentia, quia facit hoīem innocentē, & à culpa immunē.

Status innocentiæ ſumitur dupliciter

Veniale peccatum ē duplex.

Secundo obſeruandū eſt, qđ duplex eſt veniale peccatū, vnū ex opere operātis, & hoc eſt duplex, nā quoddā accidit homini ex ſurreptione ſenſualitatis, quoddā vero ex aliquo ſubito, & indeliberato motu deliberationis, vbi eſt primus motus infidelitatis, & deſperationis. Alterum eſt ex opere opato. i. ex obiecto, vel ex gñe, ꝗ. ſ. ex ſuo gñe eſt veniale ob imperfectionē actus, & leuitatē materiæ, cuiuſmodi ē verbum otioſū, vel mēdaciū iocoſū, vel officioſum.

Peccatū mortale, & veniale quomodo diſtinguntur.

Tertio obſeruandū eſt qđ pctm̄ mortale, & veniale nō diſtingūtur ꝑ hoc, ꝙ mortale eſt circa finē, vt obiectū, veniale vero circa ea, quę ſunt ad finem tm̄, q̄a vtrunq; pōt eſſe circa finē, & circa media ad finem, ſed in hoc diſtingunt̄, vt ad præſens ſpectat, ꝙ peccatū mortale eſt deordinatio oppoſita ordinationi, ſinē quā finis obtineri nō pōt, vt eſt obſeruatio p̄ceptorū Dei, quorū deordinationes ipſi obſeruationi oppoſitę sūt peccata mortalia.

Peccatū mortale quid ſit.

Peccatū veniale quid ſit.

Peccatū uero veniale eſt deordinatio oppoſita ordinationi p̄ceptæ vtili quidē ad finis conſequtionē: nō tñ neceſſariæ, vt nō mentiri iocoſe, eſt ordinatio vtilis ad finē, & tñ deordinatio illi appoſita, quę eſt mēdaciū iocoſū, nō impedit oīno hoīem a finis cōſequtione, quia nō aufert coniunctionem hoīs cū Deo per Charitatē, ſed cum ea eſt compoſſibilis.

Rectitudo duplex habitualis, & actualis.

Quarto. Obſeruandū eſt, ꝙ rectitudo eſt duplex, alia habitualis, alia vero actualis. Rectitudo habitualis eſt q̄dā habitus in voluntate hominis recti, ac iuſti exiſtens, qui inclinat ad iuſta iuſte volenda, & voluntas per hanc rectitudinem informata, & habituata, dicitur habitualiter velle iuſta iuſte, Hāc rectitudinem ſeu iuſtitiam habitualem, quę erat iuſtitia originalis, habuit Adam in ſtatu innocentię, quę voluntatem eius delectabiliter inclinabat ad iuſte volendū, quę iuſta erant, & ad odiēdum mala, & omnes potentias inferiores, & ſuperiores in ſuis officiis continebat, adeo vt inferiores promptę, & delectabiliter ſuperioribus obedirent, atque eis ſubijcerentur, amplectebaturq; hæc rectitudo habitualis in Primo homine obſeruantiam omnium ordinationum, & rectitudinum actualium, quę pręcipiuntur tanq; neceſſarię ad finis obtentū, vt ſunt decem pręcepta legis. Itaq; ad illam ſummam rectitudinem erat pię requiſita, & neceſſaria obſeruatio cuiuſcunque ordinationis pręceptę tāque neceſſariæ ad finē, quia cum deordinatione oppoſita nō erat cōpoſſibilis, ſicut gratia non eſt cōpoſſibilis cū deordinatione ordinationi p̄ceptæ vt neceſſariæ ad finem. Aliter. n. cū peccato mortali eſſet compoſſibilis, at ſicut gratię peccatum veniale nō repugnat ita nec ſummę illi rectitudini habituali quā primus homo in ſtatu illo innocētiæ habuit, repugnabat. Rectitudini ergo habituali opponitur deordinatio oppoſita ordinationi neceſſariæ ad finem, adeo vt cum ea eſſe nequeat, nō tamen deordinatio oppoſita ordinationi vtili quidē ad finem, ſed non neceſſariæ, quæ eſt culpa venialis.

Rectitudo actualis quid ſit.

Rectitudo actualis illa eſt, quę actui ſecūdo ineſt, qualis eſt illa, quæ dilectione Dei actuali inhæret, vel actuali obſeruationi legis cuiuſcumque. Sicut autem rectitudini habituali non repugnat culpa venialis, ita nec rectitudini actuali; ſed ſtat quempiam elicere actum rectum, ac meritorium, cui culpa venialis annectatur exiſtenti cauſa; quiſpiam Charitate motus, & ob Deum ſummæ dilectum prædicat populo; in actu vero prædicandi oritur actus leuis inanis gloriæ: appetit enim à populo laudari, actus quidem prædicandi, rectus eſt Actuali rectitudine, ac meritorius, et ſi per accedens ei peccatum veniale coniungatur. Hæc Scot. In

2.d.21.q.1.ad primum.

His ita conſtitutis ſit prima Concluſio. Accipiendo ſtatum innocentiæ primo modo, nullus potuit peccare venialiter, ſic quod poſt primum peccatum remanſerit in eodẽ ſtatu innocentię; potuit bene abſolute: patet quia innocentia primo modo ſumpta eſt immunitas ab omni culpa, ſed nullus poſt commiſſam aliq̃ culpã, (licet venialẽ) eſt immunis ab omni culpa, ergo nec in ſtatu innocentiæ ſic acceptæ.

Secunda concluſio accipiendo innocentiã ſecundo modo, videlicet pro originali iuſtitia, vel pro gratia non potuit ho: peccare venialiter peccato veniali ex opere operantis, hoc eſt ex ſurreptione, vel propter imperfectionem ipſius deliberationis; quemadmodũ ſunt primi motus, vt primus motus ad gulã, ad luxuriam &c. nõ primo primi, ſed ſecundo primi, qui ponuntur à Doct. venialis culpæ: quia iuſtitia originalis reddebat ſenſualitatem ſubiectam portioni ſuperiori rationis, adeo quod ſtante illo fœliciſſimo innocẽtię ſtatu ex ſurreptione appetitus ſenſitini non potuiſſet Adam peccare venialiter, quia per iuſtitiam originalem in eius voluntate, & habitum ei ſimilem in appetitu ſenſitiuo, plene ſubdebantur ipſi rationi omnes vires inferiores, eratque ſenſualitas adeo rationi ſubiecta, vt nec peruerteret eius imperium, & moderationem, atque adeo Iuſtitia originali ſtante, non potuiſſent inſurgere motus cõtra iudiciũ rationis, & per conſequens repugnabat q̃d in habente iuſtitiam originalem, fuiſſet talis motus venialis ex ſurreptione, vel ratione indeliberationis.

Tertia Concluſio, accipiendo innocentiam ſecundo modo, potuit primus ho: & quilibet alius peccare venialiter peccato veniali ex obiecto vel genere in ſtatu innocentię, ſic accepto, adeo quòd poſt tale peccatum remanſiſſet in eodem innocentię ſtatu, in quo erat prius, ideſt cum iuſtitia originali & gratia. Probatur primo. quia aliquis actus ex genere ſuo, ſiue ex obiecto poteſt eſſe peccatum veniale, vt verbum ocioſum, ſed Adam potuit huiuſmodi actum exercere ocioſe loquendo, cui actus ille venialis non potuit eſſe mortalis, quia actus de ſe venialis non fit mortalis, niſi quatenus ſuper ipſum cadit præceptum, ergo, cum nullum præceptum habuerit Adam de abſtinendo ex neceſſitate ſalutis a talibus verbis, potuit huiuſmodi actum occiſum ocioſe exercere, & ſic peccare venialiter, maior de ſe patet, & minor probatur: quia non minus Adam erat liber ad actum occioſum exercendũ, quam ad comedendum de ligno vetito, ergo ſicut potuit comedere de ligno vetito, ita potuit actũ illũ ocioſũ exercere, & confirmatur, quia ſicut erat liber ad efficiendum opera bona præcepta, & nõ præcepta, ita & ad perpetranda mala prohibita, quæ erant contra præceptum, & mala non prohibita; quia non erant contra legem ſed cõtra conſilium modo in tertio notabili expoſito. Huius rationis Thomiſtæ negant minorem, quoniam peccata venialia non committuntur niſi altero duorum modorum, vel quia mens auerſa eſt ab vltimo fine, vel quia inferiora nõ perfecte ſubduntur ſuis ſuperioribus, ſed ante peccatum mortale, non potuit mens eſſe auerſa ab ultimo fine, & inferiora ante eius auerſionem, erant ipſi perfecte ſubiecta; atque adeo nullo modo potuit in Adam eſſe veniale peccatum ante mortale; Sed hæc reſponſio facile reijcitur. eſt enim falſum, quod peccatum veniale nõ poſſit committi, niſi illis duobus modis, nam ante auerſionem mentis a fine vltimo potuit in Adam eſſe veniale peccatũ: nam ſtante ordine neceſſario ad finem, potuit deſtrui ordo non neceſſarius ad finẽ, qui per peccatum veniale deſtruitur, ſicut manente ordine neceſſario concluſionis ad principium, poteſt deſtrui ordo cõtingens, ſiue propoſitionis cõtingentis ad ipſum, non ergo oportet mẽtem eſſe auerſam ab vltimo fine, vt peccatum veniale committatur, nec peccatum veniale eſt neceſſario circa finem, vt finis eſt, ſed vt obiectum, ac pro inde poteſt etiam mens auerti à Deo, vt obiecto, quin ab eo vt fine auertatur, vt contingit in odio indeliberato Dei.

Capreol. & Caiet.

Peccatũ veniale duob. modis cõmititur.

Digitized by Google

Secundo Donũ iuſtitiæ originalis non coniũgebat perfectius vltimo fini, q̃ quęcunq; gratia gratum faciens cõiũgit nũc viatoré, ſed cum gratia gratũ faciente, q̃tũcũq; magna in via, põt ſtare peccatũ veniale ẽt in viris perfectiſſimis. Vnde Io: in ſua Can. dixit: Si dixerimus qđ peccatũ non habemus ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. ergo Adã peccare potuit venialiter, in illo ſtatu innocentię. Reſpondent Capreolus, & Caieta. quod hoc argumentum peccat per fallaciã, ſecundũ non cãm, vt cãm, quia ꝙ cũ gratia viatoris ſtet nunc veniale peccatum, nõ aũt cũ originali iuſtitia primorũ parentũ, rõ nõ eſt; quia donum illud perfectius cõiungeret vltimo fini, q̃ gratia Io. Bap. vel Hieremię vel Apoſtolorũ in eorum vltima ſantificatione collata, ſed potius, quia donũ illud non ſolũ ſubdebat mẽtẽ Deo, verũ etiam corpus aiæ, & oẽs potentias inferiores rõni, imo gñaliter oĩa inferiora, quæ ſunt in homine ſuis ſuperiorib. in tm̃, quod ordines inferiores violari nõ poterãt, niſi pri⁹ natura, vel tpe ſublato ordine ſuperiori, Cæterũ hæc rñſio innitur falſo fundamẽto. ſ. quod in parte ſuperiori nõ potuit eſſe peccatũ veniale, quia reſpicit finẽ, circa quem non contingit venialiter, ſed ſolum mortaliter peccare, quod falſum eſt: qm̃ peccatũ veniale eſt ẽt circa finem; vt obiectum, ſicut peccatum mortale eſt ẽt circa media ad finẽ, præterea licet à mediis neceſſarijs ad finem, mens, & pars ſuperior nõ poſſit auerti, quin à fine auertatur, cæterũ ab ijs, quę nõ ſunt neceſſaria, ſed vtilia ad illum finẽ, vt ordinationes quib. opponuntur peccata venialia, quid prohibet illã auerti, quin finẽ deſeratur? prætereà fateor, quod in parte inferiori hois nõ potuit eſſe peccatum veniale, niſi prius in ſuperiori inueniretur, ſed nego quod peccatũ veniale in ſuperiori parte ammitti non potuerit. Pręterea vel non potuit eſſe primũ peccatũ Adæ veniale, quia Iuſtitia originalis ſubdebat mentẽ Deo, vel quia ſubdebat ẽt uires inferiores, ſed ex neutro capite impeditur. peccatũ veniale in primo hoĩe ergo &c. maior ẽt ab ipſis conceditꝰ, minorem ſic oſtendo, in primis nõ ex primo capite, quia gratia ẽt perfectiſſima cõiungit mentẽ Deo, eamq; ipſi perfectiſſime ſubdit cum hoc tñ in mente, & parte ſuperiori põt eſſe peccatum veniale, vt leuis motus Infidelitatis, & ipſo ordine, & coniũctione ad Deum ſtante, põt viator ex electione multos actus veniales ex gñe exercere. ergo quamuis iuſtitia originalis coniungeret, & ſubderet mentem Deo, potuit in parte ſuperiori eſſe peccatũ veniale, pręſertim cũ peccatum veniale ipſi nõ repugnaret. Neque ex ſecundo capite. nã id videretur verũ, ſi peccatũ veniale non poſſet eſſe, niſi in parte hois inferiori, qđ tñ, & falſum & à vera rõne videtur eſſe alienũ, ex quo patet quod Argũ. Sco. non peccat per fallaciã, ſecundum nõ cãm vt cãm, nam ex perfectà conuerſione, & ſubiectione mentis ad Deum, quæ fit ꝑ gratiã, cũ qua tñ peccatum veniale eſt cõpoſſibile, infert ẽt iuſtitiã originalem potuiſſe ſecum pati peccatum veniale. Nam ipſi ob id peccatum Adæ veniale eſſe potuiſſe negant, quia iuſtitia originalis perfectę mentem Deo ſubdebat, & potentias inferiores ipſi menti, ſane ipſi decipiũtur, dũ arbitrantur peccatum veniale nõ potuiſſe habere ſedem niſi in potentiis inferioribus, hoc iõ quia peccatum in parte ſuperiori circa finem eſt neceſſario mortale. ꝙ omnino eſt falſum, cũ videamus modo in parte ſuperiori ẽt peccata venialia admitti; ſi igitur ex ſubiectione perfecta & coniunctione, q̃ cãt gratia in aĩa in ordine ad Deum, non põt colligi; quod in parte ſuperiori hominis non põt eſſe peccatũ veniale, ergo nec ex coniunctione, & ſubiectione mẽtis ad Deum ex iuſtitia originali prouenięte id colligi potuerit. Alii Th. ſic reſpondent ad rationes Scoti, quod impoſſibilitas peccandi venialiter nõ proueniſſet homini ex ſola intrinſeca diſpoſitione naturæ, ſed ẽt ex particulari prouidentia, & ſpeciali protectione ipſius Dei; qui manente illo ſtatu ſeruabat Adamum, & cõtinebat, ne in iſtiusmodi peccata venialia laberetur, quemadmodum, & vitã & ſanitatem eius mirabiliter cõſeruabat, nec à reb. quæ ab extrinſeco ei nocere poterant, vel nimirum læderentur. Nam ingenue

Capreol. & Caiet.

Medina. in 2: q. 89. arti. 3. & Pererius libro: 5. in Gen. diſp. de gratia Ada. q. 2.

Digitized by Google

genus fatetur Pererius ad perperranda oia venialia peccata ex genere ſiue ex obiectus non ſatis fuiſſe donum gratię gratū facientis, nec virtutes morales, aut diuinas, animo Adami inſidentes, atque inhærentes: nam huiuſmodi dona multo magis arcere ab Adamo, & excludere peccatum mortale debuiſsent, quam peccatum veniale, maiorem enim cum illo, quàm cū hoc repugnantiam habent.

Certe libentiſſime hijs auctoribus cōcedimus, quod ſi homo in illo ſtatu illam peculiarem Dei prouidentiam habebat, & ſpeciale auxilium, ne in peccatum labe retur, quod non potuit peccare venialiter ſicut & ego ipſe, ſi talem protectionem, & auxilium à Deo ſummo largitore haberem minime in peccatum veniale labi poſſem, hac ſane protectione admiſſa, & auxilio ſpeciali ad id primo homini conceſſo, non habet locum controuerſia inter S. Thom. & Scotum, ſed ſolum ex natura, & ratione intrinſeca rectitudinis illius ſtatus, hac protectione ſpāli ſecluſa.

Tertio arguitur peccatum veniale, vel deſtrueret originalem iuſtitiam ex repugnantia ad ipſam, vel ex lege à Deo ſtabilita, non primum, quia ſicut ſummæ gratiæ non repugnat peccatum veniale, ita vt cum illa ſit incompoſſibile; ita nec rectitudini innocentiæ; Nec ſecundū quia, nec talis erat lex, nec fuit conueniens, qđ Deus ad rem tam difficilem hominē viatorem obligaret, neque quod ob tam minimos defectus ab amicitia Dei repellere tur. Præterea quarto rectitudini habitua li innocentiæ non repugnat peccatum veniale, cùm ipſam nō deſtruat, ergo potuit peccatum veniale eſſe ſimul cum iuſtitia originali, ergo potuit primus homo in ſtatu innocentiæ peccare venialiter, Antecedens eſt certum ēt iuxta D. Thom. conſequentia ēt prima ſatis patet, nam ſi peccatum veniale non repugnat innocentiæ potuit eſſe cum iuſtitia originali, vltima conſequentia oſtenditur, quia quod Adā non potuerit peccare, primo venialiter, poteſt prouenire, vel ex repugnantia peccati venialis, cum illo ſtatu, vel ex eo, quod nō potuit tale peccatum committi, niſi mente à fine auerſa, ſed ex neutro capite euenire poteſt, ergo & c. Non ex primo, quia peccatum veniale non repugnat innocentiæ, vt ſupra diximus, neque ex ſecundo quia vt iam dictum eſt, menti poteſt ineſſe peccatū veniale, quin à fine vltimo p peccatum mortale auertatur; patet ergo vera tertia concluſio, quod ſcilicet Adam in ſtatu innocentiæ potuit peccare venialiter. Sed contra hanc concluſionem arguūt Thomiſtæ & primo ſic; A ſtatu ſummæ rectitudinis nō poteſt aliquis cadere, niſi per peccatum mortale, & peccatum graue, ſed ſtatus innocentiæ erat ſummæ rectitudinis ergo &c. Reſpondetur quod a ſtatu ſummæ rectitudinis poteſt aliquis cadere per peccatum veniale aliqualiter, licet non totaliter, & vniuerſaliter; ſecundo dico, quod primus homo a ſtatu innocentię non cecidiſſet per peccatum veniale, accipiendo ſtatum innocentiæ ſecundo modo, quia non perdidiſſet iuſtitiam originalem, nec gratiam: nō enim erat originalis iuſtitia ita ſumma rectitudo, quin bene compateretur ſecum peccatum veniale, ſicut dictum eſt ſupra.

Secundo peccatum ex malitia non poteſt eſſe niſi mortale, ſed primus ho: non potuit peccare primo niſi ex certa electione, & malitia, quia non ex paſſione, nec ex ignorantia, quia iſta ſunt pœnalia, nec pręceſſerunt culpam ergo &c. Maior probatur, quia omne tale peccatum prouenit ex contemptu, omne autem peccatum ex contemptu Dei proueniens, eſt mortale ergo &c.

Reſpondetur, quòd peccatum ex certa ſcientia, & electione poteſt aliquando eſſe veniale, ſicut ex certa ſcientia, & electione dicere verbum occiſum, aut mendacium officioſū, nam ſicut primus homo peccauit mortaliter, & non ex errore, vel ignorantia ſaltem antecedente, ſed ex electione vt docet Sc. in. 2. d. 22. ita potuit peccare venialiter non ex errore, vel ignorantia præcedente, ſed ex electione, etiam ad id quod dicitur de contemptu, dico primo quod falſum eſt: multa enim potuiſſet omittere, & tamen ſine contemptu, non. n. quia contemnebat conſilium, ſed quia ſo-

Peccatū ex certa ſciētia, & electione poteſt eſſe veniale.

Digitized by Google

lum reputabat non fore neceſſarium poterat dimittere; non eſt autem peccatũ mortale, niſi ſit actualis vilipenſio diuini conſilii, vel præcepti; puta quia reputo nihil valere, vel nolo Deo ſubeſſe, vel derideo, ſed ſi omitto ſolum quia video quod non expedir neceſſario, ſed ex quadam conſequẽtia non obligãte, & quia ſine ea poſsũ hũc finem intentum, hoc modo omittere, nõ eſt contemnere etiam ſi deliberate fiat, nam nullus ſpernit id, quod reputat rationabile, & ſalutiferũ, ſed homo in ſtatu innocentię reputaſset omne diuinum conſilium rationabile, & ſalutiferum, licet contra illud, quid faceret, atque adeo non cõtemptiſset illud. Nec valet ſi dicatur, qđ licet non contemptiſset ipſum in mente interius, contemptiſset tamen opere exterius, quoniam hoc modo ſcilicet operę conſilium ſpernere, non eſt aliud, quam contra ipſum agere, ſed ex hoc non ſequitur peccatum mortale; niſi dicas, quod etiam modo, omnis faciens contra aliquod diuinum conſilium ſpernat ipſum, & per conſequens peccet mortaliter, quod eſt falſum. Tertio aut primum peccatum Adæ corrupiſset originalem iuſtitiam, aut non, ſi ſic, neceſſario fuit mortale, ſi non, tunc in ſtatu innocentię fuiſſet debita pœna, quia omni peccato debetur aliqua pœna, ſed hoc eſt impoſſibile. Reſpondetur quod peccatũ veniale non corrumpiſset originalem iuſtitiam in Adam, quando dicis. ergo ſtante originali iuſtitia, & ſtatu innocentię nõ potuit eſſe debitor pœnę, concedo de pœna correſpondente mortali, peccato.n.veniali non reſponderet mors, tanquam pœna, quia excederet culpam, ſed aliqua alia, videlicet diſplicentia, vel aliquid huiuſmodi, nec enim talis pęna illi ſtatui erat repugnãs; vel põt dici, et melius qđ in illo ſtatu non correſpõderet veniali aliqua pęna, nam aliter potuiſset ſatisfacere pro peccato veniali, eliciendo nempe intenſiorem actũ charitatis, ſic enim poſſunt deleri venialia, atque adeo non fuiſset debitor alicuius pœnæ niſi pro tanto, quia fuiſset debitor intenſioris actus Charitatis, q proprie non eſt dicendus pœna, nec pœnalis cum ſit ſummæ liber, & voluntarius. Nec valet ſi dicatur contra primũ reſponſum, quod fęlicitati illius ſtatus repugnat pœna quæcunque; nam hoc non eſt verum niſi de ſtatu fœlici beatorum, qui perfectiſſimus eſt, in quo Deus omnem lachrimam abſterget &c. ſed de ſtatu innocentiæ non video formalem repugnantiã. Nec valet ſi dicatur contra ſecundum, qđ in peccato veniali ſunt duo ſcilicet, culpa, & pœna & quod culpa remittatur per actum Charitatis, at pœna vt remittatur oportet, quod homo in ſe patiatur aliquã pœnam, nã actus Charitatis habet, quod ſufficiat ad remiſſionem peccati venialis, quatenus includit vel habet annexam pęnitentiam virtualem de ipſo, ita vt ſi cogitatio peccati occurreret in actum pœnitẽtię prorumperet, & exiret in actum diſplicentiæ formalis, atque adeo ſi in illo ſtatu reperiri potuiſset actus Charitatis, vel remedium contra veniale, potuiſset etiam reperiri pœnitentiá, vel formalis diſplicẽtia, quæ tamen in illo ſtatu non eſt admittenda, quoniam peccatum veniale in iſta vita, ut docet Scot. in 4. d. 21. q. 1. ſub lit. e. remitti poteſt non tantũ p pœnam interiorem vel exteriorem, quia ad hoc illa non eſt neceſſaria abſolute, ſed etiam per aliquem actum Deo acceptum, magis q̃ peccatum veniale diſpliceat, & hoc vel relatum ab ipſo operãte ad peccati venialis remiſsionem, vel non relatũ ab ipſo, ſed à Deo acceptante in ordine ad eam, atq; ita in ſtatu innocentię ſine vlla pœnitentia p actum feruidum Charitatis à Deo in ordine ad remiſsionem venialium acceptatũ remitti potuiſsent pctã venialia nulla formali pnia habita, et ſi memorię occurreret, id.n. a Deo ſic ſtatui potuiſset, etſi pro hoc ſtatu illa virtualis pœnitentia & actualis, cũ memorię occurrerent, venialia eſſent neceſſaria, non tamen pro ſtatu innocentiæ, ſed illi actus charitatis excellentes abſque aliqua formali diſplicẽtia, etiã ſi peccata venialia memoriæ occurrerent, ad eorum remiſsionem ſufficiſſent. Nam quis negabit nunc virum maximæ ſanctitatis per egregia Charitatis opera, ita bene venialiũ peccatorum veniam obtinere

tinere

Digitized by Google

tinere, ſicut per eorum deteſtationem? nã inter homines ille cui egregie amicus honorem gerit, non exigit ab eo, vt de minutis culpis deteſtationem habeat. ergo multo minus erit illa deteſtatio de minutis culpis in illo innocentiæ ſtatu, in quo eſſent feruentiſſimi Charitatis actus.

Quarto per primum hominis peccatũ vires Inferiores neceſſario fuerunt deordinatæ, ſed hoc non poteſt eſſe, niſi p deordinationem virium ſuperiorũ à Deo, ſed hoc neceſſario eſt peccatum mortale ergo? Dico quod vires ſuperiores primo fuiſsent deordinatę, non tamen quælibet deordinatio à Deo, vel circa Deum eſt peccatũ mortale, ſicut patet de motu ſurreptitio in fidelitatis, & conſimilib. quare &c. ſolum.n. deordinatio cõtra pceptũ eſt peccatum mortale ſi ſit deliberatiua, eſto ergo quod in inferiorib. viribus non potuerit eſſe deordinatio, niſi præfuiſſet in ſuperiorib. dico tamen quod non oĩs deordinatio in virtute ſuperiori eſt peccatum mortale: nã leuis motus de opinione aliqua circa articulos fidei, eſt deordinatio in portione, vel virtute ſuperiori, & tamen non omnis motus leuis eſt ibi peccatum mortale.

Quinto in hoc eſt differentia peccati venialis; & peccati mortalis, quod peccatum mortale, eſt deordinatio circa finem, puta circa Deum, ſed veniale circa ea, quæ ſunt ad finẽ, ſed primus ho. nõ potuit primo, deordinari circa ea, q̃ ſunt ad finẽ, niſi prius circa finẽ, ergo &c. Dico quod maior, & minor huius argumẽti eſt falſa, falſa quidem maior, vt oſtendimus notabili tertio, minor eſt ẽt falſa: qa nõ quæcũq; deordinatio circa finem eſt peccatũ mortale, & dato, qđ ſit, nõ oportuit ipſum deordinari primo circa finẽ, ſed potuit circa illud, quod eſt circa finẽ deordinari primo.

Poſtremo primũ peccatũ hominis nõ potuit eſſe niſi à tentatione hoſtis, vt patet, quia aliunde non potuit tentari, nec à carne, nec ab alio, ſed tentatio hoſtis non eſt niſi ad mortale ergo &c. Dico q quædam eſt tentatio hoſtis ab hoſte, & per ſe ipſum, & iſta tentatione peccauit Eua, & mortaliter peccauit, nõ tñ oportuit ipſã peccaſſe mortaliter, ſed potuit nõ cõſẽtire, vel ſurreptitie tm̃ cõſentire, & nõ peccaſſet mortaliter, dato qđ tẽtatio illa nõ ſit, nec eſſe poſſit niſi ad mortale, ſm intẽtionẽ tentatis. Alia eſt tentatio hoſtis p alium, & ſic fuit tentatus Adã mediãte muliere, & licet iſta tentatio fuerit ad mortale, tñ potuit venialiter peccare, ſicut dictum eſt ſupra, nec oportuit ipſum ſic tentari primo.

Quæritur ſeptimo, verũ in ſtatu innocentię fuiſſent gñati hoĩes cũ gratia Dei. De hac re, duplex eſt opinio. Vna negãs, quæ vr̃ eſſe Hugonis. li. 1. de Sacramentis p. 6. c. 23. vbi ita ſcribit, primus hõ ante peccatũ generaſſe quidẽ filios ſine peccato, ſed nõ paternę iuſtitiæ hæredes, & hæc opinio põt ſic confirmari. Si hoĩes in ſtatu innocẽtiæ per gñationem habuiſſent gratiã, vtique gratia illa fuiſſet hoĩ naturalis, at repugnat, gratiã eſſe naturalẽ, nõ ſolũ hoĩ, ſed ẽt Angelo, etenim gratia eſt ex gñe & ordine rerũ ſupnaturaliũ. Pręterea poſteri Adami in ſtatu innocẽtiæ non fuiſſent habituri ab initio ſc ĩa, vt infra oſtẽdã, ergo ſimili rõne, nec gratiã habuiſſent. Subinde cũ glorioſius ſit aliquid habere ex meritis, quam ſine eis, ergo nullus in gratia cõceptus fuiſſet, nec eã habuiſſet, quouſq; ad eam ſe diſpoſuiſſet p aliquẽ bonũ actũ, non. n. gratia, ſed tm̃ iuſtitia originalis fuit data Adæ pro tota ſua poſteritate, atq; adeo, etſi in nullo præceſſiſſet aliquod meritũ ad iuſtitiã originalẽ, gratia tñ præceſſiſſet. Altera eſt opinio affirmãs quę vr̃ fuiſſe D. Th. p. 1. q. 100. nã ſicut primus hõ demeruit oĩb. vt peccatum originale contraheret, ita meruiſſet oĩb. ſi ſtetiſset, vt gratiã gratũ facientẽ haberent, & ita ſicut nũc, ſtatim, vt cõcepti ſunt, oẽs ſunt filij iræ, ita & tunc fuiſsent filij gratiæ, & cõfirmat, nã dixit Deus creſcite, & multiplicamini &c. & dominamini piſcib. maris &c. quare genuiſsent filios rerũ oĩum beſtiarũ & animantiũ dñ̃os, & rectores, & cum Dominium ſit effectus iuſti-

Quæſt. 7. Alex. de Ales p. 2. q. 90. m. 1. ar. 2. Hugo de Sacrar. li. 1. p. 6. c. 23.

Alex. de Ales vbi ſupra D. Tho. p. 1. q. 100. articu. 1. ad primum Landulphus de Neap. li. 2. d. 20. q. 2. Rub. eadem d. q. 2. artic. 4. Durand. in 2. d. 2. q. 5. art. 2.

tiæ inſeparabilis, fuiſſent iuſti procreati, nunc autem quia naſcimur filij iræ, beſtiæ ſunt nobis infeſtę, quę in ſtatu innocentiæ ad conſpectum alicuius, quamuis paruuli, & tenemini pueri, agnoſcentes eos ſuos dominos, & rectores expauiſſent. Dicendum eſt ergo quod filii fuiſſent nati cum iuſtitia gratuita, ſ. cum gratia gratum faciente, non quidem transfuſa per originē, ſed à Deo gratis infuſa; quod enim nō fuiſſet transfuſa per originem patet; quia non poteſt eſſe conditio naturalis, vt cum natura transfundatur, ſed ſemper donum Dei eſt (vt ipſum nomen ſonat) fuiſſet tamen omnibus infuſa: quia effectus non ponitur, niſi poſita ſua cauſa conſeruatiua, ſed iuſtitia gratuita fuit cauſa iuſtitiæ originalis conſeruatiua; ex rectitudine enim voluntatis ad Deum, in qua conſiſtebat iuſtitia gratuita, emanabat rectitudo virium ſenſitiuarum inferiorū ad rōnem, in qua conſiſtebat iuſtitia originalis. Ad primum in oppoſitum dicendum; quod licet gratia ſimul cum natura & anima rationali data fuiſſet homini, & ob eā cauſam dici poſſet quodammodo naturalis, quod ab origine naturæ affuiſſet homini, ſimpliciter tamē, & abſolute fuiſſet ſupernaturalis, quia non dabatur homini per vim, & potentiam naturę, & facultatis generatricis, ſed per ſolius Dei potentiā, nec erat aliquid naturaliter debitū homini, nec ad naturalem eius integritatem & perfectionem pertinens. Ad ſecundum dicendum, quod diuerſa eſt ratio ſcientiæ, & gratiæ, hæc. n. per ſe facit ad gratitudinem hominis, nec pōt vllo tēpore ſeparari à ſtatu iuſtitiæ originalis, & erat donum ſupernaturale, nulla facultate hominis parabile; ſciāt aūt eſt homini perfectio quædā naturalis, quam naturale eſt homini, paulatim per ſenſus, & experimenta, & per aſſiduam mentis agitationē cōparare.

homines in ſtatu innocentiæ geniti fuiſſet cū gratia gratū faciente.

Gratia in ſtatu innocentiæ non fuiſſet in poſteros per originem transfuſa ſed a Deo gratis infuſa.

Ad tertium dicendum, quod ſicut paruulis in lege Euangelica infunditur gratia p ſacramētū Baptiſmi ſine eorū diſpoſitione, ita fuiſſet in ſtatu innocētiæ ex mera Dei liberalitate, & ad Auct. Hugonis inquit D. Th. quod eſt intelligenda de iuſtitia, non quātū ad habitū, ſed quātū ad exercitiū, ſeu quātū ad executionē actus, habuiſſent. n. illi a primo ortu habitus virtutū; ſed illos in vſu explicare, & in actū proferre ante vſum rōnis non potuiſſent. At vero Adā, quia pfecta ętate, & rōne vtens, creatus eſt, ab exordio habuit gratiā nō modò ſcdm habitum, ſed etiam ſecundum actum.

Quæritur octauo. An in ſtatu innocentiæ poſteri Adæ generati, fuiſſent in gratia confirmati. De hac re triplex eſt opinio duæ extremę & vna media. prima opinio extrema eſt affirmatiua, & eſt D. Anſelmi li. 1. Cur Deus homo. ca. 18. vbi ita ſenſit. Quamuis. n. nondū prouenherentur ad illā æqualitatem Angelorum, ad quam peruēturi erāt hoīes, cū perfectus eſſet numerus de illis aſſumendus, in illa tn̄ iuſtitia, in qua erant, vr̄; quod ſi viciſſent, vt non peccarent tentati, ita confirmarent cū oī progenie ſua, quod vltra peccare non poſſent; quemadmodū quia iuſti peccauerunt, ſic infirmati ſunt, vt quātū in ipſis eſt ſine peccato, eſſe nō poſſint. Quis. n. audeat dicere plus valere iniuſtitiā ad alligandū in ſeruitutem hoīem in prima perſuaſione ſibi conſentientē, quā valeret iuſtitia ad confirmandū eū in libertatem ſibi in eadē prima tētatione adhærentē? Nam quemadmodum qm̄ humana natura, quæ erat in parentibus primis, tota in illis victa eſt, vt peccaret exēpto ſolo illo homine, quem Deus ſicut ſine vire ſemine de Virgine facere, ſic ſciuit a peccato Adæ ſecernere, ita in eiſdē tota reciciſſet, ſi non peccaſſent. Sicut igitur primus parens fuiſſet in iuſtitia cōfirmatus ſi primę tentationi reſtitiſſet, ita & filij. Hactenus Anſelmus, ex quibus verbis apparet, quod ſi Adam primam tentationem viciſſet, ipſe & tota eius poſteritas fuiſſent in gratia, & iuſtitia confirmata.

D. Anſel. lib. 1. Cur Deus ho. c. 18. Alec. de Aleſ. p. 2. qu. 90. nu. 1. Arti. 3; Maior in 2. d. 20. q. 1. & Gab. eadem d. q. 1. Arti. 2.

Hanc ſententiam ſequitur Alc. de Alc. 1. 2. q. 90. licet ēt oppoſitā probabilē exiſtimet, eandē ſequuntur maior in 2. d. 20. q. 1. &

q.1.& Gab.ea.d.q.1.art.2. Altera opinio extrema eſt negatiua, & eſt opinio D. Th.p.1.q.100.art.2. & Duran.in 2.d.20. q.5.art.3. qui dicunt, paruulos in ſtatu innocentiæ nō naſcituros in iuſtitia confirmatos, quia, (inquiunt,) pueri in ſua natiuitate non habuiſſent plus perfectionis, q̄ eorū parentes, qui quādiu in Paradiſo ſtetiſſent nō fuiſſent in iuſtitia confirmati, ſicut igitur Adā ita creatus eſt in gratia, vt eā tñ perdere peccando potuerit, ita poſteros eius ad eundem modum genitos eſſe exiſtimandum eſt.

D. Tho. Ric. Duran.

Tertia opinio, media, eſt Doc. ſub Sco. in 2.d.20.q.1. pro cuius intelligentia obſeruandū eſt, quod aliquis pōt dici bifariā cōfirmatus. Primo perfecta cōfirmatione, qua quis ita in iuſtitia perſiſtit, vt peccare non poſſit, eo mō, quo creaturæ non poſſe peccare conuenire pōt, & hæc confirmatio ſolis beatis ineſt. Secūdo pōt dici confirmatus aliquis confirmatione minus pfecta, qua quis ſic in accepta iuſtitia pmanet, quod nec peccat, nec vnq̄ peccabit, ita vt ab ea cadat, licet peccare poſſit. Cū prima cōfirmatione nullū ſtat peccatū, nec ēt veniale, Cum ſecunda vero peccatum veniale eſt cōpoſſibile. Multi.n. ſancti fuerunt in via cōfirmati in gratia, qui tñ peccatum veniale habuerunt (dempta Immaculata Virgine) iuxta illud. Si dixerimus quod peccatū nō habemus &c. Hoc conſtituto ſit prima cōcluſio, ſi ſit ſermo de confirmatione primo mō ſumpta, filij nati in innocentiæ ſtatu nō fuiſſent in iuſtitia confirmati, tū quia implicat quod viator ſit ita confirmatus, ſed illi paruuli, erant viatores ergo &c. aſſumptū patet, quia ſi viator eſſet illo mō cōfirmatus, eſſet beatus, quia potior pars beatitudinis eſt ſecuritas, at nō potēs peccare, & ſciens ſe non poſſe peccare (quod tunc ſciretur à viatoribus) eſt ſecurus de ſua beatitudine, atque adeo talis nō eſſet viator, ſed beatus, tū ēt; quia cōfirmatio in gratia, hoc primo modo non prouenit regulariter, niſi ex viſione diuinę eſſentię, quē pro illo ſtatu non vidiſſent; at cū ipſum per ſe bonū, quod eſt Deus, nō clare vī a viatore, & oē aliud bonum ſit finitum, particulare, & cui aliqua ratio boni deſit; nō poteſt id voluntatem hominis viatoris neceſſario auertere a malo, & in bono confirmare, quemadmodum beatos, eſſentia Diuina clare viſa, quæ omne bonum in ſe continet, eminenter, pleniſſime ſatiare, & explere poteſt omne appetitum humanæ voluntatis, neceſſario voluntatem abducit à malo & in bono confirmatur.

Scot. in 2. d.20.q.1. Landul. de Neap. ead. d. q. 2. Raſſolus. ea.d. q.1.art.2.

Duob. modis poteſt quis dici confirmatus in gratia.

1.Io.1.

Filij in ſtatu innocentiæ nō fuiſſēt in gratia cōfirmati.

Secunda Cōcluſio, bene poteſt viator eſſe confirmatus confirmatione imperfecta, & ſecundo modo ſumpta: quia talis confirmatio nō repugnat ſtatui viatoris, cū hoc.n.q; quis nō peccat, nec peccabit; ſtat poſſe peccare ſaltē venialiter potētia reducibili ad actū, ſtante confirmatione, licet non mortaliter, quod viatori competit, non tñ comprehenſori; Et ſi duas, cōfirmatus pōt peccare, ponatur ineſſe qd peccet. ergo non eſt confirmatus, & p cōſequens vr manifeſta implicatio qd quis ſit confirmatus, & quod poſſit peccare. Dico nō eſſe admittedū, quod illa ponat de poſſibili ineſſe, quo ad peccatum mortale, quia ex vi confirmationis ſequitur, quod confirmatus nō ſic peccat, nec peccabit, atq; ita eo ipſo, quod ponitur in actu illa de poſſibili, tollit è medio confirmatio, ſicut ſuppoſito, qd Petrus ſedeat, eſt verū dicere, quod Petrus ſedēs poteſt currere, cęterum admiſſo, quod curat negatur, & excluditur ab eo ſeſſio.

Viator poteſt in gratia confirmari confirmatione imperfecta.

Tertia Concluſio filij nati in ſtatu innocentię nō fuiſſent ſtatim in iuſtitia cōfirmati: quia filius nō recepiſſet pfectorem iuſtitiam, quā Pater, at pater potuit eam perdere, & perdidit, ergo & filius, atque adeo non fuiſſet in ea ſtatim confirmatus, & confirmatur, quod illa iuſtitia nō neceſſitabat eos ad bene agendū, ſicut nec parentes eorum, pręterea, ſi nullum fuiſſet meritum in prole reſpectu iuſtitię ſed in parente ſolum, illud non fuiſſet tantum, ſicut meritum Chriſti qui fuit ſecundus Adam, & tamen gratia, quę confertur per meritum Chriſti. in Baptiſmo, vel in aliis Sacramentis non confirmat recipientem, ergo multo minus ſuffeciſſet mæritum cuius cumque parentis,

Digitized by Google

tis,vel prolis ad confirmandum in iuſtitia quempiam.

Filii nati in ſtatu innocentia fuiſſēt in gratia cōfirmati, & confirmatiōe ſi primæ tentationi reſtitiſſent.

Quarta.Concluſio filij nati in ſtatu innocentiæ fuiſſent ſecundo modo confirmati in gratia,& originalis iuſtitia, ſi primæ tētationi reſtitiſſent,ſicut primus parens in eadem confirmatus fuiſſet,ſi primam tentationem viciſſet,& ſi dicas confirmatio in iuſtitia ſolum competit beatis;dico quod verum eſt, ſi ſit ſermo de confirmatione perfecta, ſi iterum dicas, confirmatio imperfecta nō excludit peccatum veniale,ergo confirmati, ſaltē peccare potuiſſent venialiter, concedo conſequens,& conſequentiam,nam ſtante illa cōfirmatione in iuſtitia originali,potuiſſet de facto ineſſe peccatum veniale,quia peccatum veniale,non eſt incompoſſibile cum innocentiæ ſtatu,vt diximus ſupra, dico tamen quod etſi ille confirmatus poſſet peccare venialiter, de facto tamen nunquam peccaſſet, ob peculiarem Dei prouidentiam, & ſpecialem cū Deo concurſum.Auctoritates D.Aug.quę cōtra hanc concluſionem ſolent adducere Thomiſtæ non militant contra hanc cōcluſionem,ſed potius contra opinionem primam Anſelmi,quas tamē optime explicatas,uide apud Alex.de Ales loco ſupra citato.

Quæſt.9.

Rubion. in 2.d.20 q.2.art.1. & ead.d. q.1.art. 1

In ſtatu innocentiæ etiam qui modo damnādi ſunt nati fuiſſent & tamen omnis tūc natus fuiſſet electus.

Quæritur.Nono. Verum Adamo non peccāte,nati fuiſſent ſoli electi, an etiā reprobi,vt Iudas Antiochus,Nero &c.fuiſſent procreati.De hac re triplex poteſt eſſe opinio, poteſt.n. primo dici, quod in ſtatu innocētiæ nullus fuiſſet damnatus, & illi ijdem, qui nunc ſunt electi,vel etiā alii nunc damnandi, potuiſſent tunc eſſe nati,primum apparet, quia in ſtatu innocentiæ non fuiſſet aliqua culpa mortalis. ergo nec pœna æternalis,nec.n.iuſte, niſi ex culpa infligitur talis pœna, atq; adeo omnis tūc natus fuiſſet electus, quia omnis ſaluandus eſt electus,Secūdum quod illi, qui nunc ſunt electi, vel alii potuiſſent,tunc fuiſſe electi,apparetur,quoniā omnis nunc contingenter electus potuit eſſe præſcitus,& contingenter etiam nūc præſcitus,potuit eſſe prædeſtinatus ſiue electus, ſed omnis ſaluandus contingenter fuit, & eſt electus, vel præſcitus,ſimiliter non neceſſario eſt pręſcitus,ergo licet nunc electus,non fuiſſet, tunc præſcitus, quia nec tunc fuiſſet aliqua culpa, tamen nunc præſcitus, potuit tunc fuiſſe electus,& confirmatur, quia quod aliquis nunc præſciatur, & præordinetur ad pęnam,hoc eſt per aliqua culpam præuiſam, ſed tunc nulla fuiſſet culpa, ergo quilibet indifferenter potuiſſet tūc fuiſſe electus, & ad æternam gloriam ordinatus.

Baſſolus in 2.d.20 q.1.art.4. In ſtatu innocentia nati fuiſſent omnes qui nati & naſcituri ſūt & nullus fuiſſet reprobus.

Secunda dici poteſt, quod non ſolum illi,qui electi ſunt geniti fuiſſent,ſed etiā omnes,quotquot nati ſunt, & ſunt naſcituri,& tūc nullus fuiſſet reprobatus, ita quod illi, qui ſunt modo reprobi non fuiſſent reprobi,ſed electi,licet ijdem numero fuiſſēt geniti, quod declaratur ſic, quia in priori ſigno rationis præuiſa eſt, & determinata à Deo, natura humana fore, quantum ad omnia iſta ſuppoſita, priuſquā aliq d fuerit præuiſum de caſu, ſeu de lapſu alicuius ſuppoſiti, vel naturæ in aliquo ſuppoſito.Sed poſt illud primum ſignum rationis voluntas Diuina determinauit aliquos ad gloriam,prædeſtinando eos, & iſti fuiſſent primū in ordine electorum, inter quos Chriſtus homo fuiſſet primus. In tertio verò ſigno in quo fuit præuiſus caſus humani generis, & aliquorum finaliter decedentium in peccato,& reprobatio eorum eſto, quod homo non cecidiſſet, ſed ſtetiſſet, fuiſſent prædeſtinati illi, qui ſunt modo reprobati, & fuiſſet conſtitutus ſecundus ordo electorum ex ipſis minoris gloriæ & beatitudinis, quam illi de primo ordine,& iſtud videtur probabiliter poſſe dici ſtante innocentia vniuerſaliter in omnibus.

Scot.in 2 d.20.q.2. Baſſolus ead.d.q.1 art.4. Landulph. de Neap. eadem.d. q. 2. Rubio ead.d.q.2 art.1. Vilion.eadē d.q.1. col.3.Gab ead.d. vtraque opinionem probabilē dicit.

Ex his corrolarie, n.ſequitur quod qui iſtorum fuiſſent,tunc nati,non poteſt vobis eſſe certum,niſi ex doctrina ſacra,vel ex ſententia ſanctorum habeatur expreſſum, probabilius tamen eſſe videtur, quod electi ſoli nunc, fuiſſent nati tunc: quoniam aut iſti ſoli, aut tantum damnati,aut omnes iſti, & illi, ſed non poteſt poni ſecundum, & tertium, quia

electo-

numerus electorum non fuiſſet maior tunc, quam nunc, ſed cum omnes tunc nati fuiſſent ſaluati, ſi omnes nunc boni, & mali, vel tantum mali fuiſſent tunc nati, maior fuiſſet tunc electorum ſaluandorum numerus, quam ſit modo, cum ſoli damnandi, ſint plures, quam ſaluandi, quia multi ſunt vocati, pauci vero electi Matth. 20. & ad hoc eſt expreſſa ſententia D. Gregorij lib. 4. Moraliū c. 28. in fine, ſi parentē primū nulla peccati putredo corrūperet, nequaq̃ filios ex ſe gehēnę generaret, ſed ij, qui nunc per redēptionē ſaluādi ſunt ſoli ab illo electi naſcerētur.

Sed dubium eſt vtrum omnes, qui nunc naſcuntur electi, nati in ſtatu innocentiæ fuiſſent, nā certum eſt quod multi electi, nunc nati ſunt ex reprobis patribus, an iſti tunc nati fuiſſent, & videtur quod non, quia non eſt identitas naturalis effectus, niſi ſtante identitate agentis, & materiæ. 8. Meth. ſed non fuiſſet identitas agentis, vel generantis, quia nūc nullus fuiſſet reprobus, ergo non oēs electi, qui nunc nati ſunt, tunc fuiſſent geniti.

Electi oēs q nūc ſunt, & qui futuri ſunt, nati fuiſſent in ſtatu innocentiæ.

Dicendum omnes electos qui nunc ſunt, naſcituros tunc fuiſſe, quia prius non variatur per id, quod poſterius eſt, ſed Deus prius determinauit numerū ſaluandorum, quam prę uiderit caſum Adæ, ergo ſiue caderet, ſiue non caderet Adam, non fuiſſent plures electi, q̃ modo ſunt, ſed oēs electi, qui nūc ſunt nati, tunc fuiſſent, ergo &c. & confirmatur, quia oīs ordinate volens finē, primo vult ipſum finem, ſecundo ea, quæ ſunt ad finē, prout magis, vel minus ipſi fini appropinquant, ſed Deus eſt huiuſmodi, ergo primo vult ſeipsū, vel finem omnium. Secūdo, creaturā, quam in ſeipſo elegit beatificandam. Tertio vult ſibi dare media ad habendam beatitudinem, ſcilicet gratiam, & merita, nec aſpicit, niſi aſpectu ſecundario, quod iſte electus ab iſto homine electo, vel ab illo reprobo generetur; imò idem electus qui in ſtatu innocentiæ fuiſſet genitus ab electo, nunc in præſenti ſtatu quandoq; gignitur à reprobo; & ſi dicatur quō hoc eſt poſſibile; dico quod ſicut vnus ignis numero, qui gignitur ab vno igne, poteſt æque ab alio igne generari. Ita Iſaac, qui genitus ex Abrahā Sanctiſſimo potuit gigni à Nerone peſſimo viro, quia illud nutrimentum, quod in Abraam eſt in ſemen conuerſum, potuit, & in Nerone conuerti, vel fieri, vt inde naſceretur Sanctus Iſaac: nam cum aliquid de ſubſtantia parentum non ingrediatur fętū, ſed ſuperfluum alimenti, & idem leonem, & idem menſtruū potuit ab alijs parentibus miniſtrari, atque ita idem fętus generari, ſicut ēt idem alimentum poteſt ſumi à diuerſis non ſimul, ſed diuiſim; ex quo patet primo, quod in illo ſtatu ſoli electi fuiſſent generati. Secundo, quod illi ſoli qui in illo ſtatu fuiſſent ſaluati, etiam modo ſunt, vel erunt ſaluati. Tertio patet quod modo aliter ſaluantur electi, quam tunc fuiſſent ſaluati, Deo id ab æterno ordinante, quia modo multi ſaluantur per martyrium, tunc autē nullum fuiſſet martyrium.

De Iuſtitia originali.

CVm feliciſſimus innocentiæ ſtatus in eo potiſſimum conſiſteret, quòd hominis mens Deo ſubderetur, & menti vires inferiores, qui erat effectus iuſtitiæ originalis; ideo diſputatio de Iuſtitia originali principem locum ſibi vendicat, de qua (vt de ea pro dignitate tractemus) hęc explicāda ſunt. Primo, an auctoritate diuinarum ſcripturarum poſſit euidenter oſtendi, hominem fuiſſe conditum in iuſtitia originali. Secundo, quidnam ſit quidditatiue ipſa iuſtitia originalis. Tertio, in quo reſideret, vt in ſubiecto. Quarto qui nam eſſent eius effectus. Quinto, an eſset diuerſa à gratia gratum faciente. Sexto, an filij Adæ fuiſsent naſcituri cum Iuſtitia originali.

Explicāda de Iuſtitia originali quot ſint.

Verū, vt clarius, & præſtantius qualitas, & præſtantia conditionis primi

hominis in ſtatu originalis iuſtitiæ conſtituti,nec nõ vis,& natura iuſtitię originalis liquidius perſpiciatur,obſeruãdum eſt,quod ſex humanę naturę ſtatus animo fingi, ac deſignari poſſunt, quorum alij reuera, aut ſunt, aut fuerunt,aut erunt aliquãdo, alij vero nec ſunt, nec erunt,nec fuerunt vnquam, ſed eſse poſsent. Primus ſtatus eſt hominis ſine gratia, & ſine vllo peccato, quem ſcholaſtici appellant ſtatum in puris naturalibus. Secundo eſt ſtatus hominis per peccatum vitiati, & corrupti, quem vocãt ſtatum deſtitutum. Tertio eſt hominis habẽtis naturalem integritatem rationi congruentem. Quarto eſt hominis iuſtitia originali præditi,& ornati,& hunc appellant ſtatum inſtitutum. Quintus eſt hominis per gratiam Chriſti à peccato Adæ liberati,& à vitijs ſanati, quẽ dicunt ſtatum reſtitutum. Sextus eſt hominis vſque ad Cæleſtem gloriam, & diuinæ naturæ conſpectũ prouecti, atq; producti, & hic ſtatus gloriæ, & beatitudinis appellatur.

Sex ſunt naturæ humanæ ſtatus.

Secundo obſeruandum eſt,quod inter duos primos ſtatus eſt diſcrimen aliquod, & conuenientia aliqua:differũt in hoc,quod primus includit merã negationem gratiæ, & peccati; ſecundus vero priuationem gratiæ, & præſentiã peccati;verum conueniunt quo ad potentiam, vel impotentiam agendi bonum,vel agendi malum; eodem enim modo ſe habet nunc homo in ſtatu naturæ lapſę,ac ſe habuiſset ſi in puris naturalibus fuiſset creatus; nam peccatũ Adę nihil de his,quæ naturalia ſunt homini, aut perdidit, aut diminuit, nã ſicut in dęmonibus naturalia remanſerunt integra, ita & in homine. Poteſt etiam addi aliud deſcrimen inter eos ſtatus ratione perſonæ, quia conditus homo in puris naturalibus, non fuiſſet inimicus Deo,nec filius iræ,nec priuatiuè Dei gratię indignus, nec gratiæ abſentia ei fuiſset culpa,nec mors,aut defectus alij corporales fuiſsẽt illi velut culpę pęna, ut in ſtatu deſtituto carere gratia eſt culpa,mori, & alijs malis affici eſt pęna, & cum culpa exiſtẽs eſt Deo inimicus filius iræ, & Dei gratia indignus, denique in primo ſtatu, ſicut nullum fuiſset meritum diuinæ gratiæ, ita nullum fuiſset demeritum; In ſecundo autem non modo nullum eſt meritum, ſed magnum etiam ineſt demeritum.

Differentia inter primum, & ſecundum hominis ſtatum.

Tertio obſeruandum eſt, quod etiã inter primum, & tertium ſtatum magnum eſt diſcrimen,nam in primo ſtatu appetitus rationalis,& ſenſitiuus naturali impetu ferrentur ad obiecta ſibi conuenientia, nec ſenſitiuus plenè ſubijceretur rationi, & licet in eo ſtatu poſset homo facere aliquod bonũ morale, tamen nec omne bonum facere, nec in bono faciendo diu perſeuerare potuiſset. In tertio autem ſtatu qui eſt conſonus rationi habensque integritatem naturæ, & debitam partiũ animæ ordinationem, & appetitus eſset obediens rationi,eique ſubiectus,& ipſa ratio rectè ſe haberet erga Deum tanquam primum principium, & vltimum finẽ naturalem hominis,& licet in eo ſtatu appetitus ſenſitiuus aduerſaretur interdum rationi, & eius mandata tranſgredi conaretur, vi tamen rationis, ſeu freno quodam repreſsus in officio ſuo contineretur, & in hoc ſtatu poſset homo omne bonum morale proſequi, & omne malum fugere, & in bene agendo perſeuerare.

Inter primum, & tertiũ ſtatum hoĩs magnum eſt diſcrimen.

Quarto obſeruandum eſt, quod hic tertius ſtatus etiã differt à quarto qui habet iuſtitiam originalem, quod hic quartus ſtatus præter vim illam rationis,& naturę integritatem,adiunctam habebat indefectibilem ſubordinationem corporis ſub anima,appetitus ſub ratione, & rationis ſub Deo. Item tertius ſtatus capax erat doloris, morbi, & quorumlibet malorum,quæ corporis poſsunt accidere, denique ipſius mortis,itemque triſtitiæ,timoris,angoris,aliarumque animæ perturbationũ, & moleſtiarum,hæc autem omnia in quarto ſtatu, in quo aliquandiu verſatus

Status tertius hoĩs differt à quarto.

tus

Digitized by Google

tus eſt Adam, longè remotiſſima fuerunt.

Quintus hoīs ſtatus excellẽtior eſt cæteris.

Poſtremo obſeruandum eſt, quod quintus ſtatus hominis per Chriſti gratiam à peccato liberati, ea ratione prioribus quatuor excellentior iudicari debet, quod faciat hominem gratum, & amicum Deo; vt cum fine ſupernaturali, eumque facit potentem efficiendi opera virtutum omnium, tam moralium, quam ſupernaturalium, quibus æternam felicitatem de condigno, vt loquũtur Theologi, promereatur. Sextus & vltimus ſtatus, omnium eſt valde præſtantiſſimus, nempe continens gratiæ confirmationem, & conſumationem, & cęleſtis gloriæ, omniumque bonorum poſſeſſionem, nullius indigentiam rei, impotentiam peccandi, atque moriendi, denique clariſſimam diuinæ eſſentiæ viſionem. His ita conſtitutis.

Sextus ſtatus hominis omnium eſt excellentiſſimus.

Queſt. 1.

Bellor. to. 3. lib. de gratia primi hominis c. 6. & Perer. lib. 5. in Geneſ. diſp. de iuſtit. orig. q. 4.

Quæritur primo. An auctoritate diuinarum ſcripturarum poſſit euidẽter oſtendi hominem conditum fuiſſe in iuſtitia originali; Dicendum quod in illo feliciſſimo innocentiæ ſtatu, tria erant maximè inſignia, ſcilicet felicitas hominis, tam ſecũdũ corpus, quam ſecundum animam, perfecta partis inferioris ſub imperium & poteſtatem ſuperioris ſubiectio, & immortalitas corporis, vel quod verius dictũ eſt, poteſtas non moriendi, felicitatem corporis, ſcilicet eius indolentiam, & impaſſibilitatem ſatis indicauit ſcriptura, incomparabilem amenitatem Paradiſi Terreſtris deſcribendo, ac vim arboris vitæ: nam cum dicat eos in Paradiſo verſatos eſſe nudos ab omni dolore, moleſtia, atque incommodo, quod extrinſecus eis poſſit accidere, inoffenſos, atque intactos fuiſſe ſignificat; perfectionem autem, & felicitatem animi inſinuauit Moſes cum dixit, hominem fuiſſe creatum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, & Principem, ac Dominum animantium à Deo conſtitutum, nec perfecta tantummodo rerum naturalium ſcientia ornatum, ſed etiam Diuino Prophetię ſpiritu afflatũ ſubiectio carnis, & ſenſuum ſub imperium rationis ſignificata eſt à Moſe, cùm dixit eos fuiſſe nudos, nec tamẽ erubuiſſe. Paulus quidem certè ad Roman. 7. rebellionem carnis aduerſus ſpiritum ex peccato natam eſſe docet, mortem etiã ex peccato primi hominis intraſse in omne genus humanum, nec à Deo eſſe factam, ſed inuidia Diaboli promanaſſe in mundum, ad Rom. 5. & Sap. 2. teſtatum legimus, idque nõ obſcure indicauit Moſes cũ ſcripſit Deũ Adamo, ſi ex arbore ſcientiæ boni, & mali comederet pęnam mortis cõminatum eſſe quaſi ſi non comederet, nunquam eſſet moriturus.

In ſtatu innocẽtiæ tria erãt maximè inſignia.

Corporis felicitatẽ in ſtatu innocẽtiæ oſtendit ſcriptura

Felicitatẽ animæ oſtendit ſcriptura

Subiectio ſenſus ſub imperiũ rõnis ſacra ſcriptura inſinuat.

Item in Pſal. 8. deſcribitur his verbis hominis prima creatio. Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis; quia viſitas eum? Minuiſti eũ paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eum &c. Caſus autem eius deſcribitur. Pſal 48. Homo cum in honore eſſet, non intellexit &c. quibus duobus modis indicatur fuiſſe primum hominem donis ſupernaturalibus ornatum. Primum, quia miratur Propheta hominem fere Angelis aequatum. Quid eſt homo, inquit, quod memor es eius, quaſi dicere vellet, mirum eſſe hominem natura ſua corporeum mortalem, animalium, ceterorũ affectibus obnoxium, ad eam gloriam euectum, vt parum omnino ab Angelis abeſset; deinde accidit quod dona illa primo homini collata, vocat honorem, & gloriam, honor autem, & gloria ſine dubio aliquid extrinſecum, & ſuper additum deſignat.

Item Eccleſiaſtici 17. Deus creauit hominem de terra, & ſecundum ſe veſtiuit illum virtute, quo loco creatio refertur ad naturam, indumẽtum virtutis ad ſuper addita dona, quẽ ad modum enim de honore, ſic etiam de indumento dici poteſt, eſſe quid extrinſecum, & ſuperadditum. Hoc etiam ſignificatur in lib. Sap. c. 2. cum dicitur ſecundum translationem Grecam facit

Ff 8

eit Deus hominem in integritate, & in incorruptione, & in lib. Eccleſiaſt. c. 7. inquit Salomon, ſolummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominē rectum, & ipſe infinitis ſe miſcuit quæſtionibus; Quem locum, (quicquid dicat Caiet. in Comment. eius loci) omnes fere Patres, & Theologi, & potiſſimū D. Aug. cum pluribus locis, interpretati ſunt de rectitudine originalis iuſtitię cum qua primus homo à Deo creatus eſt, & qua propter eius peccatum omnes ipſius poſteri priuati ſunt.

Quęſt. 2. Quæritur ſecundo. Quid nam fuerit quidditatiuè iuſtitia originalis, & primo videndum eſt, an fuerit donum ſupernaturale. De hac re duplex eſt opinio. Vna quę dicit, quod iuſtitia originalis non erat aliquod ſupernaturale donum naturæ ſuperadditum, & hoc ponitur tripliciter. Primo dicitur quod iuſtitia originalis non eſt aliud, quam ordo potentiarum armoniā inter ſe habentium, nam homo in naturalibus, ſi non eſſet peccatum, aliter ſe haberet, quam modo nos habeamus.

Opinio aſſerens iuſtitiā originalē nō fuiſſe ſupernaturale donum.

Nam nos experimur pro hoc ſtatu, qđ ſenſualitas contra rationem inſurgit, & quod interdum eſt difficile rationi ſenſualitatem compeſcere, hęc autem difficultas, non eſſet ante peccatū, atq; adeo iuſtitia originalis nihil eſt aliud quam ordo illarum potentiarū armoniam inter ſe habentium; & in ordine ad Deum, ſed peccato admiſſo nō ſtat ille ordo, ſed gens contra gentem inſurgit, & ſic dicitur corrumpi iuſtitia originalis, non quod aliqua res corrumpatur, ſed corrūpitur in eſſe iuſtitiæ, quia non eſt illa iuſta obedientia in pęna peccati, quæ prius erat, nec oportet reſpicere ad Philoſophos, qui non poſuerunt alium ſtatum à ſtatu, in quo concepti ſumus, putabant enim quod non fuiſſet alius ſtatus.

Iuſtitia originalis ſecundum aliquos eſt ordo potētiarū armoniam īter ſe habentium.

Secundo modo dicitur, quod nunc manet quid em idem potentiarum modus tendendi in ſua obiecta, ſicut in ſtatu innocentiæ, ſed Deus pro ſtatu illo manu tenebat potentias, ne immoderate, & in effrenate tenderent ſua obiecta; at modo in pęnā peccati, relinquit potētias actionibus ſuis, vt ab obiectis moueantur. Et iſti duo modi dicendi differunt, nam ſecundum priorē, alius erat ordo potentiarū in ordine ad ſua obiecta in ſtatu innocentiæ, ab ordine potentiarum in hoc ſtatu naturę lapſę, & ordinem illum potētiarum inter ſe, & ad Deum, pro ſtatu innocentiæ appellat iuſtitiam originalem. Secundus modus ponit eundem ordinē, ſed manutenentiam Dei ſpecialē pro illo ſtatu vocat iuſtitiam originalem, ſed contra iſtos modos dicendi arguitur, quoniam ſecūdum ipſos iuſtitia originalis eſſet in quocūque homine in puris naturalibus conſtituto, quod eſt falſum; aſſumptum apparet: quoniam quod conuenit ſibi circumſcripta omni forma tam ſupernaturaliter infuſa, quam naturaliter acquiſita, conuenit ei in ſolis naturalibus conſtituto, ſed originalis iuſtitia per quā fuiſſet vera obedientia virium inferiorum ad ſuperiores, eſt huiuſmodi, vt ponit primus modus dicendi, ergo &c. Secundus autem dicendi modus eſt contra communē ſenſum omnium Theologorum, & omnium patrum, pręterquam ꝙ Deus diſponit omnia ſuauiter, nec ſe ſolo, pręſertim longo tempore, effecit quod per cauſas ſecundas efficere valet; eiuſmodi autem effectus per dona ſupernaturalia habitualia viribus animæ collata poterat efficere, atque adeo Doctores communiter per ſupernaturalia habitualia dona, factos fuiſſe affirmāt, immo ex hac opinione concluderetur nullos habitus eſſe in nobis cum Deus oēs habitus ſupplere poſſit per ſuam Diuinam aſſiſtentiam. Tertius modus dicendi eſt Henrici de Gandau. quol. 6. q. 11. qui docet per iuſtitiam originalem, datam fuiſſe hominis voluntati rectitudinem quādam naturalem per quam poterat voluntas dominari appetitui ſenſitiuo, ſibique obediētem reddere, cui rectitudini opponitur curuitas naturalis, & pronitas ad malum in-

Iuſtitia originalis dicunt aliqui eſt ſpecialis Dei manutenentia qua ordo potentiarū in ſe ſeruabitur.

Henr. de Gand.

Iuſtitia originalis ſcđm Hen. eſt rectitudo naturalis voluntatis.

flicta

flicta voluntati propter peccatum, exẽplum ponit Virgæ, quæ primo erat recta, deinde flectitur, & curuatur. Quod autem eiuſmodi rectitudo ponenda ſit præter oẽm aliam rectitudinem infuſam, & ſupernaturalem, ſi quã habuit primus homo per iuſtitiam originalẽ, probat eo argumento quod ex ſententia omnium Theologorum, homo pp peccatum Adę non modo eſt ſpoliatus gratuitis donis, ſed etiam vulneratus in naturalibus ergo non ſolum perdidit rectitudinem ſupernaturalem, ſed etiã naturalem ſibi inditam, alioquin tantum diceretur ſpoliatus gratuitis. Deinde ſi homo propter peccatum nullũ donum naturale perdidiſſet, ſed naturalia ſalua, & integra retinuiſſet, nullũ profectò diſcrimen eſſe poſſet inter hominem originali peccato infectum, & aliquem alium creatum in puris naturalibus ſine gratia, & peccato: quare æqualiter eſſent puniendi.

Doctor Subtil. Ceterum hanc opinionẽ, vt falſam, & improbabilẽ optimè refellit Doct. Subt. in 2. d. 29. q. vnica. His argumentis & Primo cõtra illam rectitudinem naturalem quæ ponit vnam qualitatem ſeparabilem.

Opinio Hen. refellitur de iuſtitia originali. Arguo ſic, & ſuppono quod voluntas poteſt fieri à Deo in ſua pura ſubiecta, non habens aliquam talem qualitatem, tunc quæro, an ſit recta, vel nõ, ſed carẽs naturali rectitudine, ſi eſt recta rectitudine naturali, ergo illa rectitudo nõ dicit aliquam qualitatem abſolutam, ſed ſolam naturam voluntatis, ſi non eſt recta, ergo eſt curua ſicut virga iuxta eius exemplum, ſed hoc eſt falſum, quia tunc ex puris naturalibus, & ex natura ſua eſſet curua, atq; adeo nunquam poſſet eſſe recta manente natura ſua. Prætetea rectitudo naturalis voluntatis creatæ eſt rectitudo libera. In hoc enim diſtinguitur à rectitudine aliarum potentiarum, ſed libertas vel rectitudo libera conuenit voluntati ex ſe, & ex natura ſua intrinſeca, non ex qualitate aliqua ſuperaddita, quia nec illa qualitas in ſe habet aliquam libertatem ergo &c. Deinde ſecundum D. Auguſt. in Encher. aut voluntas non eſt, aut omnino libera dicenda eſt ergo ex eadem habet voluntatem, & libertatem, ſed ex ſeipſa habet eſſe voluntatem formaliter, ergo & libertatem, & per conſequens rectitudinem naturalẽ libertatis, vel liberam, quod idem eſt ſubinde ſecundum hanc opinionẽ non videtur poſſibile voluntatem peccare niſi habeat rectitudinem naturalem, quæ poſſet corrumpi per peccatum. Fiat igitur ſine iſto addito in ſola eſſentia ſua, ipſa non poterit peccare, quod videtur abſurdum: quia ipſa poteſt iuſtitiam tenere, hoc eſt, velle conformiter dictamini legis naturalis, & non eſt neceſſe ita velle, quia eſt libera, ergo poteſt peccare, atque adeo non oportet ponere talem qualitatẽ, vt eius oppoſita curuitas inducatur per peccatũ. *D. Aug.* Præterea iſta rectitudo per primũ peccatum mortale totaliter eſt corrupta. Igitur cum ſecundum peccatum ſit ita peccatum, ſicut primum, oportet vt ita ſecundum corrumpat ipſam, ſicut primum, ſed ſecundum non poteſt illam rectitudinem corrumpere, quia iã corrupta eſt per primum, ergo, vel ſecundum non eſt peccatum, vel non eſt peccatum ex eo, quòd corrumpit illam rectitudinem.

Poſtremo illa Rebellio videtur in homine in puris naturalibus conſtituto, ergo non eſt propter aliquam curuitatem, quam voluntas incurrit per peccatum. Conſequentia eſt manifeſta, & antecedens probatur: quia naturale eſt vnicuique appetitui ferri in ſuum appetibile, & ſi eſt appetitus non liber; naturale eſt ei ſumme ferri quantum poteſt, quia ſicut naturalis appetitus ex eo, quia dicitur, (vt inquit Damaſc.) non habet in poteſtate ſua actionem, ſeu agere, & non agere, ita nec intentionem actionis, ſeu modum agendi, ſed agit quantum poteſt, cum ergo appetitus ſenſitiuus in prius naturalibus cõſtitutus, habeat propriũ appetibile, ſumme tenderet in illud *Damaſc.* quan-

Digitized by Google

quantum eſt ex ſe, & ex hoc impediret actum rationis, cum iſte potentiæ ſint in eadem eſſentia animæ, propter quã vnitatem impediunt ſe mutuo in actibus ſuis intenſis, ſecundũ Auic.6.naturalium ergo deberet conari ratio ad impediẽdam iſtam ſummam delectationem partis ſenſitiuæ; & non poſſet inferior potẽtia cohiberi, ſine aliqua triſtitia, & difficultate in ipſa exiſtente; qa ſicut ipſe ſumme inclinatur ad hoc, ita ex parte ſua ſumme renititur ad oppoſitum, atque adeo eſſet ibi rebellio; quia inclinatio potentiæ inferioris ad delectandum cõtra iudicium rationis, & difficultas in refrenando illum appetitum; Et confirmatur, quia non tantũ per illam curuitatem videtur eſſe rebellio potentiarum; quia volũtas ex libertate ſua naturali videtur melius, & magis dominari virtutibus inferioribus, quam ex illa qualitate accidẽtali, quia ita ſecundum eſſentiam ſuam eſt ſuprema potentia, igitur non erat iſta qualitas tota ratio dominandi, ita quod ſi ipſa non inſit, non dominetur voluntas.

Ad motiua Hen. breuiter dici põt, quod homo dicitur vulneratus in naturalibus non reſpectu naturæ cõſideratæ in puris naturalibus, ſed pro vt condita fuit à Deo cũ iuſtitia originali, quæ habebat vim rectificandi, & perficiẽdi omnia naturalia in ordine ad omne bonum connaturale homini, qua iuſtitia propter peccatũ amiſſa, illa quoque perijt perfectio potentiarum naturalium. Eamque ob cauſam dicitur homo vulneratus in naturalibus; Si quis autem crearetur in puris naturalibus non eſſet ęqualis homini peccato originali infecto, non quia hic debitor eſt iuſtitiæ originalis quam accepit in Adã, ille vero nequaquã propterea hic reus eſt, ille autem minimè, & damnum nõ videndi Deum vtrique cõtingens, vni eſt priuatio, & pęna ob peccatum, alteri eſt mera negatio dignitatis ex conditione naturæ.

Hac igitur repudiata opinione; eſt ſecunda opinio, quæ affirmat iuſtitiam originalem donum eſſe ſupernaturale; pro cuius ampliori intelligentia obſeruandum eſt, quod multis modis dicitur aliquod naturale. Primo modo dicitur naturale omne id, quod habetur à natiuitate, & hac ſignificatione dicimur natura filij iræ Epheſ. 2. Secundo, id poteſt dici naturale, quod eſt naturæ conſentaneum, quodque eam nõ deſtruit, ſed ornat, ac perficit; & hoc modo naturale non opponitur ſupernaturali; ſed ei quod eſt contra naturam; Tertio modo dicitur naturale, quod etiamſi donum ſit gratuitum, naturam tamẽ iuuat, ac perficit in operibus naturalibus, neq; eum eleuat ad opera illa ſupernaturalia, & hoc modo virtutes morales infuſę appellari poſſunt dona naturalia. Quarto, naturale vocatur quod eſt pars naturæ, aut fluit à principijs naturæ, vel naturæ viribus acquiri poteſt, qua ſignificatione corpus, & animus facultates quoq; tum ſentiendi, tum intelligendi habitus acquiſiti, & operationes, quæ ab eiſdem facultatibus exercẽtur, naturalia eſſe dicuntur, atque hæc eſt ſignificatio de qua hoc loco propriè diſputamus, & naturali hoc modo conſiderato valde propriè opponitur ſupernaturale.

Naturale dicitur quatuor modis.

Secundo obſeruandum eſt, qđ duobus modis poteſt aliquid dici ſupernaturale, ſcilicet, per ſe, & per accidens. Per ſe dicitur ſupernaturale, quod ex genere ſuo non eſt natum fluere, vel haberi ex principijs naturæ. Per accidens ſupernaturale vocatur, quod interdum obtinetur diuino miraculo, licet alioquin ex naturæ principijs fluere ſoleat, talis fuit ſenſus videndi, quẽ dominus cęco nato reſtituit, Sapientia Salomonis diuinitus tributa, & alia nõ pauca, quæ in ſcripturis leguntur.

Supernaturale dicitur aliquid duobus modis.

His ita conſtitutis ſit prima concluſ. Iuſtitia originalis accipiendo naturale tribus primis modis fuit naturale donum, patet quia tam naturalia, quã ſupernaturalia dona haberi poſſunt à natiuitate, quo ad primum modum, & quo ad ſecundum nedum iuſtitia ori-

Iuſtitia originalis põt donum naturale appellari.

ginalis,

ginalis,ſed etiam gratię donum quodcumque; & ipſa etiam vita æterna eo modo dicenda eſt naturalis, cum naturam non deſtruant, ſed ornent,ac perficiant, & quo ad tertium, cum iuſtitia originalis ſit res diſtincta à gratia gratum faciente, naturale donum dici poteſt,quoniam illa, quæ tantum data ſunt ad reformandum defectus naturales,donum naturæ cenſentur:nā gratuita, vt diſtinguuntur contra naturalia,ea dumtaxat vocātur,quæ perficiūt in ordine ad ſupernaturalia, & gratia, & dona Spiritus ſancti,& virtutes infuſæ,nempe Theologicę; at iuſtitia originalis non eleuabat ad opera vlla ſupernaturalia.

Iuſtitia orig. fuit donū ſupernaturale p ſe.

Secunda concluſio. Iuſtitia originalis fuit donum ſupernaturale,& quidē per ſe,non per accidens,ita vt neque ex naturæ principijs fluxerit,neq; fluere potuerit.Hoc patet quia certum eſt, quod non fluit ſubſtantia, quia potuit perdi ſine hominis corruptione, ergo fuit accidens;non quantitas,vel reſpectus,ergo qualitas: non potentia naturalis,vel poſſibilis qualitas, vel figura patet de ſe; ergo fuit in prima ſpecie qualitatis,non potuit eſſe actus, quia primus homo dormiendo non habuiſſet eā, & iuſtitia originalis fuiſſet ſemper in homine,ſiue vigilante, ſiue dormiente,niſi eam amiſiſſet,actus autem non manet,nec poteſt manere ſemper in homine vigilante, & dormiente, ergo erat habitus quia diſpoſitio eſt habitus imperfectus, ſed iuſtitia originalis non habuit imperfectionem.

Iuſtitia orig. fuit qualitas de prima ſpecie qualitatis.

Iuſtitia orig. fuit uirtus moralis.

Tertia concluſio. Iuſtitia originalis fuit virtus moralis, patet, quia omnis habitus appetitiuus, non Theologicus inclinans ad actum virtuoſum eſt virtus moralis, ſed originalis iuſtitia erat habitus inclinās ad actum virtuoſum, cum faceret appetitum ſenſitiuū, prōptè,& faciliter obedibilem rationi,nec erat habitus Theologicus, qui tantum ponitur eſſe triplex, videlicet fides, ſpes, & charitas,ergo &c.

Quęſt. 2. Quæritur ſecundo. An Iuſtitia originalis fuerit vnus habitus,vel plures?

Molina de operib. ſex dierū diſp. 27.

Opinio Molinæ de vnitate habitus iuſtitiæ originalis.

De hac re triplex eſt opinio prima Molinæ 1.p. q. de operibus ſex dierū diſp. 27. qui affirmare videtur, Iuſtitiā originalem includere gratiam gratum facientem,fidem,ſpem,& quicquid cum gratia gratum faciente de lege ordinaria neceſſario eſt coniunctum,includebat etiam cetera dona,quę in ſtatu innocentiæ partem ſentientem rationi ſubiectam reddebāt,& corpus animæ,illudque à corruptione dolore, & nocumento præſeruabant,adeo quod ſcdm Molinā iuſtitia originalis non erat aliquis vnus habitus, ſed erat formaliter gratia,fides,ſpes,& cetera dona ſupernaturalia, quibus paſſiones partis ſentientis comprimebantur, & corpus à morte, dolore, & nocumento præſeruabatur, nam his omnibus habitibus tres illę ſubiectiones efficiebant, quas iuſtitia originalis efficere dicitur, nempe rationis Deo,virium inferiorum ſuperioribus,& corporis animę,quaſi ſubiectio illa tota eſſet, velut actualis originalis iuſtitia. Id autem quod animę, & corpori inhærens tamquam donum habituale eam quietem, & tranqnillitatem præſtabat, tanquam cauſam ſubiectionis illius, eſſet originalis iuſtitia habitualis.

Tres efficit iuſtitia originalis ſubiectiones

Pererius.

Opinio Pererij de vnitate habitus iuſtitiæ originalis.

Secunda opinio eſt Pererij lib.3.in Gen. diſp. de iuſtitia originali q.1. dicentis quod iuſtitia originalis, nō erat aliquis vnus habitus, vel vnum aliqd Dei donum, quo vnus totus homo rectus,& perfectus euaderet,ſed erat abſoluta quædam complexio,& comprehenſio omnium habituum,quibus homo, ſecundum omnes vires,& facultates ſuas,rectus, & perfectus reddebatur, & idoneus ad exercēdas expeditè, ac perfectè omnes actiones naturæ ſuę conuenientes. Itaque in ſpeculatiuo intellectu continebat omnes ſcientias ſpeculatiuas rerum omnium, quæ naturaliter ſciri ab homine poſſunt. In intellectu practico circa ea, quæ agenda ſunt homini,tā priuatim,quā publicè exquiſitiſſimam habebat Prudentiam

Digitized by Google

tiam artium quoque eas, quæ vſum habent ingenuum, vt liberalem, & honeſtam haberet oblectationẽ, vt eſt Agricultura, Muſica, Architectura, ars pingendi, ac fingendi. In voluntate duo erant habitus, vnus erga Deum, ſcilicet, Religionis, alter erga proximum, ſcilicet iuſtitiæ, quæ in diſtributiuam, & commutatiuam diuidebatur; In appetitu vero ſenſitiuo, q. duplex eſt, iraſcibilis, & concupiſcibilis erant virtutes morales, quibus illi domantur, & rationi obedientes efficiuntur téperantiam, & fortitudinẽ, ſuperadictos omnes habitus originalis iuſtitia continebat (inquit Pererius) in gradu perfectiſſimo, & Heroico.

Refellitur Molina. Ceterum opinio Molinæ pro quanto dicit iuſtitiam originalem includere formaliter virtutes Theologicas; falſa eſt, cum ſit tantum virtus moralis, vt ſupra oſtendimus; ſitque re ipſa ab illis diſtincta, vt infra videbimus, nam ſecus amiſſa iuſtitia originali in Adã, amiſiſſet habitus omnes Theologicos, quod falſum eſſe conſtat de fide, & ſpe.

Refellitur Pererius. Opinio etiam Pererij pro quanto dicit iuſtitiam originalem includere habitus ſcientiarum, & artium, & ceteros habitus, qui ex naturalibus poſſunt haberi, falſa eſt; nam ſupra cõcluſum eſt, iuſtitiam originalem fuiſſe donum ſupernaturale per ſe, nõ quidem per accidens; ita vt, neque ex principijs naturæ fluxerit, neque fluere potuerit.

Scot. in 2. diſtinc. 29. q. 1. Land. de Neap. ea. diſt. q. 2. Baſſ. Rubion, & Gab. ead. diſt. q. 1. & Maior. ead. diſt. q. 1. Eſt ergo tertia opinio, quæ eſt Scoti in 2. diſt. 29. quæſt. vnica, pro cuius intellectu obſeruandum eſt, quod habitus bonus voluntatis inclinat ipſam, vt feratur in Deũ, & in illa, quę Dei ſunt, & de natura habitus eſt facere ſubiectum prompte, & delectabiliter exercere actum ſuum, circa ſuum obiectũ, niſi habitus ſit circa obiectum triſtabile, vt in multis actibus fortitudinis, & pęnitentiæ. Aliquis poteſt habere habitum virginitatis, vel caſtitatis in voluntate, vt ei cõtinere in pręſentia pulcherrimę mulieris non ſit difficile, ẽt opportunitate data, ſic ſcilicet quod ea tio, & bonus habitus magis inclinet voluntatem ad abſtinendum, quã obiectum ipſum (puta pulchra mulier) alliciat in illecebram, patet de temperato, & habente caſtitatem in gradu Heroico.

Habitus bonus voluntatis inclinat ipſam, vt prōptè & delectabiliter feratur in Deum.

Secundo obſeruandum eſt ex eo, qđ ſenſualitas patitur difficultatẽ in hoc, quod relinquat proſecutionem obiecti conuenientis eſſet in ea dolor, atque ẽt triſtitia in voluntate, niſi eſſet in ea habitus: quia voluntas nata eſt condelectari, & contriſtari cum appetitu ſenſitiuo, cui coniungitur, ſicut intellectus eſt natus intelligere id, quod ſentitur per ſenſum, atque adeò exiſtente habitu in voluntate adhuc in homine eſſet rebellio, quia vires inferiores, vt ſenſualitas, aduerſarentur rationi. Ideo in quolibet appetitu ſenſitiuo, ſicut in intellectiuo ponitur ſuus habitus potentiam inclinans, conformiter ad rectam rationem, atque ita non eſt maior difficultas in aliquo ſenſu ad refugiendũ proſecutionem ſui obiecti conuenientis, quam in voluntate.

Iuſtitia orig. principaliter ordinabat hominem ad Deum. Tertio obſeruandum quod iuſtitia originalis ordinabat principaliter hominem reſpectu Dei, vt ei plena exiberetur obedientia. Deinde reſpectu ſui, vt perfectè faceret inferiores potẽtias ſequi motum rectę rationis, & voluntatis; deinde reſpectu proximi, vt redderet vnicuique, quod ſuum erat ſecũdum debitam condilectionem, hoc pater, quia perfectiſſimus habitus, quem primus homo accepit, debuit ordinare eum reſpectu eius, ad quod principaliter primus homo ordinabatur, hoc eſt reſpectu Dei, vt patet: quia etiam in ſtatu naturæ lapſæ gratia, quæ eſt perfectiſſimus habitus poſſibilis nobis, ordinat primo immediatè in Deum, licet conſequenter reſpectu noſtri, & proximi, & cõfirmatur, quia ſi iuſtitia originalis fuit virtus ad alterum, vt ordinaret hominem reſpectu omnis debiti, cum hoc ſit principaliſſime reſpectu Dei, habetur propoſitum.

His

Digitized by Google

Iuſtitia originalis non fuit vnus habitus, ſed plures.

His ita conſtitutis dicendum, quod iuſtitia originalis non fuit vnus aliquis habitus, ſed plures, adeo quod iuſtitia originalis includebat primo donum ſupernaturale, rectificans ipſam voluntatem, in tantum quod delectabilius, longius valde erat ei adhærere Deo, quam appetitui ſenſitiuo, cui erat coniuncta. Secundo includebat dona ſupernaturalia perficientia appetitus ſenſitiuos, quia non videtur poſſibile, quin viſus de ſua natura, & in ſtatu innocentiæ ferretur citius in pulchrum viſibile, quam in id, quod imperaſſet ratio, ſeu voluntas, niſi habuiſſet aliquod donum, quod magis alliceret, vt obediret rationi, quam ita hæret pulcrum viſibile, & ita de aliis, atque adeo multa fuerunt talia dona, cum quilibet ſenſus proprium habeat appetitum.

Sed nunquid quodlibet donum dicebatur iuſtitia originalis? dico quod ſi iuſtitia originalis dicatur ſolum rectitudo, dici poteſt quod ſic: quia quilibet appetitus hominis erat rectus: ſi autem dicatur iuſtitia habitus mentis, ſecundum quod de ea loquuntur Phyloſophi, ſic vnica erat iuſtitia originalis, in ipſa ſcilicet, voluntate, quæ rectitudo dicebatur, & actiue: quia rectificabat quodammodo alios appetitus propter ſua dona, & paſſiue, in quantum ſuberat imperio Dei. Iuſtitia ergo originalis, poteſt accipi collectiue, vel diuiſiue, collectiue dicit multos habitus, quorum quilibet eſt iuſtitia originalis, ſed ille, qui eſt in appetitu intellectiuo, eſt præcipuus, ſicut in appetitu ſenſitiuo, & intellectiuo ponitur habitus tēperantiæ, licet vnus ſit alio principalior. Diuiſiue autem iuſtitia originalis eſt vnus habitus, pro ut accipitur pro habitu moderante volūtatē, cuius præcipuus effectus erat ordinare hominem reſpectu dei, vt diximus ſupra. Adeoque iuſtitia originalis dicebatur analogice de habitu rectificante voluntatem, & de aliis habitibus appetitus ſenſitiuos rectificantibus, at quia analogum ſtat pro ſignificatu principaliori, cum dicitur iuſtitia originalis, accipitur pro habitu rectificante voluntatē, & hæc eſt rō, quare doctores Theologi de iuſtitia originali tractantes, ſemper de ea ſingulariter loquunt, ac ſi eſſet vnus tm̄ habitus

Iuſtitia originalis duplic iter accipi poteſt.

Iuſtitia originalis eſt quid analogum.

Quæſt. 3.

Molina vbi ſupr.

Quæritur tertio principaliter in quo ſit iuſtitia originalis, vt ī ſubiecto. Molina conſequenter ad hanc difficultatē diceret iuſtitiam originalem nō determinare, ſibi aliquod vnum ſubiectū, ſed eſſe ſubiectiue in omnib. animi viribus, ac etiā in corpore, cū originalis iuſtitia ſecundum ipſum omnes habitus perficientes omnes animæ vires, ex quibus corpus animæ ſubdebatur, & à dolore, nocumento ac morte præſeruabatur comprehenderet.

Iuſtitia originalis ſecūdum Molinā eſt in omnibus animæ virib. ſubiectiua.

Pererius vbi ſupra q. 2.

Idem affirmat Pererius nā cum docuiſſet iuſtitiā originalē nō fuiſse vnū aliquē habitū, ſed fuiſse comprȩhenſionem oīum habituū, quib. totus hō rectus efficitur, & oēs eius potētiæ reddūtur perfectæ circa actus ſuos, vel naturales, vel morales, conſequenter docet iuſtitiā originalē nō fuiſse ī aliqua vna potētia, ſed in omnib. potētijs aīæ rōnalis, in his nempe potentiis, in quibus erant habitus, per quos ho. ſm̄ ſtatum naturæ integer, rectus, & pfectus reddebatur. Duran. in 2. di. 21. q. 5. putat in appetitu ſenſitiuo, vt in ſubiecto fuiſse iuſtitiā originalē, nā dicit, quod accipiēdo iuſtitiā originalem ſtricte, eſt ſola ſubiectio corporis ad aīam & obediētia virium inferiorum ad rōnē, & ita fuit proprietas corporalis, & alibi dicit, quod proprius iuſtitiæ originalis effectus erat continere appetitū, ne contra, autem præter rōnem cōmoueretur, ſed eius imperio ſemper eſset obediens. Verum hæc Durandi ſententia non eſt vndequaque vera: Nam efficiebat quidem iuſtitia originalis rectitudinem appetitus ſenſitiui, cæterū eius potior, & principalior effectus erat rectitudo ſuperioris partis, ideſt voluntatis, in qua præcipua hominis rectitudo poſita eſt.

Durādus in 2. d. 21 q. 5.

Opinio Dura. de ſubiecto Iuſtitiæ originalis.

Diuus

D.Tho. in 2.q.83. opinio D. Thom de ſubiectoIuſtitiæ originalis.

Diuus Thom.in 2.q.83. arbitratur iuſtitiam originalem, vt in ſubiecto fuiſſe in eſſentia animę rationalis, in quia ipſe poſuit, Deinde,q.110. eiuſdē partis gratiam gratum facientem, id quò probat in hunc modum, habitus, & priuatio in eadem ſubiecto verſantur, ſed peccatum originale, quod eſt priuatio iuſtitiæ originalis eſt vt in ſubiecto in ipſa hominis natura, quia cõtrahitur per generationem ipſius naturæ, ergo etiam iuſtitia originalis in eodem erat ſubiecto, præſertim cum ipſa eſſet donum naturæ, ideſt eius rectitudo, abſolutio, & perfectio. Ceterum hæc opinio mihi non probatur. Nimirum iuſtitia originalis perficiebat hominem non in ordine ad ſupernaturalem finem, ſed ſecundum conditionē, & ſtatum hominis naturalem, at eſſentia hominis, & eſſe naturale eius, non indigebat perfectione aliqua ſuperaddita, ſicut nec vitiari, aut corrumpi poterat, cum ipſum eſſe ſubſtantiale, & naturale hominis ſit inuatiabile, atq; indiuiſibile, ergo ſolum poterat perfici id, quod erat capax obliquitatis, & rectitudinis, cuiuſmodi erant potentiæ, & facultates animæ in ordine ad actus ſuos naturales, ſeu morales, qui & vitioſi, & recti, ac pfecti eſſe poſsũt.

Iuſtitia originalis non eſt in eſſentia animæ, ut ĩ ſubiecto

Iuſtitia originalis eſt in voluntate ut ĩ ſubiecto. Scot. in 2 d.29. q.1. D. Bona. in 2.d.31, art.1.q.2. Landulphus Baſ. Rubion. Vorilion. & Maior, & Gab.in 2. d.29.

Dicendum eſt ergo, iuſtitiam originalem fuiſſe vt in ſubiecto in voluntate, & hoc accipiendo, iuſtitiam originalem pro principaliori analogato; qđ ſic probatur, nõ minus ordinabat, nec erat in ſubiecto ignobiliori originalis iuſtitia, quam iuſtitia moralis, ſed iſtā expreſſe ponit Phyloſophus 5. Ethy. in voluntate, ergo &c,

Item omnes ſanti dicunt iuſtitiam originalem fuiſſe donum exiſtens in lib. arbitrio, ſed non erat in intellectu, ergo in voluntate, Deinde iuſtitia originalis principaliter ordinabat ad obediendum Deo; ergo hoc erat neceſſario per voluntatem, quoniam appetitus ſenſitiuus nõ eſt ille, quò Deo obedimus. ſubinde diſpoſitio agentis, vel qua agens agit, ſiue qua inclinatur ad agēdum debet eſſe in ipſo agente, ſed iuſtitia originalis erat diſpoſitio, qua voluntas, vel inclinabatur, vel efficiebat obediētiā perfectam vitium inferiorum, ergo magis videtur fuiſſe pręcipientis, quam obedientis conditio, præterea ſi in ſeruo ponenda erat virtus obeditiua, vt prompte obediat, multo amplius in Domino virtus præceptiua, vt debite imperet, cũ ergo obediens hic, ſit appetitus ſenſitiuus, & p̄cipiens voluntas, in ipſa voluntate ponenda eſt virtus pręceptiua, ſiue rectificatiua, atque adeo iuſtitia originalis. Poſtremo ſi ponenda eſt neceſſario virtus in appetitu ſenſitiuo, vt non ſit rebellis, multo magis in volũtate, vt prõpte imperet, & inclinetur, immo, vt debite imperet. Et confirmatur, quia quãdo bonitas actus dependet à duobus à principali, & minus principali, ſi datur conditio ad agendum bonum minus principali, dabitur etiã magis principali, ſed ad faciendam iſtam perfectam obedientiam, concurrit voluntas cum appetitu ſenſitiuo, & volũtas eſt agens principale, ergo originalis iuſtitia magis ſibi debetur, quam appetitui ſenſitiuo,

Quæſt. 4. Sot. lib. 1. de natura & gratia ca.5. Medina in 2. 2.q.83. articu.2. & Molina de operibus ſed dierũ diſpo.28.

Soti opinio de idẽtitate Iuſtitiæ originalis, et gratiæ.

Quæritur quarto an iuſtitia originalis ſit habitus, diſtintus à gratia gratum faciente, De hac re ſunt duæ opiniones. Prima eſt Soti lib. 1. de natura, & gratia.c, 5. vbi ſcribit ſecundum D. Tho. iuſtitiam originalem, & gratiã gratum facientem eſſe vnam, & eãdem rẽ, quod probat ex his, quæ ſcribit. S. Thom. 1.p.q.95. art. 1. & q.100. art. 1. vbi docet, rectitudinem rationis erga Deum, & rectitudinem appetitus ſenſitiui ſub rationis imperiũ omnino ſubiecti, ex gratia gratum faciente prouenisſe, ac depēdiſſe, eiuſdē quoque rei non obſcurum argumentum deſumitur ex his, quæ ſcribit, 1. 2. q. 83. art. 2. ad ſecundum, vbi docet iuſtitiam originalem eſſe vt in ſubiecto in eſſentia animæ, in qua nimirũ poſtea q.100. artic. 4. eiuſdem partis collocat gratiam gratum facientem, quæ vim

habet

Digitized by Google

habet ſanandi ſuperiorē hominis partem, nō autem inferiorem formaliter, igitur iuſtitia originalis ſecundum D. Tho. non erat res diuerſa à gratia gratum faciente; exiſtimat igitur Sotus non fuiſſe aliud juſtitiam originalem, quam ipſam gratiam gratum facientem, maiorem tamen, quam eſt in ſtatu naturæ humanæ poſt peccatū, maiorem inquam non intenſiue, nec quā tum ad principalem effectum gratiæ qui eſt eſſe gratum Deo, & acceptum ad vitam æternam, ſed extenſiue, quia tunc gratia eſtendebat ſe ad perficiendam ſanitatem, integritatem, & rectitudinem, etiam partis inferioris; appetitum namque trāquilliſſime compoſitum, & moderatum; & vſque quaq; rationi ſubiectum reddebat. Sed hæc opinio ſtare non poteſt. Ideo arguitur contra eam, & primo ſic iuſtitia originalis eſt habitus, qui ex ſua rōne erat diſpoſitio naturæ humanę, non autem perſonæ, ſed gratia gratum faciens reſpicit perſonam primo, & per ſe; ergo &c. probatur conſequentia, quia non poteſt idem habitus reſpicere perſonā primo & per ſe, & naturam primo, & per ſe, & confirmatur peccatum originale propterea diſtinguitur ſecundū rem a peccato actuali; quoniam originale eſt peccatum naturæ primo, & p ſe; actuale vero eſt peccatum perſonæ primo & per ſe. ſecundo. Iuſtitia originalis ſecundum ſuam rationem habet rectificare homines in ordine ad finē naturalem, quamuis ſit donum ſupernaturale, & gratia gratis data; ſed gratia gratum faciens ex ſua ratione habet rectificare homines in ordine ad Deum, finem ſupernaturalem, & eſſe principium merendi; & operandi ex charitate: ergo impoſſibile eſt, quod ſint idem habitus, quoniam habitus, qui reſpicit ex ſua ratione finem naturalem, & habitus, qui ex ſua ratione reſpicit finem ſupernaturalem, non poſſunt identificaui.

Ideo Adam per pœnitentiam nunquam recuperauit iuſtitiam originalem, vt notū eſt, ſed recuperauit gratiā gratū facientem, & eſt notiſſimum: ergo ſunt habitus diſtinti; quoniam ad hoc non poteſt ſufficere diſtintio rationis. quarto. Iuſtitia originalis, & gratia ſe habebant, ſicut excedens, & exceſſum, quia iuſtitia originalis nō fuit principium mæriti, non enim poterat Adam mæreri in ſtatu innocentiæ, ſine gratia, eſto quod habuiſſet prius iuſtitiam originalem, quam gratiam, vt tenet Alex. & D. Bonau. vt vidimus ſupra, gratia autem eſt principium mærendi.

Item Iuſtitia originalis coniungebat voluntatem firmius vltimo fini quam gratia, ita enim coniunxit ſecundum aliquos, quod non compatiebatur aliquod peccatum veniale: Charitas autem compatitur; vel ſaltem ita coniunxit, quod facilius, & delectabilius erat ei pati ab aliqua triſtitia inferiori, quam alicui delectationi inferiori acquieſcenti recedendo à delectatione finis: iſtam facilitatem nō facit gratia, cum qua ſtat pronitas ad malum, & difficultas ad bonum, niſi eſſet multum intenſa, immo nec hoc operatur ſi fuerit intenſiſſima, vt patet de Chriſto, qui habuit ſummam gratiam, & tamen magnam triſtitiam, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, inquit, Matt. 26. ſed gratia excedit in hoc, qđ ipſa coniungit fini, vt bono ſupernaturali, & ſupernaturaliter per meritum attingendo, non ſic iuſtitia originalis, ſed tantum coniungebat illi bono, vt conuenienti, & delectabili, ex quo patet, quod gratia, & iuſtitia originalis ſe habebant ad inuicem vt excedens, & exceſſum; atque adeo diſtinti ſunt habitus. Poſtremo gratia gratum faciens eiuſdem rationis, ac ſpeciei eſt in ſtatu naturæ lapſæ, & in ſtatu innocētię & comulatior fuit in apoſtolis, quā fuerit in primis parentibus in ſtatu innocentiæ, vt diximus ſupra; ſed gratia gratum faciēs in Paulo non ſubdebat vires inferiores rationi, cum de ſe ipſo ad Roma. dicat Video aliam legem in

Alex. de Ales. D. Tho.

menꝫ-

membris meis, &c. ergo neque in ſtatu innocentiæ habebat illum effectũ, quem tamen habebat originalis iuſtitia. ergo iuſtitia originalis, & gratia ſunt ipſa re habitus diſtincti.

Scot. in 2. d. 29. q. 1.

Iuſtitia originalis erat habitus re ipſa diſtinctus à gratia gratũ faciente.

Dicendum eſt ergo iuſtitiam originalem fuiſse habitum realiter diſtinctum à gratia gratum faciente, prout docent omnes Doct. Scolaſtici, tam ex antiquis, quàm ex recentioribus. Ita docet Alex. de Ales p. 2. q. 91. in 1. D. Bonau. in 2. d. 29. art. 2. q. 2. Ricc. d. 30. art. 3. q. 2. Hen. de Gand. quol. 6. q. 11. Ægidius, Baſsolus, Rubion; Voriliõ; Maior Gab. & Landulphus de Neap. eid. d. Caiet. 1. p. q. 95. art. 1. & Banſ. 1. p. qu. 95. art. 1. Pererius lib. 5. in Gen. diſp. de Iuſtitia originali. q. 3.

Alex. de Ales. D. Boan. Ricar. Hen. Egidius Baſſolus. Rubiõ voriliõ. Maior. Gab. Lãdulph. Caiet. Bãnes, Pererius.

Queſt. 5.

Iuſta hoc quæritur an iuſtitia originalis, & gratia erant habitus ſic diſtincti, quod eſsãt ab inuicem ſeparabiles. Caiet. 1. p. q. 95. art. 1. exiſtimat fuiſse, res diuerſas iuſtitiam originalem, & gratiam gratum facientem, ſed illa tamen non potuiſse ab hac ſeparari. Toſtatus in 3. c. Gen. q. 6. & 7. & Catharinus ſuper idem capit. arbitrantur illas duas gratias, re fuiſse diuerſas, & ſeparabiles abinuicem quin etiam vere ſeparatas, namque putant primum fuiſse Adam conditum cum iuſtitia originali, poſtea vero ſuperadditam ei fuiſse gratiam gratum facientem, quinimo Eua cum comedit fructum vetitum, haud dubie perdidit gratiã gratum facientem, non tamen iuſtitiã originalem, priuſquã commedit Adam cuius rei, illud putat ſignum, & argumentum eſse, quod Eua non erubuit de ſua nuditate, nec ſenſit rebelliõẽ carnis, ſicut poſt eſcam Adam. Cæterum opinio Caiet. improbabilis videt nam cum poſſimus animo fingere, & cogitatione hominem aliquem formare, ſecundum omnem naturæ, & eius potentiarum integritatem, & rectitudinem naturalem perfectum, ſine gratia ſupernaturali gratum faciente (ordo enim naturalis eſt diuerſus, nec per ſe dependens a ſupernaturali,) conſentaneum profecto eſt rem diuerſam, nedum fuiſſe originalem iuſtitiam à gratia gratum faciente; verum etiã haud repugnare ab ea ſeparari poſſe.

Caiet. 1. p. q. 95. artic. 1.

Toſt. in 3 cap. Gen. q. 6. & 7. et Catharinus in Gen. c. 3.

Refellit, Caiet.

Secunda vero opinio Toſt. & Cathe. duo dicit, quorum alterum eſt manifeſte falſum, nempe cum iuſtitia originali ſtare poſſe peccatum mortale. Nam omnes Theologi vnanimi conſenſu affirmant, omne peccatum mortale iuſtitiæ originali aduerſari, quippe omnia peccata mortalia contra rectitudinem rationis, quam potiſsimũ iuſtitia originalis præſtabat homini, & pleraque peccata mortalia ſunt contra rectitudinem appetitus ſenſitiui, qui erat iuſtitię originalis effectus. Ad motiuum autem eorum de Eua, quæ non erubuit ſtatim poſt eſcam pomi vetiti, & per conſequens non amiſit iuſtitiam originalem, atque adeo ſtat peccatum mortale cum iuſtitia originali, Caiet. vbi ſupra ita reſpondet. Dicendum mihi videtur, quod per primum peccatum in mente, ſiue in opere perdita eſt quoque iuſtitia originalis, non ſimpliciter ideſt totaliter, ſed quo ad aliquid: ſimpliciter enim adimenda reſeruabatur peccato Adæ ſecundum ordinem diuinæ prouidẽtię, ea ratione, vt bonum naturæ a principio naturę, primo auferetur, cui illud Donum primo & principaliter tributum fuerat, nec obſtat, quod potuiſſet Adam poſt Euæ peccatum non peccare, quoniam apud Deum præſcientia caſus in naturę ordine fuit, & hoc cõſonat proportioni dictę. Submota. n. radice, poſſunt aliquandiu rami uirere, & dempto animali corde, aliquandiu membra calere cernimus. Sed hæc reſponſio non videtur tollere difficultatem, nam poſtquam Eua peccauit interius, illa qualitas, quæ eſt iuſtitia originalis fuit ablata, vel non, ſi non fuit ablata, ſtat argumẽtum; ſi ſic, quare ergo non erubuit Eua iuſtitia originali amiſſa? nam difficultas eſt, non de iuſtitia originali ſimpliciter, hoc eſt vniuerſaliter, vt reſpicit, naturam hu-

Toſta. & Cathe. impugnãtur cum iuſtitia originali non ſtat peccatũ mortale.

Caie. vbi ſupra.

Refellitur reſpo. Caiet.

Iuſtitia originalis an fuerit ab Eua ablata ſtatim ꝙ pomũ comedit.

manam

Digitized by Google

manam exiſtentem in ſuis indiuiduis, nã certum eſt quod per peccatum Euæ non fuit ablata iuſtitia originalis ab Adamo, atque adeo nõ fuit ablata ſimpliciter. ſed difficultas ẽ de iuſtitia originali perſonæ Euæ collata; an fuerit ei ablata per peccatum ipſius Euæ, antequam Adam peccauerit, ſi dicatur q̃d ſic, quare ergo non erubuit Eua prius, quam peccaſſet Adam. Paulus Burgenſis in addit. ad 3. cap. Gen. addit. 1. dicit primo, quod præceptum de inhibitione commeſtionis ligni fuit datum Adę antquam Eua fuiſſet in rerum natura producta, vt littera teſtatur, & licet tamen ſecundum Auguſtinũ ſuper Gen. cap. 8. ex hoc non ſequitur, quod Eua non fuiſſet obligata ad preceptum obſeruandum. tranſgreſſio autem huius præcepti non fuit conſumata, donec Adam commederit, licet fuerit quodammodo inchoata per commeſtionẽ mulieris. Dicit ſecundo, quod non eſt neceſſarium dicere; quod Adam fuit tranſgreſſor illius præcepti ſibi dati ante commeſtione ligni per actum interiorem, in hoc cõſentientem: Nam pro vt ex ſerie litteræ patet ſola commenſtio fuit prohibita, non autem deliberatio, ſeu conſenſus præcedens commenſtionem, Dicit tertio quod licet, tã Eua, quam Adam peccaſſent ante ligni cõmeſtionem, per actus interiores peccato ſuperbiæ, non ſequitur, quod trãſgreſſio præcepti ſibi data fuerit facta vſque dum Adam non commederit, et tunc, & nõ ante nuditatẽ ſuam erubuiſſe debuerit.

Paulus Burg. in addit. ad 3. c. Gen. addit. 1.

Cæterum hæc reſponſio multa falſa ſupponit, & difficultatem non ſoluit. Nam falſum eſt primo, quod Adæ, & non Euæ fuerit datum præceptum, vt ex littera aperte patet, Nam mulier reſpondit Diabolo, Nobis p̃cepit Deus &c. Item mulier accepit præceptũ vel immediate à Deo, vel per virum, vt diximus ſupra, ſi igitur fuit mulieri datum præceptum, ad ſeruandũ erat obligata, & tranſgrediendo, non ſolũ venialiter, ſed etiam mortaliter peccauit. falſum eſt etiam, quod ſecundo dicit, nempe ſolum exteriorem commeſtionem fuiſſe prohibitam, non actum interiorem, quia ſecundum omnes, illa prohibitio fuit ad probandam obediẽtiam, at inobedientia ſicut & obedientia principaliter reſpiciunt actum interiorem, & conſequenter exteriorem, & dato, ſed non cõceſſo, quod ſolus actus eſus exterioris p̃hibitus fuiſſet, ad huc ſtaret dubium, quomodo iuſtitia originalis manſiſſet in Eua manducante ante virum, & tamen Eua antequam cõmederet Adam erat in mortali & ad huc per eum in iuſtitia originali, quia peccatum Euæ licet fuerit inchoatum, non fuit tamen cõſumatum, ante commeſtionem Adæ, atque adeo hæc Burgenſis reſponſio difficultatem non ſoluit.

Reicitur Burg. reſponſio.

Ideo dicendum eſt, quod iuſtitia originalis multos habuit effectus, vnum principalem, alios ſecundarios, principalis fuit ordinatio voluntatis in Deũ, ſed effectus ſecũdarij, qui ſunt immortalitas, præſeruatio à ſiti, & alijs paſſionibus, & tranquillitas virium ſenſitiuarum, non fuerit directe à iuſtitia originali, ſed à concurrentibus, (vt docet Scot. in 2. diſtinct. 29. quæſt. 1.) oppoſitum effectus principalis eſt culpabile, oppoſitum autem effectuum ſecundariorum non eſt culpabile, ſed potius pœnale; per mortale peccatum cecidit Eua ab effectu principali, & amiſit iuſtitiam originalem, quoad habitum, quia voluntas eius circa Deum fuit inordinata, ſed effectus ſecundarij nõ ſunt ſtatim ſecuti, vſque quo peccatum fuit conſumatum per Adam, quod decens fuit, vt experimẽtum caperetur an vir Deo pareter, vel nõ; nã ſi mulier a principio ſtatim Poſt peccatum erubuiſſet, Adam non commedißet, quod autẽ Eua ſtatim amiſerit iuſtitiam originalem, ſignum eſt, quia in ea fuit inordinata voluptas in viſu aſpiciẽdo pomũ, & in guſtu auiditas immoderata, eſum eius concupiſcendo, hæc autem vitia arguebant animum eius,

Scot. in 2. d. 20. q. 1. Iuſtitia originalis multos habuit effectus.

Eua cur ſtatim nō cognouit ſe iuſtitia originali ſpoliatam poſt peccatum.

mum eius, iam iuſtitia originali ſpoliatum, atque priuatum, verum hoc non animaduertit, vel propter antecedentē ſuperbiam, iam animo obcęcata, vel quia fortaſſe omnes iuſtitię originalis vel priuationis eius effectus, non plane perſpectos, & cognitos habebat, vel qa tunc ad eſum illius pomi vehementer erat intenta, & quemadmodum ad eſum eius, etiam maritum ſuū induceret valde cogitabunda, & ſollicita. Poſt eſum vero Adæ propter mutuum nudorum corporum conſpectum, & eximiam vtriuſque pulchritudinē, ſtatim in vtriuſque animis, & membris libido excitata, & inflammata eſt, atq; ita erubuerunt. Alterum etiā in huius opinionis dictum, nempe primos parentes fuiſſe prius conditos in iuſtitia originali, & deinde additam ei fuiſſe gratiam licet pręclariſſimos habeat defenſores, improbauimus ſupra, probabiliuſque eſſe diximus; primos parentes in gratia conditos fuiſſe.

Scot. vbi ſupra.

Iuſtitia originalis fuit re ipſa diuerſa a gratia gratū faciente.

Dicendum eſt ergo ad difficultatē. Iuſtitiam originalem re ipſa fuiſſe diuerſam a gratia gratum faciente, & quamuis in illo ſtatu innocentię de facto neutra, ab altera diſſociari, & diſiungi potuerit, quod dignitas, & excellentia illius ſtatus requirebat, tamen ſi iuſtitiæ originalis ratio proprie, & præciſe accipiatur, non repugnabat eam eſſe ſine gratia gratum faciente negatiue, repugnabat tamen eſſe ſine ea priuatiue, hoc eſt, Potuit Adam prius habere ſolam iuſtitiā originalem, poſtea vero gratiam gratum facientem accipere, quem admodum opinantur, qui putāt Adamū creatū cum iuſtitia originali, & ſine gratia gratū faciēte, at uero amiſſa gratia propter peccatū mortale, nō potuit manere iuſtitia originali, quoniam & ſi propria ratio propriuſque effectus iuſtitię originalis, nō includit, neceſſario nec exigit gratiā gratum facientem, repugnat tamen omnino priuatio ni gratię, quæ propter peccatum mortale accidit, ſi quidem omne peccatum mortale iuſtitię originali aduerſabatur nam vt docet Doct. ſub In ſtatu innocentiæ erant dona ordinata, ita quod iuſtitiæ originali ſecundum ſuam rationem formalē, non repugnabat eſſe ſine gratia, ſed non e conuerſo, & tunc priuatio prioris ideſt iuſtitię originalis includebat virtualiter priuationem poſteris .ſ. gratiæ gratum facientis, quam quam igitur iuſtitia originalis ſimpliciter, & abſolute potuiſſet ſeparari à gratia gratum faciente, in illo tamen ſtatu innocētiæ, ex voluntate, & decreto Dei ſeparari non poterat.

Scot. in 2. diſ. 32. ad arg. 4. q.

Quæſt. 6.

Baſſolus vbi ſupra

Magiſt. ſent.

Iuſtitia originales effectus.

Quęritur ſexto, qui fuerint Iuſtitiæ originalis effectus. Dicendum quod ſicut dicit Magiſter. Homo habens iuſtitiam originalem potuit non mori ſub hoc ſenſu, quia ſi ſeruaſſet ipſam, ſicut conſeruare potuit, nunq; mortuus fuiſſet, ſed ante mortem translatus fuiſſet, non quia iuſtitia originalis impediret actiones contrariorum, vel partium ab inuicem, quia niſi translatus fuiſset, tādem homo mortuus fuiſset, & cōſumptus, vt dicemus infra, ſed p ipſam homo non poterat non mori. Secundo dico quod per ipſam homo non potuit proficere mærendo vitam ęternam de condigno; ſed eſto quod non fuiſſet cōditus in gratia potuit exiſtens in iuſtitia originali, ſead gratiam diſponere, & eam mereri de cōgruo. Tertio dico, quod per ipſam homo potuit ſtare, & peccato reſiſtere ſub hoc ſenſu, quia ſi ſeruaſset eam, quam diu eam ſeruaſset nunquam peccatum mortale, nec commiſſionis, nec omiſſionis incurriſſet, & eſto quod fuiſset conditus homo cum ſola iuſtitia originali, aliquando conſequtus fuiſſet, gratiam ſine qua non potuiſet toto tempore vitę peccatū mortale effugere, quoniam teneretur ſe ad ipſam diſponere, & ſi illam diſpoſitionem omiſiſſet, peccaſſet mortaliter & iuſtitiam originalem amiſiſſet. Quarto dico, quod conſeruari non poterat niſi ſpeciali Diuino adiutorio, ſpeciali influentia ipſam conſeruando ex quo patet Quinta cōditio Anſelmij, quod homo habens iuſtitiam originalem ipſam

D. Anſel.

ſam

ſum ſeruans viuaſſet ſemper, vel vitaſſet potuiſſet omne peccatum Aliquæ aliæ conditiones attribuuntur ei, nempe, quod p eã fuiſſet delectabilius ſimpliciter bonum,& potentiam mouere in ordine ad bonum ſimpliciter, quia delectari cum ipſis in bono, vt nunc inordinate,& quod appetitus ſenſitiuus & aliæ vires inferiores rationales per participationem obediuiſſent ad nutũ prompte,faciliter, & expedite, & qđ obiecta non mouiſſent virtutes inferiores,præcipue appetitum ſenſitiuũ ad paſſiones indecentes, vel diſconuenientes naturæ,nempe ad timorem, iracundiam,vel cõcupiſcentiam deordinatam,& effrenatam, multi alij effectus iuſtitiæ originali attribuuntur, quos breuitatis cauſa relinquo, & de his omnibus dico,quod non potuerũt conuenire,vel in eſſe,habenti iuſtitiam originalẽ ex ui ipſius habitus iuſtitiç niſi forte delectatio circa bonum ſimpliciter,& facilitas rectificãdi alias vires ex parte ſui,ſed non ex parte viriũ. Cæterum omnia alia ſiue ex parte ſui, ſiue ex parte virium inerant virtute diuina aſſiſtente ad tales effectus, vel operando eos,vel non acceptando eos &c. etiam acceptando, vel amouendo impedimenta,& contraria, ſicut ſuſpendendo actiones obiectorum in vires inferiores,& ita in conſimilibus. De prima conditione patet quod non potuit ex vi habitus ſicut nec translatio hominis ad aliam vitam præueniendo mortem. De ſecunda puta de non poſſe ꝓficere per eã, patet quod erat etiam cauſa ex parte ipſius Dei, qui nunquã acceptaſſet opera ſecundum talem habitũ ad vitam æternam ſine gratia,licet potuiſſet. De tertia ẽt patet quantum ad conſecutionem gratiæ, & vitationem omnis culpæ,quod hoc nõ poſſet ex ui habitus, ſed cauſſa erat ex Deo. De quarta quod non poterat conſeruari ſine Diuino adiutorio,hoc non poſſe, bene erat ex ui habitus,eo ipſo, quod talis creatura,ſed conſeruatio ipſa erat ex diuina virtute per ſpecialem influentiam; De vltimo effectu patet, ſicut dictum eſt de tertio. De aliis autem effectibus ſcilicet de ſubiectione viriũ inferiorum ad ſuperiores, ac tranquillitate earum ſub voluntate, vt faciliter prompte,& ſine difficultate,aut triſtitia paruiſſent ei,&c. patet quod huiuſmodi effectus non inerant habenti iuſtitiam originalem ex ui ipſius iuſtitiç originalis, ſed potiſſimum ex Diuina aſsiſtentia,& prouidentia,atque cura, quam Deus gerebat hominis in eo ſtatu conſtituti, non ſinens eius vel animo, vel corpori quidq̃ contingere,qđ eius tranquillitatem,& Fœlicitatem ꝑturbare, aut inquinare poſſet, Illa verò Dei aſſiſtẽtia licet, maxima ſingularis, & admirabilis eſſet, erat tamen in eo ſtatu ordinaria,atque valde conueniẽs.

Perenius vbi ſupra q. 1.

Ea verò aſiſtẽtia Dei, ſex magna homini bona præſtabat, ſeruabat intellectum eius, ne is deciperetur circa ſingularia, & futura contingentia, quæ humana rõne,& ſolertia certo cognoſci non poſſunt. Secundò continebat voluntatem, ne eliceret actus in ordinatos, cuiuſmodi eſt verbũ otioſum vel mendacium iocoſum, aut officioſum, vel vſus intempeſtius, aut ſuperuocaneus, quæ vocantur à Theologis peccata venialia ex genere, nam hac diuina aſiſtentia hominem gubernãte ſuppoſita, ne homo in peccatũ laberetur, etiam nos affirmamus hominem in ſtatu innocentiæ conſtitutum peccare venialiter non potuiſſe. Tertio, arcebat à phantaſia hominis omnia, quæ eã confundere, perturbare, & contaminare potuiſsent ſcilicet coercens potentiam Demonis, ne viſa obſcæna, vel triſtitia ei ingereret. Quarto cohibebat appetitum ſenſitiuum ne ante iudicium rationis ad aliquod appetendum, vel fugiendum cõmoueretur etiam preſente obiecto ad modum delectabili, & ad illiciendum appetitum acerrimo. Quinto ſeruabat corpus non ſolum à rebus mortiferis, ſed etiã ab omnibus, quæ ei noxia, & moleſta poſſent accidere, Sexto, expleto tempore, quod homi-

Diuina aſſiſtentia quot bona efficiebat in ſtatu innocentiæ.

ni Deus.

Digitized by Google

ni Deus ad viuendum in terris præfiniuiſſet, tranſtuliſſet eū in cœleſtē patriam animali, & terrena vita in ſpiritualem, & diuinam commutata, qualē videlicet poſt reſurrectionem mortuorum nos eſse ſperamus.

Quæſt. 7. Scot. in 2. d. 29. q. 1.

Iuſta hoc quæritur primo vtrum in ſtatu innocentię appetitus ſenſitiuus, ita ſubiectus eſset rationi, vt nunquā cōtra præceptū eius inſurgeret, adeo quod iuſtitia originalis omnem rebellionem appetitus ſenſitiui abſtulerit, huic difficultati poteſt dupliciter reſponderi, vno modo quod licet voluntas delectabiliter non cōdelectetur delectationi inferioris appetitus per donum iuſtitiæ originalis ſibi inhærentis, inferior tamē appetitus, non euellitur a ſuo delectabili ſine triſtitia, ſed quia illud, quod conuenit homini ſecundū potentiam ſuperiorem ſimpliciter conuenit homini, nec propter hoc negatur ab homine quod non conueniat ei ſecundum potentiam inferiorem, Ideo dicitur quod totus homo delectabiliter abſtinet à delectabili ſenſus inferioris, licet appetitus inferior cum triſtitia abſtineat, & iuxta hunc modum dicitur quod inſtitia originalis abſtulit omnem rebellionem a toto homine, (non a parte inferiori;) pro quāto omnem difficultatem abſtulit à voluntate & triſtitiam in non condelectando inferiori, licet adhuc manſerit difficultas in appetitu inferiori; ipſe tamen non poterat definire voluntate.

Iuſtitia originalis abſtulit omnē rebellione a toto homine.

Secundo poteſt reſpōderi, quod omnis rebellio ablata eſt propter iuſtitiā originalem etiam in viribus inferioribus, ita quod etiam potentiæ inferiores ex parte ſui delectabiliter obediebant rationi, & ad hoc ſaluādum oportet aliquid ponere in potentia inferiori, quod ſic delectabiliter feratur in delectabile voluntati, non enim videtur quòd ex natura illius potentię poſſet delectabiliter auelli à ſuo delectabile nec ex natura illius potētię, in quantū eſt inferior voluntate, nam iſte ordo eſſentialis nunc manet & tñ nūc non eſt talis delectatio, atque ita oportet in ſingulis appetitiuis potentijs inferioribus ponere ſingula dona ſuper naturalia, ita vt quilibet per donū ſuū delectabiliter moueretur à voluntate, & iſte modus dicendi, eſt longe probabilior; quin etiam pro certo haberi debet in illo ſtatu innocētiæ ita fuiſſe motus appetitus ſenſitiui ſubiectos rationi, vt nūquā, aut cōtra autem etiam præter eius mandatum, id eſt nec repūgnando, nec præcurrendo concitarentur, alioquin nullum fuiſset diſcrimen inter ſtatum innocentiæ, & naturæ integrę, atque inter ſtatum naturæ lapſæ per Chriſti tñ gratiam reparatæ: Paulus quidem ad Rom. 7. Rebellionē carnis aduerſus ſpiritum ex peccato eſse natam perſpicuis verbis docet, ex quo etiā ipſam concupiſcentiā carnis peccatum appellat, & D. Aug. lib. de correptione, & gratia. c. 10. & 11. tradit in illo ſtatu fore, vt caro nunquam concupiſceret aduerſum ſpiritū, ſed eius ductum imperiumque ſemper ſequeretur, & in li. 14. de Ciui. Dei. ca. 10. Erat (inquit) tunc deuitatio tranquilla peccati, qua manente, nullum nō aliunde malum, quod cōtriſtaret irruebat, ſed appetitus; hoc ille declarat. c. 19. eiuſdē libri motus (inq t) appetitus ante peccatū in Paradiſo vitioſi non erant, nō .n. cōtra rectam voluntatē ad aliquid mouebantur, vnde neceſse eſset eos ratione tanquam frenis regentibus abſtinere, nam quod ita nunc mouētur, & ab eis qui tēperāter & iuſte & pie viuūt, alias facilius, aliàs difficilius tum cohibendo, tum refrenando modificantur, non eſt vtique ſanitas ex natura, ſed lan gnor ex culpa: Ita Aug.

Paulus ad Rom. 7.

D. Augu. lib. de correp. et gratia. ca. 10. & 11. & lib. 14. de Ciui. Dei ca. 10. & 19.

Quæſt. 8. Scot. vbi ſupra.

Quæritur ſecundo; quomodo fieri poterat, vt in illo ſtatu voluntas rationalis, cum naturaliter coniuncta ſit appetitui ſenſitiuo, nō allicieretur; aut afficeretur eius delectationibus, & ab illis ſeipſam abſtineret ſine vlla difficultate, aut moleſtia. Reſpondet Scot. ideo propterea accidiſse quia voluntas multum maiori delectatione detinebatur circa

Voluntas in ſtatu innocentiæ non cōdelectabatur appetitui ſenſitiuo.

circa obiectum ſitum, quam erat ſenſibilis delectatio: delectabilius enim erat illi vltimo ſuo fini, & his, quæ ad finē illum ordinantur adhærere, quam oblectamentis ſenſuum perfrui. Nam p donum iuſtitiæ originalis ſibi inhærēs voluntas, quaſdam delectationes appetitus ſenſitiui præueniſſet. Ne vſque ille ineſſent, puta adulterandi cum pulchra aliena, quoſdam imperaſſet, & bene eis vſus fuiſſet homi. puta cognoſcēdi ſuam, obediendo præcepto diuino. Creſcite, & multiplicamini, &c. ita qđ iſtas delectationes licitas, quandoq; habendas pro tunc, quandocunq; in fuiſſent, non habuiſſet voluntas pro fine, ſed ad finem debitum retuliſset, à quibuſdam etiam delectabilib. licitis, quādoque habendis interdum auertiſset, ſicut ab illa delectatione, quæ non erat habenda niſi pro tempore, & quocunque iſtorum ſiue præueniendo, ſiue bene habitis vtendo, ſiue ab habendis delectabilibus auertendo, voluntas delectabiliter faceret, per donum illud ſuper naturale, quam delectabilius fuit ſibi fini vltimo adhęrere, & omnibus ordinatis ad illum, quàm ab illo ſeparari inhærendo alicui delectabili non ordinato ad illum finem.

Sed quomodo appetitus ſenſitiuus abſtinebat ſe ab obiecto ſuo delectabili etiam ſine triſtitia iocunde ſequens pceptum, & ductum rationis. Rńdet eodē loco Scotus, ad id opus fuiſse ſingularibus quibuſdā donis, quibus ita afficeretur, & proficeretur appetitus ſenſitiuus; vt delectabilius ei eſset ſequi rationis imperium, quam cōtra ductum eius reniti, inhęrendo proprijs voluptatibus, & oblectamentis, quam vt ſupra diximus, nec id ſatis erat, ſed in primis hoc efficiebat ſingularis Dei aſiſtentia, cura, & prouidentia, ita continentis, regentis, & moderantis appetitum ſenſitiuum, vt nūquam ſcineret eum ad aliquid, quod eſset contra, vel præter rationis iudicium, & imperium incitari, atque moueri.

Scot. vbi ſupra.

Appetitꝰ ſenſitiuus in ſtatu innocentiæ ſequebatur voluntatis Imperium.

Quæritur tertio. An in ſtatu innocētię futuri eſſent in homine motus iſti, appetitus ſenſitiui, quos vulgo appellamus paſſiones, vt ſunt deſiderium, gaudium, amor, odiū, metus, Iuſtitia. Nā ſicut corpus hominis in eo ſtatu fuiſſet impaſſibile, ita futurus videt̃ fuiſſe animus ab iis paſſionibus vacuus, & plane impaſsibilis. Hanc quæſtionem tractat. D. Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei. ca. 9. & 10. & D. Thom. 1. p. q. 95. artic. 2. Verum facilis eſt huius quæſtionis explicatio: paſsionum enim appetitus, aliæ reſpiciunt bonum, vel abſens, & parabile, vt deſiderium, & ſpes, vel iā paratum, & pręſens, vt gaudium, & lętitia, vel indifferenter ipſum bonum, vt amor, & huiuſmodi paſſiones fuiſſent tunc in homine, ſunt enim motus naturales humani animi, & ad animi oblectationem, & lętitiam pertinent. Verum multo aliter tunc erant in homine; quam nunc ſint in nobis, erāt enim rationis arbitratu, & imperio pęnitus modificatę, ac determinatæ, atq; in rōnis poteſtate erant dupliciter. Primo quantum ad earum excitationem, & inchoationē, quantum ad continuationem, & durationem. Secundo quantum ad cōtentionem; & remiſsionem, atque adeo fuiſsent homini, tunc non modo nulli moleſtiæ, & impedimēto, ſed magno etiam adiumento, & oblectamento. Aliæ paſſiones ſpectant malū, vel abſens, vel impendens, vt timor, vel etiam præſens vt triſtitia, & dolor. His paſsionibus caruit Adā ante peccatū, & niſi peccaſset ipſe, omnes eius poſteri caruiſſent; ſed cōtra, poterat eſſe tonitruum auditum in Paradiſo, ergo fuiſset ex illo ſono dolor in auditu Adæ, ſimiliter poterat audire clamorē pauonis, vel rugitum Aſini, qui nō eſt delectabilis, ſimiliter in Paradiſo fuiſſent Bruta, quæ monſtra genuiſsent, & ſic videre poterat turpe viſibile, à quo potentia viſiua reſiliiſset, tanq; ab obiecto diſcōuenienti, atq; adeo appetitus ſenſitiuus potuit tunc triſtari; nā, & turpe viſibile, quod viſus tunc videre poterat, & turpe audibile, quod auditus poterat.

D. Aug. lib. 14. de Ciui. Dei c. 9. & D. Thom. 1. p. q. 95. artic. 2.

Paſſiones appetitus ſenſitiui, vt timor, gaudium, ſpes, deſiderium &c. fuiſſent in ſtatu innocētia.

hęc pedibus priuatum, trahi per terram ac ſerpere fecit.

Baſilius ho. de Paradiſo.

Simile quippiam videtur Baſſilius docere in homelia, quæ eſt de Paradiſo ſcribens omnia animalia fuiſſe ante peccatum Adę manſueta, & inter ſe cócorditer viuentia, quodque audirent inter ſe, & loquerentur ſenſate, nec ſerpentem tunc in terra reptaſſe, ſed ſublimem, ereptumque pedibus ſuis inceſiſſe. Quodque docere videtur Plato in politico ſcribens, regãte Saturno nõ homines mõ cum hominibus, ſed cum beſtiis etiam ſermocinare potuiſſe, & ſi qđ ex illis vellent cognoſcere ſolitos interrogare, & viciſſim ab ipſis reſponſa accipere.

Plato in politicis.

Improbatur opinio Ioſephi.

Cæterũ Ioſephi opinio omnino impoſſibilis eſt, quid enim dici excogitari ve poteſt incredibilius, & abſurdius nam intelligendi facultas, & præſidentem res vniuerſas, & immortales vnius omnium animãtium hominis propria eſt, quippe eius definitio eſt animal rationale, facultas, etiam loquendi, & ſermocinandi, vt tradit Ariſt. lib. 4. de Hiſtoria animalium. cap. 9. homini eſt ꝓpria: nam quædam animalia, quę ab homine edocta, ſimiles hominis voces fingunt, id nec faciunt naturaliter neceſſarium intellectum eorum, quæ loquunť.

Hephrẽ, Moſes Barceph. lib. de Paradiſo ca. 27.

B. Heph. opinio de ſerpente qui tentauit Euã.

Altera ſententia eſt B. Hephrem, quẽ refert Moſes Barcephas in libro de Paradiſo cap. 27. exiſtimauit ſerpentem illum, qui cum Eua colloquebatur fuiſſe corporatum verumque animal Sathana enim a Deo petuiſſe vt ſerpenti ſermonis facultatem concederet ad tẽpus, ad tentandum Adamum ſicut operibus ſibi quoque permitti poſtulauit, quo patientię eius periculum faceret, itaque ſerpenti illi corporeo ea ratione vt Aſinæ Balaam ſermonis vſum eſſe datum intelligere oportet, Nec vero locutionem ſolam; ſed etiam intellectum illi ſerpenti eſſe inditũ affirmat Ephrẽ, ſiquidem Deus ipſum, vt intelligẽtem eſt affactus his maledictis mulctãs puluerem commedes, & ſuper ventrem tuum ambulabis. Sed hæc ſentẽtia omni prorſus caret fide, quid enim minus credibile eſt, quam ſerpentem loq, cui nulla ſunt inſtrumenta naturalia idonea, & neceſſaria ad formandas voces humanas? fruſtra igitur ei daretur facultas loquendi, quæ nullo modo in vſum proferri, & expediri poſset. Nam ſermonem humanum, quẽ edidit Aſina Balaam, non ipſa formauit, ſed Angelus in ore eius, deinde nihil abſurdius, quam putare ſerpenti facultatem intelligendi dari, & ineſſe potuiſſe, nimirum non magis ſerpens potuit eſſe intelligens, quam eſſe homo, intellectus enim cum re ipſa non differat ab anima intelligente ab ea minime ſeparari poteſt.

Refellit opinio B. Ephrem.

Baſilius ho. de Parad. Chriſoſt. hom. 16. in Gen. Theod. q. 31. & 32 Beda in Gen. dam. lib. 2. de fide ca. 10. Mag. ſent. diſt. 21. & omnes Theologi ead. diſt. Ale. de Ales. 2. p. q. 107 in 5.

Eſt ergo Tertia opinio, quæ probanda, & amplectanda eſt, fuiſſe nempe in ea tentatione verum, & naturalem ſerpentem, in quẽ tamen ſe Diabolus inſinuauit & per eum quaſi per organum ſuum formauit humanas voces, & ſermonem cũ Eua miſcens callida & malitioſa tentatione eam decepit, Hæc ſententia eſt patribus probata, & videre licet apud Baſilium hom. de Paradiſo. Chryſoſt. hom. 16. in Gen. Theodoretum q. 31. & 32. in Gen, Bedam in cõmentariis in Gen. Rupertum. libr. 3. de operibus Trinit. cap. 3. Damaſcenum. lib. 2. de fide orthodoxa ca. 10. & apud Mag. ſent. lib. 2. d. 21. & ibidem ſcolaſticos Theologos, quam ſententiã plurimis, & diſertiſſimis verbis explicat, atque tuetur D. Aug. in li. de Ciuit. Dei & de Gen. ad litteram, nam in li. 14. de Ciuit. Dei ca. 11. hoc modo ſcribit, Diabolus colobrum in Paradiſo corporali, vbi cum duobus illis hominib. maſculo, & fœmina, animalia, etiam terreſtria cætera ſubdita, & innoxia verſabãtur, animal ſlubricum, & tortuoſis anfractibus mobile, & operi ſuo congruũ per quem loqueretur elegit, & quod per Angelicam prę̨ſentiam, præſtantioremque naturam ſpirituali nequitia ſibi ſubiecto, & tanquam inſtrumẽto abutens fallaciam ſermocinatus eſt fœminæ; & lib. 11. de Gen. ad litt. c. 27. Diabolus

D. Aug. lib. 14. de Ciui. Dei ca. 11. & lib. 11. de Ge. ad lit. cap. 27.

bolus

bolus(ait)in ſerpente locutus eſt,vtens eo,velut organo mouenſque eius naturam,eo modo,quomodo iuſte ille mouere,& moueri illa potuit ad exprimẽdum verborum ſonos,& ſigna corporalia,per quæ mulier ſuadentis intelligeret voluntatem non ita quẽ ſerpens verborum ſonos intelligebat,qui ex illo fiebant ad mulierem,neque conuerſa credenda eſt anima eius in naturam rationalem, quãdoquidem nec ipſi homines, quorum rationalis natura eſt, cum Demon in eis loquitur ea paſſione, cui profligandæ exorciſta requiritur,ſciunt,quid loquantur, & parum infra;nam quod putãtur audire, & intelligere ſerpentes verba Marſorum, vt eis incantantibus proſiliant,plerumque de latebris, etiã illis Diabolica vis operatur, & infra. & hoc magis habet vſus (Deo permittente) ſerpentes moueri carminibus hominum, quod nullum aliud genus animantium, etenim hoc nõ parua teſtatio eſt naturã premi tuis ſerpẽtis ſeductã eſſe colloquio. Gaudent.n.Demones hãc ſibi poteſtatẽ dari,vt ad incãtationes hominũ ſerpẽtes moueãt,vt quolibet modo fallãt,quos poſſunt,hoc aũt facere permittũtur ad primi facti memoriã cõmendãdã, qđ ſit eis quędã cum hac generatione animaliũ familiaritas. Hacten^o ex D. Au.

Quæſt. 2. Quæritur an verba illa, ſerpens erat calidior cunctis animantibus intelligẽda ſint de ſerpente, aut de Diabolo, & videtur qđ de neutro intelligi poſſint; nam nec Diabolus recte comparari poteſt beſtijs terrę, nec ſerpens cũctis animantibus aſtutior eſt. De hac re,tres ſunt doctorum opiniones. Prima dicit,quod illud Moſis dictum,& cætera,quæ de ſerpente narrantur ad ſolum Diabolum referenda ſunt, quã ſentẽtiam ſequitur Caiet. Verũ inepta eſt comparatio cũ beſtijs terræ cũ ille non ſit incorporeus & immortalis, nec ſolum ſpecie, ſed etiam genere differat ab animantibus;& id in quo aliqua comparãtur inter ſe vnius eſſe debent rationis,calidiitas uero demonis, & beſtiarum,quam diuerſæ ſint ratio nis, nemo non videt, nam calliditas Demonis eſt ſapientia pure intellectiua,cum ſenſu non vtatur, calliditas autem beſtiarum terræ eſt rerum ſenſatarum; ſecũdum quod intentiones ſenſatas ex ſenſatis accipiunt ſpẽbus,atq; adeo nõ cõmunicãt in aliquo,& pcõſequens non poterat dici, quod Demõ eſſet callidior,vel ſapientior beſtijs terræ. Prætetea eidem ſerpenti,de quo dicitur quod erat callidior cunctis animantibus terræ,inflicta fuit pęna; qđ ſuper pectus ſuum gradietur, & terrã commederet,& quod inſidiabitur calcaneo mulieris,quæ omnia ad litterã intelliguntur de ſerpente vero, qui eſt animal ergo etiã id quod dr̃, qđ ſerpẽs erat callidior cũctis animãtibus, de vero ſerpẽte,itelligi dẽt,& nõ de Demo.

Secunda opinio eſt Diui Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 29. qui dicit ſcripturã loqui de calliditate veri ſerpentis nõ tñ per ſe,ſed vt fuit organum Diaboli ad fallendũ Euam. Verba D. Aug. ſunt hæc. Proinde prudentiſsimus omnium beſtiarum, hoc eſt aſtutiſsimus ita ditus eſt ſerpẽs, pp aſtutiã Diaboli,quæ in illo,& de illo agebat dolum, quẽ admodũ dr̃ prudẽs,vel aſtuta lingua q̃ prudẽs,vel aſtutus mouet ad aliquid prudẽter, aſtuteq; ſuadendũ:nõ .n.eſt hęc vis,ſeu virtus mẽbri corporalis,ꝙ vocatur lingua;ſed vtiq; mẽtis q̃ vtit ea. Ita ẽt dictus eſt ſtylus mẽdax ſcribarũ: neq;.n.eſſe mẽdacẽ ptinet,niſi ad viuẽtẽ,atq; ſentiẽtẽ; ſed ſtyl^o mẽdax dictus eſt;ꝙ p eũ mendax mẽdaciter operet̃ queãdmodũ,ſi et iſte ſerpẽs mẽdax diceretur, ꝙ eo Diabolus tanq̃ ſtylo mẽdaciter vteret̃. Hoc Iõ cõmẽdãdũ putaui,ne q̃s q̃ exiſtimãs animãtia rõnis expetia hũnũm habere intellectũ, vel in aial rõnale repẽte mutari,ſeducatur in illã opinionẽ ridiculã, & noxiã reuolutionis animarũ, vel hominũ in beſtias,vel in hoies beſtiarum ſic ergo locutus eſt ſerpẽs homini,ſicut aſina i qua ſedebat Balaã locuta eſt homini,niſi quod illud fuit opus Diabolicũ, hoc Angelicũ. Hẽnt.n.q̃dã boni, & mali Angeli opera ſimilia, ſicut Moſis,&

Caiet. in Gen. c. 3.

D. Aug. lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 29 Mag. ſenten. in 2. d. 21. Ale. de Ales. p. 2. q. 102 m. 5. ad 5. D. Th. 2. 2. q. 165. ar. 2. ad 4

Digitized by Google

ſes, & Magi Pharaonis. verum in his etiam boni Angeli potẽtiores ſunt, nec mali Angeli etiam talium operũ quid quã poſſunt, niſi quod per bonos Angelos pmiſerit Deus. Hactenus Aug. ead. etiam ſcribit eod. lib. c. 2.

Toſt. ſup 3. c. Gen. q. 438.

Sed hanc ſententiam refellit Toſtatus q. 438. ſuper tertium c. 13. Gen. Nã ſi Dæmon aliquam caliditatem ſerpẽti dediſſet, illa fuiſſet intellectiua, quia Dæmõ nullam aliam habebat, nec alia ad hoc quod fieret tentatio ſufficiebat, at Dęmon iſtam dare non potuit, ergo &c. maior probatur, quia caliditas intellectiua non poteſt in eſſe in non habentem animam rationalem, quã non habet ſerpẽs; præterea narratio ſcripturæ ſi quis eam bene perpendat excludere videtur Aug. expoſitionem: ſignificat enim ſerpentẽ ſuapte natura fuiſſe callidiorem cæteris beſtiis, ẽt priuſque aſſumeretur à Diabolo, quod indicat verbũ illud: Erat. ſerpens, inquit, callidior &c. Immo vero propter ea ſerpens potius q̃ aliud quod uis animal aſſunctus eſt a Dæmone, quod his maxime propter naturalem caliditatẽ congueret, & aſtutiæ Dæmonis aſſumentis, & officio deceptionis occultæ; ad quod aſſumebatur, & fini propter quem aſſumebatur, nempe vt venenata Diaboli perſuaſione corruptus homo tanta illa, qua potiebatur felicitate deturbaretur in maximam miſeriam.

Toſt. ſup 3. c. Gen. queſ 436. 437. & 438. & Pererius lib. 6. in Gen. diſp. de ſerp. q. 1.

Verba illa ſerpens erat callidior etc. de vero

Eſt ergo 3. opinio. Moſen dixiſſe illud de vero ſerpente, cum verò appellare aſtutiorem cæteris beſtiis, non quod ſignificaret per aſtutiam naturã ſerpentis, deceptam eſſe Euam, ſed vt oſtenderet non temere, nec ſine magna ratione diuinæ prudentiæ factum, vt Diabolus ad decipiendum hominem ſeſe in ſerpentem potius, quã in aliud quod uis animal inſinuaret. videlicet vt intelligeretur, quod conguens aſtutiæ Dęmonis ad fallendum hominem adhibitum fuerit inſtrumentum, & vt ex aſtutia ſerpentis, & naturali inimicitia, quæ eſt inter eum, & hominem cõuinceret multiplex Diaboli aduerſus hominem aſtutia, & odium implacabile, cum ergo non intelligatur de callliditate Dęmonis in ſe, neq; de calliditate, q̃ ſerpẽs accepit a Dæmone, intelligit de calliditate ipſius ſerpentis naturali, q̃ hẽt ſm ſuam ſpeciem. Nã cum hæc verba Moſis poſſint recte intelligi, ita vt iacent, non debent referri ad aliquod, de quo non accipitur ſcriptura quantum ad literam. Poſſunt autem hæc verba, conuenire ſerpenti, ẽt mõ. ergo non debet trahi ad Dæmonẽ, neque ad aliquid quod ipſe acceperit à Dæmone. Nã Chriſtus dixit Matth. 10. Eſtote prudentes ſicut ſerpẽtes: cũ .n. vellet homines exẽplo animaliũ ad prudentiam hortari non poſuit exemplũ de aliquo, niſi de ſerpente, innuẽs illum prudentiorẽ eſſe cuntis animantibus; & tamen Chriſtus vere loquebatur de ſerpente, cum & quo ad ſimplicitatem poſuit exemplũ de columba & loquebatur, ſecũdum id, quod erat naturale ſerpenti, quia iam ſerpens nõ poſſidetur à Diabolo, ſicut tunc illum aſſumpſit, ergo ſerpens ſecundum naturalia eſt poſitus à Chriſto vt prudentior omnibus animalibus, & hoc eſt quod ſignificant hęc verba Moſis.

ſerpẽte intelligẽda ſunt.

Toſt. vbi ſup. q. 454

In ſerpente multæ ſunt aſtutia.

Sunt autem in ſerpente multæ aſtutiæ tum ad cauendum mala, tũ ad nocendum. Cauet .n. mala quia non vult audire incantatores, putans, qđ audiendo malum patietur, ideo vt non audiat obturat aures ſuas ponendo vnam ſup lapidem, & aliam claudendo cum cauda; ſicut dicit Pſ. 57. Sicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, quæ nõ exaudiet voces incantantium, & veneſeci incantantis ſapienter, Item ſi ſaxo, aut ferro ſerpẽs ab homine aggredit, quo tutius caput (vnde toti' corporis ſalus pendet) defendat, circũuoluit totum corpus in orbem, vt illud occultet, & ab ictibus tueatur, reliquum corpus exponens periculo pro vnius defenſione capitis. Item tradit Epiphanius heręſi. 37. quod ſerpens ſiti agitatus ſi è latibulo procedit ad aquam vt bibat, non fert ſecum venenum, ſed ipſum in

latibulo

Digitized by Google

latibulo deponit, ne aquas veneno inficiat, atque corrupat. Plinius etiam lib. 8.ca.27. multa de ſerpentis aſtutia tradit. Habet etiam ſerpens prudentiam adnocendum, quia nouit per inſidias nocere, nam infra in hoc capit. dicitur Tu inſidiaberis calcaneo eius, & c.40. dicitur fiat Dan, coluber in via mordens vngulas æqui, vt cadat aſcenſor eius retro, ſane hominem ſerpens occulte, callide, atque inſidioſe mordet, & morſu quidem lethali, idque facit non metu, non aliquo cōmō, aut incōmodo ſuo ductus, ſed naturali odio hominis, & propenſiſſimæ ad ei nocendum naturæ inſtintu m, quod ſignificauit Salomon capit. 10. Eccleſiaſt. Si mordeat ſerpens in ſiletio nihil eo minus habet, qui occulte detrahit; quibus verbis notantur inſidiæ adnocendum. & licet particulares aſtutię, vel prudētię inueniantur in animalibus, tamen plures, & maiores aſtutiæ ſunt in ſerpente, & ob hāc cauſam dicitur, quod ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ. i. prudentior, vel aſtutior; poſſet forte ſententia D. Aug. cum hac tertia ita concordari, dicendo, qđ calliditas attenditur in cogitione ordinata adnocendū, & ſeducendum, & quoniam duplex eſt nocumentum, videlicet ſpirituale, & corporale; Duplex eſſe poteſt calliditas, aut in nocendo corporaliter, aut in nocendo ſpiritualiter, caliditatem in nocēdo corporaliter homini, habet ſerpens naturæ ſuę induſtria, loquendo ſaltem ſecundum ſtatū naturæ, calliditatem vero nocendi ſpiritualiter non habet a ſe ſed à Diaboli præſentia, & de hac callíditate loquit D. Aug. & quia ſpiritualia dicuntur ſignificari per corporalia ſibi ſimilia. Ideo cum ſerpens ex ſe habeat caliditatem nocendi, & inſidiandi corporaliter, congruum fuit per ipſum Diabolum exercere caliditatem ſuam contra homines in nocendo ſpiritualiter, & ſecundum hunc duplicem ſenſum intelligi poſſunt, hæc verba Moſis, ſerpens erat callidior cuntis beſtiis terræ.

D. Bona. in 2.d.21 dub.2. circa litterā Mag.

Nocumētū eſt duplex.

Calliditas duplex.

DE HOMINIS TENTATORE.

Qui dixit ad mulierem.

HIC incipit Dęmonis tentatio, pro cuius intellectu obſ. eſt, quod tētatio quinque modis conſiderari poteſt ſcilicet quantum ad motiuū, quantum adinſtrumentum, quantum ad effectu, quantum ad gradū, & quantum ad modum. Quantum ad motiuū dupliciter, vel generaliter vel ſpecialiter, ſi generaliter, ſic diuiditur tentatio, in eā, quę eſt abhoſte, & à carne & à mūdo, vt dicitur in quadā ſequentia. Mūdus, Caro, Dæmonia diuerſa mouent prælia. ſi dicatur motiuum ſpecialiter, ſcilicet. quod ſe offert non ſolum per modum obiecti, ſed etiam quod inducit, & excitat per modum impulſus, ſic diuiditur tētatio in eam, quę eſt ab hoſte, & in eam, quæ eſt à carne, quorum vtrūque incendit ad malum, ſi autem loquamur de tentatione, quātum ad inſtrumentum poteſt dupliciter cōſiderari, aut generaliter, aut ſpecialiter, ſi generaliter, ſic eā diuidit D. Gregorius, quod tentatio quędam eſt per vitia, quædam per flagella: ſi ſpecialiter; ſic diuidit eam Gloſſa in pſal. 110. ſuper illa verba, Omnē eſcam abominata eſt anima mea; vbi dicit, quod multiplex eſt tentatio, quarum prima eſt error, ſiue ne ſcientia viæ veritatis. Secunda difficultas vincendarum concupiſcentiarum. Tertia tedium boni. Quarta tempeſtas ſęculi. Si autem conſideretur tentatio tertio modo. ſ. quātum ad effectum, poteſt etiam duobus modis conſiderari, aut generaliter, aūt ſpāliter, ſi generaliter, ſic eſt illa diuiſio, quæ ponitur in Gloſſa ſuper illud. 1. Cor. 12. Tentatio vos non apprahendat &c. vbi dicit Gl. quod tentatio alia eſt Diabolica, alia humana, & differūt quia tentatio Diabolica, eſt quæ malū habet exitum, & quæ terminatur ad mortale peccatum: tētatio vero humana dicitur, quæ exitū periculoſum non

D. Bona. vbi ſup. dub. 3.

Tentatio quinque modis cōſiderari poteſt.

D. Greg.

Gloſſa

Tentatio triplex eſt

Gloſſa

Tentatio alia diabolia alia humana, & earum differētia

Digitized by Google

habet, vel quia ibi eſt peccatum veniale, vel nulla eſt ibi culpa, ſecundum, quod oſtenditur in Glo. vbi dicitur, quod tribus modis habet fieri tentatio huma-na, ſi ſpecialiter, ſic eſt illa diuiſio D. Auguſtini lib. de doctr. Chriſtiana. quod Diabolus tentat, aut vexando carnem, aut vulnerando naturalia, aut expoliando gratuita, hæc enim ponũtur ſpecialiter effectus tentationis Diabolicę. Si autem quarto modo conſideretur tentatio. ſ. quãtum ad gradum, hoc poteſt eſſe dupliciter, aut generaliter, aut ſpecialiter, ſi generaliter ſic eſt illa, quã ponit Magiſt. 2. ſent. d. 21. tentatio, alia eſt exterior, alia interior; ſi ſpecialiter ſic eſt illa, quã ponit Greg. & habetur in Glo. ſuper illud Iacobi. 1. Vnus quiſq; tentatur à concupiſcẽtia ſua &c. quod tẽtatio tripliciter perficitur ſuggeſtione, delectatione, conſenſu, vbi notãtur gradus in progreſſu tentationis explicitæ, qui ponebãtur in diuiſione prius habita implicite. Per tẽtationem enim interiorem intelligimus illam, in qua eſt delectatio, vel cõſenſus; per exteriorem intelligimus ſuggeſtionem. ſecundo obſeruandum eſt quod ſi conſideretur tentatio quinto modo, quantum ad modum tentãdi, hoc ſimiliter erit aut generaliter, aut ſpecialiter, ſi generaliter, hoc poteſt eſſe vel explicite vel implicite, ſi implicite, ſic eſt illa, quæ ponitur in Gloſſ. ſuper pſa. 9. Qui habitat in adiutorio altiſſimi. &c. vbi dicitur, quod quædam eſt tẽtatio leuis, & occulta, quędam grauis, & occulta, quædam leuis & manifeſta, quædam grauis & manifeſta; ſi autẽ explicite ſi eſt illa, quam ponit D. Bernardus per ſeptem membra, quarum prima eſt importuna, quæ procaciter inſiſtit. ſecunda dubia, quę animum dubietatis nebula inuoluit. tertia eſt ſubita. quæ iudicium rationis præuenit. Quarta occulta, quę deliberationis ordinem præterfugit. quinta Violẽta, quæ vires noſtras tranſcendit, ſexta fraudulenta, quæ animum ſeducit, ſeptima perplexa, quę variis viis impeditur. In hac diuiſione explicãtur difficultates, & grauitates tentationum, ſiue modorum tentandi, & latentiæ, quæ in priori diuiſione implicite claudebantur. Verũtamen tam hæc diuiſio, quam præcedens de modis tentationis in ſua generalitate conſideratur, ſi autem conſideretur ſpecialiter tentatio, prout contrahitur ad tentationem Diaboli, ſic modi eius poſſunt dupliciter aſſignari, vel implicite, & ſic diuidit eam D. Aug. in quodam ſermone, Diabolus tentat, vt leo, tentat vt Draco, vel explicite, & ſic eſt illa Diuiſio Greg. ſuper Iob 40. vbi ſic ſcribit. Gregorius, fideli famulo dominus cunctas hoſtis callidi machinationes inſinuat, ſcilicet quod opprimẽdo rapit, inſidiando circumuenit, minando terret, ſuadendo blanditur, deſperando frangit, promittendo decipit. In hac autem Diuiſione explicantur modi, quos Auguſt. clauſerat ſub his duobus verbis, quod tentat vt leo, tentat vt Draco. His ergo ita conſtitutis de tentatione.

D. Augu. Tentatio humana trib. modis fit.

D. Greg.

D. Bern. Tentatio ſeptuplex.

D. Aug.

D. Greg.

Quæritur primo de tentatore, quis nempe fuerit tentator Ioſeph. libr. 1. Antiquitatum. cap. 1. dicit, quod fuit ſerpens, & non Diabolus, qui tentauit Euam. Vnde vult quod ſerpens erat naturaliter loquens, & intelligens, atque ita potuit intelligere hoc, quod dixit, & cõcipere illud, dicit quoque ſerpentem non fuiſſe tũc prout nũc in terram, ſicut nunc eſt, ſed habuiſſe pedes, quibus in altum tolleretur, & quod ille ex inuidia motus videns humanam fœlicitatem, cupiens homines ab illo ſtatu deijcere, perſuaſit in obedientiam in vetito arbore. Cæterũ hæc opinio ſtare non põt. Non eſt. n. intelligibile, quod ſerpens tentaret hoiem, quaſi à ſe motus, & ſufficiens ad tentandũ, nullo alio operante in eo, vel impellente ipſum; nã tẽtator debuit intellectum habere ad cogitandũ, quod diceret, & intẽdẽdũ finẽ, quem deduceret ex dictis, ſed hoc non habet ſerpẽs, quia nullum eſt animal rationale, niſi ho vt docet Ari. li. 1. de aialib. Aial quod habet diſcretionẽ

Quæſt. 1. Ioſephus lib. 1. Antiquitatũ. cap. 1.

Refellitur Ioſephus.

Digitized by Google

eſt ſolus hõ, atq; adeo non poterat ſerpens tentare. falſũ eſt etiã, qđ dicit Ioſephus. ſ. ſerpentẽ eſſe naturaliter intelligentem, & loquentẽ: quia iſta duo ſimul, nulli cõpetunt, niſi homini; nã intelligere competit alicui præter hominem. ſ. Deo, & Angelo, animali aũt nulli competit; loqui verò ex natura nulli competit niſi homini, vt dictum eſt ſupra, ſed tentator iſte vtrũq; habuit, & non erat homo, ergo non erat ſerpens, neq; animal aliquód nã fuiſſe locutionẽ in eo non erat inconueniens, ſed ipſum eſſe naturaliter loquentẽ erat impoſſibile, quia tunc non eſſet in ſpẽ ſerpẽtis. Dicẽdũ eſt ergo, qđ tentator fuit Diabolus, quia neceſſe erat, quod tẽtator eſſet rõne vtẽs, quia loquutus eſt, & intelligebat, & tñ hoc non cõpetit niſi Deo, & Angelo, demoni, & hoĩ, hõ aũt non fuit tentator, quia nõ erãt tũc Alii homines, ſed ſolus Adã, & Eua; non fuit ẽt Deus. quia Deus neminẽ tẽtat, ſicut dr̃ Iacobi. i. Nemo cũ tẽtatur dicat, quod à Deo tentatur, ipſe. n. neminem tentat, & ſi aliqñ dicatur Deus tẽtare, ſicut infr. c. 22. dr̃ tentauit Deus Abraam, illa tentatio non terminatr̃ in malo; ſed in bono, & eſt ad manifeſtãdũ virtutem alicuius, hæc aũt tentatio terminata eſt in malo, atque adeo non fuit a Deo. Etiam non fuit ab Angelo, quia Angeli oẽs ſunt boni, & in caritate, & nulli malũ procurant, potiſſimũ malũ culpę, ſed hoc malũ fuit homini procuratũ, iõ nõ eſt factũ per Angelũ. Relinquitur aũt ſolus Demon. & ipſe eſt qui tunc tentauit. item ille, qui tentauit, mẽtitus eſt dicẽs Eritis ſicut Dii &c. & tñ mentiri non cõpetebat alicui tunc, niſi Dæmoni: quia Deus non mẽtitur, quia fidelis eſt, & ſe ipſum negare non põt. Angelus quoq; non mentitur, quia beatus eſt. Hõ aũt non erat, q pniciosſe mentiri poſſet; ergo ſolus Diabolus eſt, qui tentare poſſet, & mentiri præterea Chriſtus Io. 8. dixit de Diabolo, Vos ex patre Diabolo eſtis & deſideria patris veſtri vultis perficere, ille homicida erat ab initio, & ĩ veritate non ſtetit, & veritas in eo non eſt. hoc non poteſt intelligi niſi de prima morte, quia alias non eſſet ipſe ab initio homicida, ergo ipſe fuit, qui procurauit primã mortẽ. Iſta autẽ fuit obligatio ad moriendum pp peccatũ Adæ, atq; ita procurauit ille hoc peccatũ, & per conſequens fuit tentator.

Toſt. vbi ſupra. qu. 419.

Tentator qui Euã tentauit fuit Diabolus.

Quæſt. 2.

Mag. hiſtoriarũ ĩ li. Gen. c. 21. & magiſt. ſent. in 2. d. 6.

Dæmon qui tentauit primos parentes fuit lucifer.

Quæritur 2. qualis fuit Dæmonum iſte, qui tentauit primos parentes. Rñdetur, qđ fuit Lucifer, ita docet Mag. Hiſtoriarum in lib. Gen. c. 21. vbi ſcribit. Lucifer deiectus a Paradiſo ſpirituum inuidit homini, quod eſſet in Paradiſo corporum, ſciens ſi faceret eum tranſgredi, quod & ille eiiceretr̃. Idem docet Mag. ſen. in 2. d. 6. vbi ſic ſcribit. Aliqui putant Luciferũ primũ hominem tentaſſe, & viciſſe, & 2. Deum, ſed ab eo victum eſſe, & iõ in Inferno relegatum. Lucifer ergo tentauit primum Adam, & ſecũdum Adam: ſ. Chriſtũ; ſed differenter, quia primum uicit, ſed a ſecundo victus eſt.

Quæſt. 3.

Landulphus de Neap. & Rubio. in 2. d. 21. q. 2. Diabolus motus fuit ex inuidia ad tentandũ primos parentes.

Inuidia quid ſit.

Quæritur 3. qđ fuit motiuũ Diaboli ad tentandum primos parentes? Dicendũ, qđ motus fuit ex inuidia, nã videns Diabolus hominem per obedientiæ humilitatem poſſe aſſendere vnde ipſe per ſuperbiã corruerat, inuidit ei, pro clarius intellectũ obſeruandũ eſt quod inuidia eſt paſſio concupiſibilis ſub ira, vel triſtitia contenta, prouenięs ex bono alterius apprehenſo, vt diminuente propriam excellentiã; qđ ꝓ tãto additur, qñ licet ſemper inuidia reſpiciat bonum aliqđ non tamen ut abſolute conſideratũ, ſed conceptũ, vt ꝓprie excellentię, videlicet inuidentis diminutiuum, ex quo ſequitur, qđ inuidia reſpicit bonũ apprehẽsũ, vt ipſius inuidentis aliquo mõ malũ, atq; adeo dr̃ ipſa inuidia contineri ſub triſtitia. ſecundo obſ. eſt quod virtutis concupiſcibilis, ſex dicuntur eſſe paſſiones, ſcilicet Amor. Odium, fuga, Deſiderium, triſtitia, & Delectatio, ſeu finalis quietatio, amor reſpicit bonum, & odium malum abſolute conſideratũ, fuga aũt reſpicit malũ, & deſideriũ boni

Virtutis cõcupiſcibilis ſex ſunt paſſiones.

ſub ratione futuri, non autem ſub ratione habiti apprehenſum, triſtitia vero reſpicit malum, & delectatio ſeu finalis quietatio bonum actû apprçhenſum, & hoc modo inuidia eſt reſpectu mali: licet enim reſpiciat bonum, non tamen vt bonum, ſed vt ſuæ excellẽtiæ accidentaliter deprçſſiuum, & per conſequens vt accidentaliter exiſtens aliquo modo malum, atque adeo dicitur contineri ſub triſtitia, quæ tale reſpicit malum.

His obſeruatis dico quod inuidia fuit mouens Diabolum ad tẽtandum primum hominem, quem decepit, & omnem etiam alium, quem poſtea tentauit. Hoc patet quoniã Diabolus fuit motus ad tentandum hominem propter bonum eius appræhenſum, vt ſuper excellens bonum ſuum, eiuſque aliqualiter de prçſſiuum. Nam Diabolus apprçhendit hominem virtutibus prçditum, & ad fçlicitatem, quam ipſe amiſerat, aptum, & çternaliter prçparatum, & in hoc appræhendit, & cognouit ipſum ſe maiorem eſſe, & ſuam ꝓpriam excellentiam excedentẽ, de quo fuit contriſtatus, & ex hoc motus ad ipſum hominem deijciendum, ſed vt patet ex dictis, inuidia non eſt aliud, q̃ triſtitia de bono proximo apprehenſo vt eſt propriæ excellẽtiæ deprçſſiuũ. Præterea ſuperbia, & inuidia mentem Diaboli poſſident: nam ex his duobus vitiis, qui prius erat lucifer, Diabolus factus eſt, & ſunt quaſi hæc duo inſeparabilia, ita quod vnum concomitatur ad Alterum. ſuperbus enim amat excellentiam, & ita nullum vult habere parem, ac per hoc ſtatim appetit excellẽtiam poſſidere, atque adeo ſtatim, vel actu, vel habitu inuidet, cum nolit bonum conſimile, bono, quod appetit, ab alio communicari. Mens igitur Diaboli ab his duob. vitijs poſſeſſa videlicet, ſuperbia, & inuidia videns hominẽ in ſtatu, quo poterat cadere ſub diabolicã poteſtatem, & in quo poterat aſcẽdere ad ſupernam fçlicitatem, ex qua ipſe ceciderat ex ſuperbia motus eſt, & ex inuidia ad ipſum tentandum, ex ſuperbia nanque, vt ipſum ſibi ſubijceret, ex inuidia vero, vt ipſum in ſuperna fœlicitate impediret, & ſuperbia fuit ſicut mouens primũ, & remotum. Inuidia vero ſicut mouens proximum, & immediatum, eſtò.n. quod nõ poſſet dominium ſuper hominem acquirere, adhuc ſtuduiſſet ipſum a paradiſi gaudiis impedire, & ideo ſcriptura dicit, & eius expoſitores, Diabolum ad tentandum hominem, ex inuidia motum eſſe. Poteſt ẽt dici, quod ex eo inuidiuit quia prçuidit hominem aſſumendum à Deo in vnitate perſonæ, nã vt dicit D. Bernardus exponẽs illud Ionç 1. ꝑ me tẽpeſtas venit ſuper nos; Lucifer à Principio anteq̃ rueret, filiũ Dei vidit incarnandum, atque ita extimuit poſt caſum ſuum, ne homo ad ſuperna, vnde ipſe rueret aſcẽderet per filium Dei incarnandũ, quare dum hoc vidit, inuidit, quia reputauit quod hõ in hoc traſcenderet ipſum, quia videlicet poterat hõ aſcendere, nedum ad cçleſtem gloriam, quã ipſe perdidit, ſed ẽt ad eſſe Dei per naturæ humanç aſſũptionem à verbo, & quoniã exiſtimauit per peccatum incarnationem impedire, ideo inuidia motus primum hominem tentauit.

D. Bona. in 2.d.21 art.2.q.1. & Ricc. ead.d.artic.2.q.1.

D. Bern.

Quçritur quarto An Dæmon tentando hoiem peccauit, adeo quod primũ eius peccatũ fuerit inducere hominẽ ad peccatum. nam cũ ſcriptura nullũ aliud peccatũ añ hoc exprimat, & ſufficiẽter, & ordinate ſacra ſcriptura nos inſtruat, videtur quod hoc fuerit eius primum peccatum. Secundo videtur, quod Dæmon tentando Adamum nõ peccauit, quia Diabolus poſtquam cecidit, & damnatus fuit, peccare non potuit, nullus.n. Beatorum nec damnatorũ põt mæreri, nec in aliquo de mæreri. Dicendum quod hoc non fuit primum eius peccatum, quoniã vt dicit D. Aug. in li. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ non peccaſſet Angelus in terra, niſi prius peccaſſet in Cœlo. Vnde primo peccauerit in cœlo per ſuperbiam,

Quæſt. 4. Alex. de Ales p. 2. q. 102. m. 1.

Primum peccatum Luciferi nõ fuit tẽtare primos parẽtes. D. Auguſt.

ſecun-

ſecundo in Paradiſo per homicidium Vnde Io.8. dicit de eo, ille homicida erat ab initio.i. poſt initium, vel quam citò hominem tentauit, & licet ſcriptura faciat mentionem primo de iſto peccato, tamē ante iſtud peccatum fuit aliud peccatum, de quo ſacra ſcriptura non facit mentionem, & rōnē aſſignat Alcuinus ſuper Gen. dicēs Angelicum peccatum in Gen. abſconditū eſt (& loquitur de peccato ſuperbię) & hōis paſefactum, quia Angelicū vulnus Deus curare non propoſuit, hominis autem vulnus ſanare prędeſtinauit. Sed pari rōne poſſet dici, quod non debebat facere mentionem de peccato tētationis, cum illud peccatum tētationis eſſet incurabile, ſicut & peccatum ſuperbiæ Diaboli. Ad quod dicendum, qđ aliud eſt de peccato primo ſupbiæ, & aliud de peccato tentationis, licet vtrunque ſit incurabile: peccatum.n. tentationis introducitur a ſcriptura, vt oſtēdatur, quod homo peccauit, Diabolo ſuggerente, & ex hoc vera ratio eſſet, propter quam eius peccatum eſſet remediabile vnde nō propter ſe introduxit ſcriptura peccatū tentationis Diaboli, decurſus.n. ſacræ ſcripturæ eſt ad oſtendendum totam ſeriem, ſecundum quam genus humanum per Chriſtum eſt liberatum, & ad dignitatem reſtitutum, quod autē agitur de peccato Diaboli, hoc non eſt niſi ex quadam anthiteſi, vel vt oſtendatur eius peccatū fuiſſe occaſio peccati hominis, & per hoc patet ad primum. Ad ſecundum dici pōt, quod peccatum pōt ſumi dupliciter videlicet formaliter, & virtualiter. Peccatum ſumptū formaliter ſimul, & materialiter, eſt act⁹ ipſe malus, q̄a aliqua circunſtantia ſibi debita priuatus, vel quia circunſtantia ſibi indebita informatus, & vniuerſaliter omne dictum, vel factum contra rectum rōnis iudicium eſt peccatum. hoc modo ſumptum, ſicut & bonum cōſimiliter ſumptū, pōt dici oē quod fit ſecundū rectū iudiciū rōnis. Peccatum aūt virtualiter ſumptū dr̄ eſſe illud, quod eſt peccanti ad pœnam aliquam imputatum, ſicut, & actus dr̄ bonus, ſeu meritorius virtualiter ille tantum, pro quo Deus ſtatuit hominem præmiandum. Hoc ſuppoſito, dicendū eſt, quod licet Diabolus, ſicut nec aliquis dānatus nō poſſit peccare, ſumendo peccatum virtualiter, pro quāto nullum actum, ſibi poſſibilem Deus imputat ad pœnā aliquam ei pro eo reddendam, pōt tamē peccare, & peccat ſicut, & quilibet damnatorū, ſumendo peccatū formaliter, & materialiter tm̄, pro aliquo actu malo. atq; adeo inuidia Diaboli, qua motus fuit ad tētandū primū hoīem, fuit peccatum formaliter & materialiter, nō aūt virtualiter, quia ad nullam pœnā eſt ei à Deo imputatum. cōſimiliter quantū ad aliquid pōt dici de bonis actib. beatorum, videlicet qđ actus hmōdi eis poſſibiles ſunt boni formaliter, nō aūt virtualiter, ſaltem eis, licet alijs, nihil.n. ſibi meretur per aliquem actum aliquis beatorum: meretur tamen aliis, puta viatoribus pro quibus apud Deum intercedit.

Alcuinus

Rubion. vbi ſupr.

Peccatū poteſt ſumi dupliciter.

Quæritur. Quinto quare Diabolus tentaturus, mulierē tentauit in aliquo corporali apparente, & non tentauit interius, cum & ſic tentare potuerit? Dicendum, quod certum eſt, tētationem duplicem eſſe, interiorem vnam, exteriorem alteram. exterior tentatio fit ab homine, vel ab eo qui loquitur, licet tā in verbo quam in ſigno fieri poteſt, vt ad peccādum declinemus, & hæc ſemper vocatur tentatio ab hoſte, quia à Diabolo prouocatur. Interior tentatio eſt quando inuiſibiliter nobis malum ſuggeritur intrinſecus, & hæc aliqn̄ fit ab hoſte, aliqn̄ à carne, vt docet Mag. li.2. ſent.d.21. & de hac loquit̄ ſcriptura auctorū.ſ. vbi Petrus dixit. Ananiæ Cur tentauit Sathanas cor tuū mētiri te ſpūi ſancto? & ita tētatio in ſolo corde fuit, & nō viſibiliter facta, non tentauit aūt Demō primū hoīem interiori tētatione, vt homo cognoſceret ſe tētari, nunq̄.n. tentatio facta fuerat hoī, neque ſciebat ipſe quid eſſet tentatio,

Queſt. 5. Toſt. vbi ſupra. qu. 422.

Tētio duplex interior, & exterior.

Magiſt. ſent.

Demon cur nō tētauit primos parētes interius.

Digitized by Google

vnde ſi tẽtatus fuiſſet interius nõ agnouiſſet, an tẽtaretur, vt ergo poſſet videri, & agnoſci, debuit fieri exterius. Secundo nõ tentauit interius, quia Deus non permiſit ſic fieri tentationem, nam vt inquit Diuus Aug. li. 11. ſuper Gen. ad lit. quædã cõceſſit Deus De homini in tentatione, & alia nõ, vnde fecit Demon, non quicquid voluit, ſed quicq̃d permiſſum eſt; non permiſit aũt Deus hoĩem interius tẽtari, quia interior tẽtatio eſt maior, quã exterior, atq; adeo licet Deus pmiſerit hoĩem tentari, noluit tamen eum tentari forti tentatione, ſed leui, quoniam adhuc rudis erat homo in tentationũ exercitio, atq; ita incipere debuit à minorib. Põt addi, q̃ tentatio interior, quanto minus cognoſcitur minus cauetur, atq; adeo difficilius ei repugnatur, exterior verò quia cognoſcitur, põt euitari, iõ fuit conueniens, quod non permitteret Deus fieri tentationem interiorem contra hominem, ſed exteriorem ſolum. Præter quã quod ſuggeſtio, qua ſpecialiter, & interne Diabolus aliquid ſuggerit homini, oſtendit Diabolũ plus habere poteſtatis in homine, quam ſuggeſtio exterior: quia per ſuggeſtionẽ interiorẽ immutatur a Diabolo, ſaltem homini phãtaſia, ſed per ſuggeſtionem exteriorem immutatur ſola exterior creatura, Diabolus aũt minimũ poteſtatis habebat in homine ante peccatum: & ideo non potuit cum interiori ſuggeſtione, ſed ſolum exteriori tentare.

D. Augu.

D. Th. 2. 2. qu. 165. art. 2. ad 2.

Quæſt. 6. Quæritur 6. quare Diabolus nõ tentauit in propria forma. Pro ſolutione obſ. eſt, quod Diabolus non habet formã propriã in qua videri poſſit; eſt. n. Demon ſpũs. atq; adeo ſecundum naturã eſt inuiſibilis, tñ ſacra ſcriptura vĩ dare demonib. propriã formam: nã 2. Cor. 10. inq̃t Apoſtolus, ſathanas trãſfigurat ſe in Angelũ lucis, ex quo apparet primo, quod ſi ſathanas trãſfigurat ſe in Angelum lucis, qui Angelus lucis habet figuram, quoniam alias non poſſet ſathanas ſe transfigurare in illam, & tamen ſi Angelus lucis habet figurã habebit illam ſathanas, quia vterque eſt ſpiritus, & quantum repugnat vni conditio corporis, tantum repugnat alteri. Secundo quia dicitur quod Sathanas transfigurat ſe in alterum; quod figuram non habet, quia transfigurare, eſt mutare figurã, ſed figuram nõ mutat id, quod non habet figuram. Vnde ſi Sathanas non haberet figuram nõ diceretur proprie, quod transfiguraret ſe in Angelum lucis, ſed quod accipit figuram Angeli lucis, & tamen ſcriptura non dixit hoc, ideo ſignificauit, q̃d ſathanas. i. demõ figuram habet, & nõ ſolum ſathanas figuram habet, ſed etiã propriam figuram, cum faciat differẽtiam inter figurã Angeli boni, & Angeli mali, dicens, quod ſathanas transfigurat ſe in Angelum lucis. i. accipit figuram Angeli boni, & dimittit ſuam. Secundo obſ. eſt, quod ſi forma, vel figura accipiatur ſecundum nãm propriam, neque Angeli, neque demones habent figuram, quia figura eſt qualitas conſequens quantitatem determinatam, ſicut definit Euchilides lib. 1. Elementorum. c. 1. figura eſt quæ termino vel terminis continetur. Tertio obſeruandũ eſt, quod demones, & Angeli poſſunt aſſumere figuras, quas voluerint, & hoc dupliciter, vno mõ mouendo animalia, ſicut quod Demõ, vel Angelus loq̃tur per aliquod aĩal, ſed tunc nõ eſt propria aſſumptio, alio mõ quando formant corpora de aere, in quibus loquuntur, & apparent, & illa formãt, & colorant, ſicut voluerint, & iſto mõ proprie aſſumunt & quãtũ ad hoc nõ eſt diſtinctio figuræ Angeli boni, & Angeli mali, ſed indifferẽter vtrũque fit, ſunt tamen quædam figuræ, q̃ competunt eis ſecũdum qualitates, ꝓprias intrinſecas, ſicut, & locus determinat eis per eaſdem qualitates: nam Angeli boni ſunt pleni cognitione, & nitoro pfectionis beatificæ, ideo eis cõpetit lux, & quia gaudio replentur, & gaudium pertinet ad lumẽ iuxta illud pſ. 89. ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui. i. vita noſtra eſt ex hoc, q̃

vultus

Toſt. vbi ſup. 9. qu. 426.

Diabolus nõ habet formam propriam qua videri poſſit. … Dam … ex Diu … Paulo ha…

… bet propriam figuram.

Figura poteſt dupliciter accipi.

Angeli, dæmones aſſumere figuras quas volunt.

Digitized by Google

vultus tuus eſt hilaris erga nos. Ideo dicũtur Angeli lucis, & eorum locus eſt locus maxime lucidus. ſ. Cœlum empyreum, è contra autem Angeli mali habent in mentibus ſuis tenebras iniquitatis & habent triſtitiam, quæ facit étrem tenebroſam, ad ſignandum iſtam eorum interiorem qualitatem; datus, eſt eis locus tenebrarum, & Angeli tenebrarum appellantur, iuxta illud ad Eph. 6. Aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus rectores tenebrarum harum. Quarto obſeruandum eſt, quod ſi cur Angeli boni, & mali diſtinguntur per lucem & tenebras, ita debẽt figuræ eorum; quas ſumpſerint diſtingui per lucidum, & tenebroſum, vnde quãdo Angeli boni aſſumpſerunt figuras ſibi proprias, accipiunt corpora nitida habentia pulchritudinem, & multum de lumine; cum vero demones aſſumunt figuras ſibi proprias, aſſumunt corpora deformia, & tenebroſa, vt quales ipſi ſunt intra ſe, tales foris in aſſumptis corporibus exibeant. atq; adeo qñ pulchrã, & fulgidã aſſumunt figurã, dicũtur ſe transfigurare in Angelũ lucis; qa ſathanæ cũ determinata ſit figura tenebroſa, & deformis, q̃ ſp dẽret exhibere, interdũ hãc nõ oſtẽdit, ſed pulchrã, & fulgidã, atq; ita mutãt propriã figurã, transfigurãdo ſe in alienã, & licet figurã mutet, mentẽ tñ, nec locũ mutat, non mentem, quia in æternum ſunt triſtes, non locum, quia nõ poſſunt eſſe in Cœlo empyreo, ſed aut in aere caliginoſo, aut in inferno. Dicitur ergo Angelus malus habere propriã figurã; in qua appareat. i. figurã ſibi cõpetẽtẽ, in quantum malus eſt, & Demõ, & eſt figura turpis, & tenebroſa, in qua ſemp deberet apparere. In hac ergo propria figura non tentauit Euã, quia non voluit apparere i ea, nã apparuiſſet deformis & tenebroſus, & ipſe aſpectus teneret eã, vel redderet eã ſuſpectã, vt verbis eius nõ attenderet, & hoc eſt; quod dicit Magiſt. in 2. d. 21. ꝙ Diabolus nõ apparuit in propria figura, ne fraus illius nimis manifeſtaretur in ſua ſpecie

Angeli boni, & mali diſtiguuntur per lucẽ, & tenebras.

Magi. in 2. d. 21.

atq; ne aperte cognoſceretur, atque ita Eua eũ repelleret, & poſt ſubdit, vt igitur in ipſa forma nõ veniret voluntate ſua factũ eſt, vt aũt in forma cõgruẽte ſuę malitiæ veniret, diuinitus factũ eſt.

Quæritur 7. quare nõ tentauit Euã in figura Angeli boni cum potuiſſet ſe transfigurare in Angelũ lucis? Dicẽdũ qđ forte voluiſſent ſic apparere, ſed nõ pmiſit Deus, ne valde impelleret. Nã Deus voluit ꝙ ſolũ leui tentatione hõ tunc tentaret. At ſi in figura Angeli boni appareret, eſſet tentatio fortis, q̃ vix potuiſſet hõ euadere, atq; adeo non debuit pmitti ſic tentare. Ita docet Mag. ſniarum in 2. d. 21. Ne nimis occultaretur fraus eius, q̃ cauere nõ poſſet, & hõ videret ſimul iniuriã pati, ſi taliter circũueniri pmitteret eũ Deus, vt pcauere nõ poſſet, & ſi dicat, cur Deus pmittit nos tentari à Demone in figura Angeli boni; cũ ſimus infirmiores primis parẽtib. nã poſt pctm̃ natura eſt lapſa, & debilius reſiſtit vitio. ergo vr̃, quod magis debeamus nos adiuuari cõtra tẽtationẽ Demonis, q̃ primi parẽtes. Rñdet primo qđ primi parentes quodãmõ erãt fortiores ad reſiſtendũ tẽtatiõni, & quodãmõ minus fortes; ſimpliciter aũt nos ſumus fortiores ad reſiſtendũ tentationi Demonis, q̃ illi, ſi. n. eſſet tẽtatio carnis, illi fuiſſent fortiores, q̃ nos, qa nõ habebãt fomitem, qui relictus eſt ex pctõ, ꝓ̃ quẽ oĩs ętas prona eſt ad malũ: vt dr̃ Ꝙ. S. c. nos vero pp fomitem faciliter in hoc vincimur, ſed in tentatione Demonis ſecus eſt; quia primi parentes erant faciles ad aſſentiendum tentatori, eo quod nunquam aliquam tentationem fuerant experti, atque ita nullam habebant cauſam ſuſpicãdi aliqđ malũ cõtra ſe. Nos verò cõtra hoc exortationib. ſacrę ſcripturę p̃monitiſum⁹, q̃ dicit vigilãdũ eſſe quia aduerſarius nr̄ Diabolus tanq̃ leo rugiens circuit &c. 1. Petri 2. & aliorum pericula nos cautos efficiũt, qui variis diaboli fraudib. corruerũt, & ita his cõmoniti, facilius tẽtationẽ diaboli agnoſcimus, & agnitã euitabimus, q̃ Primi Parentes,

Quæſt. 7. T oſt. vbi ſup. q. 425 Demon, cur non tranſfigurauit ſe in Angelum lucis, vt tentaret Euam. Magiſt. ſent.

Primi parentes fuerunt quodãmodo fortiores quã nos, quodammodo minus fortes ad reſiſtẽdum tentationi.

Digitized by Google

Parētes q̃ nihil mali ſuſpicari poterāt, q̃a nec quiſq; eos de hoc admonuerat, quelaliquis ante hoc tētatus fuerat; & ne iſta eſt cauſa potiſsima facultatis caſus primorum parentum;ſaltem Euę, atque adeo quia infirmiores illi erant nobis,non debuit contra eos permitti Sathanas venire transfiguratus in Angelum lucis, licet contra nos venire permittatur. Secūdo poteſt dici, quod eſto,quod illi eſsent nobis ſimpliciter fortiores, non debuit permitti contra eos venire Sathanas transfiguratus in Angelum lucis,quia non debuit cōtra eos permitti tentatio tam grauis, ſicut contra nos, quia in tentatione noſtra quicunque ſucumbit, ſolus vincitur, & ſolus punitur, In tentatione autem Primorum Parentum non ſuccumbebant illi ſoli,ſed in eis totum genus humanum videbatur tentari, & peccare, ſicut Apoſtolus dixit ad Rom. 5. Omnes in Adam peccauerunt &c. quanto ergo fuit maius periculum in tentatione illa,quam in noſtra, tanto magis debuit prouideri de auxilio in tētatione, & ita debuit eſſe tentatio leuior,& iſta etiam eſt cauſa,vt leuiſsimum tentationis genus cōtra primos parentes fieret.

Quæſt. 8. Quæritur 8. quare Dæmon non aſſumpſit formam humanam:nam tanto tētatio eſt efficacior, quanto tentās eſt in ſuggerendo affabilior,actus autē locutionis debetur proprie effigiei humanæ videt ergo quod Diabolus ad tentandum magis debuit aſſumere effigiem hominis,quā Bruti animalis? Dicendum quod ſi appariuſſet in forma humana effigie affabilior quidem fuiſſet,Cæterum Diuina Prouidentia non debuit hoc permittere, ſed cautelam Diaboli debuit temperare,tum ēt quia hoc magnam ſuſpicionem induceret,& non procederet tentatio; Nā Eua ſciebat, quod non erant niſi duo homines,ipſa,& Adam , atq; adeo cū videret alium,miraretur & expaueſceret,& forte nō audiret verba illius. ſed recurriſſet ad virum ſuum, cui tradita erat;tum quia in tali forma apparebat Deus,ergo non fuit conueniens, vt in eadem figura appareret Deus loquens cum Adam,& deambulans in Paradiſo ad auram poſt meridiem , & tentator,nam ſi in humana effigie appatuiſſet Dæmon,potuiſſet mulier exiſtimare;quod eſſet Deus , qui in tali figura ſolitus erat apparere, & crederet verbis eius,& ſic non peccaret,neque eſſet tentatio,ſed ſola ſedutio;tum quia fieret homini propria ſpecies odioſa , nā Diabolus tentauit hominem in ſerpente,& factus eſt inde ſerpēs odioſus homini;ſicut nunc eſt toti generi humano;nam Deus dixit in pœnam huius ſeductionis, Inimicitias ponam inter te &c. at non erat conueniens, quod eſſet homini propria natura odioſa. ideo non debuit permitti a Deo,quod Dæmon in figura humana tentaret. Et ſi dicatur quod aliquando nos Diabolus figura humana tentat, & tamen non efficitur à nobis humana ſpecies odioſa . Dicendum quod non eſt ſimile , quia ſicut non fuit ſimile de peccato illo, & de peccato noſtro, ita non eſt ſimile de tentatione illa, & tentatione noſtra:nam illud peccatū fuit cauſa omnium peccatorum, quia pro illo peccato oēs nos naſcimur in culpa originali;ſed de peccatis noſtris nō eſt ſic,quia pro peccato patris,non ſequitur aliquod peccatū in filio, aut poſteris,etiam pro peccato illo non ſolum fuit inflicta pœna primis parentibus, ſed etiā omnibus poſteris ſuis , ſed ita non contingit in peccatis noſtris, quia filius non portat iniquitatem patris,ergo ſimiliter de tentatione eſt, quia illa non fuit ſimilis naturæ. Vnde pro noſtra non ſequitur aliqua pœna in tentatione,neque nobis relinquitur aliqd .ſ. quod ſit forma eius odioſa tentatis, vel aliis, In Prima aūt tentatione, quia ex ea ſequutum fuit peccatum per quod totum genus humanum damnatum eſt, debuit tētator ipſe odioſus fieri,& forma in qua apparebat toti ſpēi, atque ita nō eſt ſimile, quia propter nō debuit ibi eſſe figura humana.

D. Bona. in 2. d. 21 art. 1. q. 2. ad 2. & Toſt. vbi ſupra qu. 29. Ric. d. 21 art. 1. q. 2. ad vlt.

Dæmon cur nō tētauit Euā in humana effigie.

Quæritur

Quæſt.9. D. Bona. vbi ſupr. & Toſt. vbi ſupra q.427. et Ric. in 2. d.21. art. 1.q.2.

Dæmon cur apparuit in forma animalis bruti.

Quæritur 9. cū non debuit Dęmon apparere in figura hominis neque Angeli boni, neq; voluit in propria. Cur in forma bruti animalis apparuit? Dicendum quod debuit apparere in aliquo aīali vero, vel ficto, qa debuit in eo apparere, in quo poſſet loqui, cum tentatio per vocem expleta ſit non eſt autem aliquod, in quo fieri poſſit vox niſi animal, atque adeo de aliis animalibus præter hominem, accipere poterat ſimilitudinem, & per ipſam loqui, quod autem homo tentaretur à Diabolo in effigie bruti animalis congruum erat, tum reſpectu operis, tum reſpectu finis intētī, tum etiam reſpectu diuini Iudicij; reſpectu operis quia homo natus eſt inclinari ad bonū vt nūc, maxime ex parte ſenſibili, & brutali, & ideo congruum fuit tētari in effigie animalis bruti. Reſpectu finis intēti ſimiliter congruum erat, quia ad hoc ordinabatur tētatio, vt homo efficeretur ſimilis animali Bruto, cum contempto bono incommutabili adhęreret bono commutabili, & ibi quieſceret, atque adeo ad hæc inſinuandum in ſpecie animalis Bruti debuit tētari Reſpectu Diuini Iudicii etiam congruum fuit, quoniam Dominus Iuſtus, & fidelis non permittit hominē tentaui vltra q̄ poſſit, & ideo ſic patitur Diabolum in tentatione latere vt nihilominus poſſit ab homine depræhendi atque ideo non paſſus eſt, vt Diabolus hominem tentare, in ſpē omnino conſimili vt diximus ſupra.

Quæſ.10. Mag. in 2.diſt.21. Alex. de Ales vbi ſupra in 5 D. Bona. vbi ſupra Ric. in 2. d.21. art. 1.qu.2. & Toſt. vbi ſup.q.427

Quæritur 10. cum Diabolus debuit in forma Brutali apparere, quare non tentauit in forma columbæ, aut alicuius nobilis animalis, vel ſimiæ vel auis? Dicendum quod non fuit in electione Diaboli eligere aīal quod vellet, ſed quod ei conceſſū fuit Vnde D. Aug. in lib. 11. ſuper Gen. ad lit. c.3. inquit. Nō debemus ſane opinari, quod ſerpentem ſibi per quem tentaret, ſua deretque peccatum Diabolus eligeret, ſed cū eſset in illo propter peruerſam, & inuidam volūtatem decipiendi cupiditas, nō niſi per illud animal potuit, per quod poſſe per miſſus eſt: nocendi enim voluntas poteſt ei eſſe à ſe, nō eſt autem poteſtas niſi à Deo. Nam ſi hac tentatione aliquod fecit Diabolus, qd voluit, & aliquod ſolum quod permiſſum eſt, voluit autem nō venire in propria figura, & illud cōceſſum eſt, quātum autem ad animalia, vel formas in quibus appareret, nō factum eſt: quod ille voluit; ſed quod ei conceſſum eſt ſicut dicit etiam Mag. lib.2.d.21. vt igitur in propria forma non veniret, volūtate ſua factum eſt, vt autem in forma congruenti malitię ſuæ veniret, diuinitus factū eſt. Non decebat autem vt pmitteretur venire in columbæ ſpecie, quia Spiritusſanctus in ea ſpecie venturus erat vt patet Mat.3. & Luc.3. at nō cōueniebat, vt in eadem figura Diabolus, & Spiritusſanctus apparerent, tū quia illa figura, in qua Spiritusſanctus apparíturus erat, efficeret nobis odioſa, at non erat dignum, vt ſpiritus malignus illā formam odioſam homini faceret, in qua Spiritusſanctus appariturus erat, tum demū, vt muliere poſſet magis vitare fraudem tentationis, nā ſi appareret Diabolus in aliquo animali ſimplici, ſicut eſt columba, nō haberet mulier, de quo caueret propter ſimplicitatem animalis, & ſi appareret in ſerpente, qui erat aſtutus, pōtuit ſuſpicari dolos, & ita magis caueret dicta illius, eſſetque tentatio minor; non permiſit ergo Deus Dæmonem apparere, in ſpecie auis vel nobilis animalis Agni, vel ouis, & eorum, quæ cōmuniter ſunt pro hominis vſu, ſed ſerpentis quod eſt vile, & abhominabile animal, & non habens ſermonem vt per hoc depræhēderetur, quod in tali bruto eſſet fraus Diaboli ſicut in obſeſſo a Dæmone, & ſi aliqua animalia ſint callidiora, & prudentiora ſerpente, vt vulpis, & ſymia; tamen innocendo, & inſidiando homini, ſerpens animal eſt callidiſſimum, vt quia calliditas tentātis erat ad hominem offendendum, hinc eſt quod inter cœtera animalia magis

D. Aug. Dæmon nō potuit, quod voluit animal aſſumere ad tentandū

per

Digitized by Google

permiſſus eſt tentare per ſerpentem.

Quæſ. 11. Quæritur 11. cur Dæmon tentauit in forma ſerpentis Dicendũ q̃ hoc factum fuit triplici congruentia exigente Prima congruentia fuit ratione operis, quia tentatio fiebat per ſuggeſtionis ingreſſum; quę intrat ad cor, p̃ modum ſerpentis, & ibi virus peccati diffundit, ex quo homo ſpiritualiter moritur, atque ideo vt exterior effigies operi reſponderet interiori, congruum fuit hominem à Diabolo tentari in effigiẽ ſerpentis, cuius eſt ſerpere, & venenum diffundere, & diffundendo, hominem interimere. Secundo fuit congruum reſpectu finis intenti; nam intẽdebat Diabolus faciem hominis, & caput & ſuperiorem mentem, conuertere deorſum & ſic p̃ſternendo ad malum finem deducere proponendo ſibi aliquod pręmium delectabile, Ideo p̃miſſus eſt tentare in ſerpente, qui ſecũdum totum corpus ſuum in ſuo inceſſu terræ adhæret. Tertio congruũ fuit reſpectu Diuini Iudicij, quia ex illa tẽtatione Diuino Iudicio, inter tentatũ, & tentantem debebat inimicitiam exoriri; Ideo tentatio hominis in ſerpente fieri debuit, quem poſt lapſum maxime exhorret & qui maxime ſua calliditate inſidiatur hominem lædere.

Dæmon triplici de cauſa tentauit ĩ forma ſerpẽtis.

D. Bona. vbi ſupra & Ric. vbi ſupra.

Quæſ. 12 Quæritur 12. Vtrum Dæmon tentans in forma ſerpentis, tentauerit ſtãs vel pronus in terra? Ioſephus lib. 1. antiquitatũ. c. 1. & Mag. in Hiſtoria ſcolaſtica lib. Gen. c. 21. dicunt ſerpentem non fuiſſe tunc pronum, ſicut nũc, ſed habuiſſe pedes, quibus ſe in altum tolleret, poſtea vero pedibus eſſe priuatũ. Cæterum an tunc ſerpens dictus ſtetẽ tit ad loquendum, nõ patet, hoc tamẽ certum eſt, quod pedes non habebat, nam licet ſerpentes nunc pedes non habeant erigunt corpora ſua, & dirigunt quandam partem corporis in altũ, iacente reliquo corpore, & extento in terram. Poterat etiam ſerpens circundare ſe arbori alicui, & ita attollere caput, vt loqui poſſet ad mulierem maxime: quia ſi Diabolus loquebatur in ſerpente poterat attolere corpus eius ad loquendum. quod autem ſerpens ille nõ haberet pedes, ex eo patet; quia ſerpentes nunc non habent pedes, ergo ſi ille erat ſerpens, qui tentauit Euam, nõ habebat pedes, vel habebat paruos, ita vt non ſufficerent corpus eleuare a terra ſic, vt illam non tangeret, ſicut mouentur equi, & Boues, & huius modo ſuper pedes. Item ſi iſtud genus, aut ſpecies ſerpentis, qui loquebatur cũ Eua, habuit tunc pedes, fuiſſet ſibi naturale habere pedes, q̃a Deus dedit cuilibet animali complementum ſecundũ ſuã ſpem, & diuerſitas partium animaliũ, ſignificat differentiam in ſpecie, aut in genere proximo, vt colligitur ex Ariſt. li. 1. & 2. de animalibus, ſed animalia illius ſpeciei ſerpẽtis, poſtea non habuerunt pedes, ſicut nec modo habent, ergo differunt iſti ſerpentes ab illis in ſpecie, cum ergo iſti exiſtentes in ſpecie animalis huius, non habeant pedes; ergo nec illi ſerpentes tunc habebant; patet quia quando Eua fuit tentata à ſerpente, non erat ſolus ille ſerpens in illa ſpecie, ſed multi; quia quęlibet ſpecies creata fuit ĩ multis in diuiduis ſimul; ergo ſi Deus illi ſerpenti abſtuliſſet pedes, abſtuliſſet, & alijs, quia alij ſerpentes poſtea inde nati cum pedibus naſcerentur, cum vnicum indiniduũ nõ mutaret conditionem ſpeciei, & tamẽ non eſt aliqua cauſa, quare aliis ſerpentibus tunc exiſtentibus, tunc auferentur pedes: quia illi nõ tentauerũt Euã: neq; à ſerpente tẽtatore deſcendebãt, ergo nec alicui ſerpenti ablati ſunt pedes. Præpterea eſto quod ille ſerpens, qui tentauit Euam fuerit priuatus pedibus, at tamen genuiſſet ſerpentes tales, qualis ipſe prius fuerit ſecundum naturam, non enim ſiquiſpiam inter homines, ſit cæcus, aut mutus, aut pedibus mutilus, & genuerit filios, neceſſe eſt iis rebus orbatos eos generari.

Toſt. vbi ſupra qu. 451. Ioſephus li. 1. Antiquitatum. c. 1. & Magiſt. Hiſ. lib. Gen. c. 21.

Serpens qui tentauit Euam non habebat pedes

Ariſt.

Quæſ. 13 Quęritur 13. qualis fuerit ſerpens ille, in quo Diabol⁹ tẽtauit primos parentes. De hac re multiplex eſt opinio. Beda, vt dixit Mag. Hiſtoriarum vbi

Beda.

ſupra

Magiſt. Hiſtor. Scolas. li. Gen. c. 21

Serpens qui tentauit Euam ſecũdum Bedã habebat virgineã faciem.

Alex. de Ales. p. 2. q. 102. m. 5. D. Bona. ĩ 2. d. 21. arti. q. 2. ad 1 Vorilio ead. diſtin. & Cartuſianus ĩ Ge.

ſupra dicit quod inferius habebat formam ſerpentis, ſuperius faciẽ pulcherrimæ Virginis, ſed audiamus verba Magiſt. Hiſtoriarũ ſcolas. tunc ſerpẽs erectus eſt, vt hõ, quia poſtea maledictione ꝓſtatus eſt, & adhuc, vt tradũt pharas erectus incedit, elegit ẽt qddã genus ſerpentis (vt ait Beda) Virgineũ vultũ habẽs, q a ſimilia ſimilib. applaudũt, & mouit ad loquẽdũ linguã eius, neſciẽtis tñ, ſicut p phanaticos, & energumenos loqtur Diabolus, neſcientes qd ipſi dicant ſic ille, Hanc opinionẽ ſecuti ſunt Alexan. de Ales. p. 2. q. 102. m. 5. D. Bona. in 2. d. 21. art. 1. q. 2. Vorilion ead. d. & Cartuſianus hoc loco.

Verum hanc ſententiam merito deridet Lyranus: reperiri autẽ tale genus ſerpentis, adhuc inauditũ, & à nullo philoſophorũ, aut cui fides adheberi poſſit traditũ eſt, quo circa, vt plane fabuloſum, & comẽticiũ explodi dẽt.

Eugubinus in Cormopeia ſerpens q tentauit Euam ſecundum Eugub. fuit Baſiliſcus.

Iſidorus.

Eugubinus in Cormopeia putat fuiſſe baſſiliſcũ, vt ſicut Diabolus qui tentauit Euã, princeps fuiſſe creditur Dæmonũ; ita vſus ſit, vt organo, eo ſerpente, qui omnium ſerpentũ tanq; Rex habetur; hunc aũt eſſe baſſiliſcum nomen ipſum indicat; nã Baſilicu græce latine dr̃ Regulus, eo quod ſit, vt dicit Iſidorus Rex ſerpentũ. n. ipſũ, videtes fugiunt, & timent ẽt ſerpẽte; ipſis olfatu. n. ſuo omnes necat; flatu, & etiam aſpectu interminit omne viuum. Cæterũ nõ eſt credibile ſerpentẽ, qui Euã adortus eſt fuiſſe baſſiliſcũ pp corporis eius paruitatem, ac deformitatem & pæſtilentem, nõ morſus tm̃, ſed ẽt afflatus & aſpectus vim, ac potentiã.

Pererius, libro. 6. in Gen. diſp. de ſerp. q. 2.

Serpens qui tentauit Euã ſecũdum Pererium fuit ſeytales.

Solinus.

Pererius exiſtimat illũ ſerpentẽ fuiſſe eum, quẽ Philoſophi, ac rerũ naturaliũ curioſi ſcriptores appellauerũ ſeytalem qd eſt animal formoſum, & pulchrũ, tanta pręfulgens tergi varietate, vt ſquamatũ nitore, & venuſtate detineat aſpicientes; & quia reptando pigrior eſt miraculo ſui corporis, ac pulcritudinis capiat ſtupẽtes vt ſcribit Solinus. c. 90. ſeytale (inquit) tãta pręfulget tergi variætate, vt notarũ gratia videntes retardet, & quoniã reptando pigrior eſt, quos aſſequi neq t miraculo ſuo capiat ſtupẽtes. Verũ in re tã incerta, & ab humana cõiectura remota magis eſt diuinare, q̃ aliqd vere aſſerere. omitto quod Bercorius in dictionario ſub iſta dictione, hõ, dicat, qd vocetur ſerpens ille Dracõpedes, & qd Mag. Nicolaus Boneti in lib. ſuper Gen. appellet eũ Phateã, & quidẽ verius, vt vr̃ ut ſecundũ euentũ ſit nomẽ eius; q a ipſe primo poſuit diuiſionem hominis a Deo, ſeu fuit mediũ, a Phares, qd eſt diuiſio. Hæc. n. cũ abſq; ſcripturæ ſacrę, atq; ſãctorũ doctorũ autoritate dicãt ea facilitate reiciunt, qua ꝓnunciant.

Vincẽciꝰ in ſpeculo naturali. Bercoriꝰ in dictionario Bonetus in Gen. & Pelbar. in 2. ſub tit. reptili. ſupra 11.

Quæſ. 14 Diabolus per ſerpẽtem Eua loquebat. D. Aug. lib. 1õ. ſuper Gene. ad lit. ca. 27. & Mag. ſent. li. 2. d. 21.

Quæritur. 14. An ſerpens, vel Diabolus in ſerpẽte locutus ſit Euæ. Dicẽdũ qd Diabolus per ſerpẽtẽ loquebat, non. n. formabatur vox a ſerpẽte, ſed à Diabolo, & ſerpens nõ erat ibi, niſi inſtrumẽtũ, & quidẽ Inſtrumẽtũ haud intelligens, non. n. ſciebat ſerpens, quid Dæmon intenderet loquendo illa verba, neq; illa verba intelligebat, neque ſciebat, quis loqueretur per illũ, & an aliquis loqueret. Vñ D. Aug. lib. 11. c. 27. ſuper Gen. ad lit. & Mag. ſententiarũ li. 2. d. 21. dicunt. ſic aũt loquebatur Diabolus p ſerpentẽ ignoratẽ, ſicut p energumenos, & phanticos loquit: ſerpente. n. velut organo vſus eſt, mouens nãm eius ad exprimendos ſonos, & ſigna, quib. ſuã monſtraret volutatẽ, ſerpẽs vero neq; verba intelligebat, neq; rõnalis eſt factus, callidiſſimus aut dictus eſt, pp aſtutiã Diaboli; locutus eſt aũt ſicut Aſina Balaã; ſed hoc diabolicũ, illud Angelicũ fuit, Boni enim Angeli, & mali ſimiliter operantur.

Quæſ. 15 Toſt. vbi ſupra qu. 449. vſq; ad 452.

Energumenus vnde dictus.

Phanatici, qui dicantur.

D. Aug.

Quæritur. 15. qũo Diabolus loquebatur p ſerpẽtẽ, ſicut p energumenos & phanaticos? Pro ſolutione obſ. eſt q energumenus dr̃ ab en, qd eſt inter & egre, qd eſt labor. ſ. q a intu ſe hẽt Dęmonẽ, qui eum vexat, unde energumeni ſunt ærrepititii qui a Demonib. vexantur, phanaricos aũt vocat Aug. eos qui in phanis hoc eſt templi idolorũ a Dæmonibus implebantur. 2. obſ.

eſt quod

Digitized by Google

eſt quod energumeni, & Phanatici cõ uemebant in hoc, quod vterque a demonibus poſſidebantur, & replebantur: quia alias nõ poſſet loqui per eos, ſed differebãt primo, quod energumeni ſunt quos Demon vexat, & ad hoc arripit, vt vexet; Phanatici autem non vexantur à Demonibus, ſed loquũtur Demones per eos. Secundo differunt, quod per energumenos non ſemper loquitur Demon, quando eos vexat: ſed interdum. Per Phanaticos autem ſemper loquitur, quando eos arripit. Tertio differunt quia in Energumenis per accedens eſt locutio, & per ſe vexatio, in phanaticis per accedens eſt vexatio, & per ſe locutio.

Energumen. & Phanatici conuenientia, et diſcrimẽ.

Locutio fit quatuor modis.

Tertio obſer. eſt, quod quatuor mo dis fit locutio, quidam enim locũtur, & intelligunt, vt homines alij ſunt per quos fit locutio, ſed ipſi, neq; loquuntur, neq; intelligũt, vt ſerpens, & Aſina Balaam. Alij ſunt, qui loquuntur ſed non intelligunt, vt Pſitacus, & quæcumq; eiuſmodi ex conſuetudines voces humanas formare ſciunt, hij.n. locuntur, idest formant voces, ſed id quod proferunt, non intelligũt, quia non poſſunt intelligere niſi efficiantur rationales; alijs per quos fit locutio, & non loquuntur ipſi, ſed intelligũnt quæ locuntur, vt ſunt energumeni, & Phanatici: per hos enim fit locutio, & ipſi non loquuntur, nam quãdo Demon loquitur in eis, non locuntur ipſi, intelligunt tamen ipſi ea, quę Dæmones loquuntur per eos, & tamẽ differt in iſta intellectione, & intellectione eorum, quæ ipſi locuntur, quia illa antequam locuntur intelligunt, ea que locutio eſt ad exprimendos mentis conceptus, & ita ipſi prius concipiunt, quam loquantur, & cum concipiunt, intelligunt, ſecus de eis, quę dęmones per eos locuntur: quia illa ipſi non conceperunt, ſed Dæmones, & ipſi Dæmones per organa iſtorum deriuant conceptus ſuos, ideo iſti non intelligunt iſta quouſq; ſint deriuata in vocem, & tunc ipſi audiunt ea, quaſi per alios docerentur, & quia illæ ſunt voces ſignificatiuæ conſuetæ intelligũt id, quod per eas ſignificatur, ſicut ſi ſolum audirent, & non loquerentur ipſi: neq; per eos locutio fieret.

Ex his apparet in quo ſit ſimilitudo, & diſſimilitudo, inter locutionem factam per ſerpentem: eſt enim ſimilitudo in hoc, quod per vtroſq; fit locutio, & ipſi non loquuntur: nam ſerpens non fuit locutus ea, quæ per eum ſonuerunt, ſimiliter Energumeni, & Phanatici non loquuntur ea: quæ per ipſos ſonant: ſed Dæmones: Differunt autem Primo, quod ſerpens non intellexit id, quod per eum dictũ eſt, Energumeni autẽ & Phanatici intelligunt ea, quæ per ipſos ſonant, vel intelligere poſſunt, niſi aliquod aliud obſtet. Secundo differunt quia licet illa verba non forment Energumeni, aut Phanatici poſsũt tñ ſimilia, aut illa per ſe nõ operante Dæmone formare: ſerpens aut ſicut non formauit verba, quæ per ipſum ſonuerunt, ita neq; formare potuit deficientibus ei omnibus neceſſarijs ad formationem vocis. Cum ergo dicitur, quod loquebatur, ſic Dæmon per ſerpentem ignorantem, ſicut per Energumenos, & Pharnaticos loquitur; intelligitur ſimilitudo, quo ad hoc, quod in vtroq; fiebat locutio per Dęmonem, & non per ſerpentem, neq; Energumenos, ſed cum dicitur per ſerpentem ignorantem non fit cõparatio ad Energumenos, & Phanaticos, quia illi non ſunt ignorantes, ſicut ſerpens: ſed intelligunt ea, vel ſaltem intelligere poſſunt, quæ per eos ſonant, ſed ſolum fit comparatio quo ad fieri locutionem, quod eſt omnibus commune, vel etiam poſſunt vocari Energumeni, & Phanatici ignorantes, non quia non intelligant ea, quæ per ipſos dicuntur, ſed quia non intelligũt ad quem finem dicantur, quoniã hoc ſolum eſt eius, cuius ſunt conceptus.

Diſcrimẽ inter ſerpentem loquentem, & Energumenũ, & Phanaticum.

Quaſt. 16

Queritur 16. an Sonus per ſerpentẽ emiſſus, fuit formatus à Diabolo, & expreſſus per ſerpentem, vel a ſerpente for-

Digitized by Google

Ad formationẽ locutionis tria concurrunt.
Alex. de Ales vbi ſupra in 6. & D. Bon. in 2. d. 21. circa li. dub. 1.

te formatus, & expreſſus. Dicendum quod ad locutionis formationem, iſta tria concurrunt. Primo inſtrumentorum aptitudo, & conuenientia. Secunda virtus motiua. Tertio virtus directiua, cuius regimine ſeruatur vox articulata, hæc tria ſunt complete in homine a ſua natura; in Brutis vero animalibus reperiuntur incomplete. Habent enim quædam animalia organa apta; licet non complete ad uocis formationem, habent etiam vim ſenſitiuam motiuam, habent vim excogitatiuam ſiue imaginatiuam, ratione cuius erudiuntur ad aliquas voces pronũciandas. Non tamen eſt in eis complete, ſed cum adeſt vis rationalis, quę poſſit, & regere, & mouere, tunc illa potentia incompleta ad actum habet reduci, & ita fuit in hac ſerpentis locutione; Nam Diabolus excitabat vim motiuam, & adiuuabat, & dirigebat, vt poſſet illas voces articulatas formare; ita quod ſerpenti non eſt data noua poteſtas, ſed ſuperior aſſiſtebat. Locutio itaq; in ſerpente non fuit ex virtute animę ſenſitiuę in ipſo tanquã à Principio ſufficienti, ſed fuit a virtute Diaboli. De ſe enim habet anima ſenſitiua in animalibus habentibus cor, & inſtrumenta vocalia, quod poſſit formare vocem, ſed ipſa diſcretio vocis literatę cum ſignificatione eſt à motore rationali. In hoc autem differt lingua hominis, quod habet poſsibilitatem perfectè ad hoc, ſed lingua ſerpentis, & aliorum Brutorum imperfectè, vnde non fuit noua poteſtas data linguę ſerpentis in iſta formatione vocis literatæ ſed poteſtas quam habuit imperfectè reducta fuit ad actum per Diabolum ex permiſsione Diuina, & dicit Remigius, quod labia, Cimbalũ, & dentes ad hoc quod ſit locutio explectio linguę, & motor ſufficiẽs ſunt ea, per quę poteſt formari vox articulata, Vnde non erat ibi proprie miraculum, ſed mirabile, quia nihil mutatũ eſt in diſpoſitione inſtrumenti. Quis tamen rationabiliter potuiſſet admirari, cum eſſet ſuper poteſtatem irrationalis creaturę talia verba formari?

Locutio ſerpentis non fuit à virtute animæ ſenſitiuæ tãquam à principio ſufficiẽti, ſed à Demone.

Quæſ. 17 Toſt. vb. ſupra qui 439.

Quæritur 17. cum ſerpens non tentauerit Euã, nec eam allocutus fuerit ſed Diabolus totum fecit, quare ſcripturam loquitur de ſerpente, & de Diabolo nihil, quaſi Diabolus nihil egerit, & ſerpens omnia? Dicendum quod hoc fuit primo, quia ſacra ſcriptura in operibus creationis, & in omnib. quæ ad hoc pręceſſerant, nullam mentionẽ fecerat de Angelis aut Demonib. ideo cum non pręſupponat aliquam talem ſubſtantiam eſſe, non introduxit eam agentem. Secundo fuit, vt ſcriptura, non oſtendat magnam grauitatem tẽtationis, & ita apparet, quod iuſte punitus eſt homo, tentationi ſuccumbẽs, ſi autem inueniretur quod Diabolus illud egiſſet, oſtenderetur, quod tentatio erat grauis; cum Diabolus ſit acutior, & ſublimior homine in intelligẽdo, atque ita minus culpabilis oſtenderetur homo, qui à tam acri temptatore victus fuerat, & licet tentatio illa facta fuerit à Diabolo, tamẽ non fuit magna; quia non fuit per ſeipſum, & inuiſibiliter, ſed exterius facta in animali, ad quod rationabiliter potuiſſet mulier aſpicere, etſi noluit, & non fuit ſatis diligens; imputet ſibi nam ita erat, ac ſi à ſerpente tentaretur, cum per ſerpentem id fieret, per id, quod ſerpens dicebat, & nihil plus in tentatione fuit quam id, quod ſerpens dixit, congrue ergo ſcriptura attribuit ſerpenti, quod ipſe illud egerit, quia quãtum ad Euã nihil plus erat, quod ad tentationem ptinebat, quam quod per ſerpentem dictum eſt.

Queſt. 18 Magiſte. Hiſt. lib. Ge. c. 21. Alex. & Bona. vbi ſupra Car thuſianus Eua cur nõ timuit ſerpentis congreſſũ ſecundũ aliquos.

Quæritur 18. cur Eua videns ſerpẽtem non timuit. Magiſter Hiſtorię ſcolaſticæ, in hiſtoria lib. Gen. ca. 21. Alex. de Ales D. Bonauentura, & Carthuſianus vbi ſupra dicunt ex eo Euam, nõ exorruiſſe ſerpentis congreſſum: quia Diabolus elegit ad tentandum Euam genus quoddam ſerpentis virgineum vultum deferens, vt quia naturale eſt ſui ſimilibus gaudere illius ſerpentis congreſſu

Digitized by Google

congreſſu non modo non perterretur, ſed etiam oblectaretur Eua, & licet inferiorem partem ſimilem ſerpenti haberet, eam tamen arborum foliis occultabat, ſolamque faciem mulieri oſtendebat; vt eam alliceret. Pictores ſane hanc opinionem ſecuti Hiſtoriam huius rei in pictura repreſentantes muliebri vultu ſerpentem depingunt.

Baſilius ho. de Paradiſo.

Baſilius in homelia de Paradiſo, & Ioſephus lib. 1. Antiquitatum ca. 1. inquiunt, ſerpens tunc non erat horrendus homini, ſed mitis, ac manſuetus, nec terribiliter in telluris ſuperficie veluti natans reptabat, ſed ſublimis, & rectus pedibuſque inſiſtens gradiebatur. Ita Baſilius. verum hanc ſententiā ſupra refutauimus. Dam. lib. 2. de fide ortodoxa. c. 10. ait ſerpens plus cæteris animalibus, familiaris erat homini, ipſum frequenter accedens, eique placidis motibus corporis blandiens. Vnde per ipſum Princeps mali Diabolus primis noſtris parentibus impietatis ſuę venenum inſtillauit.

Damaſ. lib. 2. de fide ortod. c. 10.

Quorū dā opinio.

Aliqui dicunt, quod ex eo Eua non exorruit ſerpentem, quia in Eua non erat cauſa timoris, nā quod nos timeamus ſerpentes, & horreamus eos, accidit ex inimicitiis conſtitutis inter nos & ipſos, tunc autem nullæ erant inimicitiæ, atque adeo neque timoris, aut abominationis cauſa: aſſumptum patet quoniam infra in hoc cap. Deus imponens ſerpenti pro tentatione pœnam, ait inimicitiam ponam inter te, & mulierem &c. ac nobis eſt iam cauſa timoris poſt inimicitias a Deo conſtitutas. Verum Hæc ratio poſſet calumniari: nam poſſet aliquis dicere homines timere, & horrere ſerpentes ex conditione naturali, quia nempe ſerpens eſt talis natura, & homo talis, iō ſerpens naturaliter hanc inucit terrorem, & homo naturaliter ſerpentem exhorret, & non ex aliqua maleditione a Deo data. ideo poteſt dici aliter iuxta ea, q̄ ſcribit D. Chryſoſt. hom. 16. in Gen. quia ab initio nulla beſtiarum ſuper terrā terrebat vel mulierem, ſed dominum, & ſubiectionem agnoſcebant omnia, & ſicut nunc domeſtica animalia, ita & fera, & immanſueta tunc, ſubdita erant, & ratio poteſt aſſignari quia timor eſt pœna, ſed ſecundum Dei prouidentiam, pęna non poterat eſſe in homine ante peccatum. Mulier autē ante tentationem nō peccauerat, ideo timere non poterat, quantumcunq; ſerpēs in ſe terribilis eſſet, nam ſicut ea, quæ erant nociua, non poterāt ei nocere ante peccatum, ita neque ea, que erant terribilia, potuiſſent inferre terrorem, q̄a alias pœna eſſet ante peccatum, quod Diuinæ prouidentiæ repugnat.

D. Chryſoſt. hom. 16. in Geneſ. Toſt. vbi ſupra q. 456. & Pererius vbi ſupra 92.

Queſ. 19.

Quæritur 19. cur Eua nō obſtupuit audiens ſecum loquentē & diſputantē ſerpētē? Ioſephus li. 1. Antiquitatū c. 1. dixit quod non timuit; neq; aliquid mali ſuſpicata eſt Eua; quia ſerpens a Principio loquebatur, eratq; ſibi hoc naturale, ſed hoc eſt falſum, & a nobis ſupra improbatum, nam ſi ſerpens habuiſſet à Principio locutionem, habuiſſet ēt intellectū, atque ita eſſet rationalis, quod eſt falſum, quia inter animalia ſoli homini hoc competit; præterea Deus per peccatum nihil naturale abſtulit homini, ergo neq; auferet ſerpenti, atque adeo ſi prius ſerpens loqueretur, etiam loqueretur modo.

Ioſephus. lib. 1. antiquitatum. c. 1.

Serpens à principio naturaliter loquebatur ſecundum Ioſephum

Rupertus lib. 3. de Trinitate, & operibus eius ca. 3. dicit quod mulier quidem ſciuit ſerpentem, eque vt cæteras animātes irrationales ratione, & ſermone carere, non obſtupuit autem, neque ſub eſſe inſidias ſuſpicata eſt; quia ſicut ſerpentem, non niſi alieno ſpiritu potuiſſe loqui, ſed potius mirata eſt, quaſi omnipotentiam eius ſpiritus, qui per irrationale animal humana formare verba potuiſſet.

Rup. Abbas lib. 3. de operib. trinit. c. 3

D. Th. in 2. d. 21 & p. 1. q. 94. artic. vlt. ad 2. & D. Bona. in 2. d. 21 art. 1. q. 2 ad 1.

D. Tho. & D. Bona. in 2. d. 21 aiunt Euam non putaſſe ſolum eſſe ſerpentē qui loqueretur ſecum, ſed exiſtimaſse per ſerpentem aliquem ſpiritum Angelicum loqui, Ideo autem non obſtupuiſſe; quia ſciebat id facere poſse ſpiritus Angelicos. & Bona. quidem ita ſcribit art. 1. q. 2. ad primum & ſi Diabo-

Eua cur non obſtupuit audiēs ſecū loquētem ſerpentē. ſententiā D. Th. et D. Bona.

lus

lus ſe manifeſtaret exteriorib.ſenſibus in effigie ſerpentis, nihilominus in illa manifeſtatione plus ſe occultabat, quã manifeſtabat, vnde mulier non credidit eum, qui loquebatur in ſerpente eſſe aduerſarium, ſed etiam potius bonũ conſiliarium, vel vt inquit S. Tho. Eua non diiudicauit, vtrum eſſet bonus ſpiritus, an malus; toto animo, & auiditate, tam magnificis eius promiſſis intenta. Sed tria videntur hanc ſententiam refellere. Primum quod eo ipſo debuiſſet mulier locutionem ſerpẽtis perhorreſcere, ſecum enim reputaſſet, cur ſpiritus ille Angelicus valuiſſet per ſerpẽtem loqui, an non potius per ſeipſum ſub ſpecie, & figura hominis, qua ſpẽ Deus, & Angeli ſibi, & marito ſuo nõ ſemel apparuiſſent, itaque cõtra mota fuiſſet, & cõturbata, & aliquem dolũ, atque fallaciam fuiſſet ſuſpicata. Secũdo ſi mulier putaſſet fuiſſe ſpiritũ Angelicum, qui ſecum locutus eſſet, & a quo fuiſſet ipſa decepta, cũ poſtea eſt à Deo repræhenſa non in ſerpentem, ſed in illum ſpiritum culpam conieciſſet. Reſpondit.n. Deo, ſerpens decepit me, & comedi, at dixiſſet potius, ſpiritus ille malus decepit me. Poſtremo cũ Deus vellet punire eum, à quo Eua fuerat decepta, non vtique ſerpentem, ſed illum ſpiritũ impoſtorem ac deceptorem Euæ puniuiſſet & hęc etiam refellunt reſponſionem Ruperti.

Sententia D. Th. & D. Bona. refellitur.

Cyrillus li. 3. aduerſus Iulianum dicit, quod cum tunc, non eſſet aliud rõnale animal. Eua quemadmodum ſimplex erat, forſitã exiſtimauit, aliis quoque animalib. poteſtatem humana voce loquendi eſſe datã, re vera tñ (inqt) ſermonẽ illũ inter Euã, & ſerpentẽ Dęmonis operatione ſerpente velamentũ malignitatis illius obumbrante eſſe factum. Mag. ẽt ſen. in 2. d. 21. inquit, hic quæri ſolet, quare mulier nõ horruit ſerpẽtẽ, & reſpondet ipſe, quia cũ Eua nouiſſet ſerpẽtẽ à Deo creatum eſſe, ipſum quoq; officiũ loquendi à Deo accepiſſe putauit, etſi dicatur, quomodo Eua poſſet hoc putare, cum nullũ aĩal

Cyrillus lib. 3. contra Iulianum Apoſtatam.

Mag. ſententia 2. di. 21. Toſt. vbi ſup. q. 457

præter hoĩem loquatur, dici põt quod hoc potuit ei accidere, pp in experiẽtiã & nouitatẽ rerũ. Eua quidẽ à Deo formata, accepit mirabiliter tantam cognitionẽ, & tantã iudicij rectitudinẽ, quantã habere põt, quæcũq; fœmina inter nos ætatis maturę, quæ nõ ſit ſpãliter erudita circa aliquod gen⁹ doctrinæ, nõ.n. accepit à Deo cõplementũ ſapiæ; quia tũc non potuiſſet decipi, & tñ decepta eſt, credẽs id, qđ erat incredibile, ſicut ipſa confeſſa eſt, qđ deceperat eã ſerpens, & ita mulier nõ habebat cognitionẽ eorũ, quorũ nullam habuerat experientiã, & quia de aĩalibus nõ habuerat experientiã, poterat de illis credere, q̃cq̃d occurreret, vel igitur mulier ante nõ nouerat aĩalia, ſiquidẽ Eua creata eſt, poſtq̃ aĩalia adducta ſũt ad Adamũ & id circo neſciebat vtrum loqui naturale eſſet ſerpenti nũc; vel ſi ante viderat, quãuis nõ audiuiſſet ſerpentẽ loqui, tñ quia paruo illo tpe non poterat oẽs cunctorũ aĩalium proprietates & facultates exploratas, & perceptas habere, neſciebat, vtrũ facultas loquẽdi naturalis eẽt ſerpẽti, licet paruo illo tempore ſerpẽtẽ ea facultate vſum non vidiſſet.

Verum aduerſum hanc ſnĩam (cui vt probabiliori adhęreo) illa videtur eſſe validiſſima obiectio, q̃ ponit. S. Th. 1. p. q. 94. art. vlt. ſtatus innocentiæ uacabat oĩ malo tã aĩæ, q̃ corporis, ſed error, & deceptio mentis nõ eſt minus vitiũ, & malũ, q̃ fœditas corporis, aut dolor, aut morbus: putare aũt ſerpentẽ loqui poſſe inſignis, eſt mentis error, & deceptio, nõ igit̃ in tanto errore fuiſſe eua ante peccatũ exiſtimare in cõuenit. Cęterũ hęc obiectio facillimo negatione refellitur, ex his, quæ docet docto. ſub. in 2. d. 22. q. vnica, vbi docet duplicem eſſe ignorantiam, vnã purę negationis, alterã paruæ diſpoſitionis, & hęc quidem repugnabat ſtatui innocentiæ, illa vero minime. Eua igitur habuit ignorantiam puræ negationis, neſciens vtrũ ſerpens loqui poſſet necne, quam ignorantiam breui abieciſſet in errogato

D. Th. 1. p. q. 94. artic. vlt.

Scot. in 2. d. 22. q. 1. Duplex & ignorãtia.

 viro

vero ſuo,& ab eo docta,nec ipſa credidit firmo aſſenſu, ſerpentem poſſe naturaliter loqui,ſed dubio tamē,& quaſi ſuſpenſo,mota autem fuerat ad eum audiendum eiſque *verbis credendum illecta* promiſſis eius,quæ viſa ſibi ampliſſima fuere,pulcherrima maximèque optanda.

Quęſ.20 *Alex. de Ales.p.2 qu. 102. m.7. D. Bona.vbi ſupra. art.1.q.3 Riccard. in 2.d.21 arti. 1.q. 3.& Toſt. vbi ſupra quaſ. 458. Chryſoſ. hom. 15.*

Serpens ex Dei ꝓuidentia & Demonis aſtutia primum tentauit Euam quā Adamū.

Quæritur 20. quare prius tentauit Euam.Dicendum quod non factū eſt hoc à caſu,quaſi fœminam inueniret, & non virum,vel quaſi non aduerteret ad unum potius,quā ad alterum, ſed hoc factum eſt ex Dei prouidentia, & ex Demonis aſtutia atq; īduſtria:Dñs.n.tali ordine ꝑmiſit Diabolū tētare ꝓpter viri exercitationē, quia ipſe adeo fortis erat,& ſpirituali mēte prędiitus, quod non ſolum poterat reſiſtere ſerpentis tentationi,ſed etiam ſuggeſtioni mulieris,& ideo fortiori tentationi permiſſus eſt tentari.ſecundo,vt mulierem inexcuſabilem redderet, nā ſi vir primo peccaſſet,cum vir ſit caput mulieris,& dominetur ei,non eſſet mirū, ſi mulier ei conſentiret, immo magnū haberet excuſationis colorē Tertio. propter noſtram eruditionem. In illo enim modo tentandi ſenſibili, cognoſcimus nos modum, & progreſſum tētationis inuiſibilis,& ſicut ille mediante ſerpēte venit ad virum per mulierē, ſicut iſte à ſenſualitate prouenit ad ſuperiorem portionē rationis, mediante inferiori. Diabolus ēt incipiebat tunc tentare,& adhuc nunq; tentauerat,vnde per experientiam non nouerat, quātum ipſe poſſet tentando,aut quātum hō reſiſtendo;voluit ergo aggredi, qđ min⁹ erat.ſ.fœminā. Nā attēdebat Diabolus,mulierē eſſe minoris ſapientiæ, debilioris cōſtantiæ, & importunioris adhærentiæ; quia erat minoris ſapientię,facilior erat ad ſeducendū,atq; adeo Diabolus ſeductor p eā voluit ſibi facere tranſitū,ac viā ; quia debilioris erat conſtantiæ,facilior erat ad peruertēdū,atq; iō Diabolus expugnator aggreſſus eſt hominis Ciuitatē ex ea parte,ex qua erat aditus minus munitus; quia verò importunioris erat adhęrentiæ cogitauit Diabolus, quod ſi ipſa primo vinceretur,nō quieſceret, quouſq; peruerteret virū, Vñ dř eccleſiaſt.7 de muliere, qđ laqueus eſt venatorū, & ſagena cor eius,vincula ſunt manus illius.Propterea Diabolus aſtutus impulſor incepit a ſexu fœmineo.Huius aūt prima rō fuit;quia Diabol⁹ eſt ſuperbus,& valde dolet qñ ſuperatur,& forte ab Adā ſuperaretur, noluit incipere tētare eū;ne hāc deiectionē ſuſtineret;ſecunda qa ſi Diabolus in prima tentatione ſuperaret efficeret timidus ad poſtea tentandū. iō voluit ibi tentare,vbi erat ſibi quaſi certum,qđ poſſet ſuperare,ſic dicit Mag.li.2.d.21.Vnde mulierē tentauit,in qua minus ꝙ in viro rōnē vigere nouit.eius.n.malitia ad tentandam virtutem timida, humana natura in ea parte,vbi debilior videbatur aggreſſa eſt.

Mag. in 2.d.21.

Quęſ.21

Demon ex multis cognoſcebat mulierem eſſe īequalis rationis cum viro.

Quęritur.21.Vnde Diabolus cognoſcebat mulierē eſſe debiliorē ad ſuccūbendū tentioni?nā nullā experientiam de hoc acceperat, cū non dū tentaſſet. Dici pōt qđ multa erant,ex quib.Dæmon agnoſcebat inæqualitatē rōnis inter virū,& fœminā.ita vt fœmina valde minor eſſet.Primo erat experientia nā non ſtatim,vt fœmina formata eſt, tentauit eā Demō,ſed aliqđ tpš tranſiuit,& in illo videbatur rōne fœmina cōuerſata cū viro.tunc poterat Demō capere experimētū,quis eorū facilior eſſet ad decipiendū.Scđo poterat hoc intelligere ex conditione corporis:non.n. ſunt eiuſdem modi miſtionis fœmina & vir,& quia ſecundum capacitatem corporis participatur ei nobilior virtus animę,& ipſa natura eius in fieri, & quia Demon nouerat differentiam corporis Adæ, & Euæ noſceret etiam differētiam animarum in excellentia. Tertio poterat hoc cognoſcere ex ordine Dei fecerat.n.Deus fęminā pp virū cū dixit nō eſt bonū hominē eſſe ſolū &c.qđ eſt pp alterū,eſt minus pfctū eo,ideo fœmina eſt minus nobilis viro ſed nobilitas et dignitas ſimpliciter nō

eſt

Digitized by Google

eſt ex parte corporis, ſed ex parte animę, ex qua eſt ratio ſpẽi; ergo vir eſſet excedens in virtutibus animæ. Poterat ergo cognoſcere Demon differentiam naturalium Adæ, & Euæ, & ita ſciret, quis eorũ facilior eſſet vt decipi poſſit, quam alius, & ita in nobis cognoſcit, & ideo nouit, quem potius de nobis aggredi debeat, & in quo quiſque noſtrum infirmior ſit, vt ex ea parte tentet.

Quæ. 22. Toſt. vbi ſupra qu. 465.

Quæritur 22. quomodo potuit Diabolus tentare Euam, quin tẽtaret Adã quia ambo erant ſimul, cum nulli alii tunc eſſent, etſi tentatio iſta fuiſſet interior, & inuiſibilis, qualis in nobis agitur, potuiſſet Eua exiſtens in pręſentia tentari, eo non ſciente, ſecus autem de tentatione vocali per ſerpẽtẽ, nam ſi ſimul eſſent ambo tentaret. Dicendum quod Eua tentata eſt per Diabolum in ſerpente, & non Adam, neq; illũ vidit, & quando dicitur quod ſimul erãt, Dicendum quod non erãt ſemper ſimul, quia ſaltem aliquo paruo momento tẽporis diſcederent, & tunc poterat Diabolus per ſerpentem fœminam ſolitariam aggredi; ſic dicit Magiſter li. 2. d. 21. Primum igitur ſolitariã fœminam explorauit vt in ea primum omnẽ ſuæ tẽtationis vim experiretur, & fuit hoc conueniens Diabolo, nam ſi ita non faceret, & tentaret ambos ſimul, & eſſet difficilior tentatio, quia non poſſet alterũ ſuperare niſi ambos ſuperare, quia ex conſenſu communi aſſentirent Demoni, vel repugnarent, etiam quia fœmina obediret viro, & ſuſpenderet conſenſum ſuum, quouſque vir in id conſentiret, & tamen Demon noluit incipere à viro, Ideo debuit tentare mulierem ſolitariam exiſtentem.

Magiſt. in 2. d. 21

Quæ. 22.

Quæritur 23. quomodo tentatio potuit fieri in verbo, quia mulier nondũ didicerat linguam aliquam, in qua loqui poſſet, aut intelligere Diabolũ loquentẽ? Hanc q. mouet D. Aug. li. 8. ſuper Gen. ad lit. ad q̃ ſic ipſe rñdet, qđ Deus creauerat Adã & Euã tales vt loqui poſſent, & intelligere, ſic dicit Magi. li. 2. d. 21. Si quæritur quõ loqui potuerunt, vel loquentẽ intelligere, q nõ didicerãt, inter loquẽtes creſcendo, vel magiſterio, quia eos Deus tales fecerat qui poſſent loqui, & diſcere ab aliis ſi eſſent? Dicẽdũ aũt, ꝙ in hoc dubiũ nõ erat, quia Deus ſicut opere ſuo præter naturæ curſũ dedit eſſe, & complemẽtum quantũ ad aĩam. ſ. in cognitione illa, quæ ſm tp̃s exigebat. Hoĩes. n. quando ſm naturã veniunt ad cõplementũ ætatis, hñt cognitionem, & ſermonẽ. Ita cũ Deus in primo Die daret Adæ, & Euæ perfectionem ſm corpus, quã tã habituri eſſent, ſi eſſẽt triginta annorum, debuit dare perfectionẽ cognitionis; & ſermonis, q̃ ea ætate hoĩes habere ſolent, vnde vtrique cõcreauit cognitionẽ idiomatis illius, quod Deus voluit eſſe primum in ſeculo, & eſt Idioma Hebræum, vt ſupra oſtendimus, in quo ambo nullo docente, ſtatim loqui ſciuerũt, ſed de filiis eorum nõ fuit ſic, ſed ſicut per modũ naturæ acceperunt eſſe, & augmentum, ita, & acceperunt doctrinã, & cognitionẽ idiomatis creſcendo, & addiſcendo inter maiores.

Toſt. vbi ſupra q. 461. D. Aug. li. 8 in Gen. c. 16. in fin.

Magi. li. 2. di. 21. in fine.

Queſ. 24

Alex. de Ales vbi ſup. in 2. & 3. & Toſt. vbi ſupra q. 463.

Quæritur 24. an tẽtatio, qua Demõ Euã tẽtauit fuerit vna, vel fuerint plures, vr̃. n. ꝙ fuerit vna, qa vni pctõ vna ſola tẽtatio rñdet inclinãs ad illud, ſed vnũ fuit Euæ pctm̃ primũ, atq; adeo vna tm̃ fuit tẽtatio ĩclinãs ad illud: Oppoſitũ aũt vr̃: qm̃ fuit vna tentatio reſpectu fructus eſibilis, alia tẽtatio fuit reſpectu appetitus ſciæ. Itẽ alia fuit tẽtatio reſpectu appetitus eſſendi ſicut Deus, & idcirco non fuit vna ſola tẽtatio. Dicendũ qđ fuit vna tentatio, quia vbi vnũ pp alterũ, totũ reducitur ad vnũ, tẽtatio aũt fuit de inobediẽtia, motiuum autem ad illã tranſgreſſionẽ loquendo de motiuo finali, fuit appetitꝰ inordinatus ſimilitudinis diuinæ, & ſecundũ hæc vnica fuit tentatio, quod. n. mouebatur Eua ad eſum fructus vetiti, hoc fuit rõne illiciti deſiderati, qđ ei à Diabolo promittebatur, cui non eſt credendũ, cum ipſe ſit mẽdax, & pater mendacii. Et iõ dicit Chriſ. promittit

Tẽtatio, qua Demon tẽtauit: Euã vna fuit.

Chriſoſt.

Hh 2 multa,

Digitized by Google

multa, vt non det, ſed vt accipiat, atq; adeo non oportet ei credere vniuerſaliter, ſed & blandientem eũ odire, & cũ maiora promittit, tunc magis aduertere, quoniam, & Eua; qñ eam magis ſpe extulit, tũc deiecit & maxima eſt ei operatus mala, atq; ita vna fuit principaliter tentatio, quia vnũ, fuit principaliter motiuũ, ſed fuerint plures rõne cõiunctorũ: et motiuorũ; fuit. n. aliquo mõ tẽtatio de appetitũ ſciæ, itẽ de appetitu immortalitatis, ac ẽt de appetitu delectationis in guſtu, cũ ergo fuerint aliquo modo plures, quæ fuit eorum prima atque præcipua? nam vr̃, quod prima fuerit de Gula: dr̃. n. Lucæ 4. vbi agitur de tentationib. qđ eo ordine tentauit Chriſtum, quo tentauit Adam, ſed tentatio Chriſti incepit à Gula, ergo tẽtatio primi parentis incepit à gula. In oppoſitũ vr̃ quod illa fuit prima. quæ fuit de vanagloria, ſiue de ſuperbia: hoc. n. dr̃ eſſe primũ peccatũ primorũ parentũ, ſicut habetur ſuper illud pſ 118. Superbi inique agebãt vſq; quaq;, vbi dicit gloſſa; maximũ peccatũ eſt ſupbia, quia inde manauit origo noſtri delicti, hoc telo Diabolus nos primo vulnerauit, fuit ergo prima tentatio de ſuperbia, ſiue de vanagloria, quæ ad idẽ reducit̃. Dicendũ ꝙ motiuũ primũ in oĩb. tẽtationib. Euæ, & Adæ fuit appetitus excellẽtiæ, atq; adeo reducendæ ſunt tẽtationes ſi quo mõ plures fuerũt, ad illã, tamq̃ ad primã, Vnde obſ. eſt qđ manducare de fructu ligni vetiti, nõ fuit in hac tentatione principiũ mouẽs, neq; finis deſideratus, comedit q dẽ mulier, & tñ comedere nõ fuit ipſum, qđ eã impulit, ſed potius mouẽs efficiẽter fuit Demõ, qui ſuaſit mulieri mãducare de fructu ligni, de quo nullo mõ manducatura eſſet, niſi ille ei ſuaderet. finis aũt mãducandi fuit, vt efficerentur Dij ſciẽtes bonum, & malũ: nã ſi Diabolus non dixiſſet hoc mulieri, nunquã illa manducaſſet, ẽt ſi ille mãducandũ ſuaderet; quia proponeret ille rẽ ſine cã, & nollet illã cõtra Dei ꝓhibitionẽ agere, niſi eẽt aliquod, quod valde eam moueret, neque fuit aliquod deſiderabilius, quam effici Deo ſimilem in cognitione, ex hoc ſequitur, quod prima tentatio, nõ fuit tẽtatio Gulæ, vel carnis: quia non fuit mota à carne, ſed à Demone, & à ſpũali cõcupiſcibili, quod eſt Deo ſimilari, quia etſi dicatur infra in hoc cap. quod vidit mulier, quod bonũ eſſet lignũ ad veſcẽdum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, & ſic vr̃, qđ pulchritudo fructus fuit motiuum, tamen hoc non fuit motiuum à carne: quia etſi lignum aliquo modo moueret, non fuit tamẽ primum motiuũ, ſed Diabolus primo mouet effectiue, & appetitus ꝓpriæ excellentiæ primo mouit finaliter nam viderat prius mulier lignum illud, & cum ſciret illud eſſe vetitum, non mouebat̃ ad comedendum, ſed Diabolus primo impulit, vt comederet, & tunc mulier aſpexit lignum, & mota fuit tẽtatio, debet tñ iudicari talis à primo motore, ꝑterea ſi motus fuiſſet à ligno, fuiſſet ad comedendũ: quia lignũ, aut fructus materialis nõ põt mouere niſi ad id, quod naturæ ſuæ. ſ. ad experiendam delectationẽ in comedendo, & tñ pp hoc non fuit mota mulier, ſed vt efficeret̃, ſicut Deus, ſciẽs bonum, & malum, vnde ad id, quod obijcitur in contrariũ. Dicendum, quod tentatio Gulæ dr̃ prima ꝓpter hoc, qm̃ ſecundum illam quaſi cõſequenter contractum eſt originale peccatum, vnde dr̃ prima ad hoc, licet non dicatur prima ſimpliciter, tentatio. n. ſuperbię, vel Auaritiæ fuit de pctõ ſpũali, tentatio vero gulæ fuit de pctõ carnali, & traductio aũt corruptionis ex parte carnis accipiebatur. Vel aliter poteſt dici, quod tentatio de gula fuit prima, licet actus non eſſet primus, vt. n. dr̃ in hoc c. Diabolus primo dixit per ſerpentẽ ad mulierẽ. Cur ꝑcepit vobis Deus, vt non comedatis de oĩ ligno paradiſi? Deinde vero quia intellexit Euã dubitare dicentẽ, ne forte moriamur, ſequutum eſt, quod dixit ſerpẽs, nequaquam moriemini, tertio vero ſubiungitur eritis ſicut Dij ſciẽtes bonum, & malum.

Tẽtio qua Demon tẽtauit Euã fuit aliquo modo multiplex

Quę nam fuerit prima tentatio, qua Demõ tẽtauit euã.

Gloſſa.

Motiuũ in omnib. tentationibus Adami & eua fuit appetit⁹ excellentia.

Prima tẽtatio Eua non fuit de Gula.

Digitized by Google

De Proceſſu Tentationis.

Nico. de Lyra Geneſ.c.3. Cur præcepit vobis Deus, vt non com mederetis ex omni ligno Paradiſi?

Hic ponitur tētationis proceſſus, in quo primo acceſſit ad mulierem, tanq̃ facilius deceptibilem, vt ea decepta, cõſequenter hominem deciperet & hoc eſt, qđ dicit, cur præcepit vobis Deus, &c. Vnde obſ. eſt circa dictionem illā, cur. quod Hebrayca ſcriptura Paulū variat: in hebręo enim legitur Aphchi, quod variis modis exponitur, quidam exponunt, ita non? Alij Verene? nõnulli etiam ne? quod videtur conſentire cum translatione Chaldaica, quæ ad verbum reddit hanc ſententiam. In veritate dixit vobis Deus? latinus interpres ſecutus eſt ſeptuaginta, qui ad uerbum habēt. Quid? vel cur? dixit vobis? Oleaſter dicit illud Aph. Interdū ſignificare iram, eamque ſignificationem putat maxime huic loco congrue re, vt ſit hæc lectio. Ira quoniam dixit Deus, non comedetis de omni ligno horti, quaſi aperti' diceret. Ira eſt Deo aduerſum vos, aut iratus Deus vobis eſt, cuius iræ indicum eſt, quod vetuit ex omni ligno Paradiſi comedere.

Pererius c.3. ſuper Gen. li.6.

Oleaſter

Rabbi Dauid. Rabbi Dauid pro illo cur? Interpretatur quanto magis, dicitque ſerpentem ante hęc verba dixiſſe alia mulieri; hęc nempe, vel alia ſimilia, Deus odio habet vos, quamuis cunctis animalib. nobilitate præ excellatis, non enim dedit vobis pulchritudinem leonum, velocitatem Ceruorum, quãto magis cum dixerit vobis, ne commederetis ex omni ligno paradiſi, ex quo cognoſcere poteſtis odio vos eſſe Deo; Et quidem veriſimile eſt, plura verba, quam quæ hic narrantur inter Euam, & ſerpentem vltro, citroque eſſe habita; ſed Moſi breuitatis ſtudioſo viſum eſt ſatis eius ſermonis Principes in ſua Hiſtoria ſententias commemorare.

Chriſoſt. Ho. 15. in Gen. Atque hijs verbis Demonis incidentiā et multiplices technas aperuit, quando quidem ſciebat Demon hominem in ſummo honore eſſe formatū & nihilo minus habere Angelis ipſis ſic & Beatus Dauid inquit Minuiſti eum paulo minus ab Angelis atq; hoc ipsū paulo minus in obedietię peccatū introduxit Nā poſt pñaricationē hęc locutus eſt propheta. Videbat igit ſup terrā Angelū tenebre, & à ſua rodebatur inuidia Demõ malorum author, q̄m cū ipſe inter ſupernas virtutes eſſet, & ob voluntatis ſuę nequitiā, & malitiā excellentē è ſummo illo cęlo proiectus fuerit, magna vſus eſt machinatione, vt & homines à gratia Dei priuare, & in gratū factū, à tantis bonis p Diuinā bonitatē ipſis cõceſſis nudare poſſet, & quid fecit? inuēto animali (ſerpentē dico) qui cætera calliditate ſua vincebat, per ipſum loquens, oſtendit ſebene uelle illis hominibus, & de eorū vtilitate, ac bono curam agere, at finis eius fuit efficere, vt præceptum illud Euæ videretur graue, durum, & iniquū, ob idque vehementer ei diſpliceret, atque adeo dixit, cur pręcepit vobis Deus &c. quaſi diceret, quare De' priuauit uos tāta fruitione? cur non concedit vt participes ſitis bonorum, quæ ſunt in Paradiſo? ſed præſtitit quidem, vt viſu fruere mini, maiori tamen voluptate interdixit, cur dixit Deus? quare inquit hoc? quæ vtilitas verſari in Paradiſo, & nõ frui illis, quę in illo ſūt? ſed ideo maiorem fertis dolorem quod ſpectare qui dem vobis licet; frui non licet, ſed circa hanc litteram quæritur primo. *Pſ.8.*

Quæritur 1. quo genere tentationis Eua tentata fuerit? nam cum tres ſint tentationis modi. ſ. à Demone, à carne, & à mūdo, videri poſſet hāc tentionē cõnumerandā eſſe inter carnis tentationes. cū ea, q̄ ſunt carnis. ſ. māducare de fructu ligni mulier ſuadeantur. Videt etiam quod mulier mota fuerit ad veſcendū ex parte carnis, nā dr infra. Vidit mulier qđ bonū eſſet lignum ad veſcēdū, & pulchrū oculis, aſpectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & cõmedit, & ita pulcritudo fructus fuit motiuū. Dicēdū qđ nõ valet, q̄a in hac tētione nõ fuit hoc principiū mouens, *Queſ. 1. Toſt. vbi ſupra q. 465. Tres sūt tentationis modi*

Hh 5 neque

neq; finis deſideratus, cõmedit quidẽ mulier & in cõmedere nõ fuit ipſum, quod eam impulit, ſed potius mouens efficienter fuit Demon, qui ſuaſio mulieri mãducare de fructu ligni, de quo nullo modo manducatura eſſet, niſi ille & ſuaderet, finis autem manducandi fuit vt efficerentur dij ſcientes bonũ, & malum, nam ſi Diabolus non dixiſſet hoc mulieri, nunque illa manducaret, etiam ſi ille ſuaderet manducandum, quia poneret ille rem ſine cauſa, & nollet illa contra Dei prohibitionẽ agere, niſi eſſet aliquid quod valde eã moueret, neque fuit aliquod deſiderabilius, quam effici Deo ſimilem in cognitione, atque ita non poteſt dici tentatio carnis, quia non fuit mota à carne, ſed à Demone, & à ſpirituali concupiſcibili, quod eſt Deo ſimilari.

Atque adeo, etſi lignum aliquo modo moueret, nõ fuit primum motiuũ, nam Diabolus primo mouit, nam viderat iam mulier lignum illud, & vir cum ſciret illud eſſe ſibi vetitum, ſed non mouebatur ad comedendum, ſed Diabolus primo impulit, vt manducaret, & tunc mulier aſpexit lignũ, & mota fuit tentatio, debet tamen iudicari à primo motore.

Quæſt. 2. Toſt. vbi ſupra q. 464. Quæritur. 2. cur Diabolus in hac tẽtatione inceperit à præcepto? Videtur enim quod hoc potius erat cõtrarium intentioni ſuæ: quia reducendo peccatum ad memoriam, diſtraheretur à ꝓpoſito peccati. *Reductio præcepti ad memoriam in nobis nõ inclinat ad peccãdum, ſed diſtrahit ſecus in primis parentibus.* Dicendum quod in nobis reductio præcepti, vel ꝓhibitionis ad memoriam non inclinat ad peccandum, ſed potius diſtrahit ab eo, nã neceſſe eſt, quod peccans ſit ignorans, qñ peccat. nam ſi non efficeretur ignorãs, non poſſet peccare, cum oporteret, qđ voluntas eligeret malum in quantum malum; & hoc eſt impoſſibile cum obiectum eius ſit bonum; & malum, vt huiuſmodi non eſt appetibile, vt ergo non eligatur malum cognitum oportet quod quando peccans eligit id, qđ vere malum eſt, putet nõ eſſe malum, ſed bonũ, & ita ſit volibile, & hoc eſt ignorare, omnis ergo peccans eſt ignorans vt. patet. 3. & 6. Ethic. & ad hoc debet corrumpi exiſtimatio de appetibili, ſcilicet iudicãdo de eo aliter quam verum eſt, ſed cõſideratio actualis pręcepti, vel prohibitionis facit non corrumpi exiſtimationem, cum pręceptũ oſtendat, quid eſt bonum, & quid malum. Ideo conſideratio talis potius retrahit à peccando; non conſideratio autem actualis, vel obliuio pręcepti facit corrumpi exiſtimationem, quia poterit quis exiſtimare bonum, quod non eſt bonum cum ſit vetitum, quia non cogitat actualiter illud eſſe vetitum, aut aliquod non eſſe neceſſe fieri, quia non occurit ſibi eſſe pręceptum.

Sed in Eua non fuit ſic: immo propoſuit Diabolus Euæ præceptum, & ex illo incepit tentare, & Dicit D. Augu. li. 11. ſuper Gen. cap. 30. quod hoc fecit, vt peccatum eſſet minus excuſabile, nam ſi nõ fuiſſet propoſitum pręceptũ, potuerat dici, quod mulier oblita præcepti, elegerat manducare, atq; ita vel excuſaretur oĩno, vel alleuiaret culpa eius; Cum autem propoſitum fuerit pręceptum non manebat mulieri aliqua excuſatio, & hæc ſunt verba D. Auguſti. *D. Aug.* Ideo primus interrogauit ſerpẽs, & reſpondit hęc mulier, vt pręuaricatio eſſet in eſcuſabilis, neque vllo modo dici poſſet, id quod pręceperat Deus, oblitam fuiſſe mulierem. Cæterum licet iſte modus eſſet ad efficiendum peccatum grauius, & ineſcuſabilius, tamen nõ erat modus ſecurus Diabolo, quia ſic mulier minus appeteret id, quod ex reductione ꝑcepti ad memoriam, manifeſtabatur eſſe malum, & Diabolus licet cupiat efficere, quod peccata noſtra ineſculabilia ſint, & grauiora; potius tamẽ vult eo tentare modo, vt ſit ſecurus de ſuperando, quam proponere mala in quibus dubium ſit quod nos ſuperet. Dicendum eſt ergo, quod cum Demon vellet trahere Euã ad peccatũ, neceſſe erat quod eſſet ibi ignorantia. vel in particulari, vel in vniuerſali, ſed nõ poterat eſſe in particuli

quia

quia illam facit concupiſcentia inſurgens, ſed in Eua, & Adam, cum nondum peccauiſſent, non poterat Inſurgere, concupiſcentia aliqua contra rationem, atque adeo in particulari ignorare non poterant.

Ignorantia autem in vniuerſali, eſt quando aliquis ſimpliciter & abſolute putat eſſe licitum id, quod totaliter eſt illicitum. Quod ita erat in pręſenti. Nam diabolus volebat inducere mulierem, vt commederet de ligno, quod erat totaliter illicitum, quia Deus vetuerat illud.

Quia ergo mulier ſciebat datum ſibi eſſe mandatum, illud debuit Diabolus oſtendere, quod mandatum nō obligabat, & quod non ſequeretur pœna illa, quam Deus in mandato comminatus fuerat, & tunc ſi mandatum nō obligaret, maneret abſolute ſibi liciŭ manducare de ligno illo, tanquam nō eſſet vetitum, atque adeo ad hoc, quod mulier in vniuerſali efficeretur ignorans; debuit Diabolus mandatŭ iſtud Dei inducere. Præterea ſciebat Diabolus, quod mulier tenebat menti præceptum, atq; ita; ſi diabolus proponeret mulieri, quod manducaret, non propoſito mandato, reſponderet mulier, qđ non licebat: quia Erat vetitum, & tunc Diabolus reſpondere debuiſſet ad mādatum, atque ita ſi magis ſuſpectŭ redderet ſi tacuiſſet mandatum, & reſponderet ad illud, quā ſi à principio illud proponeret, atque adeo, vt non eſſet ſuſpectus pręceptum propoſuit.

Poſtremo conueniebat hoc ad finē, ad quem Diabolus proponebat: non enim voluit ſolum proponere mulieri quod comederet, ſed propter quid cōmederet, vt .ſ. efficeretur ſicut Deus ſciens bonum, & malum; ſed hoc non potuit dicere, niſi propoſito mandato, quod patet ex modo locutionis Dæmonis. nā dixit: Cur pręcepit vobis Deus &c. ac ſi diceret. Vos putatis, quod vetuit illud lignum, vt non moriamini, commedentes de eo; ſed nō eſt ſic, immo vetuit, vt nō efficiamini ſimiles ei quod fiet, ſi commederitis. Nam aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum; atque ita debuit proponere Diabolus mandatŭ, vt innueret mulieri datum eſſe pręceptum ex inuidia, vt non efficeretur homo æqualis Deo, quod ipſe non poterat concludere, niſi mandatum proponeret.

Quęritur 3. Cur introduxit mandatum per modum quæſtionis, dicens. Cur pręcepit &c. nam poterat ſic tētationem incohare. Commede de hoc ligno; & non timeas aliquid mali: quia quando Deus pręcepit vobis, ne commederetis, dixit hoc, ne efficeremini ſicut Dij. Quæſt. 3. Toſt. q. 4.6 9.

Dicendum, quod non eſt dubium; q̄n. Diabolus poterat, multis alijs modis introducere mandatum illud ſine interrogatione. Cęterum ſic introducit, quia iſte modus viſus ſibi fuit conuenientior, vt .ſ. ex mulieris reſponſione, locum haberet ad dicendum, quod voluerit; atque adeo, petiuit ab ea cauſam mandati, vt cum illa reſponderet, quod credebat, oſtēderet Diabolus, nō eſſe illa cām, ſed aliā; nam illa dixit, ne forte moriamur, & Diabolus dixit nō eſſe illam cauſam, ſed ne efficerentur ſicut Dij ſcientes bonum, & malum.

Pręterea modus iſte interrogandi erat ſine ſuſpicione, nam ſi dixiſſet ſerpens mulieri comede de hoc ligno, & non timeas, iam ſuſpicio erat, cum ſuaderet mulieri cōmedere, & tn̄ qđ mulier cōmederet, vel nō comederet, nō p tinebat ad ſerpentem, atq; ita cogitare poterat, quod aliquod mali latebat, ꝑpter quod ſerpens iſtud faciebat, & ꝑpter hoc noluit ſerpēs perſuadere mulieri, vt comederet, vel nō comederet: quod optime patet ex ordine verborum: nam non dixit comede, vel non comede; ſed dixit quod etiam ſi comederet, nō incurreret aliquod malŭ &c.

Quæritur 4. quare Diabolus tentauit Euam circa cibum ligni vetiti? & non in aliqua re? Poſſet dici primo, q. fuit, quia non poterat aliter tentari; nam ſic Quæſt. 4 Toſt. q. 470.

Diabol⁹ cur tentauit Euā de eſu ligni vetiti.

bat tentatio, vt Eua ad peccandum induceretur, peccare autem non poterat, niſi contra præceptum Dei ageret; ſed nullum erat præceptum datum, niſi iſtud de ligno vetito, ſecundo dici pōt, quod Diabolus voluit oſtendere, mulierem quaſi grauatam, eoque impoſita eſſet ſibi ſeruitus. ſ. vt non liceret ei manducare de ligno, cum naturaliter eſſet libera, atque adeo debuit tentari in eo, in quo tollebatur libertas. ſ. in p̄cepto, quia non erat aliud impoſitum debuit in hoc tentare. Dicendum eſt tertio, quod in hoc debuit tētare, quia tentatio non potuit eſſe niſi in tranſgreſſione pręcepti, ſed pręceptum aliud non erat ita cognitum mulieri ſicut iſtud: nam licet eſſent alia pręcepta nō data, ſed inſita, nempe pręcepta legis naturę; tamen multi ſunt qui ignorant talia pręcepta eſſe ſibi à Deo data, aut eſſe pręcepta, & Ideo mulier potuit circa hoc ignorare; nam cum ipſa tā grauiter ignorauit circa naturam ſpiritualium, vt poſſet credere, vt efficeret Deo ſimilis, magis poſſet ignorare circa legem naturæ, an eſſet aliqua talis lex in anima, & à quo eſſet. De pręcepto aūt poſitiuo circa lignum vetitum non potuit ignorare, eo quod illud vocaliter datum erat. Ideo in hoc potius debuit tētari. Addas, quod circa id, quod erat de lege naturæ mulieri peccare nō poterat, quia ad hoc, quod peccaret oporteret, quod efficeretur ignorās cū actu malum eligeret; Iſta autem ignorātia, aut eſſet in particulari; aut in vniuerſali: ſed nō poterat mulier effici ignorās in particulari, vt diximus ſupra, ergo fuiſſet ignorātia in vniuerſali; ſed circa ea, quæ ſunt de iure naturę ignorantia vniuerſalis eſſe nō poteſt: quia ſunt naturaliter cognita, & non poſſumus illa obliuiſci ergo, & c.

Quæſ. 5. *Toſt q. 471.*

Diabol⁹ tentans Euā cur ſolum locutus eſt in numero plurali.

Quæritur 5. Cum Diabolus ſoli loq̄retur, eamq; ſolam tentaret. Cur locutus fuit in numero plurali, dicens. Cur pręcepit vobis Deus &c. Dicendū, qđ hoc fuit primo quia veritas fuit, quod præceptū nō fuit datū viri ſoli; ſed duobus. i. maſculo, & fœminæ. ſecundo q̄a vt multi aſſerunt licet non fuerit datū pręceptum mulieri per Deum immediate, fuit tn̄ ei datū à Deo viro mediāte. Deus. n. per ſe viro mandauit, & per virum mandauit fœminæ, atq; adeo ſi ſumatur ſimul vir, & fœmina: pōt dici ꝙ eis p̄cepit Deus nō mādu care de ligno illo. Tertio & pricipalius fuit hoc, quia licet Diabolus ſoli mulieri loqueretur, volebat tn̄ exſtēdere verba ad eā, & virū, vt ad ambos poſſet extendi tētatio, ſicut, & factū eſt. Vnde & Diabolus totā ſuā locutionē extēdit ad ambos cū poſtea dixerit, nequaq̄ moriemini, & iterum aperientur oculi veſtri &c.

Cui reſpōdit Mulier, de fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo veſcimur, de fructu vero ligni, quod eſt in medio Paradiſi. Pracepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur.

Ex his verbis inexcuſabile oīno reddit Euę peccatū nam totum mādatum detexit, diligenterque recenſuit omnia atque adeo reſponſo ſuo omnē ſibimet ipſi, defenſionem abſtulit, Ipſa nēpe his verbis declarat, ſe non peccaſſe, tanquā Diuini pręcepti ignaram, aut oblitam: fatetur. n. ſibi, vt merito præceptū illud eſſe à Deo impoſitum, ſimul etiam indicat, non fuiſſe graue, & durū præceptū, nec obſeruatu difficile: Dicit. n. vna dūtaxat arbore excepta, & cęteris Paradiſi arborib. q̄ ꝓpemodū innumerabiles erāt, factā ipſis eē à deo edēdi ptāte.

Quæſ. 1. *Toſt. q. 473.*

Mulier Cur ſerpenti reſpondit.

Quęrit̄ 1. Quare mulier ſerpēti reſpōdere voluit? Dicendū, qđ fuit q̄a nō habuit cām aliq̄ nō r̄ndēdi: ſi. n. mulier ſuſpicata fuiſſet ibi dolum, vel timuiſſet ſerpētē, nō r̄nderet ei, ſed recurreret ad virū, velut ad rectorē, & principalē in intelligendo, & tn̄ nihil mali ſuſpicata eſt; iō r̄ndit ſcđo quia potius gauderet mulier r̄ndendo, vt hēret cū quo loqueret, nā mente, & verbo participare delectabile eſt, & propter hoc ponitur eſſe actus amicorum lib. 9. Ethyc. capi. 4. In locutione autem eſt vtraque participatio, atque adeo gauderet mulier

placeret

placeret mulieri; habuit. n. vt aſſerit
Beda.
Beda ſerpens ille vultum virgineū; Iudæi in ſuo Thalmud dicunt, quod ſerpens ille coiuit cum Eua, ſed hoc turpiſsimum eſt, & manifeſta inſania eſt aſſere, quod neq; ſcriptura ponit, neq; ratio conuincit in alicuius præiudiciū, tum quia id grauius eſſet peccatum: quam manducare de ligno vetito, & propter hoc ſolum, non expectato alio fuiſſet mulier de Paradiſo expulſa, & mirū eſt, quomodo iſti impudentiſsimi homines, non erubeſcant de fœmina tantæ dignitatis, quæ totius humani generis Mater extitit tam turpia aſſerere. ſed non eſt mirum quia etiam de Adam dixerunt, quod cum omnibus animalibus fœminis coiuerat ante Euæ formationem, vt diximus ſupra.

Quæſt. 2. Toſt. qu. 474. & Pererius libr. 6. in Gen.

Quæritur ſecundo Quare dixit mulier de omni ligno quod eſt in Paradiſo veſcimur, cum non ſit veriſimile, quod de omnibus lignorum fructibus adhuc commederint. Aliqui ex his verbis colligunt Adam, & Euam antea ſolitos edere, ex qualibet arbore, atque adeo non paruo eos tempore moratos eſſe in Paradiſo. Sed dicendū eſt, quod illud veſcimur, dictum fuit pro eo, quod eſt, veſci poſſumus, vel nobis veſci licitum, ac liberum eſt: non enim poteſt accipi veſcimur pro aſſueti ſumus ad veſcendum; quia nondum māducauerant homines de omnibus arboribus Paradiſi, cum adhoc multo tēpore opus erat, quia Paradiſus locus magnus eſt, intelliguntur ergo verba mulieris, iuxta id, quod Deus dixerat ſupra c. 2. Ex omni ligno Paradiſi commede, per quod efficiebatur licitum viro, & fœminę cōmedere de omnibus.

Quomodo intelligitur de omni arbore Paradiſi veſcimur.

Quæſt. 3 Toſt. qu. 474.

Quæritur tertio, quod nam fuerit lignum illud, quod mulier dixit fuiſſe ſibi, & Adamo vetitum, cum dixit, de fructu autem ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus &c. Nā aliqui dicunt, quod ſit lignum ſcientię boni, & mali, quod Deus vetuit Adæ. Alij autem dicunt, quod non, quia nominaretur eodem nomine, ſed nominatur alio, cum vocetur lignum, quod eſt in medio Paradiſi. Dicendum quod iſtud eſt idem illud lignū, quod Deus vetuit Adæ, & vocatur lignum ſcientiæ boni & mali, qđ patet: quia ſi eſſet aliud, iam eſſent duo ligna vetita, atq; ita Deus reuocaſſet legem priorē, in qua conceſſit omnia ligna præter vnum, & nunc eſſent duo vetita, at Deus non mutat legem, quā dat ſine cauſa, Præterea, quod ſit idem lignum apparet ex verbis mulieris, nam dixit de fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo veſcimur & excepit ibi vnicum lignum, ergo idem lignum erat, quod ambobus vetitum erat Aſſeruit. n. mulier, omnia ligna conceſſa eſſe præter vnum, quod erat in medio Paradiſi.

Quæſt. 4. Toſt. qu. 475. Eua cur nō nominauit lignum vetitū proprio nomine.

Quęritur quarto, Quare Eua non nominauit illud lignum ſcientiæ boni, & mali, ſicut nominatum fuerat prius quando vetitum fuit Adę. Dicendū primo, quod fuit quia cum nomen nō ſit, niſi ad notificandam rem, cuius eſt, dum res ſufficienter notificatur, non refert, an illo, vel illo nomine appelletur, at quia lignum vetitum ſufficienter notificatur per id, quod erat eſſe in medio Paradiſi, nō oportuit poni aliud nomen: quia illud lignum erat vere in medio Paradiſi, vt patet ſup. c. 2. Secundo & principaliter: quia illud lignum non habebat tunc illud nomen, nam non vocabatur lignum ſcientiæ boni, & mali, ſed fuit datum ei hoc nomen poſt peccatū, ex eo qđ Diabolus dixit, eritis ſicut Dii ſcientes bonū, & malū, atq; adeo nō poterat mulier vocare illud hoc nomine, cū nōdū haberet illud & licet Moyſes, ante Euæ formationē appellet lignū illud, lignū ſcientię boni, & mali, hoc fecit p anticipationē, & ſic illud appellauit Moſes, qa tpe Moſis, ſic appellabatur, vt diximus ſup. c. 2

Quæſt. 5. Toſt. vbi ſup. 477. Deus Adamo & Eua ſimul præcepit, ne comederent de ligno vetito.

Quęritur quinto, An Deus Adamo ſimul, & Eue mādauerit ne comederēt de ligno &c. Dicendū q̃ cū mulier hoc aſſerat, & ipſa tūc nō mentiret, qa erat in ſtatu innocentię, & primū peccatū fuit māducare de ligno vetito; tenēdū ē

quod

Digitized by Google

quod Deus mandauerit illud, ſed hoc quō hoc verum ſit non paruam habet dubitationem, nam videtur, quod mā datum non ſit datum niſi viro, quia ſupra c.2.habetur de Adam: Præcepitq; ei Deus, ex omni ligno Paradiſi cōmede,&c.de muliere autem poſtea, non inuenitur, quomodo, aut quando datum fuerit.

Aliqui dicunt, quod ſoli Adæ datū fuit perſonaliter mandatum iſtud, ſed ipſe poſtea dedit illud mulieri, atq; ita ambobus erat datum,& hoc conſonat ſcripturæ, quia non inuenitur datum mulieri, ſicut inuenitur datum viro, ita docet mag.lib.2.d.21.

Magiſt. ſen. in 2. d. 21.

Aliter dici poteſt quod præceptum iſtud fuit datum tam viro, quam mulieri adhunc modū: poſito enim viro in Paradiſo, nondum formata muliere datum fuit ſibi præceptum illud, at poſtea muliere formata, repetiuit Deus p̄ceptum coram ambobus,& tunc ei datum fuit, & hic modus dicendi forte magis ſcripturæ conuenit: conuenit.n. verbis mulieris: cum illa dixerit præcepit nobis Deus, quibus verbis ſignificauit præceptum ambobus datū eſſe.

Queſ. 6.

Nico. de Lyra ca. 3. in Ge.

Toſ. q. 2. 78.

Pererius li. 6. in Gen.

Eua cur dixit, præcepit nobis domi nus, ne tā geremus illud, cū Domin⁹ hoc non p̄ceperit.

Eugubi nus Toſ. Pererius.

Quæritur.6.Cur mulier dixit, Præcepit nobis Dominus, neque tangeremus illud, quod tamen in præcepto, quod dedit Deus Adamo non eſt expreſſum. Quidam putant, re vera id fuiſſe præceptum, ſed fuiſſe à Moſe ſupra prætermiſſum, ideoque nunc appoſitum, quod ex eo affirmentq; a mulier aſſeruit ſic præceptum fuiſſe, quæ non habuit cauſam mentiendi. Addūt autem fuiſſe ei interdictum eius arboris tactū, maioris cauſa cautionis, quo magis ſcilicet ea ratione ab eſu arboris reuocarentur, nam ſi permitteretur tāgere, propinquum eſſet commedere atque ad tollendum iſtud periculum vetuit Deus tangere; Hunc modū dicendi ſecutus eſt Eugubinus. Cæterū hic dicendi modus nec Toſtato, nec Peretio placet, tum quia ſi datū fuiſſet hoc præceptum, exprimeret illud ſcriptura, & tamen ſupra, nec infra cū illud præceptū Moſes commemorat, nullam tactus mentionem facit, neq; conſentaneum eſt exiſtimare Moſen illud Dei præceptum non integrum, vti fuit, ſed mutilum, ac diminutum commemoraſſe tum: quia in ſtatu innocentiæ opus non fuit homini illa cautione, neque enim immoderate propēſus erat magis ad eſum arboris, quam ad tactum; tum demū, quia ſi Deus hoc viro, ac fœminæ præcipiſſet non ſolū in guſtādo de fructu illius arboris paccaſſent, ſed etiam in tangendo,& æquale fuiſſet peccatum in vtroque, quia vtrumque fuiſſet prohibitum, & neutrum erat de ſe malum, ſed quia prohibitum: atque adeo ſatis fuiſſet Diabolo, ſi de tangendo arbore tentaſſet, quia hoc ad præcepti tranſgreſſionem ſufficeret.

Eſt alius modus dicendi, quem refert D. Ambroſius li. de Adam,& Eua vbi ſcribit quoſdam dixiſſe, quod mulier nihil addidit in præcepto,& quod dixit de tactu arboris, id nō à Deo, ſed ab Adamo fuiſſe ei indictum; poterat enim eſſe hoc modo ſcilicet, quod pręceptum de non commedendo, datum eſſet Adæ per ſe ante formationē mulieris, & illa formata diceretur ei, qđ hoc iuberet vxori ſuæ, ille verò diceret ei quod non commederet de illo ligno neque tangeret illud, in quo non mentiretur Adam, quia non diceret totum ex parte Dei, ſed ipſe iuberet hoc mulieri, tanque maior,& rector, ipſa verò putans, oē quod vir ſibi dixerat præceptum a Deo fuiſſe; dixit, quod Deus præcepit, ne commederent, neque tangerē; quia ita videbat obſeruare Adā virum ſuū, qui neque tangebat, neq; cōmedebat de ligno illo. Sed hic modus dicendi, non eſt veriſimilis. Nam probabile eſt, quod arbitratur Caiet. & quidam Alii, ipſummet Deū tā Euę, quam Admo ſimul præceptū illud dediſſe, quod Eua confirmat hoc loco, dicens, Præcepit nobis Deus &c. Nec Adam nomine Dei iuſſiſſet Euę, ne tangeret arborem cum id à Deo nō eſſet

D. Ambroſius.

Caiet.

Ambr.

Eua de ſuo addidit, ne tā geremus illud.

eſſet iuſſu. Sententia ergo eſt Ambroſii,& fere Theologorum omnium illud,ne tangeremus,Euam de ſuo addidiſſe. quo magis exageraret præcepti grauitatem,iam enim ipſi perſuaſione ſerpentis interius corruptæ præceptũ illud diſplicere ceperat, nolebat enim ſubiacere præcepto, & id quod nobis diſplicet, ſolemus durius referre,quam ipſum ſit.nam ille,cui diſplicet præceptum impoſitum in referendo illud,libenter aggrauat, vt magis diſplicibile videatur; ſicut mulier prohibita à marito,ne domũ exeat; interrogata,cor non domo exeat; reſpõdet; mihi non licet per maritum meum extra cubiculum pedem efferre, Exagerans videlicet diſplicens ſibi præceptũ mariti. Ita Eua exagerando diuinum ꝑceptum,dixit non eſſe ſibi licitum tangere fructum illius arboris,hmõi autẽ exageratio teſtis eſt internæ diſplicentiæ,& quod iam Diabolus in mulieris animum ſcripſerat Primo quidem excitando in ea cupiditatem vaniſſimæ libertatis,tum iniciendo tantum illius præcepti tædium,& odium,vt mulier in falſam illius præcepti exageratione̅ proruperit.

Nico. de lyra vbi ſupra.

Quæritur 7.quare dixit mulier, ne forte moriamur,nam Deus non dixit ſic,immo dixit quacunque hora commederis &c. Aliqui dicunt, quod non dixit dubitando,an ita futurum eſſet, ſed poſuit forte quaſi locutionem tẽperans,ſicut ſapientes interdum in his in quibus nulla dubitatio eſt, ponunt forte,ſed hoc eſt incongrue dictum,& contra Diuum Chryſ. ho. 15. in Gen. & Diuum. Auguſt.expreſſe, qui ſuper Gen.ad lit.arguit mulierem quod dubitauerit de eo, quod Deus affirmatiue protulit,& Magiſ. in 2.d.21.inquit attende ordinem, & progreſſum humanç perditionis. Primo Deus dixerat, quacunque die commederetis ex eo morte moriemini, deindè mulier dixit, ne forte moriamur, nouiſſime ſerpẽs dixit,nequaq; moriemini. Deus affirmauit; mulier quaſi ambigendo illud dixit, Diabolus negauit,quæ igitur dubitauit ab affirmante receſſit,& neganti appropinquauit.

Quæſ.7. Toſt.qu. 480.Chyſoſt. ho. 15.Aug. ſuper Gene. ad literam.

Magiſt. ſent. in 2 d.21.

Dicendum eſt ergo quod illud forte mulier de ſuo adhibuit dubitanter referens; quod Deus aſſeueranter aſſeuerauerat,quia enim pręceptum illud inceperat iam ſibi diſplicere, quando tentabatur. Ideo iam loquebatur de eo ſicut de re diſplicenti,atque ita fecit ſibi duo. Primo addidit aliquod de grauitate Secundo abſtulit certitudinem. Primum fuit,quia dixit, Pręcepit nobis Deus ne commederemus neq; tangeremus illud. Deus autem non vetuerat tactum,apponendo autem illud ſignificabatur res difficilior. Secundum fuit, quia dixit ne forte moriemini, Deus autem dixerat moriemini: ambo autem proderant ad excutiendum præceptum; nam quanto pręceptum grauius eſſet,tantum eſſet magis irrationale, atque adeo facilius poſſet reijci,ablatio quoque certitudinis ad hoc proderat; nam pręceptum cuſtodiretur timore pœnę,erat autẽ pęna mortis,quantum autem tolleretur de certitudine pœnæ,tantum tollebatur de timore peccandi, atque ita ambo ſimul inducebant ad non cuſtodiendũ præceptũ,quod,& mulier fecit. Caiet. autem dicit,quod Eua his verbis oſtẽdit ſe putaſſe illam ſententiam de morte, nõ fuiſſe abſolutę, ſed comminatorie à Deo pronunciatam: ita enim ſcribit in hunc locum,quamquam in his verbis mulieris prima fronte appareat manifeſta diminutio diuini pręcepti: Deus enim aſſeuerauerat moriemini, mulier autem refert ſubdubio dixiſſe Deum, ne forte moriamini ſi tamen per ſpicacius conſideretur ſenſus intentus,apparebit Euam inſeruiſſe propriam interpretationem ſuam, referendo pręceptum Dei ſecũdũ ſenſum,quo ipſa intellexit illud; huiuſmodi autem relatio pullulauit ex diſplicentia præcepti: quod enim nobis diſplicet,elongatur quoque à credulitate noſtra, minus enim credimus, q̃ nobis

Eua de ſuo adhibuit ne forte.

Caiet.

Rupert. li. 3. de operibus Trinit. c. 5.

Eua tribus modis Dei verba peruertit.

Pererius

nobis diſplicent, & hũc factum eſt, vt mulier hæſitauerit, an pœna mortis Deus illi præcepto appoſuiſſet comminandi tamen animo, an certo propoſito eam infligẽdi. Rupertus tradit Euã tribus modis peruertiſſe Dei verba, addendo cum dixit neque tangeremus. Diminuendo, cum dixit, ne forte moriamur, & mutando, cum ait, ex ligno quod eſt in medio Paradiſi. Nã Deus ex ligno ſciẽ boni, & mali; in medio nãque Paradiſi erat etiam Arbor uitæ, nequaquam ipſis vetita, ſed hoc tertiũ non probat Pererius quia nomen ſciẽ boni, & mali poſtea fuit ei arbori attributum ſcilicet ex falſo ſerpentis promiſſo, vt etiam nos docuimus ſupra.

Dixit autem ſerpens ad Mulierem, nequaquam moriemini ſcit enim Deus, quod in quocunque die commederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum.

Vere Saluator dixit Matt. 7. Ne mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent illas pedibus ſuis, & cõuerſſi vos diſrupant, id quod, & mulieri accidit; appoſuit enim porco huic malæ beſtię, Dęmoni videlicet, qui ſerpentem operabatur, diuinas margaritas, & non ſolum illas conculcauit, ſed etiam dictis ſe oppoſuit, & conuerſus non in ipſam ſolam, ſed cum ipſa prothophlaſtum quoque in morbum inobedientiæ, perduxit, tantum malum eſt, abſque delectu eius diuina myſteria detegere Debebat mulier ex ipſo aggreſſu coniecturare malitiam; tum q̃a dicebat, quæ non erant vtilia, tum; q̃a quaſi curã ipſorum gerat, vt ſcire poſſet, quæ illorum à Deo erant præcepta & ſic ad præuaricationem ipſos traheret; cum igitur poſſet ſtatim illius impoſturam videre, & auerſari verba; vti nugacia, & ſe ipſam in tantam humilitatem non reijcere; noluit; oportebat inquã initio colloquium eius non ferre, ſed illi ſoli loqui, per quem, etiã cuius adiutorium facta particeps dignitatis illius. opera autem (neſcio quomodo) allecta familiaritatem ſerpentis tulit, per quẽ, vt inſtrumentum pernicioſa Diaboli verba ſuſcepit, confidensq; quod beneuole erga ſe affectus eſſet, totum mandatum detexit, omniaque diligenter recenſuit, quando oportebat auerſabũdam ab eo, qui diuerſa a Deo dixerat, reſpondere. Apage, impoſtor es tu, neſcis, neque mandati nobis dati potentiam, neque quantis fruimur, neque copiam eorum, quæ nobis ſuppeditantur. Nam tu quidem is Deum dixiſſe, quod nullũ deguſtare debeamus lignum, Dominus autem & conditor ob immodicam ſuam bonitatem nobis permiſit frui, & poteſtatẽ habere omnium, & ab uno tantum abſtinere iuſſit, idque noſtræ curæ gratia vt ne participes illius, morte occũberemus; oportebat ſiquidẽ prudens fuiſſet, his ad illũ dictis, illum omnino aduerſari, nihilque vltra illi loqui, neque audire loquentem; qua propter reuelato p̃cepto, & narratis Dei præceptis, aliud lætiferũ, & pernicioſum conſilium ab illo recepit, nam accepto mulieris reſpõſo, iterum malignus ſalutis noſtræ inimicus contrarium Deo conſiliũ affert; quippe cum miſericors Deus ob magnã noſtri curam ſumere prohibuerit, vt ne per inobedientia mortales fieremus, ille dicit mulieri, nequaquam moriemini, atque mendacẽ facit Deũ, & non contentus, quod dixerat contraria dictis Dei; incuſat etiam eum, vt inuidum opificem, quomodo ſic fraudes ſuæ procedant, & ſupplantata muliere propoſitum ſuum impleat: Duobus enim acerrimis calcaribus ad peccandum ſtimulari, & incitari ſolẽt homines, vt .ſ. ſi credat ei, q̃d agnunt nulla ſit pœna appoſita, & ſi propter illud quoddam magnum bonum ſint conſecuturi, quod & fecit miro artificio Demon; dupliciter enim audacem & alacrem reddit mulierem ad violandum Dei præceptum, tum metu pęnæ ſum mouendo, quod Deus erat interminatus, tum magnum quoddam pollicendo bonũ, & homini præter cætera expetendum, vt inſtar Dei omnium rerum

Duobus maxime incitatur homines ad peccãdum.

Digitized by Google

rum ſcientiſſimi efficeretur.

Pererius libr. 6. in Gen. Serpenti locutio cõtinet quinque falſa abſurda, & incredibilia.

Continet autem ſerpentis oratio q̃nque non modo falſa, ſed impiã etiam, abſurda & incredibilia. Primũ eſt Deũ eſſe mendacem hoc enim ſignare voluit dicens, Nequaquam moriemini, quaſi diceret, Non eſt verum, quod dixit vobis Deus, ſi commederitis, morte morie mini. Alterum eſt Deum inuidiſſe eis ſummum quoddam bonum, & fœlicitatem, q̃d declarat illud. ſcit enim Deus, quod ſi commederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum; quaſi diceret propterea vetuit: quia noluit vos excellentia ſcientiæ, & ſapientiæ ſimiles ipſius fieri Tertium fuit arborẽ illam, vim habuiſſe efficiendi ipſos omnium rerum ſcientes; denique. Quartum & Quintũ fuit poſſe homines ſcientia euadere ſimiles Deo, & quidem propter eſum fructus illius arboris.

Quæſt. 1. Toſt. qu. 481.

Quæritur 1. quomodo Diabolus auſus eſt hoc dicere, cũ ſciret eſſe falſum. Dicendum quod hoc dixit Diabolus, Primo quia ita conueniebat ei dicere: ſi enim ita non dixiſſet, non tentaſſet, neq; mulierem ad conſenſum deducere potuiſſet, formidaſſet enim mulier pœnã ſibi à Deo impoſitam, niſi contrariũ audiret, vt ergo non timeret, Dixit ei Diabolus, quod non moreréntur & hoc credidit fœmina: nã ſi non crediđiſſet non commediſſet. Secundo quia Diabolus intendebat dicere, quod potius commedẽdo habituri eſſent magna bona: ideſt quod eſſent, ſicut Dij, & tamen ſi ex cõmeſtione, malum aliquod euenturum eſſet, non poſſent effici ſicut Dij: neq; eſſet hoc credibile, atq; adeo negauit malum, vt bonum ſuadere poſſet, nam bonum non poteſt conferre, quando malum non poteſt euitare, cum euitatio mali, ſit gradus boni, Cum ergo quæritur quomodo Diabolus auſus eſt hoc dicere, cum eſſet falſum, & eſſet contra Dei affirmationem. Dicendum quod nihil fuit, propter quod Diabolus non auderet illud dicere, quaſi non auderet, aut hoc eſſet, quia erat contra Dei dictum, aut quia erat falſum, aut quia non crederetur ei, ſed nihil horum obſtabat. Non primum quia Diabolus non timet dicere contra ea, quæ Deus dicit, & conari ad peruertendum ea, quæ Deus facit, & apparet hic, nam Deus iuſſerat hominibus, vt non commederent de fructu ligni ſcientiæ boni, & mali, Diabolus autem contrarium volebat, & contrarium ſuadebat, vt fieret contra id, quod Deus volebat, ſi ergo non timebat facere contra id, quod Deus faciebat, & fieri volebat, multo minus timeret dicere contra ea, quæ Deus dicebat, vnde propter hoc, via eius dicitur contraria viæ Dei, quia ea, quæ ipſe ſuadet ſunt Deo contraria, ſicut dixit Angelus ad Balaam, Num. 22. Peruerſa eſt via tua mihique contraria, & hæc eſt via, quam ſuadebat Diabolus ipſi Balaam. Secundo Ideo non timuit Diabolus hoc dicere, quia poſtquam a Deo, qui eſt ipſa veritas ſe auertit incidit in mendacium, & factus eſt mendax, & mendacii pater, & non ſolum mentitur, ſed etiam eſt iam ſibi naturale, & proprium, ſecundum hunc ſtatum mentiri, & quando mentitur facit iuxta proprietatem ſuam, & ſi quando verum loquitur facit (vt ita dicam) contra naturalem conditionem, & proprietatem ſuam pro hoc ſtatu. Vnde primum mendacium inuentum eſt in eo, & propter hoc, ipſe eſt cauſa omnium mendaciorum, quando eſt per ſe mendax. i ex proprietate ei competens.

Demon cur falſa locut⁹ ſit ad mulierem.

Diaboli proprium eſt mentiri.

Hæc omnia tangit Chriſtus Dominus Io: octauo, cum dicit Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere, ille homicida erat abinitio, & in veritate non ſtetit, quia veritas in eo non eſt, cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & mendacii pater.

Tertio dicendum quod Diabolus eſt aſtutus, & cauet ea, per q̃ obuiarur intẽtioni ſuæ, intendit autem nocere nobis.

huic

Diabolꝰ cur nō ſē ꝑ mētiat cum ſit ei propriū mentiri.

huic autem intentioni obuiaretur, ſi ſemper mentiretur, quia interdum eſſent mendacia manifeſta, & hoc videntes non aſſentirēt ei, deceptos ſe ſentientes, atque adeo tunc mentitur Diabolus, quando mendacium eius occultari poteſt, quando autem eſt manifeſtum, non mentitur. Cæterū non quærit Diabolus ſuum mendacium eſſe ſimpliciter occultum, ſed ſatis eſt ei, quod ſit occultum pro tunc, quando dicitur, quouſque ducat hominem in mali conſenſum, ſi autem poſtea falſitas appareat, non curat, quia iam habuit, quod intendebat. Nec etiam quærit Diabolus mēdacium ſuum eſſe ad eo occultum, ita qđ nullus audiens illud, putet eſſe mendacium, ſed ſolum eſſe tam occultum, quod vix cui proponitur non putet eſſe mendacium, ſed poſſit pro vero ſuſcipere, nam quædam quibuſdam ſimplicioribus proponit, quæ illi pro veris accipiunt, quæ ſi tanquā falſa proponerentur, ea ſtatim reſpuerent, ſic accidit in propoſito, nam ſi id, quod propoſuit mulieri, viro fuiſſet propoſitū, nō crediddiſſet ille ſicut mulier credidit. Non timuit ergo Diabolus mulieri ꝓponere falſum, tum quia poterat occultari, & ſi non ſemper ſaltem ad tempus, & ſi non poſſet cuique hoc ſuaderi, poſſet alicui .ſ. mulieri, & quia Diabolus credidit illud tunc eſſe occultum, non dubitauit proponere licet eſſet falſum. tū præcipue, quia Diabolus ſumpſit audaciam ex diſpoſitione mulieris, tantam enim illius cōſpexit, leuitatem, quod non ſolum, hoc mendacium poterat ei ſuadere, ſed & quodcunque alterum, nam non paruam ad hoc præſtiterat ipſa occaſionem, & quaſi ſine tentatore, & tentatione ipſa ſe ipſam decipiebat, nā mutare incepit verba Dei, propter quod Diabolus ſumpta audacia hoc ei mendacium, tamquam credibile propoſuit.

Quæſ. 2. *Toſt. qu.* 483.

Queritur 2. qūo Putauit Diabolus quod mulier crederet ei aſſerenti cōtra id, quod Deus dixerat, & ipſa ſciebat a Deo dictum eſſe? Dicendum quod Diabolus putauit quod mulier potius crederet ei, quam Deo. neque eum propria decepit opinio, quia ita factum eſt, & hanc fiduciam accepit ex leuitate mulieris, & paruitate iudicij: tam parui enim iudicij fuit, quod crederet quod homo efficeretur Deus, aut quaſi Deus, errando circa naturam, *& excellentiam Dei, errare, ergo poſſet*. circa veritatem Dei, & auctoritatem eius ſcilicet cui potius fides adhibenda eſſet Deo, vel ſerpenti; 2. fuit quia mulier ipſa ſe prębebat talem, vt q dquid diceretur contra Deū, vt tangebat prçceptum iſtud crederet: nam inceperat ei diſplicere preceptum ex quo Diabolus adeam incipiebat loqui, & ipſa de precepto aliquid, tamquam dediſplicenti, mutauit, nam addidit grauitatē cum dixit. Præcepit, quod neque tangeremus illud, abſtulit etiam certitudinem cum addidit illā particulam forte, ponendo dubitationem, vbi Deus aſſertiue locutus fuerat, atque adeo mulier, quæ ſine tentatore dę mandati diuini veritate dubitauit potuit aſſerente tentatore credere falſum eſſe, quod Deus dixerat, atque ita Diabolus conſtanter propoſuit mulieri nō futurum eſſe, quod Deus futurum dixerat, cum ait nequaquam moueminι.

Diabolus credidit, q mulier potiꝰ ſibi aſſentiret, quā Deo.

Quæſ. 3. *Toſt. qu.* 486.

Quæritur 3. quomodo mulier credidit Diabolo tam aperta mendacia, nempe Deum eſſe mendacem, atque inuidum, quæ lumine naturæ eſſe falſa poſſunt cognoſci. De primo patet: quia Deus veritas eſt, ſed veritas mentiri nō poteſt, quia eſt contra naturam, tunc. n. arbor bona faceret malos fructus, & de Theſauro bono prodirent mala, quod eſt contra Chriſti ſententiam Matth. 7. & 12. tum quia Deus ſe ipſum nagere non poteſt ſecundæ Thim. 2. & tamen ſi Deus mentiretur, negaret ſe ipſum, quia cum ipſe veritas ſit ageret contra naturam ſuam; quod eſt negare ſe, atque adeo non poteſt Deus mentiri, ideſt diceret falſum ex intentione, neque poteſt dicere falſum, quaſi neſciendo veritatem, quia Deus om-

Lumine naturæ cognoſci poteſt, Deū non eſſe mendacē neque inuidum.

nitas

Digitized by Google

nia nouit, & non poteſt decipi circa aliquod. De ſecundo etiam patet, quia bonitas opponitur inuidiæ. ideo vbi eſt ſumma bonitas, non poteſt eſſe aliquod inuidiæ, ſic enim dicit Boet. lib. 3. de conſol. Metro. 9. ò qui perpetuam &c.

Boetius.

Cum ait, verum inſita ſummi.
forma boni liuore carens

Plato.

& Plato in Thimeo dixit omnem inuidiam à Deo relegatam, quod clarius oſtendit Ariſt. 1. Metaph. c. 2. vbi loquẽs de ſapientia, quæ eſt Dei poſſeſſio; Impugnat Simonidem poetam dicẽtẽ, ꝙ Deus inuidit homini hunc honorem; vbi inter alia dicit Ariſt. quod ſequeretur, Deos eſſe miſeros, & ſuperfluos: quia omnis inuidia habet triſtitiam de alieno bono; atq; adeo omnis Inuidus eſt triſtis. triſtitia autem eſt malum, & ex conſequenti in Deo eſſe nequit, qui eſt ſumme bonus.

Ariſt.

Dicunt aliqui quod potuit mulier hoc credere, quia potuit intelligere, quod in his nihil fieret contra Deum: potuit enim exiſtimare, hęc non fuiſſe à Deo dicta ſecũdum certam Dei ſciẽtiam, ſed ſecundum comminationem: quia hoc pacto dicit Deus aliqua ſe facturum, & non facit illa, vt patet Hier. c. 18. potuit, etiam credere Deum noluiſſe hominem habere maiorem perfectionem, quam eis habere conueniebar.

Sed hoc ſtare non poteſt, non. n. poterat accipi, nisi quod Deus mentiretur, aut ſaltem falſum diceret, nam q̃n verba Dei dicuntur per comminationem, ſemper ſequitur malũ à Deo cõminatum, niſi illis, quibus Deus comminatur auerterint ſe à via ſua mala, pro qua Deus illis mala comminabať vt patet Hierem. ca. 18. ſed ſic non fuit Eua auerſa à malo, immo poſt iſta verba peccauit, ergo ſecundum certitudinem debebat ſequi pœna; & non poterat accipi ſecũdum comminationem; & quod dicitur in excuſatione mulieris circa aliud de inuidia Dei, minorẽ habet euidentiam. Dicendum ergo qđ Euæ peccatum nullã habet excuſationem: credidit enim mulier dictis Diaboli, & diſcredidit Deo, & credendo Diabolo credidit multa mala de Deo. Primum erať, quod Deus mentiretur ſcilicet ex intentione falſum diceret, ꝙ eſt contra naturam Dei, cum ipſe ſit veritas. Secundum quia credidit Deum inuidere homini, quod eſt impoſsibile; quia omnis inuidus eſt miſer, omnis Deus eſt fœlix; & cum vnus ſit Deus, eſt fœliciſſimus, atque adeo miſer eſſe non poteſt; nec per cõſequens inuidus quia hoc eſt cõtra ſummam bonitatẽ. Tertiũ, quia credidit, quod aliquis cibus erat, quo guſtato efficerentur homines ſapientes, quod valde erroneum eſt; nam ſapere, eſt ſecundum intellectum; & per ſpeciem & habitum intellectualem, impoſſibile eſt autem qđ cibus det ſpeciem intelligibilem, atq; habitum intellectualem, quia cibus eſt aliquod materiale, & non immutat niſi materialiter, & ad intellectum nõ puenit. Quartũ fuit, quia putauit, quod homo poſset adæquari Deo, ſicut Diabolus dixerat ei; Eritis ſicut Dii &c. ex quo deſiderio tam excellẽtis boni mota eſt mulier ad commedendum de ligno. Quinto. n. erat quia credidit rẽ incredibilem, & contra totam rationem prudentiæ. ſ. quod Deus mandaſset homini non commedere de ligno illo, ne efficeretur ei æqualis: nam ſi daremus, quod aliquod tale lignum eſſet, p cuius commeſtionem poſset homo affici Deo æqualis cum præſupponitur, quod Deus ſciret lignum illud eſſe, deſtrueret illud, vt non accideret, hominem ſibi fieri æqualem, & non oporteret, quod iuberet hominibus, non commedere de fructu eius, quod ſi non deſtrueret, aut erat, quia non poterat, aut quia non volebat, ſi quia non poterat, nihil Deo miſerius, & impotentius cũ non poſſet lignum deſtruere, quod homo poterat excidere, atque exurere, ſi autem quia non volebat, nihil Deo inſipientius, qui id vitare nolebat, quod ſibi valde diſplicens erat, ergo nõ erat credibile tale aliquod lignum eſſe. Quæſt. 4. Teſt. qu. 490.

Eua peccatũ nullã habet excuſationem.

Eua credẽdo Diabolo multa mala credidit de Deo.

Quæ-

Diabolus cur dixit Eua ſcit eũt Deus. Quæritur 4. quare dixit Diabolus ſcit autem Deus &c. & non petitur de alio? Dicendum quod fuit conueniens exprimi primo propter præcedentiam: quia Deus dixerat,quocũque die com mederis,&c.Diabolus dixerat, nequaquã moriemini,ſi autem nihil diceret, maneret dubium mulieri,cum eſſet cõ traria aſſertio ſerpentis aſſertioni Dei; vt ergo fieret credibilior, & aſſentiret mulier;voluit aliquod addere Diabolus & iſtud fuit.Scit enim Deus cum ſequẽ ribus.Secundo fuit ad tollendum argu mentum in cõtrarium,quia cum Deus dixiſſet, quod moreretur, & ſerpens quod non;miraretur mulier, quõ ſerpens poterat ſcire id, quod Deus non ſciebat, atque adeo inquit:ſcit enim Deus.q.d. quando Deus dixit, quod moriemini ſi commederitis, non dixit quaſi neſciret,an mors inde ventura eſſet,ſciebat quidem quod non eueniret; ſed dixit propter aliam cauſam. Tertio & principaliter ponitur iſtud, ad reddẽdam cauſam eius ligni,mulier enim credebat, quod lignum à ſe ipſo erat mortiferum,& ob hoc, illud Deus vetuiſſet hominibus, tamque ſaluti eorũ conſulens.Diabolus vero dixerat,quod non morerentur, & hoc mulier credebat,ſed adhuc dubitare poſſet mulier; cur vetaret lignum illud ſi nõ erat mortiferum.Diabolus,enim reddit cauſam dicens.ſcit enim Deus.i.ipſe ſcit, quod ſi de hoc ligno commederetis, efficeremini æquales ei,atque ita vt non accideret iſtud,vetuit vobis lignum.

Quæſ.5. Toſt. q. 491. Quæritur Quinto. Quare dixit ſerpens in quocunque die commederitis ex eo? Dicendum Primo,quod fuit ad obuirandum Deo dixerat, enim Deus ſupra.cap.2.In quacunque die commederitis ex eo,morte moriemini.Diabolus autem negans mortem dixit è contrario, nequaque moriemini; Sed in quacũque die commederitis ex eo,&c. & in hoc Diabolus accendebat mulierẽ ad commedendum de ligno; quia quã tum Deus de malo dixerat in commeſtione venturum, tantum bonum diabolus aſſeruit. Secundo fuit ad magis mouendum mulierem ad commedendum.ſi enim diceret Diabolus ſi commederitis ex eo,aperientur oculi ueſtri, putaret forte mulier, quod poſt multũ tempus eueniret iſtud, atque ita non multum incitaretur ad illud,ſi aut diceret ſtatim fiet,magis moueretur, quia præſens bonum magis monet, quam abſens.Ideo dixit in quocunque die cõ mederitis.i.ſtatim ſequitur iſtud.

Quæſt.6. Toſt.qu. 492. Quæritur 6.quomodo intelligitur id quod dixit ſerpens aperientur oculi veſtri. Aliqui dicunt,qđ intelligitur vere de apertione oculorum corporalium, & aſſerunt, quod ante hoc Adã,& eua non habebãt oculos apertos, atque ita non videbant. Confirmant autem hoc Primo quia vt dicitur ſupra.cap.2.erãt Adam,& eua nudi,& nõ erubeſcebat: quia non videtur eſſe ex aliquo alio,niſi quia non videbant ſuam nuditatem. Secundo quia in hoc.c. Infra dicitur, quod cum commediſſent, aperti ſunt oculi amborum,& viderunt ſe eſſe nudos; atque ita non erant prius eorum oculi aperti:

Adam et Eua ſecũdum aliquos ante tentationem erãt caci.

Adam,et Eua habebant ante tentationem oculos apertos, ſicut & poſtea. Sed hæc opinio falſa eſt:habebant, enim Adam, & Eua oculos corporales apertos,ſicut poſtea habuerunt, ſed intelligũtur verba ſerpentis de oculis ſpiritualibus.i. de intellectu,& eſt ſenſus, quod homo erat tunc parum intelligens,& efficeretur multum intelligẽs; hoc autem Signauit propter aperitionem oculorum. Cuius ratio eſt, quia per oculum. Signamus intellectum & per apertionem oculorum ipſam intellectionem,vel perfectionem, ſeu diſpoſitionem ad intelligere. De Primo patet;quia ſcientia dicit Ariſto. lib. 1. Ethic.Intellectus eſt quidam oculus. De Secundo patet quia ſicut aperitio in oculo eſt diſpoſitio, præſuppoſita ad uidẽdum, ita eſt in actu Intellectus,adeo quod per aperitionem oculorum Significatur ipſa immediata diſpoſitio ad intelligere. Illis itaque verbis Significare voluit Demon, propter eſum illius arboris tantum fore diſcri- *Ariſt.*

men-

mens inter ſtatum in quo tunc erant, & cum ſtatu, ad quem prouehendi erant, ſi fructum illum commederẽt, quantum eſt diſcrimen inter eum, qui apertis oculis videt omnia, & eũ, qui clauſis oculis nihil videt, quantũ que eſt inter Deum, & homines.

Queſ.7. Quæritur ſeptimo, cum Diabolus vellet ſignificare, actum intellectus, atque intellectum ipſum, ſitque intellectus vnus, quare dixit plures oculos; videtur enim quod debuiſſet poni oculus in ſingulari? Dicendum quod Diabolus voluit vti trãſumptione, ſicut quotidie facimus; transferentes autem ſecundum aliquam ſimilitudinem transferunt, atque ita ſicut intellectus eſt per quem proprie ſcimus, ita in ſenſibus non eſt aliquis, per quem magis ſciamus quam ſenſus viſus, vt inquit Ariſt. libro primo Meth. capitul. primo, & ſicut intellectus eſt omnium cognoſcibilium, vt dicitur lib. 3. de anima, ita ſenſus licet non ſit omnium ſenſibilium, ſed determinati generis, tamẽ inter oẽs ſenſus nullus magis accedit ad vtilitatem cognitionis, quam viſus: nam maxime facit ſcire, nam plures rerum differentias nobis oſtendit. Tum etiam quia iſte ſenſus magis ſubordinatur intellectui, quam alii ſenſus, atque adeo viſus, & auditus ſunt ſenſus diſciplinabiles. i. ad ſcientiam facientes, Cęterum viſus facit ad primam ſcientiæ generationem, auditus non ad ſecundam, nam ſcientia primo inuenitur per ea q̃ ex niſu accipiuntur, vt docet Ariſt. lib. 1. Meth. cap. 1. quia ex ſenſationibus fiunt memoriæ, ex memoriis experimenta, ex experimentis ars, vel ſcientia; auditus autem non facit niſi ad ſecundam. i. quando in aliquo eſt ſciẽtia, ille poteſt alteri tradere per auditum, atque adeo ſecundum hoc conuenientius transſumitur oculus ad ſignificandum intellectum quam, aliquis alius ſenſus, & licet duo ſint oculi, & vnus ſit intellectus, eſt tamen duorum oculorum vnica viſio, ſicut vnius intellectus vnica intellectio: nã virtus viſiua eſt vna, & non plures, & fit vnio in neruo concauo, alias plus videremus duobus oculis, quam vno, vel omne viſum videretur eſſe duo. Præterea ſiue vnus eſſet intellectus, ſiue plures in eam homine, mulier neſciebat; quæ non habebat ſufficientem cognitionem de ſpiritualibus, & intelligibilibus. De oculis autem erat certum, quod erant duo. Ideo cum ex notis manuduceretur ad cognoſcendum ignota; Debuit diri de duobus oculis, & non de vno tãtum; nam ſi de vno tantum diceretur, fœmina dubitaret, quare de alio tacebatur; & ita efficeretur magis incerta de eo, q̃d ei Diabolus notificare volebat.

Diabolus vſus eſt tranſumptione dicens apperientur oculi veſtri. Ariſt.

Viſus & auditus ſunt ſenſus diſciplinæ. Ariſt.

Quæritur octauo, quid intellexit Diabolus, cum ait, eritis ſicut Dii ſciẽtes bonum, & malum. Dicendum quod hoc innuebat quendam ſtatum excellẽtem; qualis eſt ſtatus Diuinus: non enim voluit ſignificare, quod efficerentur Deus vel dij, ſed quod acciperent quandam ſimilitudinem vel æqualitatem eius, quia dixit, ſicut Dii &c. ſed dubium eſt, in quo voluit date eis iſtam ſimilitudinẽ, vel ęqualitatem ad Deum. Quæſt.8.

Diabolus quid intellexit cum dixit Eritis ſicut Dij.

Aliqui dicunt, quod in omnibus, quaſi in nullo excederet eos Deus, ſed hoc non videtur probabile non enim hoc opinabile videtur, quod ſcilicet homo efficeretur talis, quod in nullo excederetur a Deo, atque adeo neque mulieri illud ſuggeſſerat Diabol⁹: ſed voluit eis date ſimilitudinẽ, vel æqualitatem Dei in ſcĩa ſolum; & hoc innuitur cũ dixit. Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum, nam per hoc limitauit illud, ſcilicet in hoc eritis ſicut Dii, quod ſcietis bonũ, & malum, quod etiã apparet ex improperio, vel illuſione, ſeu irriſione, q̃ fecit Deus de Adam, cũ dixit, vt patebit infra, Ecce Adam factus ẽ quaſi vnus ex nobis ſciens bonum, & malum, Annuero in

Diabolus in quo volebat homines eſſe Deo ſimiles.

Digitized by Google

aliquibus aliis intelligeretur iſta ſimilitudo non eſt facile definire.

Quæritur nono quare dixit eritis ſicut Dii pluraliter; Aliqui dicunt, quod Diabolus intendebat deducere hominem ad credendum eſſe plures Deos, nã volebat inducere hominem in peccatum, atque adeo in quantum grauius peccatũ induxit quã potuit, aut inducere conatus eſt, eſt autem grauiſſimum peccatorum infidelitas, & potiſſime quando honor ſoli Deo debitus alteri communicatur. ſcilicet quod multi ſint Dii; quia ita minuitur honor eius; ideo ad hoc voluit inducere Diabolus hominem, vt multos Deos crederet.

Queſ. 9. Diabolus ſecũdum aliquos itendebat deducere homines ad credẽdum eſſe plures Deos.

Cæterum non videtur hanc fuiſſe Diaboli intentionem; tum quia ſciebat difficile eſſe perſuaderi, cũcta vir, quam mulier tantum de vno Deo loquerẽtur, nam mulier dixit de ligno, quod eſt in medio Paradiſi præcepit nobis Deus, vt non commederemus; tum quia ipſe Diabolus vnitatẽ Dei præſuppoſuerat in principio ſermonis, cum dixit Cur præcepit vobis Deus & poſtea locutus eſt de deo in ſingulari dicens. ſcit enim Deus, quod in quocunque die &c. ſi aũt intenderet deorum pluralitatem ſuadere, nõ ita freqũẽter fuiſſet locutus de eius vnitate. Tum Demum quia ſi Diabolus pluralitatem deorum homini ſuadere intenderet, alio modo hominem tentaſſet, nam cum grauius peccatum eſſet iſtud, quam cõmedere de ligno vetito, ad iſtud tenderet finis tentationis, & tamen non ponitur, ſeu non introducitur, vt finis tentationis; ſed potius vt medium ad incitandum, vt cõmederet de ligno vetito.

Quæritur decimo, quod ergo p hoc intellexit Demon? Aliqui dicũt quod nomine Deorum intelliguntur Angeli, tum quia non arguitur homo de vitio infidelitatis, ſcilicet quod crederet eſſe plures Deos ergo ſignũ eſt, quod de Angelis eſſe ſermonem intellexit, tum ſecundo quia alleuiatur peccatũ mulieris, nam appetere æqualitatem Angelorum, non eſt adeo graue peccatum, ſicut appetere æqualitatem Dei. Tum tertio quia videtur hoc concordare litteræ ſequenti, cum Deus dixit: Ecce Adã factus eſt quaſi vnus ex nobis, atque ita ſunt multi illi, inter quos fiebat ſermo, non tamen ſunt dii multi, ſed multi Angeli.

Quæſ. 10 Diabolus nomine deorũ intellexit angelos.

Item hæc poſitio ſtare non poteſt, neceſſe eſt enim dicere, quod Demon de Deo loquebatur, tum quia aliter, nõ cõueniret intentioni Diaboli, quia ille voluit quod Deus dixerat, quod non commederent de ligno illo ex inuidia, cum dixit, ſcit enim Deus &c. & tamen ſi commedendo efficerẽtur homines ſimiles Angelis, & non ſimiles Deo, non inuideret Deus hominibus, atque adeo non vetaretur lignum illud, ergo intellexit, quod efficerentur ſimiles Deo: Tũ ſecundo quia D. Auguſt. lib. 11. ſuper Gen. & Mag. lib. 2. diſt. 21. & ferè omnes dicunt, quod appetiuit mulier diuinam excellentiã & tamen ſi hic nomine Deorum intelligerentur Angeli, nõ appetiuiſſet homo diuinam excellentiam, cum Diabolus ei de illa haud loqueretur iuxta hanc ſententiam, ergo non intelliguntur Angeli; ſed Deus. Tũ tertio quia, quando Deus inſultauit Adæ dixit, Ecce Adã factus eſt ſicut vnus ex nobis, & tamen Deus nõ loquebatur de Angelis, quia non eſt eadem ſimilitudo Dei; & Angelorum: Loquebatur ergo Deus de ſe ipſo prulariter propter perſonarum pluralitatem, & ad eundem modum locutus eſt Demon, eritis ſicut Dii. i. quilibet veſtrum erit ſicut Deus, & quia duo eſtis, eritis ſicut duo Dii.

Demõ dicens eritis ſicut Dij nomine deorũ intellexit Deum.

D. Aug. Magiſt. ſent.

Nam pro eo, quod dicitur eritis ſicut Dii, hebraice, eſt Elohym pluraliter quidem ſignificans Deos licet nõ raro ſingulariter pro Deo poſitum inueniatur, & licet ea vace ſignificẽtur tam Angeli, quam inter homines, qui

Pererius libr. 6. in Gen.

ſunt

Digitized by Google

ſunt principes, Magnates; & iudices, atque adeo putent quidā, vt diximus, hic ſumi pro Angelis. Verum hic Hiſtoriæ non videtur ea ſignificatio conſentanea, vt diximus. ponitur ergo hoc loco vox Elohim ad ſignificandum Deum. Nec tamen Demon promiſit homini æqualitatem Dei. Id enim nimis erat abſurdum, atque incredibile; ſed eximiam, & ſingularem quādam diuinitatis ſimilitudinem, ſcilicet excellentem rerum omnium ſcientiam, & ſapientiam.

Nic. de Lyr. in c. 3. Gen. & Toſt. ibidem.

Quæſt. 11 Quæritur vndecimo; quid intellexit Diabolus, cum dixit eritis ſcientes bonum, & malum. Aliqui dicunt, quod verum fuit hoc, quia cum guſtauerunt de ligno, ſtatim ſciuerunt malum, quod prius nō ſciebant, quia nullum malum experti fuerant, manentes in innocentia, atque ita ſimul cognouerunt, vtrumque poſt ligni eſum. Cæterum hæc opinio ſtare non poteſt, non enim voluit Diabolus hoc ſignificare, neq; mulier ita intellexit; tum quia propoſuit hoc tamq; quoddam excellens, ſub ſpe cuius, moueretur mulier ad guſtandum de ligno, ſed ita malum ſcire non eſt bonum, ſed pœna. Tum ſecūdo, & præcipue, quia dicitur eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum; & tamen Deus, & Angeli boni, non ſciunt bonum, & malum, ita quod malum nouerint per experientiam, quoniam ſic non ſcit malum, niſi qui malum patitur, aut malum habet, quod non competit Deo, & Angelis; Tū tertio quia dicitur ſcientes bonum, & malum, atq; ita non ſolum ſcient malum, ſed etiā principaliter bonum, & tamen per cōmeſtionem ligni non cognouerunt bonum, ſed ſolum malum, immo ceſſauerunt à cognitione quorundam bonorum, quia quaſdam cognitiones habebant homines in ſtatu innocentiæ, quas poſt peccatum non habuerunt, tū demum; quia neque verum eſt, quantum ad malum, quia etiam ante peccatum ſciebat homo bonum, & malum, de bono notum eſt, de malo patet; quia ſciebat mortem, & mori, alias non intellexiſſet Adam, quando dixit Deus, quocumque die commederis, morieris, & quando poſtea dixit mulier, ne forte moriamur; etiam cognoſcebat rationem mali in genere (vt ita loquar) cum Diabolus dixerit, Eritis ſcientes bonum, & malum. Intellexit enim Eua, quid per hoc ſignabatur; alioquin non moueretur ad hoc concupiſcendum, ergo bonum, & malum prius ſciebant, experiri autem malum, non eſt proprie ſcire, quia ſcire magis nominat notitiam intellectualem, quam ſenſitiuam. experiri autem in ſenſu eſt.

Vere ſecū dum aliquos Adā & Euam poſt ligni Eſum fuerunt ſciētes bonū, & malum.

Dicendum eſt ergo, quod per hoc, quod dicitur ſcientes bonum, & malum, quædam excellens conditio omnium ſimpliciter, vel omnium, quæ homo cognoſcere cuperet, vel quæ cognoſcere ad eum pertineret, indicare voluit Demon; adeo quod nomine boni, & mali ſignificare intendebat omnes differentias ſcibilium, quia bonū, & malum includunt omne ens; ac ſi diceret, ſi commederitis de iſto ligno, ſcietis bonum, & malum. i. cognoſcetis quæcunque ſunt bona, & mala, vera, & falſa, neceſſaria, & contingentia, aque ita de omnibus differentiis entium, vel ſcietis per vosmetipſos quid expediat vobis agendum, vel fugiendum, & non ex aliqua inſtructione.

Demon quid intellexit dicēs eritis ſcientes bonum, & malū. Nic. de Ly. vbi ſupra.

De conſenſu, quem præbuit Mulier Diabolo tentanti.

Vidit igitur Mulier; quod bonum eſſet lignum ad veſcendum & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & commedit, deditque viro ſuo.

VEre corrumpunt bonos mores colloquia mala, quare enim ante Diabolicum conſilium eius pulchritudinem vidit? Sed timebat mandatum.

Chryſoſt. ho. 15. in Gen.

Digitized by Google

rum Dei, & ſubſecuturum ſupplicium. Hunc autem poſtquam à mala hac beſtia decepta eſt; ita vt crederet, quod per hoc non ſolum non offendantur, ſed & Deo æquales ſint futuri, tunc illa ſpes promiſſionis ad ſumendum cibum impulit, neque intra ſuos limitos contenta, ſed inimico, & hoſti ſalutis noſtræ, maiorem fidem habens verbis Dei, didicit experientia ipſa non multo poſt conſilii perniciē, & quanta calamitas ipſos depræhenſura eſſet. Nam vt vidit, inquit, quod lignum eſſet bonum aduesce̅dum, & quod oculis gratum aduidendum, & formoſum ad contemplandum; cogitauit ſecum forte ex Diaboli deceptione, quam per ſerpentem ille aſſerebat. ſi & ad veſce̅dum bonum eſt lignum, in quo tanta formoſitas, & quod tātum oblectare poteſt oculos, etiā prębebit nobis eius ſumptio ſummum honorem, & habebimus eamdem, quam conditor dignitatem, quare non ſumeremus de eo? ecce quomodo Diabolus illam captiuam duxit, & allexit rationem fecitque, vt que ſupra ſuam dignitatem erant ſapere auderet, qua inflata ſpe vana, & ab iis quoque quæ ipſi conceſſa erant excideret: Nam accepit de fructu illius, & Comedit.

Eua differenter vidit lignū vetitū ante, & poſt ſerpentis tentationem. Et notandum eſt, quod antea viderāt mulier arborem illam; ſed ſimplici, & innocenti aſpectu. Vidit tunc, ſed ardens iam cupiditate illius fructus edendi; ante vidit legni pulcritudinem, ſed non alliciebatur ad commedendum de eo: quia appetitus non erat de ordinatus. nunc autem quia ratio de ordinata fuerat ſuperbiendo, & dubitando, incępit appetitus de ordinari male appetendo, & ſecundum exiſtimationem mali iudicando ſicut patet in illo, qui non eſt inflammatus appetitu venereo licet videat pulchras mulieres, & pulchras eſſe iudicet, non iudicat tamen eſſe concupiſcibiles ad actum venereum, qui autē deordinatus eſt, habens appetitum inflammatum, iudicat pulchras & conuenientes ad libidinem.

Tria denotantur Euæ uitia in illis uerbis. Vidit igitur mulier &c. Vnde tria in his verbis denotātur vitia mulieris ſcilicet curioſitas, voluptas, & vanitas; vidit enim id eſt curioſius conſiderauit pulchritudinem arboris, ecce curioſitas, Vidit quod eſſet ſuauis aduescendum, ecce voluptas, Denique vidit quod eſſet aſpectu delectabilis, vel vt ſonant hębrea, & Gręca ad intelligendum, ſeu co̅traplandū deſiderabilis, i. quod ad intelligendū, & contemplandum conducere poſſet plurimum, ecce vanitas, hoc triplici funiculo hominem vinctum, aſtrictū que ad omnia Demon flagitia pertrahit; Hæ ſunt illæ malorum omnium illecebræ, quibus ad ſe mundus homines allicit, de quibus Ioannes ait, Omne, quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt &c.

Rup. Abba. libr. 3. de apoſtolus. Gene. c. 9. Sed horum quod diximus audiamus Ruperti elegantem explanationem, qui lib. 3. de Trin. c. 9. ita ſcribit. Non temere inquit dictum eſt, vidit mulier, quaſi non eam arborem antea vidiſſet, & re vera non dum eo modo viderat, quia cum hac pręſumptione, qua nunc intuita eſt, nec dum conſiderauerat. Notandum quippe, quod nō dixerat ſcriptura. Vidit igitur mulier lignum, tulit de fructu eius et commedit, ſed vidit mulier (inquit) quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu eius, & commedit. Vidit igitur. i. conſiderauit diligenter, intuita eſt, curioſius attendit, & iudex eorum, quæ audierat ipſa eſſe voluit; audierat quod dixiſſet Deus in quocunque Die commederitis ex eo, morte moriemini, audierat ſerpentem è contrario dicentem, nequaquam moriemini. Inter hæc anceps, ligni naturam propriis ſenſibus diuicare voluit; vt ſciret cui potiſſimum, Deo videlicet, vel ſerpenti palmam concederet veritatis, at illi, qui de hoc iudicare debuerant interiores oculi, exteriorum cauſa

erat

erant oculorum concupiſcentia prę pediti vt non viderét, neque ſolam mortem corporis, vel quod duplicem illaturam eſſet mortem non natura ligni, ſed tranſgreſſio mãdati, ita quod ſolis exterioribus oculis naturam ligni conſiderauit, & depræhendit male cauta, quod in fructu ligni non eſſet venenũ mortis. erat enim bonum ad veſcendũ, & pulchrum oculis aſpectu delectabile.

Hæc omnia ſermoni, quem dixerat Deus repugnantia iudicauit eſſe, magiſque ſermoni ſerpenti concordare, veraque aſſertionem eius demonſtrare, ſic vidit, & ſi ſacrilega temeritate magis Diabolo, quã Deo, ſerpenti magis, quam creatori credidit, & tulit de fructu ligni, & commedit nec ſatis illi hoc fuit, quod commedit, ſed inſuper, & viro ſuo dedit. Hæc Rupertus

Chriſt. hom. 15. in Gen. Libet etiam contra mulieré verba Chriſoſt. afferre, qui hom. 15. in Geneſi. ita ipſam alloquitur. Quid feciſti ò mulier? quare pernicioſo conſilio accepto legem a Deo datã conculaſti, & contempſiſti, & in tãtam veniſti intemperantiam, vt nõ contenta tot, tantorumque fruitione, etiam vnicum hoc lignũ, quod ne commederes, pręceperat Dominus, auſa ſis contrectare, & fide habita his, quæ a ſerpente dicta ſunt, ſi delius putaſti illius cõſilium; quam mandatum à conditore datum & in tantum decepta es, vt ne venia quidem Dei digna ſis, neque enim eiuſdem naturæ erat, qui hoc conſulebat; ex ſubditis erat, & ſeruis, & ſub tua poteſtate erat. quare ſic te ipſam confudiſti? quare illo relicto, propter quem formata es, ad cuius auxilium producta es, cuius dignitatem particeps, & cum quo eiuſdẽ es ſubſtãtiæ, & vocis, in familiaritatem ſerpentis venire decreuiſti, vt à Diabolo, per hanc beſtiam acciperes conſilium, quod manifeſte contrarium erat his, quæ à Deo erant iniuncta, neque ſic aduerſata es illum, ſed ſpe promiſſionis de cibo illo ſumere auſa es? Eſto igitur, te ipſam in tantum præcipitium depulens, & honore maximo priuaueris, quare & virum tantæ ruinæ ſocium facis? & cuius, te adiutricem eſſe oportebat, illius facta es inſidiatrix, & illum quoque tecum à gratia Dei abalienas. Quæ te prodigioſa inſania in tantam audaciam induxit? non ſatis erat tibi beatam hanc vitam agere, & corpore quidem veſtiri, neque corporalis alicuius indigã eſſe, omnibus in paradiſo frui, excepto vnico hoc ligno, viſibilia omnia ſub tua eſſe poteſtate, & te eſſe omnium Dominam? ſed vanis decepta promiſſionibus, ſperabas etiam in ſummum peruenire honoris faſtigium. Id circo diſcas re ipſa, quod non ſolum illam non aſſequeris ſed etiam omnibus iam à Deo tibi datis priuabis, & te ipſam, & virum. Hactenus Chriſoſt.

Poſtremo conſiderandũ eſt, mulierẽ prius audiuiſſe ſerpentem, tũ vidiſſe arborẽ, poſtea decerſpiſiſſe fructum. Deinde commediſſe, poſtremo induxit virum ad cõmedendum, eodem plane modo, eodẽ mq; ordine vſu venit, vt in peccando procedamus. Prima enim eſt ſuggeſtio Diaboli, tum eius conſideratio, po- *Ordine, quo Eua ad peccãdis proceſſit etiã homo ad peccandũ procedit.*

hh 3 ſtea

ſt ea delectatio, prętera deliberatus conſenſus ad hæc praui operis affectio. Poſtremo eiuſdem criminis, cũ aliis communicatio, & tanquã eiuſdem morbi, ac peſtis cõtagio. Egregie hunc locum per tractat D. Bernardus in lib. de gradibus humilitatis, vbi in hunc modum mulierem alloquitur. Tu quoque Eua in Paradiſo poſita es, vt cum viro tuo opereris, & cuſtodias illum ſi iniunctum perfeceris, quandoque tranſitura ad melius, vbi nec opus ſit, te in aliquo opere occupari, nec de Cuſtodia ſollicitari, omne lignum Paradiſi tibi conceditur ad veſcendũ, præter illud, quod dicitur ſcientiæ boni, & mali: ſi. n. cætera bona ſunt & ſapiunt bonũ, quid eſt opus edere de ligno. qđ ſapit, etiam malum? non plus ſapere, quam oportet ſapere; ſapere enim malum, ſapere non eſt ſed deſipere. Serua ergo commiſſum, expecta promiſſum, caue prohibitum, neperdas conceſſum? quid tuam mortem tam intẽte intueris? Quid illo tam crebro vagãtia lumina ratis? Quid ſpectare libet; quod manducare non licet? oculos in quis tendo, non manum. Non eſt interdictum, ne videam; ſed ne cõmedam. An non licet oculos, quoquo velo leuare, quos Deus in mea poſuit poteſtate. Ad quod Apoſtolus omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt & ſi culpa non eſt, culpæ tamen occaſio eſt, & indicium commiſſæ: & cauſa eſt committendæ, te enim intenta ad aliud, latenter interim in Cor tuum ſerpens illabitur, blande alloquitur, blanditiis rationẽ mẽdaciis timorem cõpeſſit, Nequaquam inquiens morieris. Auget curã dũ incitat gulam, Acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem, offert tandem prohibitum, & auffert conceſſum, Porrigit Pomum, & ſurripit Paradiſum. Haurit virtus peritura, & perituros paritura, Perit ſalus, & nõ deſtitit partus, Naſcimur, morimur, iõq; naſcimur morituri quã prius morimur naſcituri, ꝓpterea graue iugũ ſuper oẽs filios tuos, vſque in hodiernum diẽ. Hactenus ſunt verba Bernardi.

D. Bern. li. de Gradibus humilitatis.

Quæritur primo, quomodo dicitur, quod vidit mulier quod bonũ eſſet lignum ad veſcendũ, quia hoc non poterat illa videre, neq; cogno ſci poterat, niſi per experientiã, ſed ipſa non experta fuerat: quia nondũ commederat de ligno; illo ergo non poterat hoc videre. Dicendum, qđ accipiendo hoc ſtricte, non poterat mulier videre, quod lignũ erat bonum ad ueſcendum; quia iſtud ſine experientia plene haud cognoſcere ſed iſta cognitio per ſigna. ſ. pulchritudo exterior arboris, & fructuum eius, erant, que atteſtabantur bonã complexionem eorum; atque adeo non eſſe mortiferos; & quia pulchritudinem illam vidit Eua, dicitur qđ vidit eſſe bonũ lignũ ad veſcendũ.

Quæſt. 1. Toſt. qu. 219. Eua quõ ſciebat lignum eſſe bonum ad veſcendũ.

Quæritur ſecũdo quare additur qđ vidit lignum eſſe pulchrum viſu atque aſpectu delectabile Dicendũ quod pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, non ponuntur hic vt cã neque expoſitiua eius, quod dicitur. Vidit mulier lignũ, quod eſſet bonum (vt aliqui opinantur) ſed ponuntur, vt aliquid diſtintum, & ad reddendum aliã cauſam impulſionis Eue ad commedẽdum de ligno. Vnde obſ. eſt, quod ſcriptura poſuit

Quæſt. 2. Toſt. qu. 219.

ea

Digitized by Google

Ad comedendũ de aliquo cibo duo mouere poſſunt.

ea, quæ mouere poterant mulierem ad ſumẽdum de fructu arboris; nã ad hoc quod quis velit commedere de fructu alicuiꝰ arboris, vel de quo libet alio cibo, poſsũt duo mouere. Primũ eſt quod cibus ille ſit ſanus, & bonus corpori. Secundum quod viſui placeat, nam vbi primum non fuerit nemo appetit: quia cibus non eſt, vt videatur, ſed vt mãducetur. ſecundũ tamẽ conueniens eſt: quia quidam cibi ſunt ſalubres corpori, & licet hoc de eis cognoſcamus, nõ incitamur ad mãducãdũ de eis, eo ꝙ viſui nõ placent, cũ aũt vtrũq; in cibis cõcurrunt, nihil eſt amplius, qđ in eis deſiderari poſſit, vt ergo appareret, quod mulier poterat incitari ad concupiſcendum hunc cibũ, dicitur; Vidit, quod eſſet bonum ad veſcendum, & pulchrum oculis, ac ſi dicatur, nihil erat, quod eſſet, vt deſiderari poſſet. & iſta eſt cauſa. quare prius ponitur, quod erat bonum ad veſcendum, quam pulchrũ oculis, quia cũ iſta ponantur, vt cauſæ diſtinctæ appetibilitatis. debuit poni prior, quod erat maior cauſa, ſed magis mouet in cibo, quod ſit ſanus, quam pulcher. Ideo dictum eſt: quia erat bonum ad veſcendum & pulchrum oculis & licet ſit verũ quod mulier non cognouit eſſe bonum ad veſcendum per experientiam: quia non dum guſtauerat de fructu, ſed ſolum per viſum quia vidit eſſe lignũ pulchrũ, tamen quia pulchritudo arboris, & fructuum, non ponitur hic vt cauſa, neque vt ſignum bonitatis cibi, ſed ponitur, vt cauſa diſtincta. Ideo non præponitur, ſed quia eſt cauſa minus oſtẽdens concupiſcibile lignum, quam eſſe bonũ aduẽſcendũ. ſubſequitur.

Quæſ. 3. Toſt. qu. 520.

Quæritur tertio, quare dicitur pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile? quia videntur ambo pertinere ad idem. i. ad ſignificãdum pulchritudinem. Dicunt Aliqui, quod inutroque ſignificatur pulchritudo, vna in arbore, altera in fructibus, & verãque ſignauit ſcriptura; ſed hoc ſtare non poteſt: quia ſi ſecundum rigorem literæ accipiatur, totũ de ligno, ideſt de arbore accipitur, & nihil de fructu, cum dicatur. Vidit mulier lignum; quod eſſet bonũ ad ueſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile atq; adeo diſtingui haud põt de arbore, & fructu, intelligendo autem ſecundum veritatẽ, nihil intelligitur de ligno; ſed de fructu, quia certum eſt qđ lignum non erat bonum ad venſcẽdũ ſed fructu eius, quando etiã de pulchritudine loquitur, nõ intelligitur de pulchritudine arboris, ſed fructuum; quia arbor non mouet, ſed fructus. Aliqui vero dicunt, quod ſignantur hic duo. ſ. conuenientia figuræ fructuum, & bonitas coloris, vtrunque autẽ mouebat mulierẽ, atque ita p iſta duo nomina ſignata eſt. Sed neq; hoc ſtare põt, quia nomine pulchritudinis importatur vtrumq; non eſt. n. pulchrũ, qđ decẽtem figuram non hẽt; etiã ſi habeat mirabilẽ colorẽ, neq; ẽt pulchrũ eſt quod habet conuenientem figurã, ſi ſit turpis color, vtrunq; igitur nomine Pulchritudinis deſignatur.

Dicẽdũ eſt ergo qđ ſignatur hic cã, & effectus Primũ eſt pulcritudo ſecundũ eſt delectatio, erat. n. lignũ illud, & fructus eius pulchrũ quid, i. boni coloris & conuenientis figu-

ræ,& quia tale erat,ſequebatur, qđ in vidēdo delectaretur videns vtrū que aūt ſignificauit ſcriptura. iō dixit lignū pulchrū oculis .ſ. quod in ſe lignū erat pulchrū,& aſpectu delectabile.i.pp pulchritudinem delectarentur aſpicientes in vidēdo, pp quæ tulit mulier de fructu illius, & commedit,cū.n.mulier fidē verbis ſerpentis præſtaſſet,qđ.ſ. effici poſſet ſicut Deus,quē honorē illa cōcupiuit & putauit eū ſe habiturā ſi cōmederet de ligno,cūque credidiſſet quod nō moreretur manducādo, ſicut dixerat ei ſerpens,& ad capiendū maiorē certitudinē de hoc, ſe ad arborē conuertiſſet, omniaq; in ea eſſe vidiſſet,q̄ ad cōcupiſcentiā mouere poterant,iō cōcupiuit,& quia nemo corporaliter impediebat de illa cibū ſumere,accepit,& cōmedit.

Rab. Sal. opinio.

Dicunt aūt Aliqui Iudei,vt Rab. Sal.qđ mulier nolebat cōmedere de fructu arboris:quia Deus dixerat q̄ moreretur,ſi manducaret, aut ſi tāgeret,ſicut ipſa dixerat, ſed ſerpens impulit eā corporaliter cogēndo, vt tangeret arborē,& hoc vt crederet mulier,qđ ſi erat peccatū in cōmedendo, iā cōmiſſū erat in tāgendo; atque adeo nō dubitaret cōmdere quia non poterat iā magis peccare.

Refellitur opinio Rab. Sal.

Sed hoc abſurdū, atq; ridiculū eſt; tū quia ſerpens non poterat impellere mulierē ad tangendū,non.n.cogitari pōt,qūo eā corporaliter ad tāgendū impelleret; tū quia per hoc nō ſuadebat cōmedere,nā licet mulier crederet,quod tāgere arborem erat pctm̄,tn̄ tāgere inuolūtarie nō poſſet credere eſſe peccatū q̄a pctm̄ eſt ī actione,ibi aūt nulla erat actio, ſed pati. Itē p hoc magis mulier traheretur in contrariū.ſ.vt nō cōmederet de ligno,qđ prius ſerpens ſuadebat,nunc verò cū violēter impellebat,putaret latere dolū in ſerpēte & non faceret,qđ ille dicebat. Præterea, Eua excuſando ſe, dixit, ſerpens decepit me, ſi aūt cogiſſet ſerpens impellendo corporaliter maior excuſatio iſta eſſet, atque adeo illam,non prætermiſiſſet.

Quæſ. 4. Toſt. qu. 522.

Quæritur 4.quare Eua cum cōmediſſet de fructu ligni vetiti, dedit viro ſuo? Aliqui dicunt, qđ fecit hoc ex īuidia:mulier.n. ſeducta fuerat à Demone,& cōmedit,pdiditq; iuſtitiā originalē,& bonū illū ſtatū in quo fuerat, & in quo vir adhuc manebat.quia non peccauerat,inuidit aūt viro ſuo, quod ille maneret fœlicior ea,ideo ad hoc dedit ei de ligno,vt cōmederet,et peccaret,atq; ita ambo eſſent æquales in miſeria.

Eua inuidia mota ſecūdum aliquos, cum commediſſet de ligno vetito, dedit viro ſuo.

Sed hoc ſtare non pōt, quia ſine aliquo fundamento aſſeritur:nō.n. videtur mulierē inuidiā, vel odium habuiſſe ad virū,vt mala iſta ei procuraret;tū quia falſū pręſupponit.ſ. qđ illa crederet ſe peccaſſe,aut malū aliquod ex cōmeſtionē proueniſſe,non dū.n. aliqua pęna ex peccato in ea apparebat, quia prima pęna fuit cognitio nuditatis, ſed iſta non fuit in Eua, quouſq; cōmedit Adā, & tunc ambo ſimul agnouerunt,ſe eſſe nudos,vt patebit ſtatim. Nō ergo voluit Eua,qđ Adā incideret in malū,qđ illa habebat, cū nondū cognoſceret ſe habere malū,atque ita neque poſſet illud idē malum viro ſuo ex inuidia velle.

Eua multis de cauſis dedit viro ſuo comedere de ligno vetito.

Dicendum eſt ergo, quod Eua voluit hoc, multis de cauſis, primo ex amore quodam, quem

ad vi-

ad virum habebat, ſicut enim vir ita diligebat eam, quod noluit & in aliquo diſplicere, ita Eua diligebat illũ; quod volebat ei in omnibus cõplacere & quia in hoc ſe credebat placere ei; ideo dedit ei de arboris fructu: ſecundo vt manifeſtaret ſuam lætitiam, ſuũque gaudium; omnis enim qui nimio repletur gaudio, illud vult manifeſtare, & nõ cõtinere in ſe, nam pars quædam magni gaudii eſt, illud aliis communicare, atque adeo, qui taliter lætãtur, dicuntur exltare. i. extra ſaltare, quia conceptum gaudium intra ſe non continent. Eua autem valde gauiſa fuerat, atque adeo gaudium ſuum volebat viro manifeſtare, & vere manifeſtauit; tum quia diligebat eum, tu quia nullus alius erat, cui manifeſtare poſſet; Erat autem Euæ gaudium magnum, quia inuenerat verum eſſe, quod dixerat ei ſerpens, & putabat non eſſe verum, quod Deus dixerat; Nam ex ligni commeſtione nequaquam mors ſecuta fuit, quẽadmodum Deus ei dixerat, atque adeo credidit Deum ex inuidia comminatum fuiſſe mortem, ſicut Diabolus dixerat; ſecundo gaudebat mulier, quod abbundantius quaſi certificata fuiſſet de alio. quod Diabolus ei dixerat. Duo enim dixerat ſerpens ſcilicet, quod non morerentur commedentes, & quod efficerentur ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum, commedit mulier, & non eſt mortua, atque adeo reperit verum eſſe primum dictum ſerpentis, iuxta intellectum ſuum, & ex hoc credidit certiſſime alterum eſſe verum, ſcilicet quod efficerentur ſicut dii, ſcientes bonum, & malum, hoc autem erat maximæ excellentiæ atque ita valde de illo gaudebat Eua, & gaudium ſuum non ſuſtinens ſola, dixit illud viro ſuo, & obtulit ei fructum, vt commederet. Tertio quantum ad principale fiet, quia Eua diligebat virum ſuum, & volebat eum participem fieri boni; & quia credidit, iuxta dictum ſerpentis, quod manducando de illo ligno efficerentur ſicut Dii ſcientes bonum, & malum, ideo volebat, vt etiam vir efficeretur ſicut Deus, & ad hoc offerebat ei cibum, vt manducaret de illo. Quarto quia forte putabat mulier, quod virum commedere de ligno, erat neceſſarium ad hoc, quod efficerentur ſicut Deus: nam licet ſerpens ſoli Euæ loqueretur. Non dixit. Scit enim Deus quod quacunque hora commederis, aperientur oculi tui, &c. Sed dixit aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii; atque ita potuit credere Eua, quod non aperirentur oculi eius ad ſciendum bonum, & malum, quouſque ambo commederent, atque adeo voluit dare viro ſuo, & ſuadere ei, vt commederet quinto & potiſſime creditur, quod hoc fecit mulier mota à Demone, quod duobus modis effici potuit, priori modo, quod ſerpens foris ſuaderet mulieri, quod daret uiro ſuo de fructu, vt commederet, ſicut enim cætera in voce dixerat, ita & hoc diceret. licet ſcriptura illud non exprimat. Poſteriori modo quod interius moneret eam, in flammando ipſam ad concupiſcendum hoc, ſicut nos tentamur a Demone interius nulla locutione, neque apparitione foris facta, & hoc poterat fieri, quia cum ſemel Eua per didiſſet innocentiam, eſſetque conſtituta in illo ſtatu, in quo nos ſumus, pati potuit eaſdem tentationes, quas, & nos patimur, vt ſcilicet interius inflammaretur à Demone. Erat autem Demoni valde neceſſarium alterum iſtorum facere, quia ſuperata Eua, ſi non deiiceret Adam, nihil feciſſet, quia pereunte illa, non peribit genus humanum, ſed pereunte viro. Ideo magnam adhibuit in hoc Diabolus ſolicitudinẽ, vt per fœminam periret vir.

Quæritur quinto, quare dicitur, quod dedit viro ſuo, & non dicitur quod cõmedit, & dedit Ade. Cur. n. vocar eum *Quæſ. 5. Toſt. qu. 524.*

virum ſuum? Dicendũ qđ vocat eũ virũ, quia ſcriptura ita conſueuit vocare eos virum, & vxorem, quam Adam, & Eua, & ideo tenuit hic, quod in alijs conſueuit. Secundum quia Adam, & Eua ſunt nomina naturę, vxor, & vir ſunt nomina coniugii; ſed ſcriptura proxime fecerat mentionem de eorum coniugio, vt patet ſupra capitul. ſecundo, quia dixit Adam, Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea, & ſequitur adhærebit vxori ſuæ, ideo magis eos virum, & vxorem vocat, quod proxime conueniebat, quam Adam, & Euam, quod conueniebat ab initio, vnde cum Deus loquitur ad aliquem eorum, vel ſcriptura de eo loquitur, vocatur Adã, & Eua, aut mulier, quando tamen ſcriptura loquitur de eis, vt ipſi colloquuntur ſibi, vel aliquid inter ſe faciunt, vocat eos virum, & vxorem, vt patet ſupra capitu. ſecundo, Hic autem fiebat ſermo, vt ipſa daret ei de fructu, ideo dicitur, quod dedit viro ſuo, & non dicitur, quod dedit Adæ Tertio ponitur, vt inuatur cauſa dandi; cum enim vocatur Adam, & Eua ſub nominibus perſonalibus ſignificantur, quaſi in nullo ſibi attenentes, cùm vero vocatur vxor, ſignificantur vt vna caro, atque adeo vt multum ſe diligentes. ſed Eua nunc dedit Adæ de fructu: quia diligebat eum, vt ille quoque efficeretur ſic Deus, ideo dicitur quod dedit viro ſuo. i. dedit ei, qui erat vir ſuus, quod non ſignificaretur, ſi diceretur dedit Adæ. Hac ratione conſumatum fuit peccatum Eue, peccatum dico inobedientiæ, violato nempe dei mandato, quo eſus ex arbore ſcientiæ boni, & mali interdictus eis fuerat. Verum de peccato Euæ paulo ſubtilius differendum eſt. De peccato Euæ atque eius ſeductione.

Quæſt. 1. Magiſt. ſent. Quæritur primo, An Eua fuerit a Dæmone decepta, & videtur, quod ſic quia. 1. ad Thimo. 2. inquit D. Paulus, quod mulier ſeducta in preuaricatione fuit, Mag. etiam in 2. diſtin. 21. inquit, quod ideo mulier ſerpentem, quem loqui uidit, non horruit, quia à Deo creatum ſciuit, & ab eo vſum loquendi accepiſſe credidit, hoc autẽ erat falſum: quia ſerpens non poterat habere vſum loquendi, cum eſſet irrationalis ergo decepta fuit.

Homines in ſtatu innocentiæ decipi poterat, & quomodo. Dicendum quod homines in ſtatu innocentiæ decipi poterant, & tamen quam diu erant in illo ſtatu, non poterant decipi. Circa quod obſ. eſt, quod in ſtatu innocentiæ nõ erat peccatum, atque adeo non debebat eſſe pœna; Cum ad Dei prouidentiam hoc pertineret; ignorantia autem pœna eſt, & decipi eſt cum quadam ignorantia, atque adeo videtur, quod non poſſit eſſe ſine pœna. Cæterum Deus ſeruabat eos liberos ab omni pœna, qui erant in eo ſtatu, atque ita à deceptione cuſtodiret; Erat enim tota hominis pfectio in ſtatu innocentiæ à ſuperiori parte dependens, quæ eſt mens, & quoniam in illo ſtatu per rectitudinem iuſtitiæ homo adhærebat Deo, Ideo illa manẽte Deo coniuncta, ſicut non poterat eſſe defectus, aut malum aliquod in corpore, ita multo minus poterat eſſe in mente; quæ erat pars principalior, quod vtrique apparet, quia Adam in illo ſtatu erat quodãmodo mortalis, et quodammodo immortalis; erat quidẽ mortalis ex diſpoſitione corporis, ſed erat quodammodo immortalis ex prouidentia Dei, ideo licet poſſet corpus hominis lædi à multis, cum eſſet paſſibile ſicut, & corpora noſtra, non lædebatur tamen, neque læderetur, quia nõ permitteret Deus hoc fieri, ſi homo nõ peccaret; atque ita illa potentia moriẽdi nunquam exiret in actum moriendi, & nocumentorum, quæ ad mortem prætendunt, niſi præcederet peccatũ, per quod mens hominis voluntarie, ſe alienaret à Deo, & tunc Deus deſereret hominem, non impediendo nocumenta, quæ ei poterant aduenire. ſic circa mentem, quam diu illa Deo maneret coniuncta, licet poſſet quantum ex ſe

erat,

erat, decipi aut pati aliud malum, non permitteret illud Deus, quouſque ſponte mens à Deo ſe alienaſſet, & hoc modo manente ſtatu innocentiæ non poſſet homo decipi. Eua itaque ſeducta fuit; ſicut dicit Apoſtolus, & ſeductio fuit, quia putauit rem aliter ſe habere, quam ſe haberet, ſcilicet qđ poſſent eſſe, ſicut Dii ſcientes bonum, & malum, quod falſum erat. Hæc tamen ſeductio fuit, poſtquam mulier corruit à ſtatu innocentiæ, & inde per hoc, quod ſerpens dixit mulieri, Eritis ſicut Dij, inſurrexit mulieri elatio quædam, quæ erat amor inordinatus maioris ſtatus, & iſte amor inquantum erat inordinatus; qua mens recedebat à Deo, periit ille ordo qui erat inter mentem, & Deum, in quo conſiſtebat innocentia, & deſijt Eua eſſe in ſtatu innocentiæ, atque adeo neque Deus cuſtodiuit per ſpecialem prouidentiam mentem eius a malo, & ſeductione, ſed eam ſuæ naturæ, atque libertati reliquit; & quia Eua ſecundum perfectionem ſuæ naturæ talis erat, vt decipi poſſet, decepta eſt. Ad id quod dicitur ex magiſtro reſponſum eſt ſupra, cum fuit ſermo de congreſſu ſerpentis cum muliere.

Eua ſeducta fuit.

Quæſt. 2. Quæritur ſecundo. Cum Deus in ſtatu innocentiæ non permitteret homines decipi, quare permiſit decipi Euam, & non reuelauit ei falſum, quod Diabolus eam deceperat. Dici poteſt, quod Eua non fuit decepta, quam diu fuit in ſtatu innocentiæ, ſed poſtea, ſcilicet poſtquam concupiuit honorem inordinatum, in quo mens eius à Deo receſſit, tunc enim credidit, quod poterat eſſe ſicut Deus. Etſi dicatur, quod antequam Eua de ſtatu innocentię caderet, fuit aliquā deceptio facta, vel inchoata, inquantum Diabolus aliud loquebatur Euæ, & aliud mente gerebat, & in talibus dictum eſt, quod Deus prouideret, ne quis in illo ſtatu deciperetur, illuminando intellectum eius, cui dicebatur, vt ſciret, an falſum eſſet, quod dicebatur.

Eua non fuit decepta quam diu fuit i ſtatu innocentia.

Dicendum quod Diabolus locutus eſt mulierem, dum illa adhuc maneret in ſtatu innocentiæ, & ille ſimulate loquebatur, & tamen non erat neceſſario decipi Euam, eo loquente, ſi neceſſe eſſet eam decipi, niſi ei Deus veritatem decliararet, reuelaſſet ei Deus veritatem. Cæterum non erat neceſſe decipi: quia non erat neceſſe, quod Eua apud ſe definiret, quo animo verba dicerentur, ſed ſolum reſpiceret ad verba, quæ dicerentur; an eſſent bona vel mala, quod ipſa faciliter poterat; & ideo non deciperetur in illis, Deus enim reuelaſſet homini veritatem, ne deciperetur in eis, quæ facultatem intellectus humani excederent, in eis autem, quæ non erant ſupra intellectum, non reuelaret, ſed relinqueret hominem ſibi ipſi, vt iudicaret. Si enim attendere vellet, non deciperetur; ſi autem nollet attendere, deciperetur, & tūc peccatum præcederet deceptionē: quia erat peccatum omiſſionis. Et iſte ordo fuit in tentatione Euæ, nam quā do ſerpens ei locutus eſt, ſimulate loquebatur, & tamen non eſt decepta Eua in primis verbis ſerpentis, quando dixit, Cur præcepit vobis Deus &c. quia Eua non putauit, quod ſerpens bono zelo loqueretur, neque etiam putauit, quod malo zelo. nam ſi putaret, quod malo animo, caueret ab eo, & non audiret, vel aſſentiret, & tamen non fecit; etiam non putauit, quod bono animo loqueretur, aut ſine fraude, quia tunc deciperetur, cum ſerpēs loqueretur ſimulate, ſed neutrum cogitauit, quia non aduertit, atque adeo habuit tunc quidem neſcientiam, ſed minime decepta eſt. Poſtea autem quando reſpondente muliere, quod præceptum fuerat eis, ne morerentur, dixit Diabolus, nequaquam moriemini &c. decepta fuit mulier, quia inſurrexit ei appetitus inordinatus excellentiæ, & quia ceſſauit per illum eſ-

ſe in ſtatū innocentiæ, potuit de cætero decipi,& decepta eſt:quia non poſſe decipi erat priuilegium illius ſtatus. Cum ergo dicitur, quare Deus non reuelauit Euæ, quod ſerpens ſimulate loquebatur. Dicendum, quod non reuelauit; quia Eua per ſeipſam poterat illud aduertere, quia dixerat ſerpens, non moriemini, & dixerat Deus,moriemini,atque ita Dęmon faciebat Deum mendacem, ſed quiſque poterat videre hoc eſſe falſum. Atque adeo non reuelauit Deus aliquid mulieri; quia ipſa per ſe cognoſcere poterat falſitatem, & vere illa cognouiſſet Demonem falſa dicere, niſi appetitus inordinatus honoris inſurrexiſset ei, per quem cecidit ab innocentiæ ſtatu, & tunc per intellectus ſui prauitatem,tum & principaliter, quia magnum excellentiæ deſiderium poſſidebat eam,nō cogitauit ſufficienter,& decepta eſt.

Quæſ.3. Quæritur tertio. An Eua ante ſerpentis congreſſum, & ſermonem peccauerit. Rupert. Abb. libr.3.de operibus Trinitat.capitul.quinto. quem ſecutus eſt Ioann.ferus in Commentario huius capitul.tertio. ſenſit Euam prius peccaſſe, quam ſerpens eam aggreſſus fuerit, nam explicans ea verba mulieris.

Rup. Abbas lib. 3. de operib. trin c.5.

Io. ferus in Gen.c. 3.

Eua ſecūdum Rupertū peccauit ante ſerpentis ſermonem.

De fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo veſcimur &c. inquit, Hæc verba iam vitiatæ mentis indicia ſunt, & in calce illius capitis ſcribit, veraciter igitur (vt ſuperius iam dictum eſt) antequam per corporeum, vel viſibilem ſerpentem Diabolus loqui inciperet, iam per ſemetipſum intus, ad aurem cordis locutus fuerat, pronamque voluntatem, vel conſenſum ad exterius peccati opus per agendum fore præſens erat, proinde cætera, quæ ſecū tur, ſic nobis accipienda ſunt, tanquam ſtupi, vel adulterii Diabolici opus conſumatum: nam ante hac, veluti quædam conditiones occulta inſpiratione, vel ſuggeſtione, condelectante animo factę ſunt. Hanc opinionem quidam ex ratione probabilem facere voluerunt; quia niſi Eua (inquiunt) ante peccaſset, non vtique paſsus eſset Deus tentari eam à Diabolo, ſcilicet, ea tentatione,ſciens eam victum, & perditum iri.

Cęterum dicendum eſt, Euam ante ſerpentis congreſsum atque ſermonem haud peccaſse, quod ſane indicat ſcriptura, cum extremis verbis,capitu. ſecundi. dixit Adamum, & Euam fuiſſe nudos, nec tamen erubuiſse, quo ſignificare voluit eos fuiſſe in fœlici ſtatu impoſſibilitatis, & innocentiæ, & proxime ſubtexit hiſtoriam ſerpentis, qui Euam tentauit, quo licet intelligere ex ipſa narrationis ſerie, & contextu, primos homines in illo ſtatu innocentiæ, vſque ad tentationem ſerpentis permanſiſſe, atque hoc confirmat Patrum ſententia inter peccatum primi hominis,& peccatum Angeli hoc diſcrimen conſtituentium, quod illud ex ſuggeſtione, ſuaſioneque alterius admiſſum eſt, & id circo dignum venia fuit, hoc autem propria malitia, nullius conſilio, ſuaſu,& impulſu patratum eſt, quamobrem irremiſſibile fuit. Et licet Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ (vt loquuntur Theologi) vidit Euam diabolicæ tentationi aſſenſuram: vidit etiam poſſe tentationi reſiſtere, eamque vincere ſine labore, atque adeo eam tentari ſinit: tum quia ſtatu viatoris ad liberi arbitrii exercitationem tentatio eſt conſentanea ad virtutis probationem, ad occaſionem, & miſericordiam vberioris meriti, maioriſque præmij: tum etiam: quia illa tentatio non fuit interior affligens animum, ſed eſterior ſine vlla hominis moleſtia, nimirum hoc genere tentationis, & Dominum verum Ieſum Chriſtum, Deus pater à Diabolo tentari permiſit. Et hoc eſt, quod inquit D. Aug. ſuper Gen. qđ melius fuit creare hominem, qui poſſet non conſentire tentationi, quam

Eua ante congreſsū & ſermonē ſerpentis nō peccauit.

qui

qui non poſſet tentari. Ex hoc ſi exercetur uirtus, & eſt palma glorioſior nõ conſentire tentationi, quam non poſſe tentari, & licet magnum malum futurum eſſet, non fuit hoc per opus Dei, ſed per opus ipſius hominis, quod autem facturus erat homo propria volũtate per culpam, Deus ordinauit æquitate per pœnam, & vt aliis eſſet ad cautelam.

Quæſt. 4.

Landulphus de Neap. li. 2.d.22.q. 2. Rub. in 2.d.22.q. 1. ſuperbia quid ſit ſecundum aliquos.

Quæritur 4. quod fuerit primum peccatum Euæ pro huius difficultatis ſolutione obſeruandum eſt, quod opinio quorundam fuit ſuperbiam paſſionem eſſe partis iraſcibilis, per quam quis aſſurgit in exceſſiuam extimationem bonorum ſuorum, & vilipenſionem bonorum alterius, videntur enim eſſe in iraſcibili parte paſſiones quinq; ſcilicet, ſpes, reſpectu boni, quando quis aſſurgit ad illud conſequendum; Deſperatio reſpectu boni, quando quis deijcitur non ſperans ſe bonum poſſe aſſequi. Audacia reſpectu mali, quando, qui aſſurgit deiicitur, & cadit reſpectu eius, non enim audacia eſt tantum aſſurrectio ad malum repellendum, ſed etiam ad bonum proprium reputandum, alias eſſet ira, quæ eſt aſſurgere in vindictam reſpectu mali quapropter ſuperbia videtur quod ſit paſſio contenta ſub audacia, nam eſt quædam elatio, & aſſurrectio cordis, ſiue tumor de proprio ſuo bono, quod nimis reputauit, & Parũ bonum, alterius ſed hoc ſtare nõ põt; ſi enim ſuperbia continetur ſub audacia, fortitudo mediaret inter ſuperbiam, & humilitatem, cõſequens eſt falſum ergo, & Antecedens. Conſequentia probatur, quia fortitudo mediat inter audaciam, & timorem, ergo ſi tu ponis ſuperbiam, eſſe quandam audaciam, mediabit fortitudo inter ſuperbiam, & humilitatẽ; Præterea ſequeretur, quod audacia eſſet capitalius peccatum: quã ſuperbia, quia per te, audacia eſt capitalis continens ſub ſe ſuperbiam, & alias, cuius contrarium tota ſcriptura clamat. Aliqui vero dicunt, quod ſuperbia eſt appetitus eminentiæ, & honoris, & in huiuſmodi gloriari, ſed hoc eſt falſum, quia appetitus honoris, & eminentiæ eſt in cõcupiſcibili, actus autem ſuperbiæ, eſt in iraſcibili.

In parte iraſcibili ſunt quinque paſſiones.

Superbia eſt appetitus eminẽtiæ ſecundum aliquos.

Superbia eſt ſexta paſſio iraſcibilis.

Secundo obſeruandũ eſt, qđ ſuperbia eſt ſexta paſſio iraſcibilis, quã ſemper concomitatur quidam contẽptus: quia ſuperbus exceſſiue exiſtimat bona ſua, & vilipendit bona aliorum, ſiue ſint Dei, ſiue proximi, verum eſt tamẽ quod ad iſta ſequũtur alia peccata ſcilicet gloriatio, iactantia, excandeſcentia ira, & ſimilia. His obſeuatis dicunt quidam.

Rubiõ vbi ſupra. Eua peccauit peccato ambitionis ſuperbiæ, & Gulæ Ambitio quid ſit.

Qđ mulier q̃ primo tẽtata fuit, & peccauit, peccauit peccato ambitionis, & Gulę: Ambitio enim eſt deſiderium alicuius ſibi indebiti, & hoc eſt de quo mulier fuit primo tentata à Diabolo, ſibi dicẽte, Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum; quia illa audiens appetiit, quod ſibi Diabolus promiſit; ſeu prædixit .ſ. ſcientiam & diuinam æqualitatem, ſeu ſimilitudinẽ: & huiuſmodi appetitus ſecundum opinionem ſecũdam, dicentium quod actus ſuperbiæ eſt appetitus honoris, & excellentiæ, fuit peccatum ſuperbiæ. Cæterum ſecundum alios (probalius fortè) dicentes quod ſuperbia eſt quædam audacia, fuit peccatum ambitionis; peccauit enim mulier vel antecedenter, vel conſequenter poſt prædictum peccatum peccato ſuperbiæ; non enim tãtũ concupiuit, & ambiuit, quod ſibi Diabolus promiſit, ſed etiam ſe erexit, & dignam hoc, quod ſibi promiſerat Diabolus ſe reputauit.

Landulphus vbi ſupra.

Tertio & vltimo peccauit peccato Gulæ. Vel dicendum eſt, qđ Eua ambiuit eſſe illud, quod ſerpẽs ſuggerebat, videlicet; ſicut Deus ſciens bonum & malũ, non quod appetiuerit eſſe Deus, ſed eſſe maior, quam eſſet, & credidit Deum prohibuiſſe cibum, ne maior eſſet, atque adeo fuit peccatum ambitionis, ex qua ſecuta eſt quædam elatio in paruipedendo præceptum, quod videbatur ex inuidia datum, deinde inobe-

dientia in tranſgrediendo, poſtea Gula in commedendo.

Ric. in 2. d. 22. art. 1. q. 1.

Ricardus loquens de peccato Euæ, ita ſcribit in 2. diſt. 22. art. 1. q. 1. primũ peccatum mulieris fuit ſuperbia, quã immediate ſciendi curioſitas eſt ſecuta, quæ à quibuſdam comprædheditur ſub generali auaritia, & poſt hcc inordinatum appetitum eſus ligni vetiti, ſecuta eſt Gula, & in commeſtione ſpecialis inobedientia. Probabile enim videtur, quod ſecundum ordinem tentationis de peccato, in peccatum fuerit lapſa.

In rentatione enim primo expreſſa eſt promiſſio excellentiæ cum dicitur Eritis ſicut Dij. Inordinatus autem appetitus excellentiæ fuit ſuperbia. Secundo promiſſio ſciẽtiæ; cum dicitur, Scientes bonum, & malum, inordinatus autem appetitus ſcientię eſt curioſitas noxia, Tertio exprimit ſcriptura aſpectum ligni vetiti; cum dicitur, Vidit ergo mulier, quod eſſet bonum lignum ad veſcendum, in quo datur etiam intelligi immoderatus appetitus, cibi qui eſt gula Quarto exprimit ipſam commeſtionem, cum dicit, Et tulit de fructu eius, & commedit, in quo conſumata eſt mulieris inobedientia.

D. Bona. in 2. d. 22 art. 1. q. 1.

Eadem fere ſcribit D. Bonau. in 2. diſt. 22. art. 1. q. 1. inquiens, quod Diabolus in illo verbo Eritis ſicut Dij &c. tria promittebat, iuxta tres fœlicitatis conditiones, eſt enim primo fœlicitas glorioſa, & hoc tangit cum dicit, Eritis ſicut Dii, in hoc enim inducebat mulierem ad appetendum æqualitatem Dei ſecundo eſt copioſa, ideo dicit ſcientes, bonum, & malum, & inducebat ad cupiditatem, capiendo cupiditatem, vt eſt inordinatus motus appetitus, ad habendum aliquid, ſeu ſcientiam, ſeu aliam poſſiſionem. Tertio Vidit mulier lignum pulchrũ viſu, atque adeo inducta eſt ad Gulam, ſicut fœlicitas eſt tertio delicioſa; Quoniã igitur mulier Diabolicæ ſuggeſtioni conſentit, Iõ primo in appetendo eſſe ſicut Deus fuit ſuperbia: nã ſuperbia non eſt aliud quam immoderatus appetitus excellẽtię. Deinde in appetendo ſcire bonum, & malum, quod non oportebat, & ſcire pluſque oportebat, fuit Auaritia. Nam Auaritia non eſt aliud, quam immoderatus appetitus ſufficientiæ. Poſtremo in experiẽdo ſuauitatem ligni vetiti, fuit Gula, nã Gula non eſt aliud quam immoderatus appetitus cibi reficientis ſuauiter, & in hoc fuit tranſgreſſionis Rea, & culpa inobedientiæ inuoluta, atque ita peccatum mulieris inchoatum fuit in ſuperbia, progreſsũ habuit in auaritia, & conſumationem habuit in Gula.

Primum Eua peccatũ fuit ſuperbia.

Dicendum eſt ergo; primum Euæ peccatum fuiſſe ſuperbiam, nam poſtquam ſerpens dixit Euæ. Eritis ſicut Dii &c. ſtatim motus quidam elationis eſtitit in animo Euæ indigne ferẽs aſtrictam ſe tenere illa lege, cupientiſque arbitratu ſuo libere viuere nulli ſubiectam, ſibique ipſam ad viciendum ſufficientem, & hæc eſt ſuperbia. Confirmat hanc ſentẽtiam Diuina ſcriptura, quæ eccleſ. 2. & Iob. 4. initium omnis peccati; & pditionis facit ſuperbiã, declarat hoc ipsũ elegantiſſimis verbis & ſentẽtiis D. Aug. li. 4. de Ciui. Dei c. 13. in hunc modũ ſcribens, In occulto autem, mali eſſe ceperũt, vt in apertam inobedientiam laberentur; non enim ad malum opus perueniretur, niſi præceſſiſſet mala voluntas. Porro malę voluntatis initium, quid potuit eſſe niſi ſuperbia? Initium enim omnis peccati ſuperbia eſt. Quid eſt autem ſuperbia niſi puerſæ celſitudinis appetitus? Peruerſa enim celſitudo eſt deſerto eo, cui debet animus inhęrere principio ſibi quodammõ fieri, & eſſe principiũ hoc fit cum ſibi nimis placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quã ipſe ſibi &c. Hæc Auguſtinus. *D. Aug.*

Queſ. 5. Toſt. qu. 529. Eua videns ſe à ſerpente deceptã, cur dixit viro ſuo, quòd commederet.

Quæritur 5. cum dixiſſet ſerpẽs mulieri, quod ſi comederent, efficerentur, ſicut Dii &c. & tamen non fuerit facta ſic ſciens, quomodo non eſt mirata, & non diſcredidit verbis eius, & quomo

do non

Digitized by Google

do non ceſſauit dicere viro, quod com-
mederet? Dicendum quod non admi-
rata fuit Eua, licet non ſenſerit in ſe ali
quam mutationem inquãtum ad ſcię-
tiam, quia non dum erar tempus elap-
ſum; nam dixerat ſerpens. Scit Deus,
quod in quocunque die comederitis
ex eo &c. Cæterum dies ille in quo co-
mederat, non dum erat elapſus, atque
adeo non dum apparebat falſum eſſe
quod dicebatur, neque fuit admiratio
nis cauſa in Eua.

Secũdo quia dixerat ſerpens in quo
cunque die commederitis ex eo aperiẽ
tur oculi veſtri, & Intelligitur de Eua,
& Adam, atque adeo poterat forte illa
intelligere, quod non impleretur illud
quouſque ambo commederent, & ſic
non miraretur ſi non efficeretur ſapien
tior, cum non dum manducaſſet vir, ſi
autem ille manducaret & non efficerẽ
tur ambo ſapientes, tunc poſſet mirari
de verbis ſerpentis, & tamen neque
tunc mirata eſt, quia accidit ſibi con-
traria paſſio: nam agnouit ſe fuiſſe de
ceptam, & verum eſse verbum Domi-
no, ideo non eſt admirata; quod non eſ
ſet verum verbum ſerpentis, quia agno
ſciebat omnino manifeſte eſse falſa,
quę dixerat.

Quæſ. 6. Eua quid dixit Adę cũ dedit illi de fructu ligni vetiti

Quęritur 6. quomodo ſe habuit
Eua ad virum ſuum, quid ve illi dixe
rit cũ dedit ei fructũ ligni vetiti, & an,
dixerat q̃d erat fructum ligni vetiti,
an non. Aliqui dicunt, quod non dixit
ei de qua arbore eſset, vt ſic ille com-
mederet, quia forte alias non comme-
diſſet, ſed hoc ſtare non poteſt, quia ne-
ceſſe eſt aſſerere, quod eua dixerit,
de qua arbore erat fructus ille. tum
quia Adam peccauit commeden-
do de illo fructu, et tamen ſi eua non
dixiſſet ei, non peccaſſet, quia ſi eua nõ
exprimeret, neſciret Adam, nec quęre-
re tenebatur de qua arbore, eſſet, tum
quia, ſi Eua taceret de qua arbore eſſet
ad hoc, vt Adam commederet, iam eſ-
ſet dolus ex parte Euę, putãtis malum
eſſe manducare, ſed hoc nõ eſt verum:
quia Eua non putabat malum eſſe mã
ducare de fructu illo, immo bona fide
ad Adam veniebar; nam crediderat
Eua ſerpenti, quod cõmedendo de illo
fructu, non mouerentur, ſed efficeren-
tur ſicut Dij. Primum experta fuit. ſ.
quod non erat mortua, ſecundum ve-
rum eſſe credidit propter primum, at-
que adeo de futuro bono gaudẽs, qua-
ſi futura eſſet ſciens, ſicut Deus, acceſ-
ſit ad Adam, & dedit illi de fructu ar-
boris optans bonum illud ſibi, & Adã
cõe fieri, quia maxime diligebat eum.

Dicendum eſt igitur, poſtquam co-
medit acceſſiſſe ad virum ſuum, atque
attuliſſe de fructu illo, vel q̃a optabat
Adam participem fieri tãti boni, ideſt
quod efficeretur ſicut Deus, ſciens bo-
num, & malum; vel quia exiſtimabat
non poſſe aliter in ea compleri, quod di
xerat ſerpens, niſi ambo comederent,
atque adeo expoſuit ei, quod ſerpens
dixerat ei omnia ex ordine, & comede
rar, neq; quicquam ei mali aduenerat
p̃p quod credebat certiſſime futurum,
quod reliquum erat. ſ. quod efficeren-
tur ſicut Dii, ſi ambo comederet, ideo
orauit, quod comederet, propter quod
cum noſſet Adam, cuius arboris eſſet
fructus ille, peccauit comedendo, ſicut
ſi ipſe ſumpſiſſet de arbore, ſicut Eua.

Aug. lib. 11. ſuper Gen. c. 30

Quęſ. 6. Nic. de lira Gen. c. 3. et Toſ. Eua poſt eſum ligni vetiti an ſtatim iuſtitiam originalẽ amiſit.

Quæritur 7. cum Eua comedendo
de ligno vetito tranſgreſſa ſit Dei præ-
ceptum, atque peccauerit, an ſtatim
Iuſtitiam originalem amiſerit. Pro hu
ius difficultatis ſolutione, obſ. eſt pri-
mo, quod Eua antequam guſtaſſet de
cibo vetito, multipliciter peccauit. Pri-
mo, in elatione, & diſplicentia de Diui
no mandato. Secũdo de verbis Dei du
bitando. Tertio immoderate honorẽ,
& excellentiam appetendo. Quarto de
cibo vetito eligendo comedere; & ra-
tio huius ordinis eſt, quia actus exte-
rior non eſt peccatum, niſi vt de-
pendet ex libera electione voluntatis,
atque adeo ſi aliquando actus exte-
rior ſine electione voluntatis fiat,
non eſt peccatum, nec mæritorium, vt
ſi fiat aliquod per violentiam, vel pro-
pter ignorantiam, quæ deſtruunt ratio
nem

Digitized by Google

nem voluntarii. Cum ergo manus non extēdatur ad opus exterius, niſi per imperium volūtatis. Ideo antequam Eua manum ad lignum accipiendum tenderet, iam deliberauerat, & cōſenſerat manducare, & per conſequens trāſgredi præceptum, in quo conſenſu perficitur peccatum, atque adeo ante commeſtionem peccauit, vt patet ex his, quæ ſcribit D. Aug. lib. 11. c. 30. ſuper Gen. verbis ſerpentis mulier non crederet, à vera, atque vtili re Diuinitus ſe fuiſſe prohibitos, niſi iam ineſſet mēti amor ille propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba preſumptio, quæ per illā tētationem fuerat conuincenda, atq; humilianda. Quod dictum Auguſtini nō eſt ſic intelligendum, quod ſuperbia p̄ceſſerit ſuaſionem ſerpentis, ſed quia ſtatim ad ipſam ſuaſionem inuaſit mētē mulieris elatio, ex qua ſecuta eſt dubitatio, & deceptio, vt crederet eſſe verum, quod ſerpens dicebat. Secundo obſeruandum eſt, quod gratia gratis data ſtat cum peccato mortali, vt donum prophetiæ, genera linguarum, gratia ſanitatum &c. quę omnia in peccatoribus ſecundum actum ſępe reperiuntur; gratia autem gratum faciens non poteſt ſtare cum peccato mortali, atque adeo licet ponatur gratia gratum faciens homini concreata, vel quod poſtea per aliquos actus eam materialiter meruerit, licet proprie prima gratia non cadat ſub merito, illam Eua immediate amiſit, quando de libertate elegit contra Dei pręceptum de ligno vetito manducare.

D. Aug.

Gratia gratis data ſtat cū peccato mortali.

Tertio obſ. eſt, quod Iuſtitia originalis eſt quædam gratia gratis data, quæ conſiſtebat in ordinatione, & rectificatione inferiorum ad ſuperiora. ſ. quod Adam, & Eua ſine aliqua labe immunditię creati ſunt, ita vt anima eorum eſſet ſubdita voluntati Diuinæ: etiam ſi non fuerit ibi gratia gratum faciens, ita quod in eorum intellectu, & voluntate, non erat aliquod, propter quod ipſi vellent repugnare voluntati diuinæ; appetitus etiam ſenſitiuus, & extimatiua, quæ erat pars inferior animæ taliter ordinati erant, quod nullo modo repugnarent iudicio intellectus vel electioni voluntatis, & deinde potentiæ executiuæ, quæ inferiores ſunt obediſſēt in exequendo, & ad hoc pertinebat debitum robur, & ſanitas, & poſſe non mori, & huic ſanitati ſub ordinabantur omnia exteriora. ſ. dominium in animalibus, & in rebus non ſentientibus, ſcilicet quod beſtiæ non nocerent, ignis non combureret, aqua non ſuffocaret, lapis non læderet &c. tota iſta cōnexio vocabatur iuſtitia originalis, & proprie vocabatur iuſtitia, æqualitatem enim quamdam dicit iuſtitia, ſiue ſecundum rem, ſiue ſecundum proportionem vt patet 5. Ethic. erat autem inter omnia iſta quędam æqualitas proportionalis. ſ. animę ad Deum, appetitus, & extimatiuæ ad animam, potentiarum executiuarum ad appetitum, & intellectum, ſanitas ad potentias executiuas, obediētiæ rerum exteriorū ad non corrumpendam ſanitatem. Vocatur originalis: quia iſta iuſtitia homini in ſua origine, vel formatione data eſt, & quia iſta tota concatenatio dependebat ex primo. ſ. ex ſubiectione animæ noſtræ ad voluntatem Diuinam, ideo diſſolui nō poterat, donec prima æqualitas ſcilicet animę ad Deum deſtrueretur, ſicut veritas concluſionis demonſtratæ, non poteſt deficere, donec deficiat veritas principii.

Iuſtitia originalis eſt gratia gratis data, & quæ comprehēdebat.

Quarto obſeruandum eſt, quod iſte fuit ordo in deſtruendo iuſtitiam originalem ſecundum naturam; licet nō ſecundum tempus. Primo enim voluntas Euæ à voluntate diuina receſſit, cū diſplicuit ei mandatum impoſitum, & ſuperbiuit, deſiderans honorem; Deinde appetitus, & phantaſia receſſerunt à ratione, quādo phantaſia iudicauit lignum eſſe pulchrū, & ad veſcēdū ſuaue, & appetitus ſuus fuit inclinatus adhęc, vel magis proprię appetitus inſurrexit, quando contra voluntatem membra genitalia exarſerunt, poſtquā guſtauit Adam, cum enim inclinauit

Ordo in deſtruenda iuſtitiam originalem qualis fuerit.

appeti-

Digitized by Google

appetitum ad commedendum fructũ arboris, deuiauit à recta ratione; ſed quia iſta deuiatio non fuit in voluntaria; cum hoc primo elegerit, non dicitur proprie repugnantia appetitus ad voluntatem, ſed poſtea cum contra voluntatem membra genitalia motu fœdo libidinis exarſerũt, quod in Eua antequam Adam peccaſſet non accidit.

Iuſtitia originalis nõ ſtatim poſt peccatum ab Euã ſublata fuit.

Dicendum eſt ergo, quod poſt cõmiſſum Euæ peccatum non ſtatim perdidit originalem iuſtitiam, nullum enim inconueniens eſt gratiam gratis datam manere cum peccato mortali, atque ad eo ſubtrata gratia gratum faciente, per peccatum mulieris, potuit ſtare originalis iuſtitia vſquequo Deus eam ſubſtulit in pœnam commeſtionis ligni, ſicut comminatus fuerat, Imo oportet dicere quod tã Adam, quam Eua peccauerunt actu interiori, antequam tolleretur illa originalis iuſtitia. Imo etiã Eua actu exteriori, quia prius comedit quam daret viro ſuo, & tamen neuter erubuit, niſi poſt cõmeſtionẽ viri, etſi dicat Iuſtitia originalis habuit aliqd ſpeciale inter alias gratias gratis datas, ſcilicet quod propter peccatum tollenda erat, quare nõ fuit ablata immediate poſt Euæ peccatum. Reſpondetur quod Deus permiſit hoc fieri ad tentationem Adæ, quia ſicut permiſit ſerpẽtem tentare Euam, ita permiſit Euam tentare Adam. Si autẽ immediate poſt peccatum Eua perdidiſſet iuſtitiã originalem, immediate erubuiſſet de nuditate, & non iuiſſet ad virum, ſed magis lateret præ verecundia, vt poſtea factum eſt, vel ſi forte iuiſſet ad virũ verecũdans, vir expauiſſet, nec aliquo modo comederet, quare non peccaret, & patet hoc, quia immediate quod vir commedit ſenſit vterque nuditatem, & rebellionem in membris, nec dilata fuit amiſſio iuſtitiæ originalis, ſicut poſt peccatum Euæ, quia hic totum peccatum conſummatum fuerat & non in peccato Euæ.

De tentatione Adami facta per Euam, & de eius peccato.

Et dedit viro ſcio, qui comedit.

Gregor. Naz. orat. 19.

Et ecce Eua, quæ Adamo adiumenti cauſa data fuerat (nec enim hominem ſolum eſſe bonum erat) pro ſocia hoſtẽ ſe præbuit, pro coniuge, aduerſariam, vt quæ voluptatis illecebra maritum in fraudem induxit, ac per ſcientiæ lignum à vitæ ligno auerterit, atque hinc patet vere ſcriptum eſſe in lib. eccleſiaſtici c. 25. à muliere factum eſſe initium peccati, A muliere inquit initium factum eſt peccati; & per illã omnes morimur. Vnde & magnũ fuit viri peccatum, nam licet ille eiuſdem generis eſſet, & mulier, attamen oportebat virum maioris facere præceptum Dei, quod continuo illi inſonabat, quã illicitam hanc concupiſcentiam, & nõ fieri preuaricationis participem, neque ob nimias voluptates tantis ſeipſum priuare bonis, & offendere benefactorem, qui illum tanta liberalitate amplexatus eſt, vitamque doloris, & laboris omnis expertem conceſſit. An non licebat omnibus aliis, quæ in paradiſo erant frui? quare tam leue mandatum, neq; ipſe voluiſti ſeruare? ſed forte audiuiſti à muliere, conſilij promiſſionẽ, & ſpe etiam ipſe inflammatus, cibi ſtatim particeps fact⁹ eſt, & id circo vterque ſupplicium luetis. Docebitque vos rerum experientia, nõ eſſe fidelius maligni demonis conſilium quam Dei præceptum. Vnde.

Chriſoſt. hom. 1. in Gen.

Queſt. 1. Adam cur cõedit de ligno, quod ſciebat eſſe vetitum.

Quæritur primo, quare Adã voluit manducare de fructu ligni illius cũ ſciret à Deo vetitum eſſe, Dicet aliquis, quod voluit eo modo, quo Eua, quæ etiam vetitum ſciebat, ſed manducauit, putans quod efficeretur ſicut Deus ſciens, bonum & malum, ſed hoc ſtare non poteſt, quia tunc ſeductus fuiſſet Adam, ſicut Eua, nam crediſſet eſſe poſſe, quod non poterat, & tamen Adam non fuit ſeductus, vt Docet D. Paulus

Paulus.1.Thim. 2. ergo non comedit Adam putans ſe futurum per eſum ligni, ſicut Deus.

Dicendum eſt ergo, quod Adam commedit vt placere vxori, rogabat enim illa cum inſtanter, vt commederet, ille vero tenerime diligebat eam ideo vt non contriſtaret eam, aſſentiens voluntati eius commedit, vt docet D. Auguſtin. libr.11. ſuper Geneſi. cap. 42. & hoc quidem rationabile videtur, *D. Aug.* tum quia ſi Diabolus, non cognouiſſet Adamum eſſe talem, vt in ea re præcibus aſſentiret vxoris, eam ad illum non tranſmiſiſſet, ſed per ſerpentem immediate eum tentaſſet. Tum ſecundo quia ſi Adam talis eſſet, vt decipi ex dictis mulieris poſſet, & deceptus manducaſſet, potius decipi poterat verbis ſerpentis, quæ erant immediate à Diabolo prolata, quia fuiſſent magis artificioſa, & plura dicere potuiſſet, atque ad decipiendum efficaciora, ſed Diabolus non eligit modum illum, atque adeo non putauit Adam decipi poſſe, ſed moueri tamen præcibus vxoris, quia eam diligebat, atq; ita præcibus illius flexus, etſi non putaret ex illo cibo ſe futurum, vt Deus, tamẽ manducauit, complaciturus vxori, ne tædio illa tabeſceret.

Queſt.2. Quæritur ſecundo An Adam fuerit deceptus, & ratio dubitationis eſt: quoniam multi, & in primis graues, & nobiles auctores ſenſiſſe videntur, idq; ſcriptis prodiderunt, Adamũ ſerpẽtis per ſuaſionibus ſtulte credulũ, diuinæque ſimilitudinis, & poteſtatis cupiditate incenſum grauiſſimo cum mentis errore, & fidei iactura fuiſſe deceptum. Ita ſentiũt Ignatius Martyr epiſtola ad Trallianos. Irenęus li.3. aduerſus Hereſes. capit.35. Hilarius can.3. in Matth. Epiphanius in Hereſi 38. Aug. in pſ.68. & libr.14. de Ciuit. capit.17. Leo Papa in ſermone de Natiuitate Domini. Proſper Aquitanus in calce libri aduerſus Caſſianum, & lib.2. de vita contemplatiua. c.29. Cyrillus lib.3. contra Iulianum. Ambroſius in libro de Parad. c.21. & in lib. de elia. & Ieiunio. cap.4. & Greg. Naz. Orat.31. cuius hęc ſunt verba. Peccauit mulier eodẽ quoque modo Adam peccauit, vtrunque ſerpens decepit, atque in fraudem impulit, non altera infirmior inuenta eſt, alter fortior.

Ignatius Martyr. Ireneus. Hilarius. Cyprian. Aug. Leo Papa. Proſper aquitan. Cyrillus. Ambroſ. Gregor. Naz.

Ex altra parte eſt auctoritas D. Pauli. 1. ad Thimot. c.2. dicentis. Adam primus formatus eſt, deinde eua, & Adã non eſt ſedutus, mulier autem ſeducta in pręuaricatione fuit. Ceterum ſententia diui Pauli multipliciter explicatur, Primo vt ſit ſenſus, non fuit Adam primus ſeductus; ſed Eua, quę Adamo poſtea ſedutionis auctor fuit, ita explicant illum locum Epiphanius in Hereſi Quintilianorum Mag. ſent. Haymon, Gloſſa ordinaria Oecumenius, & S.Thom. in commitario eiuſdem loci Pauli.

Explicatur ſentẽtia. Diui Pauli dicentis, Ad non fuit ſeductus. Epyphanius.

Secundo dicitur Adam à Paulo non eſſe deceptum, quia non eſt ſeducitus à ſerpente ſicut Eua. non enim peccauit Adam ſedutus à ſerpente; ſed indulgens voluntati, & cupiditati: Euę, ita ſcribit Chriſoſt. in illum locum, cuius hęc ſunt verba. Non eſt par Adami, & Euę ſeductionis ratio, ille ſeductus eſt à muliere, quę data ei fuerat à Deo, & generis ſocietate conjuncta. hęc aut deceptà eſt à beſtia, quę ſeruituti homini fuerat addita. Paulus ergo in comparatione mulieris dicit Adam non eſſe deceptum.

Magiſt. ſent. Hymon gloſ ſa ord. Oecumenius D. Tho.

Tertio dicitur propterea dixiſſe Paulum ſeductam fuiſſe Euam, nõ autem Adamum; quia in ſacris litteris memoratur deceptio Euę, non autem narratur deceptio Adami, ſimili namque phraſi vſus eſt Paulus in epiſtolam ad Hebreos. cap.7. Scribens Melchiſedec, nec patrem, nec matrem, nec genealogiam, nec initium; nec finem dierum habuiſſe, quia hęc certi myſterij cauſa tacuit Scriptura, Hęc interpretatio indicatur à D.Chriſo. & ex Theophilacto refertur, ab Oecumeio & Hugoni à Sancto Vittore prę cęteras placuit.

D.Chriſ. Occumenius. Hugo.

Quatto explicatur ſic. Adam non eſt ita

ita ſeductus, vt fieret mulieri in prçuaricationem, ideſt auctor eſſet mulieri prçuaricandi,& mulier ſic eſt ſeducta; vt fieret in prçuaricationem Adamo, ideſt eum induceret ad prçuaricandū.

D. Amb. *D. Hier.* *D. Chriſ.* *D. Aug.* Hçc interpretatio eſt diui Ambroſij in lib. de Parad. c. 21. Hieronymi in lib. 1. contra Iouinianum. Chriſoſt. hom. 4. in, 1. Epiſtolam ad Thim. capitu. 2. nec non D. Aug. li. 21. ſupra Gen. c. vltim.

Secūdo ſenſus verborum Diui Pauli ex ipſa Moſis hiſtoria colligi poteſt, nam vere dicere potuit Eua, ſerpens decepit me. Adam vero proprie loquendo, non potuit vere dicere, mulier decepit me, licet ſuadente muliere falſum crediderit. Is enim proprie decipit aliquem, qui ei falſum animo fallēdi perſuadet, & ita ſerpens decepit Euam. qui autem putans verum eſſe quod dicit, tam & ſi re ipſa falſum ſit, id alij perſuadet; Is profecto nō dicitur ſeducere, quem admodum nec doloſus, nec fraudolentus iure vocatur; vere igitur & ſicut in ſcholis dicit̄, formaliter loquendo, Eua non decepit Adamum; licet materialiter loquendo decepiſſe eum exiſtimare poſſit, atque hçc interpretatio, quam etiam tangere videtur *D. Aug.* Auguſtinus prędicto loco, valde congruit propoſito Pauli, qui eo loco argumentatur, mulierem non debere docere: propterea quod etiam dum integra, & incorrupta eſſet, tam infirma tamen, & fragilis iudicata eſt, vt diabolus non ad fallendum Adamum, ſed ad mulierem decipiendam acceſſerit, eamque paruo negotio deceperit.

Ex his omnibus interpretationibus patet ex illo D. Pauli loco, non poſſe concludi, Adamum nullo modo fuiſſe *Ioſephus.* deceptū. Sed in quo fuit deceptus? Ioſephus lib. 1. Antiquitatum dicit quod *Adam in quo fuit deceptus.* Adam fuit deceptus ex eo, quod mulier dixerat illi quod illud non erat lignum vetitum, ſed aliud, ſed hoc inprobatum eſt ſupra, nam oſtendimus Adam ſciuiſſe, quod illud erat lignum vetitum, cuius fructum ei mulier offerebat.

Aliqui vero dicunt, quod Adam deceptus fuit, quia putauit, quod nō morerentur comedentes de ligno, nam cū agnoſceret lignum, ſi crediſſet morituros eos, qui de eo manducaſſent, nollet manducare, & tamen manducauit; ſed in hoc erat decipi, quia hoc fuit vnum de illis, quę Diabolus dixit. nequaquā moriemini, ergo ſeductus eſt.

Sed neque in hoc Adam ſeductus fuit, quod patet ex verbis Apoſtoli: ipſe enim comparat Adam, & Euā in eodem, & dicit, Euam ſeductam, & non Adam, & tamen vnum de eis in quibus Eua fuit ſeducta erat, quia credidit non morituros comedentes. Prꝑterea Doctores communiter docent, quod licet Adam ſeduci potuerit in aliquo, non fuit tamen ſeductus in eo, quod ſerpens dixit, & vnū *D. Aug.* de eis fuit illud. Nequaquā moriemini Vnde D. Aug. 11. lib. ſuper Gen. c. vltimo, inquit alio quodam modo, etiam ipſe deceptus eſt; ſed dolo illo ſerpentino, quo mulier ſeducta eſt, nullo modo illum arbitror potuiſſe ſeduci in illo modo, quo illa potuit. Hanc autem proprie ſeductionem appellauit Apoſtolus, qua id, quod ſuadebatur cū falſum eſſet, verum eſſe putatum eſt. i. q̄d ideo Deus lignum illud tangere prohibuerit, quod ſciebat eos, ſi tetigiſſent, velut Deos futuros, tamquam eius diuinitatem inuidere, qui eos homines fecerat. ſed etiam ſi virum propter aliquam mentis elationem, quæ Deum interiorum ſcrutatorem, latere non poterat, ſolicitauit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem videret, acceptа illam eſca non eſſe mortuam; non tamen eum arbitror, ſi iam ſpiritali mente prædítus erat, vllo modo credere potuiſſe, q̄d eos Deus ab eſca illius ligni inuidendo vetuiſſet; Hactenus Aug. Ideoque Iuxta D. Auguſt. ſent. ſi Adam ſpiritali mente prędit⁹ erat, nullo modo credidit, quod Diabolus ſuggerebat, & tamen primum quod non morerentur commedentes de illo cibo; ideo Adam illud non credidit, Potuit

tuit quidem; quia viderat Euam, ex eſu ligni non eſſe mortuam, in Adam excitari cupiditas experiendi lignum illud, non credidit tamen aliquod de eis, quę Diabolus dixit circa illud ſug gerendo.

Alij dicunt quod ſeductus fuit Adã quia veniale eſſe credidit, quod erat mortale; quod quidẽ eſſe potuit, quia non è inconueniens, cum non ſit cõtra verba Apoſtoli negantis Adam, ſed virum, Vnde dici poteſt, quod quando mulier rogauit Adamum, vt commederet, nihil cogitauit de pręcepto illo, & morte, quam Deus propoſuerat in illo, licet illud ſciret habitualiter; ſicut eſt de in continentibus, qui habitualiter ſciunt, & actualiter ignorant & nõ conſiderant, atque in expertus Diuinæ ſeueritatis in eo falli potuit, vt veniale crederet eſſe commiſſum Dicendum eſt ergo Adam in aliquo fuiſſe deceptũ large accipiendo deceptionem, pro vt eſt putare, aut de finire aliquod eſſe ali ter quam ſit: Nam Adam peccauit teſte ſacra ſcriptura, ſed nullus poteſt peccare niſi ignoret, vt Ariſt. docet lib. 3. Ethy. cap. 3. omnis malus eſt ignorãs. Adam ergo aliquid ignorauit, atque ita ſeductus eſt.

Quæſ. 3. Quęritur tertio, an Adam peccauit ex ignorantia, Pro ſolutione obſeruandum eſt, quod hęc Tria, differunt, neſcientia, ignorantia, & error, iuxta hęc tria, negatio priuationis, & negatio diſpoſitionis neſcientia: enim ſolum modo negat ſcientiam, vnde eſt in beatis, beati namque multa neſciunt, de quibus eis quotidie, aut quando vult Deus fiunt reuelationes Ignorantia autem loquendo abſolute de ea ponit illam negationem, & cum hoc addit debitum ſciendi, atque adeo appellatur negatio priuationis. Error vltro illam negationem ſimplicem, & debitum ſciendi, addit voluntatis affectionem, autem adminus malitiam.

Guliem^o Verilion in. 2. d. 22 q. 1. art. 1. neſciẽtia, ignorãtia & error differunt.

Ignorantia eſt triplex. Secundo obſeruandum eſt quod ignorantia dicitur tripliciter, primo eſt eorum, qui ſunt in via Dei, & recedunt eorum mala voluntate cupientes viam Dei ignorare, & hęc appellatur ignorantia erronea; ſecondo ignorantia eorum, qui ſunt in via Dei, volentes ad viam ambulare veritatis, ſed eligunt in tenebris ambulare, & hęc vocatur ignorantia affectata, de quibus dicitur Noluit intelligere vt bene ageret. tertio dicitur ignorantia eorum, qui ex quadam pigritia, ſeu accidia viam Dei noluit addiſcere, & hęc dicitur ignorãtia Craſſa, & ſupina.

Tertio obſeruandum eſt quod aliquod peccatum poteſt dici commiſſum ex ignorantia tripliciter. Primo modo, ſicut ebrius interficit aliquem, de quo dicit Philop. tertio Ethyc. quod duplices meretur increpationes. Secundo aliquod peccatum eſt cum ignorantia, ſicut cum aliquis peccando omittit aliquam circunſtantiam neſciens, ſicut loquitur in eodem loco philoſophus, Omnis malus ignorans tertio aliquod peccatum ſequitur aliqua ignorantia dum ex animi peruerſitate, intellectus obnubilatur ſicut dicit ſapiens excecauit eos malitia eorum.

Peccatũ poteſt dici cõmiſſum ex ignorãtia tripliciter

Quarto obſ. eſt, qđ dupliciter peccare contingit per ignorantiam, primo modo ita, quod ignorantia peccatum pręcedit, atque ita ignorantia eſt aliquo modo cauſa peccati, & diſpoſitio ad ipſum, ita quod peccans frequenter, non peccaret ſi ſciret, & niſi ignoraret. Secundo modo pro vt ignorantia concomitatur peccatum, ſicut dicimus quod omnis peccans eſt ignorans, nam ex malitia voluntatis peruertitur rectum iudicium practicum rationis, vnde, & qualis eſt vnus quiſque, talis finis ſibi videtur; tertio poteſt ſequi ignorantia peccatum ipſum, quaſi pœna eius.

Baſſolus in 2. d. 22 q. 1. art. 3. Peccare per ignorantiam dupliciter contingit.

Poſtremo obſ. eſt. quod peccatum eſſe ex ignorantia poteſt intelligi dupliciter, ſcilicet proprie, & communiter, priori modo, pro vt diſtinguitur peccatum ex ignorantia, contra peccatum ex infirmitate, & ex induſtria, & hoc modo ignorantia dicit priuationem ſcientię quę non cõpetit homini ex natura,

D. Bona. in diſ. 22. art. 2. q. 1. & Ric. ead. d. artic. 2. q. 1.

ſed merito primę culpę. Poſteriori modo dicitur peccatum ex ignorantia, quod committitur aliqua neſcientia exiſtente circa peccantem, ratione cuius, nec conſiderat grauitatem culpę. nec grauitatem, pœnę.

His obſeruatis dico primo quod peccatum primi parentis non fuit ex ignorantia, quę eſſet error pręcedens peccatum, quia ſecundũ D. Aug. li. 3. de lib. arbitrio. error eſt pœna damnati hominis, approbare enim falſam pro ueris, & reprobare vera pro falſis, eſt pœna hominis pro peccato, Vnde dicit D. Aug. in Enchiridió propter peccatum inflicta eſt in nobis ignorantia rerum agendarum; & concupiſcentia noxiarum, & Beda dicit Infirmitatem, Ignorantiam, Concupiſcentiam, & Malitiā propter peccatum fuiſſe nobis inflictas ſed pœna non pręceſſit peccatum, ergo & hoc eſt verum tam de ignorantia facti, quàm circunſtantiarum, quia Adā in aliquo ante peccatum non errauit, & ſciuit eſſe contra pręceptum Diuinum commedere de ligno vetito nec extimauit aliquod bonum per ſe prouenire, ex quo ſequitur, quod peccatũ primi parentis non continetur ſub illa diuiſione, qua dicitur quod omne peccatum, aut eſt ex ignorantia, aut &c. illa enim diuiſio peccati eſt ſecundum ſtatum naturę lapſę.

D. Augu. *D. Augu.* *Beda.*

Secundo Dico, quod primi parentes antequam peccarent haburentur aliquam neſcientiam, omnis enim credēs mortale eſſe veniale habet aliquam neſcientiam, ſed hoc credidit Adam, ergo &c. Eua, etiam dixit ſerpens decepit me, non enim eſt veriſimile, quod ſi ſciuiſſent tantam pœnam eorum peccatum ſequi debere, quod peccaſſent.

Dico tertio, quod peccatum primorum parentum dici poteſt ex ignorantia fuiſſe, ex ignorantia inquam alicuius concomitantis peccatum, nam ſequela culpę fuit mors tam ſpiritualis quam corporalis, non ſolum ipſorum primorum parentum, ſed etiam omnium aliorum ab eis deſcendentium, ſed hoc ipſi ignorauerunt, nec ſequi ad eorum demeritum crediderunt, licet ſciuerint hoc diuinitus ſibi eſſe prędictum. Hoc patet auth. D. Aug. lib. 11. ſuper Gen dicētis. Arbitror, quod mulier peccauit, Deum alicuius ſignificationis cauſa dixiſſe, ſi mãducaueritis, morte moriemini, atque adeo tulit, & commedit, deditque viro ſuo, fortaſſe cum verbo perſuaſorio, quod ſcriptura tacens intelligendum relinquit; aut forte nec ſuaderi iam opus erat viro, quando iam eo cibo mortuam non eſſe cernebat; ex quibus verbis apparet, quod nec vir credidit, ſeu certitudinaliter agnouit, ſe ex peccato inobedientię moriturum, quod Euam poſt peccatum ipsũ, viuam cernebat, nec etiam mulier; propter quod reſpondit tentati Diabolo dubitādo. Vnde Hugo de ſacramentis lib. 1. p. 2. c. 4. ſic ait. Deus dixit, quocunque die commederitis morte moriemini, deinde mulier dixit, ne forte moriamur. ſerpens nouiſſime intulit nequaque moriemini. Deus affirmauit, mulier dubitauit, Diabolus negauit, ex prędictis ergo videtur corrolarie concludendum tam in viro, quam in muliere quandam fuiſſe neſcientiam, quę non fuit pœna, ſed quædam naturalis in perfectio, magis reperta in muliere, quam in viro; Mulier enim ignorauit. Vtrum ſerpens ſibi verum, vel falſum ſuggereret ignorauit etiam ſeueritatem diuinę inſtitię Vir autem alterũ horum dicitur ignoraſſe, videlicet diuinę iuſtitię ſeueritatem, in hoc, quod extimauit de illa transgreſſionem cito veniam inuenire, inexpertus enim erat ſe ueritatem Diuinę Iuſtitię.

D. Aug. *Hugo.*

Quęritur quarto, cum dictum ſit primos patētes antequā peccaſſent habuiſſe quandam neſcientiam, qualis nam fuit hęc neſcientia, videlicet an iuris, an facti, an vincibilis, vel inuincibilis & vnde habuit ortum. Ad primum dico quod non fuit ignorantia iuris quo ad principale, ſciebant enim pręceptū à Deo emanaſſe, ſed bene ignorantia iuris, quo ad aliquam circunſtantiam. nō

enim

Queſ. 4. Gulielm. Vorilion vbi ſupra Ignorantia Adami nō fuit ignorātia iuris nec facti.

Digitized by Google

enim ſciebat, tantam pœnam ſequi debere, nec erat alia neſcientia in facto quia ſciebant, quod Dominicum transgrediebant præceptum.

Ignorantia Adæ fuit vincibilis. Ad ſecundum dico, quod eorum ignorantia fuit vincibilis; potuiſſent enim ſi voluiſſent conferre ad inuicem Diuinum præceptum, & Deus non ſubtraxiſſet manum ſuam, atque ita inueniſſent quod quanto præceptum erat facilius ad cuſtodiendum, tanto maior debebat eſſe punitioni ſi nō ſeruaretur, nec non de eorum ſtatu, ac etiam de alijs cogitare potuiſſent.

Ad tertiū dico, qđ neſcientia in nobis, atque adeo in ipſis ortum habuit: quia cum ſimus creaturę, omnia ſcire nequimus, imo, & Angeli ipſi, aliquam habent neſcientiam, nec eſt eis pœna, adeo quod aliquo neſcire, non eſt tantum parui intellectus, ſed etiam maximi intellectus, præter Diuinum; cum inter omnes creaturas intellectuales, tā bonas, quam malas ſit maxima, lucifer idest altioris naturę intellectualis, vt Docet D. Greg; & magiſter lib. 2. ſent. diſtinct. 6. Ille tamen deceptus fuit, quia peccauit imo ille eſt, qui primo deceptus eſt. vide, quę docet doc. ſub. in. 2. diſtinct. 6.

D. Greg. Papa magiſter ſen.

Queſ. 5. Alex. de Ales p. 2. q. 104. in 2. D. Bon. in 2. d. 22. artic. 1. q. 2. & Rica. ead. d. ar & 9. D. Aug.

Quęritur quinto. An Adam peccando apperijt ęqualitatem Dei? & videtur quod ſic, quia D. Aug. ſuper pſal. 68. explicans illa verba. Quę non rapui tunc exoluebam. Inquit rapuit Adam, & Eua, præſumentes, vt Diabolus de Diuinitate, rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt fœlicitatem. Et ſuper illud pſalm. 82. Deus quis ſimilis tibi, idem D. Auguſt. inquit. Qui per ſe vult eſſe Deus, peruerſe vult eſſe ſimilis Deo, vt Diabolus, q̄ noluit ſub eo eſſe, & homo, qui noluit, vt ſeruus teneri pcepto; ſed voluit, vt nullo ſibi dominante, eſſet quaſi Deus. Item ſuper Epiſtolam ad Philipp. cap. 2. explicans illa verba. Non rapinam arbitratus eſt &c. inquit non rapinam arbitratus eſt Chriſto ſe eſſe æqualem Deo; quia non vſurpauit, quod ſuum non eſſet, vt Diabolus, & primus homo: Apparet ergo ex dictis, quod Adam vſurpauit ſibi diuinitatem, & voluit eſſe ſicut Deus.

Caiet. Caietan. 2. 2. quæſtio. 163. articul. 4. inquit quod in viro fuit aliqua voluntas non quidem determinata, ſed quaſi ſub conditione, qua apperijt æqualitatem Dei. ad hunc ſcilicet modum, reputans ſecum, vellem eſſe, ſicut Deus ſi fieri poſſet, per quem modum etiam impoſſibilia volumus, vt vellet homo eſſe immortalis, quod ſcit eſſe pro nunc impoſſibile, etiam vellet habere montem aureum, cum tamē ſciat nullum eſſe montem aureum, neque etiam poſſibile eſſe illum, ita vir ſciens eſſe impoſſibile, quod homo fieret æqualis Deo, vellet eſſe qualis Deo quadam volitione indeterminata, & conditionata, ſcilicet ſi poſſibile eſſet haberi, non autem per electionem, neque per determinatam volitionem.

Cæterum hæc opinio licet verum ſupponat, eſt tamen contra intentionē D. Auguſtin. cum dicat ille, quod rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt fœlicitatem, atque ita velle rapere diuinitatem, fuit in eis peccatum cum propter hoc perdiderint fœlicitatem, & tamen peccatum non eſt ſine determinata volitione, quia per electionem peccamus, atq; adeo volitio, qua voluerunt rapere diuinitatem fuit determinata.

Magiſt. ſent. Magiſter Sentent. in 2. diſt. 22. dicit, quod aliqui dicunt, quod Eua voluit eſſe ſicut Deus, quia putauit illud poſſibile; ſed non vir, & cum dicitur de Adam, intelligunt de Eua, quæ formata eſt de Adam, ſed hæc ſolutio ſtare non poteſt, tum quia non eſt intentioni, & verbis D. Auguſtini conſentanea, nam de Ambobus loquitur dicens, Adam, & Eua præſumentes, vt Diabolus &c. cum autem exprimitur Eua, intelligitur ipſa, & tamen additur vltra Adam, ergo oportet intelligi de ipſo, ſcilicet quod ipſe voluerit rapere diuinitatem, tum quia dicitur rapere voluerunt

runt

Digitized by Google

runt diuinitatem & perdiderunt fœlicitatem, quod de ambobus intelligitur, quia alias diceretur, & perdidit fęlicitatem, cum ergo ambo perdiderint fœlicitatem, ambo rapuerunt diuinitatē, ideſt rapere voluerunt, & non ſola Eua formata de Adam.

Ricardus

Ricardus in 2. di. 22. art. 1. q. 2. dicit quod neque Eua, neque Adam æqualitatem Dei appetiuere, non enim eſt veri ſimile, mulierem maiorem appetiuiſſe excellentiam, quam Diabolus promiſerat. Cæterum vt haberi poteſt ex litera, Diabolus non dixerat, eos habituros Dei æqualitatem, ſi de prohibito ligno commederent, ſed Dei ſimilitudinem. Hoc enim aduerbium (ſicut) non eſt nota ęqualitatis, ſed ſimilitudinis.

Appetiuit ergo vterque aliquā Dei ſimilitudinem in excellentia eis ſimpliciter indebita, vel ſaltem pro illo ſtatu, pro quo eam habere cupiebant. Dicti sūt autem Adam, & Eua rapere voluiſſe diuinitatē propter hoc, quod excellentiam propriam intenſius dilexerūt, quam Diuinam, non quia appetiuerūt Dei ęqualitatem.

Quidam vero dixerunt, quod Adā id ipſum appetijt, quod mulier ſed non credidit, ſicut mulier, & propter hoc factus eſt ſuperbus, ſed non dicitur fuiſſe ſeductus. Appetere, enim poteſt quis aliquid, & tamen non credere adhoc peruenire; multa quidem cupimus, ad quę non ſperamus nos perventuros: quia non quid poſſit, ſed quid velit attendit ambitionis faſtigium.

Cœterum hęc opinio verbis D. Auguſtini nō conſonat, imo expreſſe videtur ſentire contrarium, nec videtur eſſe credibile, quod vir appeteret aliquid, ad quod crederet ſe non poſſe peruenire, cum ante illud peccarum valde ordinatus eſſet. Vnde inquit D. Auguſtin. non arbitror virum, ſi iam ſpirituali mente præditus erat, credere quod Diabolus promittebat.

Adam nō appetijt æqualitatē Dei directe.

Dicendum eſt ergo quod Adam nō appetiit æqualitatem Dei directe, & formaliter, ſed tantum interpretatiue, ſicut omnis peccans ſecundum, quod dicit Anſelmus de caſu Diaboli, vult rapere æqualitatem Dei, imo vult eſſe maior Deo in eo, quod volūtatem ſuam vult præferre voluntati diuinæ non obediendo voluntati eius, & hoc eſt ſolum interpretatiue, & non formaliter appetere æqualitatem Dei, atque ita tantum interpretatiue, & non formaliter appetierunt tam homo, quam Angeli mali æqualitatem Dei, & ad authoritates in oppoſitum, docet reſpondere D. Bonau. in 2. diſt. 22. artic. 1. quæſt. 2. tripliciter. Primo vt capiatur rapere diuinitatem communiter, quomodo omne peccans mortaliter vult eſſe æqualis Deo, imo maior ſecundum Anſel. quia vult contra Dei mandatum, atque ita Adam Diuinum contempſit imperium, & voluntatem ſuam Diuinæ prætulit iuſſioni, & ſe ſibi tanquam Deo ſubiecit, & ex hoc Deo æquiparari voluit. Secundo vt intelligatur, per Adam mulier: quia de Adam ſumpta eſt per ſinedochen, vt quod eſt parti, attribuatur toti, vnde ſancti quod appetiit alter; frequenter per ſinedochen attribuūt vtrique; aut Tertio quia non correxit vxorem ſuā, cum enim ipſe eſſet mulieri præpoſitus, ipſam non compeſcuit, vnde ſibi imputatur culpa mulieris, ſicut peccatum ſubditi imputatur prælato, dum non facit debitum ſuum.

Sco. in 2. d. 21. q. 1. ad vltim.

D. Bonauentura.

Vel aliter poteſt reſponderi Adamum, non concupiuiſſe æqualitatem Diuinę poteſtatis, & ſcientię, ſed tantum quandam ſimilitudinem poteſtatis & ſcientię Dei, quę quidem perſe, & ſimpliciter nō erat impoſſibilis Adamo; non erat tn̄ poſſibilis ei propter legem, & ordinationem De contrariam. Illa vero ſimilitudo ſcientię, & poteſtatis Dei, in tribus erat poſita. Primum liberum eſſe à ſubiectione, & obligatione legis, ſaltem poſitiuę, tum habere ſcientiam omnium bonorum, & malorum ſine vlla exceptione; tam pręſentium quam futurorum; Denique non

ciendum;

extrinſecus determinati ad hoc agendum potius,quam illud,vel ad hoc faciendum; & non illud, quorum primum poſt ſuam Translationem ſine morte media habuiſſent,ſiſteriſſent ſed alia duo nunquam habuiſſent:

Nullum tamen iſtorum trium credo virum appetiuiſſe, non,enim videtur probabile, quod vir tanta ſcientia preditus exiſtimauerit, hoc poſibile, nec quod appetiuerit, quod poſibile non exiſtimabat vt diximus, ſupra ex D.Aug.

Queſ.6. Rubion vbi ſupra Quęritur ſexto,an primum Adę peccatum fuerit ſuperbia. Dicendũ quod iſta eſt quęſtio facti, circa quam non poteſt multum efficaciter ratiocinari, & ſcriptura non determinat expreſſe, quod autem de ſcripturis non habet auctoritatem,eadem facilitate contennitur, qua probatur. Ex ſcripturis autem conſtat,quod primi parentes non peccauerunt alio modo, quã peccato in obedientię,& Gulę, licet enim Diabolus quando mulierem tentauit, ipſi ſcientiam promiſerit,tamen quod ipſa mulier eam concupiuerit & per conſequens,quod peccato ambitionis,vel ſuperbię peccauerit non habetur;ſed tantum peccatum Gulę Exprimitur,cum ſubiungitur. Vidit igitur mulier,quod bonum eſſet lignum ad veſcendum &c. In his verbis euidenter apparet, quod nullum aliud peccatum exprimitur mulieris,niſi tantum peccatum Gulę, & in obedientiæ; & non dicitur, quod fuerit elata,nec quod ex ambitione ſcientię,ſed ex pulchritudine,& delectatione ipſius ligni vetiti ad eius esũ fuerit inclinata.

Quantum ad uirum autem,nihil ibi exprimitur, niſi quod mulier poſtquã viro dedit,qui etiam comedit, ex quo ſequi videtur,quod peccatum primorum parentum, quod in ſacra ſcriptura exprimitur, non fuit peccatum ſuperbiæ,ſed Gulæ, & in obedientiæ; Verum antem, vltra illud peccatum aliud commiſerint,puta ſuperbiæ, vel aliquod aliud. Dico quod probabile eſt quod ſic, non eſt tamen ſic certum ſicut de peccato Gulæ, quia nec eſt in ſcriptura expreſſum.

Sancti ẽt de primo hominis peccato uarie loquunť,atq; adeo de hac re ſunt opiniones diuerſę. quidam enim dicũt quod Adam id ipſum, quod mulier appetijt, concupiuit, ſed non credidit ſicut mulier, & propter hoc factus eſt ſuperbus,ſed tamen non dicitur fuiſſe ſeductus.

Quidam vero dicunt,quod vir in appetibili, & principali motiuo non fuit conformis mulieri tranſgrediendo, licet ei eſſet conformis in tranſgreſſione mandati Diuini, vterque enim inobediens fuit, ſed aliter vir, quam mulier ad inobedientiæ culpam prolapſus eſt. Non enim vir primum comedit, propter appetitum excellentiæ in ſui aſſimilatione ad Deum,nec propter appetitum ſufficientiæ in multorum cognitione,nec propter appetitum ſuauitatis in cibi deguſtatione, ſicut fecit mulier,fuit tamen in viro quædam ſuperbia, quædam auaritia, & quædam laſciuia, per quas perductus eſt ad inobediendum,quodam enim modo ſuperbiuit, dum ſe nimis magni præcij eſſe apud Deum exiſtimauit, & tanti, vt propter commeſtionem illius cibi, non incurreret grauitatem alicuius ſupplicij,ſed de facili conſequereť veniam de offenſa. fuit etiam quædam auaritiam, dum curioſe ſcire voluit, quod ſibi eueniret, dum cibum vetitum deguſtaret, fuit etiam quædam laſciuia, non carnalis delectationis, ſed cuiuſdam amicabilis affectionis, qua frequenter fit vt offendatur Deus,ne contriſtetur proximus,hoc autem fecit Adam,dum comedere voluit, ne ſuas delitias contriſtaret hoc eſt, ne mulierem offenderet. *D. Bona. di.22. ar. 1.q.2.* *In Adã fuit ſuperbia, auaritia,& laſciuia,quibus perductus eſt ad inobedientiam.*

Adeo quod iuxta ſentent. D. Bonauent. Adæ peccatum ex hoc ternatio perfectum eſt. primo enim cogitauit ſe magni ponderis eſſe apud Deum,in tantum, vt propter comeſtionem ligni non incurreret grauitatem alicuius ſupplicij. *D. Bonauentura.*

plicii. vnde ſuſpicatus eſt peccatum ſuum fore veniale. Dicit enim Diuus Auguſtin. 11. ſuper Geneſi. non eſſe putandum, quod homo à primo ſtatu deiiceretur, niſi præceſſiſſet in eo quædã elatio deprimenda. Secundo appetiit ſcire, quod ſibi eueniret, ſi de ligno ſciẽtiæ boni, & mali comederet, non quod ſuſpicaretur, quod eſſet, ſicut Deus, quia non fuit ſeductus; Vnde dicit Auguſt. Voluit Adam lignum vetitum experiri, cum non videret Euam mortuam. Tertio noluit ſuas contriſtari delitias, ſcilicet vxorem, ſuſpicans, quod moreretur niſi ei, (vt inquit) Auguſt. in facto hoc condeſcenderet.

Alex. de Ales p. 2. q. 104. m. 1. Sed dubium eſt, quod nam fuerit primum Adæ peccatum, ex dictis enim habetur, primum hominem multis Generibus peccatorum deliquiſſe; ſed quod nam fuerit primum eius peccatum, non habetur. Alexander de Ales. 2. p. q. 104. m. 1. tenet qđ peccatum illud, quo primo motus fuit Adam ad peccandum fuit ſuperbia: appetebat enim (inquit ipſe) ſcientię Diuinę ſimilitudinem, ſicut Diabolus ſimilitudinem Diuinę potentię appetijt & ex hoc appetitu proceſſit vlterius ad appetendum fructum prohibitum, & demum ex appetitu ſecuta eſt commeſtio, quod confirmat auth. D. Aug. ad *D. Augu.* Oroſiũ dicetis, elatus ſuperbia, ſuaſioni ſerpenti obediens, præcepta contempſit, & comprobatur auth. Eccleſiaſt. 10. Initium ſuperbię hominis eſt apoſtatare à Deo, quoniam ab illo, qui fecit illum, receſſit cor eius, quod manifeſte docet D. Bern. ſuper cant. ambo. *D. Bern.* ſcilicet Diabolus, & homo meditati ſunt, altitudinem affectantes, ille potentię, iſte ſcientię.

Ricc. in 2. d. 22. art. 1. q. 2. Eamdem ſententiam docet Ric. in 2. d. 22. artic. 1. q. 2. dicens quod appetitui mulieris, appetitus viri in aliquo fuit conformis, & in aliquo difformis. Conformes enim fuerunt mulier, & vir in nimis diligendo propriam excellentiam, iam habitam; In tantum eam dilexerunt intenſe, quod eam Diuinę excellentię propoſuerunt, & hęc fuit prima ipſorum ſuperbia; non enim eſt tantum ſuperbia in appetendo excellentiam indebitam, non dum habitam, ſed etiam indiligendo nimis intenſe, iã habitã, ex qua ſuperbia mulier & vir iam obtenebrati, in aliam proſiliere ſuperbiam, ſcilicet in appetendo excellentiam indebitã, nõ habitam, ſcilicet Dei ſimilitudinem, & hęc ſententia, quod primum Adę peccatum fuerit ſuperbia eſt apud doctores communis. Cæterum, vt bene notauit Caie. 2. 2. q. 163. art. 4. non eſt vndequaque clarũ, quod nam fuerit primum Adę peccatum: *Caieta. 2. 2. q. 104. art. 4.* ſcriptura enim circa peccatũ Euę tot dicit, vt ex illis colligatur Euę ſuperbia; Nam conferendo promiſſa à Demone mulieri, cum ſeductione ipſius, quã tradidit Apoſtolus apparet, quod decepta eſt credendo promiſſis, & appetendo ipſa, in quibus manifeſte excellentia Diuinę ſimilitudinis proponitur. ſed circa peccatum Adę Apoſtolus negando ſedutionem, non reliquit Ianuas apertas, vt cępto itinere peccatũ progrederetur, & propterea obſcurum remanet, quid appetierit Adam. Alij namque ex negatione ſeductionis, negationem appetitus ſimpliciter acceptant, ſed non negationem appetitus conditionati; itaque dicunt, quod Adã quia non fuit ſeductus. ideo non appetijt eſſe ſimpliciter ſicut Deus, vt Eua appetijt, ſed appetijt conditionate, ſi poſibile foret eſſe ſicut Deus, & hanc viam, quam dicunt eſſe Aug. lib. 11. ſuper Gen. dicentis, quod virum propter *D. Aug.* aliquam mentis elationem, ſolicitauit quędam experiendi cupiditas, cum mulierem videret accepta illa eſca non eſſe mortuam, ſecuntur Mag. ſent. & D. Thom. atque ipſe Caiet. *Magiſt. ſent. D. Tho. Caiet. Sc. in diſ. 21. q. 1.*

Alij vero ex negatione ſeductionis inferunt negationem appetitus à Demone promiſſorum; & hanc viam ſequitur Doct. ſubt. qui rem altius atque ſubtilius conſiderans, inquit quod primum Adę peccatum non fuit ſuperbia, ſed mulieris immoderata dilectio, pro-

pro cuius ſententię explicatione.

Actus voluntatis eſt duplex

Obſeruandum eſt primo quod duplex eſt actus voluntatis loquendo in communis. ſ.velle & nolle, velle idem eſt quod amare, nolle idem eſt, quod odiſſe; Velle eſt actus, quo voluntas acceptat, & amat aliquod obiectum, quod eſt conueniens; nolle eſt actus, quo fugit diſconueniens, vel renſilit ob obiecto diſconueniente.

Velle voluntatis eſt duplex.

Secundo obſeru. eſt quod velle, ſiue amor voluntatis duplex eſt, ſcilicet velle ſiue amor amicitię, & velle ſiue amor concupiſcentię. Velle amicitię eſt obiecti primo voliti, & amati cui volo bonum, ſicut amor proprius reſpectu filij proprij, dicitur amor, ſiue velle amicitię quia eſt filij, vt obiecti cui vult bonum, Velle autem, ſiue amor concupiſcentię, eſt reſpectum obiecti ſecundario voliti, quod volo alteri prius dilecto, ſicut amor Patris reſpectu excellentię, & diuitiarum, quas filio concupiſſit, & amat; quaſi alteri prius amato. Vnde cum Pater vult filio excellentiam, & diuitias, illud uelle, eſt amor concupiſcentię: quia eſt amor vnius obiecti quod vult, & concupiſcit alteri obiecto, prius volito, & amato, ſcilicet filio amor itaque quo diligitur filius, eſt amor amicitię, amor vero, quo diligitur filio excellentia, eſt amor concupiſcentię.

Ordo qualis ſit iter actus voluntatis.

Tertio obſ. eſt inter iſtos tres voluntatis actus talem eſſe ordinem; quod nolle, quodlibet pręſupponit aliquod velle, & omne odium pręſupponit aliquam amorem, & omne velle concupiſcentię pręſupponit velle amicitię; cuius ratio eſt ſecundum Scot. quia nihil odio, & à nullo refugio, niſi, quia non poteſt ſtare cum aliquo, quod accepto volo, & amo, tamque conueniens; Nā ſi homo odit mortem, hoc ideo eſt, quia prius diligit vitam, odit infirmitatem, quia prius vult, & amat ſanitatē. & D. Anſel. lib. de caſu Diaboli c. 3. ponit exemplum de Auaro, qui non vult panem emere, quia vult nummum retinere. ſimiliter velle concupiſcentię, pręſupponit velle amicitię. nam amatum amore amicitię habet rationem finis, amatum vero amore concupiſcentię, habet rationem entis ad finem ſicut filius amatus, habet rationem finis, excellentia amata filio, vel concupita; habet rationem entis ad finem. Prius autem eſt finis his, quę ſunt ad finem, atque adeo velle concupiſcentię, quod eſt ens ad finem pręſupponit velle amicitię; quod eſt ipſius finis. Prius enim diligo aliquem amore amicitię, quam concupiſcam ſibi bonum aliquod amore concupiſcentię: Atque ita omne nolle pręſupponit aliquod velle, & omne velle concupiſcentię pręſupponit aliquod velle amicitię.

Scotus.

D. Anſelmus.

Ordo inter actus volūtatis quo ad malitiā, & bonitatem.

Scotus.

Quarto obſ. eſt, quod talis eſt ordo inter iſtos actus voluntatis quod ſi uelle amicitię eſt ordinatum, & bonum & velle concupiſcentię eſt ordinatum, & nolle ſequens eſt ordinatum ſi autem uelle amicitię eſt inordinatum, & malum, ita velle concupiſcentię, & nolle ſequens ſunt in ordinata. Cuius ratio eſt ſecundum Sco. quia ſi ego ordinate amore amicitię diligo Deum propter ſe, & filium meum in Deum, vel propter Deum, ordinate etiam concupiſco honorem debitum Deum, & honorem debitum filio meo, & conſequenter odio, & nolo vituperium Dei, & vituperium filij mei. ſimiliter ſi inordinate diligo filium meum, amore amicitię inordinate concupiſco ſibi honores, & diuitias, puta cōtra iuſtitiam, & contra diuinam voluntatem, & per conſequens inordinate odio, & nolo eius vituperium, & paupertatem. Ex quo patet quomō amor amicitię ſiue ordinatus, ſiue in ordinatus, sēper pręcedit velle concupiſcentię, & nolle, ſiue odium ſequens.

Primū hominis peccatum eſt communiter ī amore voluntatis in ordinato.

Doc. ſub.

Quinto obſ. eſt, quod in amore voluntatis in ordinato communiter eſt primum hominis peccatum, & primus amor inordinatus voluntatis eſt in ordinatus amor ſui ipſius, nam vt docet Doctor. ſub. in primo. diſtinct. 1. quęſt. 5. in malis proceditur ab amore ſui vſ-

que

quæ ad contemptum Dei, iuxta Doctrinam D. Auguſtin. libr. 4. de Ciuit. capi. vltimo. Ex quo ſequitur, quod ex iſto inordinato amore amicitię ſui ipſius, oriuntur inordinati amores concupiſcentię videlicet inordinatus amor de lectationum, quo ad concupiſcentiam carnis, inordinatus amor diuitiarum, quo ad concupiſcentiam oculorum, & inordinatus amor honoris, & excellentię, quo ad ſuperbiam vitę.

D. Aug.

Scotus.

Dicit ergo Scot. quod cũ primum peccatum Adę non fuerit nolle; quia omne nolle pręſupponit aliquod velle, nec ſecundo fuerit velle amicitię reſpectu ſui q̃a licet Angelus peccauerit i. amore amicitiæ, nõ eſt ita de homine: Angelus enim per eſſentiam ſuam intelligit ſe primo, & homo prius intelligit alia, quam ſe, & vtitur obiecto ſenſibili in ſuam cognitionem Primo igitur peccatum Adę fuit in uelle. Volendo, ſcilicet & amando vxorem amore amicitię inordinato, quod factum fuit quod magis vellet diſplicere Deo, quam vxori, atque ita ab ea inductus comedit, eſt enim veriſimile, cum ipſa fuerit ſeducta & crediderit Diabolo, ſe poſſe Dei æqualitatem conſequi, ac etiam boni, & mali ſcientiam, ſi vir ſuus vna ſecum comederet, quod acceſſerit ad Adam, eique vt commederet ſuaſura, ipſo autem nolente, videns ex hoc ſe quod credebat haud conſequi poſſe, quod effecta fuerit triſtis, atque adeo Adam ipſam męſtam conſpiciẽs, credidit, ſi ei non conſentiret, quod tabeſceret, atque ad maciem ex Triſtitia de veniret, imo à ſe derelictam, quod interiret omnino, atque adeo maluit Deo diſplicere, quam vxori. Cuius cauſa fuit inordinatus amor amicitię ad eam, non amor concupiſcentiæ & libidinis; quia illa non dum erant in Adam cum eſſet innocens, ſed grauiter errauit, ſecundum ſanctos quia debuit eam corrigere, & docere, quod propter eſum illius ligni non conſequeretur æqualitatem Dei, quia ipſe non fuit ſeductus, atque adeo non credidit ille, quæ dixerat Diabolus, ſed non corripuit; ſed quis ſcit, quod eam non corripuerit? ſed mulieres aliqua affectione affectę, non de facili ſuſcipiunt diſciplinam, magis enim credidit Diabolo, quam viro. Hæc ſententia Doct. ſub. fundamentum habet in verbis. D. Auguſt. lib. vndecimo ſuper Geneſ. capitul. vltimo vbi ita ſcribit. Sicut Salomon, vir tantæ ſapientiæ non eſt credendum, quod in ſimulacrorum cultu, aliquid eſſe vtilitatis crediderit; ſed mulierum amori adhoc malum trahenti reſiſtere non ualuit, faciens, quod ſciebat non eſſe faciendũm, ne ſuas quibus deperibat, atque diffluebat mortiferas delitias contriſtaret. Ita, & Adam, poſt quam de ligno prohibito ſeducta mulier manducauit, eique dedit, vt ſimul ederent, noluit eam contriſtari, quam credebat poſſe ſine ſuo ſolatio contabeſcere, ſi ab eius alienaretur animo, & omnino illam interire diſcordiam. Non quidem carnis concupiſcentia, quam nondum ſenſerat in reſiſtente lege membrorum, legi mentis ſuæ, ſed amicabili quadam beneuolentia qua plerumque fit, vt offendatur Deus; ne homo ex amico fiat inimicus, quod eum facere non debuiſſe, diuinæ ſententiæ iuſtus exitus indicauit Hæc D. Auguſtin.

D. Aug. ſ

Eadem fere ſcribit ipſemet D. Auguſtin. libr. decimoquarto, de Ciuit. Dei. capitul. vndecimo quaſi in fine. His verbis; ſicut, enim Aaron erranti populo ad Idolum fabricandum non conſenſit inductus, ſed ceſſit obiectus nec Salomon credibile eſt errore putans idolis eſſe ſeruiendum, ſed blanditijs fœmineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum; ita credendum eſt illum virum, ſuæ fœminæ vni vnum, hominem hominj; coniugem coniugi ad Dei legem tranſgrediendam, non tanque vera loquenti

quenti crediſiſſe ſeductum, ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe. Adam itaque nimio, & inordinato affectus amore, erga vxorem primo peccauit, cunque videret mulierem, accepta illa eſca, non eſſe mortuam, propter aliquam mentis elationem, quæ Deum interiorum ſcrutatorem latere non poterat, voluit cupiditate experiendi motus complere illud, quod non licuit, ſcilicet comedere de ligno vetito. fuit itaque iſte ordo in peccato Adę primo immoderate mulierem dilexit, videnſque eam non mortuam ex ligni eſu, in ſuperbiam elatus, & ipſe voluit experire, quod ſibi mulier ſuadebat. præponderauit enim ſe maiorem eſſe in conſpectu dei, quam eſſet; & per hoc paruipendit Diuinum præceptum. Tertio Tranſgreſſus eſt diuinum præceptum, quia commedit de ligno vetito; peccato Gulę peccauit.

Queſt.7. *Alex. de Ales p. 2. q.136. m. 5.& 9.& q.104. & 3. Scot. in 2.d. 22. q.1.* Quæritur Septimo an primorum hominum peccatum fuerit omnium peccatorum grauiſſimum? *Peccati grauitas multis ex rebus eſti mari pot. Scotus. D. Tho.* Grauitas peccati multis ex rebus extimari ſolet, vt docet Alexand. de Ale p.2. quæſt. centeſimatrigeſima ſexta m.ſ. poteſt, enim comparari ad fundamentum, atque ita peccatum illud maximum dicitur quod omnis boni, atque ſpiritualis, edificij deſtruit fundamentum, & quia fides eſt fundamentum omnis boni, & ſpiritualis edificijs vt innuit Scotus in prologo. 1.q. 2.& docet, S. Thom. 2.2.q. ſecunda. art. tertio, quia eſt ſubſtantia ſperandarum rerum &c. ſine qua inpoſibile eſt placere Deo ad Hebr. vndecimo hinc eſt, quod infidelitas, quæ fidem deſtruit, quæ eſt totius boni, & totius religionis fundamentum, eſt peccatum maximum, & grauiſſimum ratione deſtructionis primi fundamenti. Vnde ſuper illud Tre, i. peccatum peccauit hieruſalem dicit Gloſſa *Gloſſa.* Infidelitas eſt peccatum, quo retento, retinentur omnia, & quo ablato, auferuntur; atque adeo non credentes Chriſtus Dominus Mat. decimooctauo ſimiles eſſe dicit ethnicis, & publicanis; Si eccleſiam non audierit, ſit tibi tamque ethnicus, & publicanus, & iam à Deo iudicatos Io. tertio. Qui autem non credit, iam iudicatus eſt, atque ita in comparatione ad fundamentum boni, Infidelitas eſt grauiſſimum, & maximum peccatum.

Secundo comparari poteſt peccatum ad remedium, quod eſt pœnitentia per quam in adultis deletur peccatum; vt docet ſco. in. quarto. diſtinct. decimaquarta & decimaſexta, atque ita illud peccatum dicitur maximum, & grauiſſimum, quod potiſſime, & maxime pænitentiam tollit, minoremque habent ad pœnitentiam diſpoſitionem atque maxime pœnitentiæ eſt contrarium, & hoc modo peccatum in ſpiritum ſanctum eſt omnium peccatorum maximum, plus enim remedium peccati aufert, quam aliquod aliud peccatum, minus que habet de motiuo, atque inductiuo ad Pœnitentiam, quam aliquod aliud peccatum. eſt autem ſecundum ſco: in 2.d.43. art. 1.&. 2. peccatum in ſpiritum ſanctum, quod ex certa malitia, non ex ignorantia, vel infirmitate eſt per patratum, atque etiam peccatum diſperationis, & peccatum finalis inpenitentiæ. i. propoſitum non pœnitendi. In quo peccato incidunt peſſimi homines, vt dicit D. Auguſtin. de fide ad Petrū; ſicut Caym, qui dixit Gen.4. Maior eſt iniquitas mea, quam, vt veniam merear. *Scotus. D. Aug.*

Tertio comparari poteſt ad vinculū ſeu vnitatem eccleſiæ, atque ita illud peccatū dr̄ maximū; quod magis proprie, & directe ſoluit vinculum, & vnitatem in ecleſia, in qua vnitate datur ſpiritus ad remiſſionē peccatorū, & reuocandum ad bonum. Dicit, n. D. Aug. quod in æternitate eccleſię ratione claiuū datur ſpiritus ad remiſſionē peccatorum, & hoc modo diſcordia ſchiſmatis, dicitur eſſe maximū peccatum *D. Augu.*

tollit,

Digitized by Google

tollit enim vnitatem eccleſiæ. Vnde Gloſſa ſuper illud 1. Corint. 11. audio ſciſſuras eſſe inter vos dicit. Primū malū diſſentio eſt ex qua cętera oriudtur.

Quarto poteſt comparari ad tertium ſeu ad finē creaturæ rationalis, ad quē tendit, & in quo beatificatur, atq; ita illud peccatum exit maximum, quod ab illo fine maxime deordinat, & directius auertit, & hoc modo odiū Dei erit peccatum grauiſſimum, & maximum, quia animam magis deordinat a fine: ſicut enim caritas Dei odio oppoſita inter omnes virtutes maxime ordinat, & coniungit animam rationalē cum ſuo fine; ita odium Dei animam rationalem magis directe auertit a fine, quam faciat quodcunq; aliud peccatum, atq; adeo videtur inter peccata omnia eſſe grauiſſimū quapropter inquit Scot. in 2. diſtin. 6. quæſt. 2. quod ſicut nullus actus formaliter eſt melior, quam Deum diligere, ita nullus peior eſt, quam Deum odiſſe, in quo tāquam in ſummo malo conſumata videtur malitia.

Quinto comparari poteſt peccatum ad nocumentum atq; ita illud peccatū eſt maximum, ad quod ſequitur maximum nocumentum, dicitur autem aliquod peccatum eſſe maximi nocumenti in hoc quod eſt principium, & origo aliorum peccatorum, & hoc modo peccatum primorum parētum dicitur eſſe maximum peccatum, quia generi humano maximū intulit nocumentū.

Poteſt Sexto aliquod peccatum dici maius alio peccato, vel ſecundum rationem eius, in quē peccatur propter magnitudinem iniurię, vel propter magnitudinē damni, aut pęnę conſequentis peccatum vel propter magnitudinē cauſalitatis ad peccandum.

Primo modo dicitur peccatum Iudeorum maximum peccatum.

Secundo peccatum primorum parentum dicitur maximum.

Tertio modo peccatum luciferi dicitur maximun.

Dicendum eſt ergo, quod ſi ſpectetur ſpecies peccati primorum parentū, non vtiq; fuit omnium grauiſſimum, grauius enim fuiſſet. Si peccaſſet per blaſphemiam, per infidelitatem, per contemptum, aut odium Dei. Nec dubitanter dixerim. Iudam, Arrium, Lutherum, ſecundum ſpeciem peccati, grauius peccaſſe, quam Adamum, peccauit enim contra legem poſitiuam, non contra legem naturalem, & cōtra præceptum de re, indifferenti, non de re per ſe mala, nec affectus peccādi, fuit in illis intēſior, vehemētior, prauiorq; quam in nullo eorum, qui poſtea peccauerunt. *Iudas, Arrius, Lutherus grauius peccauerunt, quā Adam.*

Cœterum grauiſſimum fuit illud peccatum, ſi penſetur donum ex eo conſecutum, ideſt iacturam tot, tantorumq; bonorum nunquam deinceps recuperandorum, & tot, totorumque malorum, quę peccatum illud peperit, neceſſitas; neque damnū illud propriū modo fuit illorum hominum, ſed vniuerſi generis humani. Illi enim primi parentes ſuo caſu, & ruina omnes poſteros ſuos in peccati, & mortis exitum per traxerunt.

Illud quoque aggrauat Primorum parentum peccatum, quod nullam ad malum haberent procliuitatem, ſed cōtra acerrimam ad bonum propenſionem, ita vt ſumma felicitate quantālibet tentationem propulſare, omneq; peccatum vitare nullo labore poſſet, quamobrē tanto fuit eius in peccando iniquitas, quanto maior erat in eo, non peccādi facilitas, de qua re videatur, quod ſcribit Diuus Auguſt. libr. 14. de Ciuit. Dei cap. 15.

Quæritur octauo, vtrū Adę peccatū remiſſibile fuerit, & voco remiſſibile, quod habet in ſe cauſam remiſſibilitates, & excuſationem, & Ratio dubij eſt Quod peccatum Adæ non fuit ex infirmitate; aut ex ignorantia, infirmitas, enim, & ignorantia ſunt pœna; pœna autem culpam non præcedit videtur ergo, quod peccauerit ex certa malitia,

at peccatū ex certa malitia eſt irremiſſibile; quia eſt peccatum in ſpiritū ſanctum, ꝙ non remittitur, neque in hoc neque in futuro ſeculo. Dicendum ſecūdum Iſidorum in lib. de Trint. quod homo poſt peccatum ideo reuertitur ad veniā, quia ex lutea materia pondus traxit infirmitatis, & ideo pro infirma carnis conditione reditus patet homini ad ſalutem. Item peccauit homo alio ſuggerēte, vnde congruebat, quod homini reſurgeret, alio adiuuante vt inquit D. Greg. lib. 3. moraliū. Ad motiuū dicendum eſt, ꝙ peccatū Adami non fuit peccatum in Spiritū ſanctum quia non peccauit ex deſperatione, neque ex præſumptione diuinæ miſericordię, neque ex impugnatione gratię, vel veritatis agnitæ, neq; peccato finalis impenitentiæ, neque peccauit ex certa malitia, ſed magis ex infirmitate carnis, quæ infirmitas carnis non erat pęna in eo, ſed erat natura in ſe potēs deficere. Vnde Gen 6. dicitur, non permanebit ſpiritus meus ſ. indignationis vel iræ in æternū in homine, quia caro eſt, eſt autem infirmitas pœna pronitas ſ. quæ prouenit in nobis ex fomite.

Homo poſt peccatū cur reuertitur ad ueniam.

Quæſt. 9. Quæritur nono vtrū vir, vel mulier grauius peccauit. Dicēdū, ꝙ peccatū illud grauius iudicatur, vel quia ex maiori libidine volūtatis perpetratur, vel quia ex maiori procedit ingratitudine vel tertio quia maiorem infert damnum, atq; læſionem. Primo modo grauius fuit Euæ peccatum, quā Adę: quia Eua maiori elatione, & magis improba voluntate voluit Deo aſſimilari, & eo ardentius quo plus credidit hoc, ſe obtinere poſſe. Secundo modo peccatū Adæ fuit grauius peccato Euæ, quia plura beneficia accepit, & caput fuit mulieris, atq; adeo plus ex ingratitudine peccauit. Tertio modo licet Adæ peccatum non fuerit intenſiue grauius quia non ita deprauauit ſuam voluntatem, ſicut Eua, tamen extenſiue, & cauſaliter fuit grauius peccatum Adæ, quia omnes, & innumerabiles homines ex eo propagandos læſit, & originaliter corrupit, & poteſt quarto addi, ꝙ peccatū dicitur maius alio propter maiorem in obedientiā, atq; ita, quia fuit maior inobedientia Adæ quam Euæ; ei enim fuit datum præceptum, & per ipſum mulieri. Vnde primum dictum eſt Adæ; in quacunq; die comederis ex eo. &c. Poſtea vero dixit Eua De fructu, quod eſt in medio Paradiſi præcepit nobis Deus, &c. atq; ita intellexit Eua, quod per uirū tranſiuit præceptū ad ipſam, quia ergo fuit in Adam, quo ad hoc inobedientia maior fuit, etiam peccatum maius.

Peccatū, alio grauius iudicatur tribus modis.

Adæ peccatū fuit grauius peccato Euæ, & è conuerſo.

Simpliciter tamen, atq; omnibus pēſatis loquendo, Eua peccauit grauius, quā vir: nam, & grauius puncta fuit a Deo, etſi ambo fuiſſent damnati, maiorem pœnam habuiſſet in inferno Eua, quam Adam, quod autem Euæ peccatum fuerit grauius, patet, quia in his, quæ eſſentialiter peccati grauitatē reſpiciunt, grauius fuit Euæ peccatum, tum quia magis illicito motiuo, ſcilicet appetitu æqualitatis diuinæ peccauit, voluit enim eſſe ſicut Deus in aſſimilatione ſcientiæ; ſed Adam ex affectione amicabili ne contriſtaret vxorem, vt dicunt D. Aug. lib. 11. ſuper Gen. & Magiſter in 2. d. 22. tum quia mouit Adā ad peccandum, & non è cōuerſo, dum prius peccauit comedendo, & illi perſuaſit, atq; ita ei occaſionem peccandi dedit, tum quia minorem habuit occaſionem, non enim fuit ipſa pulſata, niſi à Diabolo, Adam vero à Diabolo, & muliere, quæ ab ipſo Diabolo inſtigabatur, & adiuuabatur ad viri ſubuerſionem, fortior autem eſt tentatio viri, quæ ſimul eſt à Diabolo, & a muliere affectuoſe dilecta, præter quam quod, maior eſt inclinatio ad credendū vxori, quam ad credendū Diabolo per ſerpentem ſuggerenti. Concluditur ergo ꝙ mulier grauius peccauit ſimpliciter.

Quæ peccatū ſimpliciter, grauius fuit peccato Adæ.

Cæterū Caie. ſuper 3. c. Gen. affirmat pecca-

Digitized by Google

peccatũ illud Euæ peccatum fuiſſe minimum, tum ex radice, hoc eſt affectu libertatis, tum ex ratione peccandi, appetitu.ſ.ſimilitudinis Diuinæ, tum ex re appetita, quæ fuit ſcientia boni, & mali, tum ex ſpecie actus exterioris, qui fuit comedere fructum pulchrum oculis, & ad veſcendum ſuauẽ, tum ex cauſa peccandi nimirum ſeductione ſerpẽtis, tum deniq; ex conditione peccantis, quia mulier erat. Veruntamẽ ſi peccatum vtriuſq; parentis noſtri ſimpliciter, & abſolute penſemus non modo graue fuiſſe peccatum Euæ ſed multis de cauſis, vt diximus, ſupra, grauius, quam Adæ intelligimus.

Quæritur decimo. Vtrum ſi vir non peccaſſet, genus humanum iuſtitia originali ſpoliatum fuiſſet. Rubion. in 2. d.22 q.1.ar.2.tenet quod Adã non peccante, ſed Eua tantum, adhuc fuiſſet genus humanum ab eis deſcendens naturaliter originali iuſtitia ſpoliatum, quod probat ex eo, quoniam ſub eadẽ diſtinctione pœnæ fuit Adæ, & Euæ præceptum, ne comederent de ligno ſcientiæ boni, & mali, de quo poſtea comederunt, conſtat etiam illam pęnam mortis, ſub qua fuit vtriq, præceptum, ne comederent fuiſſe impoſitam, non tantum ipſis, ſed etiam omnibus alijs deſcenſuris, ſeu naſcituris ex eis ergo omnes a primis parentibus nati, & naſcituri eandem pœnam conſecuti fuiſſent, & incurriſſent ſolo altero primo parente peccante, quã peccante vtroq; ſimul incurrunt. Probat conſequentiã quantum altero peccante, tantum illã pœnam incurriſſent omnes ab eo naturaliter deſcenſuri, ſub qua ipſis præceptum extitit, ne peccarẽt, ſed vt dictũ eſt ſub eadem pœna præceptum fuit, ne peccarent comedendo de ligno ambobus coniũcti, & vtriq; diuiſim, ergo eamdem pœnam incurriſſet ab eis deſcendentes, ſi alter eorum tantum peccaſſet, quam incurrerunt, quia ambo peccauerunt.

Cœterum oppoſitam ſent. tenent cõmuniter omnes Theologi D.Tho.1.2. q.81.arti.5. D.Bonau.in 2.d.22.dub.1. circa lit.Rich.ead.d.artit.1.q.4. & Sco. ead.d.q.2. Dicendum eſt ergo, quod ſi ſola mulier peccaſſet, genus humanum ab omni corruptione naſceretur immune, nec dicendum eſt, vt quidam crediderunt, ſcilicet quod muliere non peccante, homines ex parte mulieris contraxiſſent pęnalitatis corruptionẽ, nẽpe mortis, & aliarum paſſionum, quæ ex conditione naturę prouenniunt, ſed non fœditatis corruptionem, quæ principaliter habet ortum ex parte viri; nã inquit magiſter in 2.d.22.quod peccante muliere, ſi vir non peccaſſet, humanum genus minime peccatis corruptũ, periret. Et Anſel.lib.de concepta originali dicit; quod ſi non Adam, ſed ſola Eua peccaſſet, non eſſet neceſſe totum genus humanum perire, ſed ſolam Euam, præterea non contrahendo originale peccatum, includit, naſci cum iuſtitia originali, ſed per iuſtitiam originalem erat in habentibus eam, poſſe non mori, atq; adeo videtur quod prędicta opinio contraditionem inuoluat.

Nec eſt dicendum quod vir non eſſet amplius cõmixtus mulieri, & quod Deus aliam nouam formaſſet, & quod ſententia damnationis mortis, & corruptionis ſolum permanſiſſet in ea; nã hoc non videtur neceſſarium, ad quid enim? nam ſi dediſſet aliam, forte alia grauiori tentatione, tentaſſet eum, ad quid addere malum malo? præterea ſufficiebat prima, quæ ſi feciſſet pœnitentiam, non obfuiſſet filijs, ſicut Virgo munda non obfuit munditiæ Chriſti Domini, Dominũ eſt ergo, quod ſi Eua tantum peccaſſet, non perdidiſſemus originalem iuſtitiam, atque adeo, non habuiſſemus defectus conſequentes carentiã originalis iuſtitiæ. Vñ non eſſent in nobis poſſibilitas & neceſſitas moriẽdi, & rõ eſt: quia Iuſtitia originalis data fuit Euæ pro ſe tm̃, & non pro nobis. Adæ verò, & pro ſe, & pro nobis data fuit, atque Eua peccante & non *Si Eua tãtum peccaſſet non perdidiſẽt homines originalẽ iuſtitiã.*

Ii 2 Adam,

Digitized by Google

Adam, pro ſe tantũ iuſtitiam originalem perdidiſſet, ſicut è conuerſo, ſi Adam peccaſſet, & non Eua, omnes ex Adam per carnis propagationem deſcendentes, peccatum originale contraxiſſent, quia Adam, ne dum pro ſe, ſed etiam pro omnibus iuſtitiam originalem accepit.

Alex. de Alex vbi ſupr. in 8. Gloſſa. Qua qui hora peccauit. Quæritur vndecimo qua hora Adã peccauit; Aliqui dicunt, quod peccauit in veſpere, eo quod dicit Gloſſa ſuper illud pſ. ad veſperum demorabitur fletus. Veſpera eſt quando ſol in occaſum declinat, quo tempore Adam peccauit, & lux, veri ſolis primo Chriſti ab eo cecidit. Quidã vero (vt Beda) dicit, quod peccauit hora ſexta nam explicans verba illa Marci 15. & facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram, inquit qua hora primus homo Adam peccando, mundo meruit mortem, eadem hora ſecundo Adã moriendo mortem deſtruxit: Dicendum quod licet hora ſexta factæ ſint tenebræ, non tamẽ illa hora mortuus fuit Chriſtus, ſed hora nona, vel cito poſt ipſam, tũc autem eſt in declinatione ſolis, atque adeo infra in hoc cap. dicitur. Cum deambularet Dominus ad auram poſt meridiẽ aſcondit ſe Adam, atque ita eadem hora, qua primus Adam peccando mortẽ meruit. Secundus Adã moriendo mortem deſtruxit. Veſpere autem dicitur large pro tempore, quo ſol declinat ad occaſum.

Et aperti ſunt oculi Amborum.

Merito quis rogauerit, quam virtutem habuerit hoc lignum cuius eſus illorum oculos aperuerit, ſed ſignis prudenter quæ in ſcriptura dicuntur, voluerit intelligere, nihil dictorũ ſibi difficile erit non enim eius ex ligno illorum oculos aperuit, nam & ante eſum uidebant, ſed quia guſtus ille in obedientię erat argumentum & præuaricatio mandati à Deo traditi, ob quam cauſam poſtea ablata eſt gloria, quæ illos circũdabat, quia ſe indignos tali honore fecerant propter ea ſcriptura morem ſuum obſeruãs inquit come derunt, & aperti ſunt oculi amborum, & cognouerunt quod nudi eſſent, non ſenſibilibus oculis dicens, ſed ſenſu mentis, quia poſtquã mãdata tranſgreſſi ſunt. Deus eos ſentire fecit ea, quę ante ob ſingularem illius, in ſe beneuolentiam non ſentiebant, igitur cum dicitur, quod aperti ſunt oculi eorum intelligendum eſt, quod fecit illos poſtea nuditatem ſentire, & auferri gloriam illam, qua ante eſum fruebantur. Quod autem ſit hæc ſcripturæ conſuetudo, audi illam alibi dicentem. Nam cum Ancilla Sarrę Dominum fugiens erraret, & poſito iuxta abietẽ puero à lõge conſideraret illius mortem, inquit. Aperuit Deus oculos Agar; non quod ante hoc non viderit, ſed quod mẽtem illius excitauit. Vides quod verbum aperuit nõ eſſe corporalib. oculis dicit, ſe de ſenſu mentali. Hæc Diuus Chriſoſtomus. Diuus Auguſtinus libro vndecimo, ſuper Gen. ad lit. cap. trigeſimo primo ita ſcribit, ergo ederunt, & aperti ſunt oculi amborum, quomodo niſi ad inuicem concupiſcendum ad peccati pęnam carnis ipſius morte cõceptam vt iam eſſet corpus non animale tantum, quod poterant ſi obſeruantiam conſeruarent in meliorem, ſpiritalemque habitum, ſine morte mutari, ſed iam corpus mortis, in quo lex mẽbris repugnaret legi mentis, neque enim clauſis oculis facti erãt, & in Paradiſo delitiarum cęci palpanteſq; ab errabant, vt vetitum lignum, etiam neſcientes attingerent, palpãteſque fructus prohibitos ignorando decerperent. Quomodo autem animalia & volatilia adducta ſunt ad Adam, vt videret: quid ea vocaret, ſi nõ videbat? & quomodo ipſa mulier ad virum adducta eſt, quãdo facta eſt, vt de illa, q̃ non videbat diceret. Hoc nunc os de oſſib. meis, &c. Poſtremo quomodo vidit mulier; quia bonum eſt lignum in eſcã, & pura placet oculis ad vidẽdum, & de-

& decorum eſt cognoſcere ſi eorum clauſi erant oculi? eſt ergo hæc locutio figurata quemadmodum, & Lucas ca. 24. de duobus illis diſcipulis loquens, quorum vnum erat Cleophas dixit, ꝙ cum fregiſſet eis Dominus panē aperti ſunt occuli eorum, & cognouerūt quē per uiam non cognouerunt non vtiq; clauſis oculis ambulantes, ſed eum cognoſcere non valentibus, ſicut ergo ibi ita in iſto loco narratio figurata eſt, quamuis tranſlato verbo ſcriptura vſa videretur, & apertos diceret oculos, qui, & antea patebant, apertos vtiq, ad aliquid intuendum, & cogitandum, ꝙ antea nunquam aduerterant.

Sed audiamus quid de hac re ſcribat Rupertus lib. 3. de trinit. & eius operibus c. 10. quomodo tādem dictum eſt, & aperti ſunt oculi amborum, nūquid ceci erant antequam comederent, & comedendo illuminati ſunt? nō vtiq; iam enim & mulier viderat, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile; Iam ad Adam adduxerat Dominus cuncta animātia, vt videret, quid vocaret ea; nō ergo exteriores, ſed iteriores quos contra Deum clauſerant; aperti ſunt oculi amborum, quia ſcilicet veracem Deum, ſerpentem vero in ſua miſeria falſiſſimum cognouerunt. Nā protinus ſequitur. Cumq; cognouiſſēt ſe eſſe nudos, conſueuerunt folia eius, & fecerunt ſibi perizomata: ergo id, quod dictum eſt, & aperti ſunt oculi amborum, (duplicem conſtat habere ſenſum, nam ſi ad expectationem illorum reſpicias, quam ex promiſſione ſerpentis conceperant dicentis, aperiētur oculi veſtri, et eritis ſicut Dij &c. acerba nimis irronia eſt, & gemebunda conquæſtio, ſcriptoris dicenti, & aperti ſunt oculi amborum, quod idem eſt ac ſi diceretur, & non iuxta promiſſum ſerpentis aperti ſunt oculi amborum, niſi quod acerbius nunc, ſub affirmatione ironica dicitur, quaſi aperta voce negaretur. Porrò ſi verum eſſē tum, expectes magnæ confuſionis demonſtratio, vel agnitio eſt, de qua protinus ſub infertur, ꝙ iam dictū eſt. Cumq; cognouiſſent ſe eſſe nudos &c.

Illud prætcrea dici, poteſt apertos fuiſſe eis oculos, quia tunc clare viderunt, quod antea libidinem peccandi obcęcati, non viderant. Deum ſ. veracem eſſe. Diabolū vero mendacē ac fallacem, ſimulq; illud quam verum eſſet cognouerunt, quod multis poſt ſeculis Dauid cecinit. Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam, & illud; qui elongant ſe à te peribunt, perdidiſti omnes, qui fornicantur abſte. Breuiter itaq, dicendum eſt, quod aperire oculos per tropum eſt rē videre, quæ non videbatur prius, atq; adeo de vtriſq; internis inquam, & externis, poteſt, oculis interpretari, ac primum interne deformitatem agnoſcere delicti, & in quam graue, horrendumq; fuerant coniecti ſupplicium, & quam ingrate, quam impie, & ſceleſte, in Patres oceanumq; cōmiſerant omnium bonorum; deinde, & externe pōderarunt, quam foret turpe virum, & fœminā eſſe nudos, verēda, obſcenaq; membra eſſe detecta, & præſertim, ob turpes, & inhoneſtos motus; & quā ſatius conſultum eſſet brutis, quibus elatū eſt tegi pilis, velleribusq; ſuapte natura ꝙ illis parendum erat, & nō mediocri opera, & labore.

Quæritur primo quomodo dicitur, ꝙ aperti ſunt oculi eorum. Aliqui dicūt quod vere aperti ſunt oculi eorū, quaſi prius non viderent, & tūc videre ceperint. Sed hoc eſt falſum vtſup. oſtenſum eſt ex D. Chriſoſt. & D. Aug. at Ruperto. Alij dicunt, ꝙ aperti ſunt oculi eorū ſ. intellectus cum prius nō intelligerēt, tunc intelligere cęperunt. Ita docet Ioſephus lib. 1. antiquitatum c. 1. adeo, ꝙ ex pomi vetiti eſu maius ingenij acumen, acrioremq; vim ad intelligendū adepti ſunt primi parentes. Sed hoc fal- Quęſt. 1.

Digitized by Google

ſum eſt; nã neque id per eſum fructus illius effici potuit, nec tã cito cũ cibus, & ſi diſponat organa ad intellectus operationes, tamen non facit hoc ſubito ſed ſucceſſiue, cum ad opus intellectus directe non conferat, neq; etiam ſi factum eſſet damno eis ſed magis lucro eſus illius fructus fuiſſet. Alij dicunt, quod Deus creauit eos intellectum habentes, & tamen erat intellectus eorũ ligatus, vt non poſſent intelligere, quouſq; comederent de ligno, atq; ita, & dicunt aliqui, quod primi parentes ante peccatum, non potuiſſent carnaliter commiſceri, quia licet vim generatiuã, atq; organa ad hoc haberent, tñ erant vires ligatæ, & ante peccatum in actũ exire non poſſent.

Sed hoc ridiculum, atq; abſurdum eſt, ridiculum quidem, quoniã rei perfectio non eſt in potentia, ſed in actu, atq; adeo quicũq; potentiam ligatam habent, ſecundum hoc imperfecti ſũt, Deus autem non creauit eos imperfectos, imò in ſtatu innocentię maiorem habuiſſent perfectionem, quam poſt; eſt etiam abſurdum, quod potentiæ ſol uerentur ad actus per peccatum, cũ potius per peccatũ fuerint inductæ pęnę.

Rabbi Salomon. Neque audiẽdus eſt Rabbi Salomõ dicens, quod aperti ſunt oculi eorum, ſcilicet ad cognoſcendũ malum, nã ante hoc ſolum bonum cognoſcebant, poſtea vero etiam malum cognouerunt, quod inceperũt cognoſcere, dum de illo fructu comederunt, propter quod lignum illud, vocatur ſcientiæ boni, & mali, ita vt comedendo de illo ſcirent bonum, & malum; hoc namque eſt falſum, quia eadem eſt notitia contrariorum, & ideo prius habebant notitiam ſpeculatiuam boni, & mali ſibi appoſiti, ſed non habebant notitiam experimentalem mali, ſiue tranſgreſſionis, & punitionis, quã tunc experimentaliter cognouerunt, atq; adeo tũc aperti ſũt oculi eorum ad cognoſcendum ſuam nuditatem eſſe inconfuſibilẽ, quę prius erat honeſta, quia ſubtracta iuſtitia originali, ſtatim ſenſerunt rebellionẽ carnis ad ſpiritum, & motum inordinatum membrorum.

Quæſt. 2. Quæritur Secundo quare ad ſignificandum, quod dictum eſt, dicitur aperti ſunt oculi amborum; quia poterat dici, quod viderunt ſe nudos, & non diceret; de aperitione oculorũ ipſorũ;

Dicendũ quod ſecundum veritatẽ nichil aliud fuit, niſi quod iſti cognouerunt ſe nudos poſt peccatum, quod ante non cognoſcebant; atq; iſtã cognitionẽ ſignificare voluit ſcriptura per oculorũ aperitionem, & licet interdũ nomine oculorũ ſignificetur intellectus; non tamẽ in propoſito; quia ad cognoſcendũ nuditatẽ, non requiritur, intellectus, ſed oculus nuditas enim ſenſu percipitur. Obſ. eſt tamen, ꝙ ſcriptura ſacra, quando loquitur de cognitione dicit aperiri oculos, vel aperiri intellectum, quando ſcilicet quis cognoſcit, quod prius non cognoſcebat.

Aperire oculos idẽ eſt, quod intelligere in ſacra ſcriptura.

Secundo obſ. eſt quod quædam ſunt cognoſcibilia ſolo intellectu, quædam autem ſolo ſenſu, atq; adeo, quando loquitur de his, quæ ſolo intellectu cognoſcuntur, dicit aperiri intellectum; quando aũt de his loquitur, quæ ſenſu cognoſcuntur dicit aperiri oculos.

Cognoſcibilia ſunt duplici differentia.

Primo obſ. eſt ꝙ licet in cognitione ſenſitiua, vel intellectiua dicatur aperiri oculus, vel intellectus, tamen ſcriptura non cõſueuit hoc dicere, niſi circa illas res, quas aliquis prius cognoſcere poterat, & non incepit prius cognoſcere. Vnde qñ aliquis poteſt videre rẽ, vt pote, quę pręſens ei eſt, & nõ videt, dr oculus eius clauſus, vel impeditus, quia ſi nõ eſſet clauſus videret. Ita accipitur lucę 24. ca. ſcilicet Ieſus aũt appropinquans ibat cũ illis, oculi aũt eorum tenebantur &c. & bene dr tenebantur, quaſi violenter, quia ſi nõ eſſet aliquod impedimẽtũ, cognouiſſent eũ, qui pręſens erat, quẽ videre ſoliti erant, atque adeo qñ ceperunt videndo eũ agnoſcere di-

Scriptura ſacra quæ cognoſcibilia dicit aperiri oculos.

re dicitur, ꝙ oculi eorum aperti ſunt; atq; iſte modus eſt circa ea, quæ ſenſu percipiuntur. Cæterũ circa ea, quæ intellectu capiuntur, talis ſeruatur intelligendi modus: qñ enim alicui proponuntur intelligibilia; Si non intelligit ea, dicitur intellectus eius, clauſus, ſicut 2. Corint. 3. dr̃ de Iudeis, quorũ intellectus eſt clauſus, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorũ, & vſq; in odiernũ diem, id ipſum velamen in lectione veteris teſtamenti, manet non reuelatum, iuxta id, quod legit Iſa. 6. excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanẽ eos. Cũ igitur ſcriptura ſacra proponatur omnibus, ſiqui eam nõ intelligunt, dicitur clauſus intellectus eorũ, iuxta illud Lucæ 24. tunc aperuit eis ſenſum vt intelligerent ſcripturam. In propoſito autẽ, ꝙ cognoſcendum erat, corporale erat, ſcilicet nuditas, atq; adeo oculis videndum erat, & quia hoc idem, quod nũc in Adã, & Eua erat, prius extiterat, cũ prius non eſſent veſtiti, ſicut, nec nunc, vr̃, quod ante hoc clauſi erãt oculi eorum, atq, adeo quando inceperunt videre hoc, dicuntur oculi aperti, atq; ita dicitur, ꝙ comedit, & aperti ſunt oculi amborũ, quaſi dicat, prius clauſi tenebantur, aut videbantur teneri clauſi, cũ eorum nuditatem non viderent.

Quæſt. 3. Quæritur tertio, quare non fuerunt aperti oculi Euæ ſtatim, vt illa comedẽdo peccauit: nã vr̃, quod ſtatim debuiſſent aperiri ad hoc, ꝙ agnoſceret ſe nudam, quia iſta nuditas fuit quædam pœna data pro peccato. Dicendum ꝙ ſi nuditas, & cognitio nuditatis eſſet aliqđ ſecundũ ſe conſequens peccatũ hominũ, qui ſteterant prius in innocẽtia, ꝙ ab eis non repararetur, non potuiſſet Eua, nõ pati nuditatẽ, & agnoſcere eã, facit tñ aliquid à Deo inflictum in pœnã pro peccato, ideò tunc eſſet qñ Deus vellet, & quia congruentius erat nõ ſtatin manifeſtari in Eua, poſt peccatum eius nõ apparuit nuditas. Tũ quia Deus noluit impedire tentationem Adę, quę tamen impediretur, ſi nuditas Euæ ſtatim appareret; ſi.n. poſt peccatum Eua ſtatim nudam ſe cerneret, erubeſceret cõparere ante Adã, atq; adeo nõ auderet ire ad offerendum ei cibũ; potiſſimum, quia putaret, ſibi hoc accidiſſe, quia de vetito ligno mãducauerat, atq. ita non procederet ad dandũ Adę de illo. Tũ quia ſi Eua poſt hoc iret ad Adã vidiſſet Adam eius nuditatẽ, atq; ipſe quoq; erubeſceret, aut ſaltẽ miraretur, & per conſequens ſcire vellet cauſam huius mali, & cognito, ꝙ de ligno vetito comediſſet, nollet ipſe de eo comedere. Tũ tertio, quia Eua peccante, nõ dum erat peccatũ conſumatum, ſed qñ peccauit Adã, ideo pœna nõ debuit inferri vſquequo peccaret Adam.

Oculi Euæ non ſtatim poſt peccatũ ſunt aperti.

Nã Euæ peccatũ duobus modis cõſiderari pôt vno modo vt erat perſonale peccatũ; altero modo, vt poſſet ſe ad poſteros extendere, atq; ita tranſiret ad naturã. Priori modo Euæ peccatũ conſumatũ fuit in ea, quia cũ ipſa eſſet perſona ab Adamo diſtincta, neque ab eo depẽderet, per actũ propriũ merebatur atq; demerebatur, nã anima, quæ peccauerit, ipſa morietur. Ezec. 18. ideo nõ erat opus, vt alius peccaret ad hoc, ꝙ Eua puniretur. Poſteriori autẽ modo peccatũ in Eua non erat conſumatum, quoniã peccatũ Euæ non poterat tranſire in naturam humanam, et ꝙ in Eua non erat tota ſpecies humana, ſed ſolũ in Adamo, atq; adeo ea peccãte, nõ poterat tota infici nã, ſed peccante Adamo, vnde, & nos nõ peccauimus in Eua, ſed in Adamo, ſicut dr̃ ad Ro. 5. atque adeo: quia peccãte Eua, nõ erat peccatũ conſumatũ nõ debuit pęna ſequi.

Euæ peccatũ duobus modis conſiderari poteſt.

De primorum parentum nuditate, & perizomatibus.

Cumq; cognouiſſent ſe eſſe nudos cõſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi Perizomata.

extrinſecus determinari ad hoc agendum potius, quam illud, vel ad hoc faciendum; & non illud, quorum primum poſt ſuam Translationem ſine morte media habuiſſent, ſiſtetiſſent ſed alia duo nunquam habuiſſent:

Nullum tamen iſtorum trium credo virum appetiuiſſe, non, enim videtur probabile, quod vir tanta ſcientia prȩditus exiſtimauerit, hoc poſibile, nec quod appetiuerit, quod poſibile non exiſtimabat vt diximus, ſupra ex D. Aug.

Queſ. 6. Rubion vbi ſupra Quęritur ſexto, an primum Adę peccatum fuerit ſuperbia. Dicendũ quod iſta eſt quęſtio facti, circa quam non poteſt multum efficaciter ratiocinari, & ſcriptura non determinat expreſſe, quod autem de ſcripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Ex ſcripturis autem conſtat, quod primi parentes non peccauerunt alio modo, quã peccato in obedientię, & Gulę, licet enim Diabolus quando mulierem tentauit, ipſi ſcientiam promiſerit, tamen quod ipſa mulier eam concupiuerit & per conſequens, quod peccato ambitionis, vel ſuperbię peccauerit non habetur; ſed tantum peccatum Gulę Exprimitur, cum ſubiungitur. Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum &c. In his verbis euidenter apparet, quod nullum aliud peccatum exprimitur mulieris, niſi tantum peccatum Gulę, & in obedientiæ; & non dicitur, quod fuerit elata, nec quod ex ambitione ſcientię, ſed ex pulchritudine, & delectatione ipſius ligni vetiti ad eius esũ fuerit inclinata.

Quantum ad uirum autem, nihil ibi exprimitur, niſi quod mulier poſtquã viro dedit, qui etiam comedit, ex quo ſequi videtur, quod peccatum primorum parentum, quod in ſacra ſcriptura exprimitur, non fuit peccatum ſuperbiæ, ſed Gulæ, & in obedientiæ; Verum autem, vltra illud peccatum aliud commiſerint, puta ſuperbiæ, vel aliquod aliud. Dico quod probabile eſt quod ſic, non eſt tamen ſic certum ſicut de peccato Gulæ, quia nec eſt in ſcriptura expreſſum.

Sancti ẽt de primo hominis peccato uarie loquunt, atq; adeo de hac re ſunt opiniones diuerſę. quidam enim dicũt quod Adam id ipſum, quod mulier appetijt, concupiuit, ſed non credidit ſicut mulier, & propter hoc factus eſt ſuperbus, ſed tamen non dicitur fuiſſe ſeductus.

D. Bona. di. 22. ar. 1. q. 2. Quidam vero dicunt, quod vir in appetibili, & principali motiuo non fuit conformis mulieri transgrediendo, licet ei eſſet conformis in tranſgreſſione mandati Diuini, vterque enim inobediens fuit, ſed aliter vir, quam mulier ad inobedientiæ culpam prolapſus eſt. Non enim vir primum comedit, propter appetitum excellentiæ in ſui aſſimilatione ad Deum, nec propter appetitum ſufficientiæ in multorum cognitione, nec propter appetitum ſuauitatis in cibi deguſtatione, ſicut fecit mulier, fuit tamen in viro quædam ſuperbia, quædam auaritia, & quædam laſciuia, per quas perductus eſt ad inobediendum, quodam enim modo ſuperbiuit, dum ſe nimis magni præcij eſſe apud Deum exiſtimauit, & tanti, vt propter commeſtionem illius cibi, non incurreret grauitatem alicuius ſupplicij, ſed de facili conſequeret veniam de offenſa. fuit etiam quædam auaritiam, dum curioſe ſcire voluit, quod ſibi eueniret, dum cibum vetitum deguſtaret, fuit etiam quædam laſciuia, non carnalis delectationis, ſed cuiuſdam amicabilis affectionis, qua frequenter fit vt offendatur Deus, ne contriſtetur proximus, hoc autem fecit Adam, dum comedere voluit, ne ſuas delitias contriſtaret hoc eſt, ne mulierem offenderet. *In Adã fuit ſuperbia, auaritia, & laſciuia, quibus perductus eſt ad inobedientiam.*

D. Bonauentura. Adeo quod iuxta ſentent. D. Bonauent. Adæ peccatum ex hoc ternario perfectum eſt. primo enim cogitauit ſe magni ponderis eſſe apud Deum, in tantum, vt propter comeſtionem ligni non incurreret grauitatem alicuius ſupplicij.

plicii. vnde ſuſpicatus eſt peccatum ſuum fore veniale, Dicit enim Diuus Auguſtin. 11. ſuper Geneſi. non eſſe putandum, quod homo à primo ſtatu deiceretur, niſi præceſſiſſet in eo quædã elatio deprimenda. Secundo appetiit ſerie, quod ſibi eueniret, ſi de ligno ſciẽtiæ boni, & mali comederet, non quod ſuſpicaretur, quod eſſet, ſicut Deus, qa non fuit ſeductus; Vnde dicit Auguſt. Voluit Adam lignum vetitum experiri, cum non videret Euam mortuam. Tertio noluit ſuas contriſtari delitias, ſcilicet vxorem, ſuſpicans, quod moreretur niſi ei, (vt inquit) Auguſt. in facto hoc condeſcenderet.

Alex. de Ales p. 2. q. 104. m. 1. Sed dubium eſt, quod nam fuerit primum Adæ peccatum, ex dictis enim habetur, primum hominem multis Generibus peccatorum deliquiſſe; ſed quod nam fuerit primum eius peccatum, non habetur. Alexander de Ales. 2. p. q. 104. m. 1. tenet qd peccatum illud, quo primo motus fuit Adam ad peccandum fuit ſuperbia ap petebat enim (inquit ipſe) ſcientię Diuinę ſimilitudinem, ſicut Diabolus ſimilitudinem Diuinę potentię appetijt & ex hoc appetitu proceſſit vlterius ad appetendum fructum prohibitum, & demum ex appetitu ſecuta eſt comme*D. Augu.* ſtio, quod confirmat auth. D. Aug. ad Oroſiũ dicetis, elatus ſuperbia, ſuaſioni ſerpenti obediens, præcepta contempſit, & comprobatur auth. Eccleſiaſt. 10. Initium ſuperbię hominis eſt apoſtatare à Deo, quoniam ab illo, qui fecit illum, receſſit cor eius, quod mani*D. Bern.* feſte docet D. Bern. ſuper cant. ambo. ſcilicet Diabolus, & homo meditati ſunt, altitudinem affectantes, ille potentię, iſte ſcientię.

Riccin 2. d. 22. art. 1. q. 2. Eamdem ſententiam docet Ric. in 2. d. 22. artic. 1. q. 2. dicens quod appetitui mulieris, appetitus viri in aliquo fuit conformis, & in aliquo difformis. Conformes enim fuerunt mulier, & vir in nimis diligendo propriam excellentiam, iam habitam; In tantum eam dilexerunt intenſe, quod eam Diuinę excellentię propoſuerunt, & hęc fuit prima ipſorum ſuperbia; non enim eſt tantum ſuperbia in appetendo excellentiam indebitam, non dum habitam, ſed etiam indiligendo nimis intenſe, iã habitã, ex qua ſuperbia mulier & vir iam obtenebrari, in aliam proſilire ſuperbiam, ſcilicet in appetendo excellentiam indebitã, nõ habitam, ſcilicet Dei ſimilitudinem, & hęc ſententia, quod primum Adę peccatum fuerit ſuperbia eſt apud doctores communis. Cæterum, vt bene notauit Caie. 2. 2. q. 163. *Caieta. 2. 2. q. 104. art. 4.* art. 4. non eſt vndequaque clarũ, quod nam fuerit primum Adę peccatum: ſcriptura enim circa peccatũ Euę tot dicit, vt ex illis colligatur Euę ſuperbia; Nam conferendo promiſſa à Demone mulieri, cum ſeductione ipſius, quã tradidit Apoſtolus apparet, quod decepta eſt credendo promiſſis, & appetendo ipſa, in quibus manifeſte excellentia Diuinę ſimilitudinis proponitur. ſed circa peccatum Adę Apoſtolus negando ſedutionem, non reliquit Ianuas apertas, vt cępto itinere peccatũ progrederetur, & propterea obſcurum remanet, quid appetierit Adam. Alij namque ex negatione ſeductionis, negationem appetitus ſimpliciter acceptant, ſed non negationem appetitus conditionati; itaque dicunt, quod Adã quia non fuit ſeductus. ideo non appetijt eſſe ſimpliciter ſicut Deus, vt Eua appetijt, ſed appetijt conditionate, ſi poſibile foret eſſe ſicut Deus, & hanc viam, quam dicunt eſſe Aug. lib. 11. ſu- *D. Aug.* per Gen. dicentis, quod virum propter aliquam mentis elationem, ſolicitauit quędam experiendi cupiditas, cum *Magiſt. ſent.* mulierem videret accepta illa eſca non eſſe mortuam, ſecuntur Mag. ſent. & *D. Tho.* D. Thom. atque ipſe Caiet.

Caiet. Sc. in diſ. 21. q. 1. Alij vero ex negatione ſeductionis inferunt negationem appetitus à Demone promiſſorum; & hanc viam ſequitur Doct. ſubt. qui rem altius atque ſubtilius conſiderans, inquit quod primum Adę peccatum non fuit ſuperbia, ſed mulieris immoderata dilectio,

pro.

pro cuius ſententię explicatione.

Actus voluntatis eſt duplex

Obſeruandum eſt primo quod duplex eſt actus voluntatis loquendo in communis. ſ.velle & nolle, velle idem eſt quod amare, nolle idem eſt, quod odiſſe; Velle eſt actus, qvo volūtas acceptat, & amat aliquod obiectum, quod eſt conueniens; nolle eſt actus, quo fugit diſconueniens, vel renſilit ob obiecto diſconueniente.

Velle volūtatis eſt duplex.

Secundo obſeru. eſt quod velle, ſiue amor voluntatis duplex eſt; ſcilicet velle ſiue amor amicitię, & velle ſiue amor concupiſcentię. Velle amicitie eſt obiecti primo voliti, & amati cui volo bonum, ſicut amor proprius reſpectu filij proprij, dicitur amor, ſiue velle amicitię quia eſt filij, vt obiecti cui vult bonum, Velle autem, ſiue amor concupiſcentię, eſt reſpectum obiecti ſecundario voliti, quod volo alteri prius dilecto, ſicut amor Patris reſpectu excellentię, & diuitiarum, quas filio concupiſſit, & amat; quaſi alteri prius amato. Vnde cum Pater vult filio excellentiam, & diuitias, illud velle, eſt amor concupiſcentię: quia eſt amor vnius obiecti quod vult, & concupiſcit alteri obiecto, prius volito, & amato, ſcilicet filio amor itaque quo diligitur filius, eſt amor amicitię, amor vero, quo diligitur filio excellentia, eſt amor concupiſcentię.

Ordo qualis ſit iter actus voluntatis.

Tertio obſ. eſt inter iſtos tres voluntatis actus talem eſſe ordinem; quod nolle, quodlibet pręſupponit aliquod velle, & omne odium pręſupponit aliquam amorem, & omne velle concupiſcentię pręſupponit velle amicitię; cuius ratio eſt ſecundum Scot. quia nihil odio, & à nullo refugio, niſi, quia non poteſt ſtare cum aliquo, quod accepto volo, & amo, tamque conueniens; Nā ſi homo odit mortem, hoc ideo eſt, quia prius diligit vitam, odit infirmitatem, quia prius vult, & amat ſanitatē. & D. Anſel. lib. de caſu Diaboli. c. 3. ponit exemplum de Auaro, qui non vult panem emere, quia vult nummum retinere; ſimiliter velle concupiſcentię, pręſupponit velle amicitię. nam amatum amore amicitię habet rationem finis, amatum vero amore concupiſcentię, habet rationem entis ad finem ſicut filius amatus, habet rationem finis, excellentia amata filio, vel concupita; habet rationem entis ad finem. Prius autem eſt finis his, quę ſunt ad finem, atque adeo velle concupiſcentię, quod eſt ens ad finem pręſupponit velle amicitię; quod eſt ipſius finis. Prius, enim diligo aliquem amore amicitię, quam concupiſcam ſibi bonum aliquod amore concupiſcentię; Arqueita omne nolle pręſupponit aliquod velle, & omne velle concupiſcentię pręſupponit aliquod velle amicitię.

Scotus.

D. Anſelmus.

Ordo inter actus volūtatis quo ad malitiā, & bonitatem.

Scotus.

Quarto obſ. eſt, quod talis eſt ordo inter iſtos actus voluntatis quod ſi velle amicitię eſt ordinatum, & bonum & velle concupiſcentię eſt ordinatum, & nolle ſequens eſt ordinatum ſi autem, uelle amicitię eſt inordinatum, & malum, ita velle concupiſcentię, & nolle ſequens ſunt in ordinata. Cuius ratio eſt ſecundum Sco, quia ſi ego ordinate amore amicitię diligo Deum propter ſe, & filium meum in Deum, vel propter Deum, ordinate etiam concupiſco honorem debitum Deum, & honorem debitum filio meo, & conſequenter odio, & nolo vituperium Dei, & vituperium filij mei. ſimiliter ſi in ordinate diligo filium meum, amore amicitię inordinate concupiſco ſibi honores, & diuitias, puta cōtra iuſtitiam, & contra diuinam voluntatem, & per conſequens inordinate odio, & nolo eius vituperium, & paupertatem. Ex quo patet quomō amor amicitię ſiue ordinatus, ſiue in ordinatus, sēper pręcedit velle concupiſcentię, & nolle, ſiue odium ſequens.

Primū hominis peccatum eſt communiter ī amore voluntatis in ordinato.

Doc. ſub.

Quinto obſ. eſt, quod in amore voluntatis in ordinato communiter eſt primum hominis peccatum, & primus amor inordinatus voluntatis eſt in ordinatus amor ſui ipſius, nam vt docet Doctor. ſub. in primo. diſtinct. 1. queſt. 5. in malis proceditur ab amore ſui vſque

Google

que ad contemptum Dei, iuxta Doctri-
D. Aug. nam D. Auguſtin. libr. 4. de Ciuit. capi. vltimo. Ex quo ſequitur, quod ex iſto inordinato amore amicitię ſui ipſius, oriuntur inordinati amores concupiſcentię videlicet inordinatus amor de lectationum; quò ad concupiſcentiam carnis, inordinatus amor diuitiarum, quo ad concupiſcentiam oculorum, & inordinatus amor honoris, & excellentię, quo ad ſuperbiam vitę.

Scotus. Dicit ergo Scot. quod cũ primum peccatum Adę non fuerit nolle; quia omne nolle prę ſupponit aliquod velle, nec ſecundo fuerit velle amicitię reſpectu ſui q̃a licet Angelus peccauerit 1. amore amicitiæ, nõ eſt ita de homine: Angelus enim per eſſentiam ſuam intelligit ſe primo, & homo prius intelligit alia, quam ſe, & vtitur obiecto ſenſibili in ſuam cognitionem Primo igitur peccatum Adę fuit in uelle. Volendo, ſcilicet & amando vxorem amore amicitię in ordinato, quod factum fuit quod magis vellet diſplicere Deo, quam vxori, atque ita ab ea inductus comedit, eſt enim veriſimile, cum ipſa fuerit ſeducta & crediderit Diabolo, ſe poſſe Dei æqualitatem conſequi, ac etiam boni, & mali ſcientiam, ſi vir ſuus vna ſecum comederet, quod acceſſerit ad Adam, eique vt commederet ſuaſura, ipſo autem nolente, videns ex hoc ſe quod credebat haud conſequi poſſe, quod effecta fuerit triſtis, atque adeo Adam ipſam męſtam conſpiciẽs, credidit, ſi ei non conſentiret, quod tabeſceret, atque ad maciem ex Triſtitia deveniret, imo à ſe derelictam, quod interiret omnino, atque adeo maluit Deo diſplicere, quam vxori. Cuius cauſa fuit inordinatus amor amicitię adeam, non amor concupiſcentiæ & libidinis; quia illa non dum erant in Adam cum eſſet innocens, ſed grauiter errauit, ſecundum ſanctos quia debuit eam corrigere, & docere, quod propter eſum illius ligni non conſequeretur æqualitatem Dei, quia ipſe non fuit ſeductus, atque adeo non credidit ille, quæ dixerat Diabolus, ſed non corripuit; ſed quis ſcit, quod eam non corripuerit? ſed mulieres aliqua affectione affectę, non de facili ſuſcipiunt diſciplinam, magis enim credidit Diabolo, quam viro. Hæc ſententia Doct. ſub. fundamentum habet in verbis. D. Auguſt. lib. vndecimo ſuper Geneſ. capitul. vltimo vbi ita ſcribit. Sicut Salomon, vir tantæ ſapientiæ non eſt credendum, quod in ſimulacrorum cultu, aliquid eſſe vtilitatis crediderit; ſed mulierum amori adhoc malum trahenti reſiſtere non ualuit, faciens, quod ſciebat non eſſe faciendum, ne ſuas quibus deperibat, atque diffluebat mortiferas delitias contriſtaret. Ita, & Adam, poſt quam de ligno prohibito ſeducta mulier manducauit, eique dedit, vt ſimul ederent, noluit eam contriſtari, quam credebat poſſe ſine ſuo ſolatio contabeſcere, ſi ab eius alienaretur animo, & omnino illam interire diſcordiam. Non quidem carnis concupiſcentia, quam nondum ſenſerat in reſiſtente lege membrorum, legi mentis ſuæ, ſed amicabili quadam beneuolentia qua plerumque fit, vt offendatur Deus; ne homo ex amico fiat inimicus, quod eum facere non debuiſſe, diuinæ ſententiæ iuſtus exitus indicauit Hæc D. Auguſtin. D. Aug. 5

Eadem fere ſcribit ipſemet D. Auguſtin. libr. decimoquarto, de Ciuit. Dei. capitul. vndecimo quaſi in fine. His verbis; ſicut, enim Aaron erranti populo ad Idolum fabricandum non conſenſit inductus, ſed ceſſit obiectus nec Salomon credibile eſt errore putans idolis eſſe ſeruiendum, ſed blanditijs fœmineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum; ita credendum eſt illum virum, ſuæ fœminæ vni vnum, hominem homini; coniugem coniugi ad Dei legem tranſgrediendam, non tanque vera loquenti:

tollit enim vnitatem eccleſiæ. Vnde Gloſſa ſuper illud 1. Corint. 11. audio ſciſſuras eſſe inter vos dicit. Primũ malũ diſſentio eſt ex qua cętera oriudtur.

Quarto poteſt comparari ad tertium ſeu ad finẽ creaturæ rationalis, ad quẽ tendit, & in quo beatificatur, atq; ita illud peccatum exit maximum, quod ab illo fine maxime de ordinat, & directius auertit, & hoc modo odiũ Dei erit peccatum grauiſſimum, & maximum, quia animam magis deordinat a fine: ſicut enim caritas Dei odio oppoſita inter omnes virtutes maxime ordinat, & coniungit animam rationalẽ cum ſuo fine; ita odium Dei animam rationalem magis directe auertit a fine, quam faciat quodcunq; aliud peccatum, atq; adeo videtur inter peccata omnia eſſe grauiſſimũ quapropter inquit Scot. in 2. diſtin. 6. quæſt. 2. quod ſi cut nullus actus formaliter eſt melior, quam Deum diligere, ita nullus peior eſt, quam Deum odiſſe, in quo tãquam in ſummo malo conſumata videtur malitia.

Quinto comparari poteſt peccatum ad nocumentum atq; ita illud peccatũ eſt maximum, ad quod ſequitur maximum nocumentum, dicitur autem aliquod peccatum eſſe maximi nocumenti in hoc quod eſt principium, & origo aliorum peccatorum, & hoc modo peccatum primorum parẽtum dicitur eſſe maximum peccatum, quia generi humano maximũ intulit nocumentũ.

Poteſt Sexto aliquod peccatum dici maius alio peccato, vel ſecundum rationem eius, in quẽ peccatur propter magnitudinem iniurię, vel propter magnitudinẽ damni, aut pęnę conſequentis peccatum vel propter magnitudinẽ cauſalitatis ad peccandum.

Primo modo dicitur peccatum Iudeorum maximum peccatum.

Secundo peccatum primorum parentum dicitur maximum.

Tertio modo peccatum luciferi dicitur maximum.

Dicendum eſt ergo, quod ſi ſpectetur ſpecies peccati primorum parentũ, non vtiq; fuit omnium grauiſſimum, grauius enim fuiſſet. Si peccaſſet per blaſphemiam, per infidelitatem, per contemptum, aut odium Dei. Nec dubitanter dixerim. Iudam, Arrium, Lutherum, ſecundum ſpeciem peccati, grauius peccaſſe, quam Adamum, peccauit enim contra legem poſitiuam, non contra legem naturalem, & cõtra præceptum de re, indifferenti, non de re per ſe mala, nec affectus peccãdi, fuit in illis intẽſior, vehemẽtior, prauiorq; quam in nullo eorum, qui poſtea peccauerunt.

Iudas, Arrius, Lutherus grauius peccauerunt, quã Adam.

Cœterum grauiſſimum fuit illud peccatum, ſi penſetur donum ex eo conſecutum, ideſt iacturam tot, tantorumq; bonorum nunquam deinceps recuperandorum, & tot, totorumque malorum, quę peccatum illud peperit, neceſſitas; neque damnũ illud propriũ modo fuit illorum hominum, ſed vniuerſi generis humani. Illi enim primi parentes ſuo caſu, & ruina omnes poſteros ſuos in peccati, & mortis exitum per traxerunt.

Illud quoque aggrauat Primorum parentum peccatum, quod nullam ad malum haberent procliuitatem, ſed cõtra acerrimam ad bonum propenſionem, ita vt ſumma felicitate quantãlibet tentationem propulſare, omneq; peccatum vitare nullo labore poſſet, quamobrẽ tanto fuit eius in peccando iniquitas, quanto maior erat in eo, non peccãdi facilitas, de qua re videatur, ꝙ ſcribit Diuus Auguſt. libr. 14. de Ciuit. Dei cap. 15.

Quæritur octauo, vtrũ Adę peccatũ remiſſibile fuerit, & voco remiſſibile, quod habet in ſe cauſam remiſſibilitates, & excuſationem, & Ratio dubij eſt Quod peccatum Adæ non fuit ex infirmitate; aut ex ignorantia, infirmitas, enim, & ignorantia ſunt pœna; pœna autem culpam non præcedit videtur ergo, quod peccauerit ex certa malitia,

at peccatũ ex certa malitia eſt irremiſſibile; quia eſt peccatum in ſpiritũ ſanctum, ꝙ non remittitur, neque in hoc neque in futuro ſęculo. Dicendum ſecũdum Iſidorum in lib. de Trint. quod homo poſt peccatum ideo reuertitur ad veniã, quia ex lutea materia pondus traxit infirmitatis, & ideo pro infirma carnis conditione reditus patet homini ad ſalutem. Item peccauit homo alio ſuggerẽte, vnde congruebat, quod homini reſurgeret, alio adiuuante vt inquit D. Greg. lib. 3. moraliũ. Ad motiuũ dicendum eſt, ꝙ peccatũ Adami non fuit peccatum in Spiritũ ſanctum quia non peccauit ex deſperatione, neque ex præſumptione diuinæ miſericordię, neque ex impugnatione gratię, vel veritatis agnitæ, neq; peccato finalis impenitentiæ, neque peccauit ex certa malitia, ſed magis ex infirmitate carnis, quæ infirmitas carnis non erat pęna in eo, ſed erat natura in ſe potẽs deficere. Vnde Gen 6. dicitur, non permanebit ſpiritus meus ſ. indignationis vel iræ in æternũ in homine, quia caro eſt, eſt autem infirmitas pœna pronitas ſ. quæ prouenit in nobis ex fomite.

Homo poſt peccatũ cur reuertitur ad ueniam.

Quæſt. 9. Quæritur nono vtrũ vir, vel mulier grauius peccauit. Dicẽdũ, ꝙ peccatũ illud grauius iudicatur, vel quia ex maiori libidine volũtatis perpetratur, vel quia ex maiori procedit ingratitudine vel tertio quia maiorem infert damnum, atq; læſionem. Primo modo grauius fuit Euæ peccatum, quã Adę: quia Eua maiori elatione, & magis improba voluntate voluit Deo aſſimilari, & eo ardentius quo plus credidit hoc, ſe obtinere poſſe. Secundo modo peccatũ Adæ fuit grauius peccato Euæ, quia plura beneficia accepit, & caput fuit mulieris, atq; adeo plus ex ingratitudine peccauit. Tertio modo licet Adæ peccatum non fuerit intenſiue grauius quia non ita deprauauit ſuam voluntatem, ſicut Eua, tamen extenſiue, & cauſaliter fuit grauius peccatum Adæ, quia omnes, & innumerabiles homines ex eo propagandos lęſit, & originaliter corrupit, & poteſt quarto addi, ꝙ peccatũ dicitur maius alio propter maiorem in obedientiã, atq; ita, quia fuit maior inobedientia Adæ quam Euæ; ei enim fuit datum præceptum, & per ipſum mulieri. Vnde primum dictum eſt Adæ; inquacunq; die comederis ex eo. &c. Poſtea vero dixit Eua De fructu, quod eſt in medio Paradiſi præcepit nobis Deus, &c. atq; ita intellexit Eua, quod per uirũ tranſiuit præceptũ ad ipſam, quia ergo fuit in Adam, quo ad hoc inobedientia maior fuit, etiam peccatum maius.

Peccatũ alio grauius iudicatur tribus modis.

Adæ peccatũ fuit grauius peccato Euæ, & è conuerſo.

Simpliciter tamen, atq; omnibus pẽſatis loquendo, Eua peccauit grauius, quã vir: nam, & grauius puncta fuit a Deo, etſi ambo fuiſſent damnati, maiorem pœnam habuiſſet in inferno Eua, quam Adam, quod autem Euæ peccatum fuerit grauius, patet, quia in his, quæ eſſentialiter peccati grauitatẽ reſpicinnt, grauius fuit Euæ peccatum, tum quia magis illicito motiuo, ſcilicet appetitu æqualitatis diuinæ peccauit, voluit enim eſſe ſicut Deus in aſſimilatione ſcientiæ; ſed Adam ex affectione amicabili ne contriſtaret vxorem, vt dicunt D. Aug. lib. 11. ſuper Gen. & Magiſter in 2. d. 22. tum quia mouit Adã ad peccandum, & non è cõuerſo, dum prius peccauit comedendo, & illi perſuaſit, atq; ita ei occaſionem peccandi dedit, tum quia minorem habuit occaſionem, non enim fuit ipſa pulſata, niſi à Diabolo, Adam vero à Diabolo, & muliere, quæ ab ipſo Diabolo inſtigabatur, & adiuuabatur ad viri ſubuerſionem, fortior autem eſt tentatio viri, quæ ſimul eſt à Diabolo, & a muliere affectuoſe dilecta, præter quam quod, maior eſt inclinatio ad credendũ vxori, quam ad credendũ Diabolo per ſerpentem ſuggerenti. Concluditur ergo ꝙ mulier grauius peccauit ſimpliciter.

Quæ peccatũ ſimpliciter, grauius fuit peccato Adæ.

Cæterũ Caie. ſuper 3. c. Gen. affirmat pecca-

peccatũ illud Euæ peccatum fuiſſe minimum, tum ex radice, hoc eſt affectu libertatis, tum ex ratione peccandi, appetitu.ſ.ſimilitudinis Diuinæ, tum ex re appetita, quæ fuit ſcientia boni, & mali, tum ex ſpecie actus exterioris, qui fuit comedere fructum pulchrum oculis, & ad veſcendum ſuauẽ, tum ex cauſa peccandi nimirum ſeductione ſerpẽtis, tum deniq; ex conditione peccantis, quia mulier erat. Veruntamẽ ſi peccatum vtriuſq; parentis noſtri ſimpliciter, & abſolute penſemus non modo graue fuiſſe peccatum Euæ ſed multis de cauſis, vt diximus, ſupra, grauius, quam Adæ intelligimus.

Quæritur decimo. Vtrum ſi vir non peccaſſet, genus humanum iuſtitia originali ſpoliatum fuiſſet. Rubion. in 2. d.22 q.1.ar.2.tenet quod Adã non peccante, ſed Eua tantum, adhuc fuiſſet genus humanum ab eis deſcendens naturaliter originali iuſtitia ſpoliatum, quod probat ex eo, quoniam ſub eadẽ diſtinctione pœnæ fuit Adæ, & Euæ præceptum, ne comederent de ligno ſcientiæ boni, & mali, de quo poſtea comederunt, conſtat etiam illam pęnam mortis, ſub qua fuit vtriq; præceptum, ne comederent fuiſſe impoſitam, non tantum ipſis, ſed etiam omnibus alijs deſcenſuris, ſeu naſcituris ex eis ergo omnes a primis parentibus nati, & naſcituri eandem pœnam conſecuti fuiſſent, & incurriſſent ſolo altero primo parente peccante, quã peccante vtroq; ſimul incurrunt. Probat conſequentiã quantum altero peccante, tantum illã pœnam incurriſſent omnes ab eo naturaliter deſcenſuri, ſub qua ipſis præceptum extitit, ne peccarẽt, ſed vt dictũ eſt ſub eadem pœna præceptum fuit, ne peccarent comedendo de ligno ambobus coniũcti, & vtriq; diuiſim, ergo eamdem pœnam incurriſſet ab eis deſcendentes, ſi alter eorum tantum peccaſſet, quam incurrerunt, quia ambo peccauerunt.

Cœterum oppoſitam ſent. tenent cõmuniter omnes Theologi D.Tho.1.2. q.81.arti.5. D.Bonau.in 2.d.22.dub.1. circa lit. Rich.ead.d.artic.1.q.4. & Sco. ead.d.q.2. Dicendum eſt ergo, quod ſi ſola mulier peccaſſet, genus humanum ab omni corruptione naſceretur immune, nec dicendum eſt, vt quidam crediderunt, ſcilicet quod muliere non peccante, homines ex parte mulieris contraxiſſent pęnalitatis corruptionẽ, nẽpe mortis, & aliarum paſſionum, quæ ex conditione naturę proueniunt, ſed non fœditatis corruptionem, quæ principaliter habet ortum ex parte viri; nã inquit magiſter in 2.d.22.quod peccante muliere, ſi vir non peccaſſet, humanum genus minime peccatis corruptũ, periret. Et Anſel.lib.de concepta originali dicit; quod ſi non Adam, ſed ſola Eua peccaſſet, non eſſet neceſſe totum genus humanum perire, ſed ſolam Euam, præterea non contrahendo originale peccatum, includit, naſci cum iuſtitia originali, ſed per iuſtitiam originalem erat in habentibus eam, poſſe non mori, atq; adeo videtur quod prędicta opinio contraditionem inuoluat.

Nec eſt dicendum quod vir non eſſet amplius cõmixtus mulieri, & quod Deus aliam nouam formaſſet, & quod ſententia damnationis mortis, & corruptionis ſolum permanſiſſet in ea; nã hoc non videtur neceſſarium, ad quid enim? nam ſi dediſſet aliam, forte alia grauiori tentatione, tentaſſet eum, ad quid addere malum malo? præterea ſufficiebat prima, quæ ſi feciſſet pœnitentiam, non obfuiſſet filijs, ſicut Virgo munda non obfuit munditiæ Chriſti Domini, Dominũ eſt ergo, quod ſi Eua tantum peccaſſet, non perdidiſſemus originalem iuſtitiam, atque adeo, non habuiſſemus defectus conſequentes carentiã originalis iuſtitiæ. Vñ non eſſent in nobis poſſibilitas & neceſſitas moriẽdi, & rõ eſt: quia Iuſtitia originalis data fuit Euæ pro ſe tm̃, & non pro nobis. Adæ verò, & pro ſe, & pro nobis data fuit, atque Eua peccante & non

Si Eua tãtum peccaſſet non perdidiſſẽt homines originalẽ iuſtitiã.

Digitized by Google

Adam, pro ſe tantũ iuſtitiam originalem perdidiſſet, ſicut è conuerſo, ſi Adam peccaſſet, & non Eua, omnes ex Adam per carnis propagationem deſcendentes, peccatum originale contraxiſſent, quia Adam, ne dum pro ſe, ſed etiam pro omnibus iuſtitiam originalem accepit.

Alex. de Alex vbi ſupra an 8. Gl ſſa. Qua qui hora peccauit.

Quæritur vndecimo qua hora Adã peccauit; Aliqui dicunt, quod peccauit in veſpere, eo quod dicit Gloſſa ſuper illud pſ. ad veſperum demorabitur fletus. Veſpera eſt quando ſol in occaſum declinat, quo tempore Adam peccauit, & lux, veri ſolis primo Chriſti ab eo cecidit. Quidã vero (vt Beda) dicit, quod peccauit hora ſexta nam explicans verba illa Marci 15. & facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram, inquit qua hora primus homo Adam peccando, mundo meruit mortem, eadem hora ſecundo Adã moriendo mortem deſtruxit: Dicendum quod licet hora ſexta factæ ſint tenebræ, non tamẽ illa hora mortus fuit Chriſtus, ſed hora nona, vel cito poſt ipſam, tũc autem eſt in declinatione ſolis, atque adeo infra in hoc cap. dicitur. Cum deambularet Dominus adauram poſt meridiẽ aſcondit ſe Adam, atque ita eadem hora, qua primus Adam peccando mortẽ meruit. Secundus Adã moriendo mortem deſtruxit. Veſpere autem dicitur large pro tempore, quo ſol declinat ad occaſum.

Et aperti ſunt oculi Amborum.

Meriro quis rogauerit, quam virtutem habuerit hoc lignum cuius eſus illorum oculos aperuerit, ſed ſignis prudenter quæ in ſcriptura dicuntur, voluerit intelligere, nihil dictorũ ſibi difficile erit non enim eius ex ligno illorum oculos aperuit, nam & ante eſum uidebant, ſed quia guſtus ille in obedientię erat argumentum & præuaricatio mandati à Deo traditi, ob quam cauſam poſtea ablata eſt gloria, quæ illos circũdabat, quia ſe indignos tali honore fecerant propter ea ſcriptura morem ſuum obſeruãs inquit come derunt, & aperti ſunt oculi amborum, & cognouerunt quod nudi eſſent, non deſenſibilibus oculis dicens, ſed deſenſu mentis, quia poſtquã mãdata tranſgreſſi ſunt. Deus eos ſentire fecit ea, quę ante ob ſingularem illius, in ſe beneuolentiam non ſentiebant, igitur cum dicitur, quod aperti ſunt oculi eorum intelligendum eſt, quod fecit illos poſtea nuditatem ſentire, & auferri gloriam illam, qua ante eſum fruebantur. Quod autem ſit hæc ſcripturæ conſuetudo, audi illam alibi dicentem. Nam cum Ancilla Sarrę Dominum fugiens erraret, & poſito iuxta abietẽ puero à lõge conſideraret illius mortem, inquit. Aperuit Deus oculos Agar; non quod ante hoc non viderit, ſed quod mẽtem illius excitauit. Vides quod verbum aperuit nõ eſſe corporalib. oculis dicit, ſe deſenſu mentali. Hæc Diuus Chriſoſtomus.

Diuus Auguſtinus libro vndecimo, ſuper Gen. ad lit. cap. trigeſimo primo ita ſcribit, ergo ederunt, & aperti ſunt oculi amborum, quomodo niſi adinuicem concupiſcendum ad peccati pęnam carnis ipſius morte cõceptam vt iam eſſet corpus non animale tantum, quod poterant ſi obſeruantiam conſeruarent in meliorem, ſpiritalemque habitum, ſine morte mutari, ſed iam corpus mortis, in quo lex mẽbris repugnaret legi mentis, neque enim clauſis oculis facti erãt, & in Paradiſo delitiarum cęci palpanteſq; ab errabant, vt vetitum lignum, etiam neſcientes attingerent, palpãteſque fructus prohibitos ignorando decerperent. Quomodo autem animalia & volatilia adducta ſunt ad Adam, vt videret: quid ea vocaret, ſi nõ videbat? & quomodo ipſa mulier ad virum adducta eſt, quãdo facta eſt, vt de illa, q̃ non videbat diceret. Hoc nunc os de oſſib. meis, &c. Poſtremo quomodo vidit mulier; quia bonum eſt lignum in eſcã, & pura placet oculis ad vidẽdum, & de-

& decorum eſt cognoſcere ſi eorum clauſi erant oculi? eſt ergo hæc locutio figurata quemadmodum, & Lucas ca. 24. de duobus illis diſcipulis loquens, quorum vnum erat Cleophas dixit, ꝙ cum fregiſſet eis Dominus panē aperti ſunt occuli eorum, & cognouerūt quē per uiam non cognouerunt non vtiq; clauſis oculis ambulantes, ſed eum cognoſcere non valentibus, ſicut ergo ibi ita in iſto loco narratio figurata eſt, quamuis tranſlato verbo ſcriptura vſa videretur, & apertos diceret oculos, qui, & antea patebant, apertos vtiq, ad aliquid intuendum, & cogitandum, ꝙ antea nunquam aduerterant.

Sed audiamus quid de hac re ſcribat Rupertus lib. 3. de trinit. & eius operibus c. 10. quomodo tādem dictum eſt, & aperti ſunt oculi amborum, nūquid ceci erant antequam comederent, & comedendo illuminati ſunt? nō vtiq; iam enim & mulier viderat, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile; Iam ad Adam adduxerat Dominus cuncta animātia, vt videret, quid vocaret ea; nō ergo exteriores, ſed iteriores quos contra Deum clauſerant; aperti ſunt oculi amborum, quia ſcilicet veracem Deum, ſerpentem vero in ſua miſeria falſiſſimum cognouerunt. Nā protinus ſequitur. Cumq; cognouiſsēt ſe eſſe nudos, conſueuerunt folia eius, & fecerunt ſibi perizomata: ergo id, quod dictum eſt, & aperti ſunt oculi amborum, (duplicem conſtat habere ſenſum, nam ſi ad expectationem illorum reſpicias, quam ex promiſſione ſerpentis conceperant dicentis, aperiētur oculi veſtri, et eritis ſicut Dij &c. acerba nimis irronia eſt, & gemebunda conquæſtio, ſcriptoris dicenti, & aperti ſunt oculi amborum, quod idem eſt ac ſi diceretur, & non iuxta promiſſum ſerpentis aperti ſunt oculi amborum, niſi quod acerbius nunc, ſub affirmatione ironica dicitur, quaſi aperta voce negaretur. Porrò ſi verum eue tum, expectes magnæ confuſionis demonſtratio, vel agnitio eſt, de qua protinus ſub infertur, ꝙ iam dictū eſt. Cumq; cognouiſſent ſe eſſe nudos &c.

Illud prætereca dici, poteſt apertos fuiſſe eis oculos, quia tunc clare viderunt, quod antea libidinem peccandi obcęcati, non viderant. Deum ſ. veracem eſſe. Diabolū vero mendacē ac fallacem, ſimulq; illud quam verum eſſet cognouerunt, quod multis poſt ſeculis. Dauid cecinit. Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam, & illud; qui elongant ſe à te peribunt, perdidiſti omnes, qui fornicantur abſte. Breuiter itaq, dicendum eſt, quod aperire oculos per tropum eſt rē videre, quæ non videbatur prius, atq; adeo de vtriſq; internis inquam, & externis, poteſt, oculis interpretari, ac primum interne deformitatem agnoſcere delicti, & in quam graue, horrendunq; fuerant coniecti ſupplicium, & quam ingrate, quam impie, & ſceleſte, in Patres oceanumq; cōmiſerant omnium bonorum; deinde, & externe pōderarunt, quam foret turpe virum, & fœminā eſſe nudos, verēda, obſcenaq; membra eſſe detecta, & præſertim, ob turpes, & inhoneſtos motus; & quā ſatius conſultum eſſet brutis, quibus elatū eſt tegi pilis, velleribusq; ſuapte natura ꝙ illis parendum erat, & nō mediocri opera, & labore.

Quæritur primo quomodo dicitur, ꝙ aperti ſunt oculi eorum. Aliqui dicūt quod vere aperti ſunt oculi eorū, quaſi prius non viderent, & tūc videre ceperint. Sed hoc eſt falſum vtſup. oſtenſum eſt ex D. Chriſoſt. & D. Aug. at Ruperto. Alij dicunt, ꝙ aperti ſunt oculi eorū ſ. intellectus cum prius nō intelligerēt, tunc intelligere cęperunt. Ita docet Ioſephus lib. 1. antiquitatum c. 1. adeo, ꝙ ex pomi vetiti eſu maius ingenij acumen, acrioremq; vim ad intelligendū adepti ſunt primi parentes. Sed hoc fal Queſt. 1.

ſum eſt; nã neque id per eſum fructus illius effici potuit, nec tã cito cũ cibus, & ſi diſponat organa ad intellectus operationes, tamen non facit hoc ſubito ſed ſucceſſiue, cum ad opus intellectus directe non conferat, neq; etiam ſi factum eſſet damno eis ſed magis lucro eſus illius fructus fuiſſet. Alij dicunt, quod Deus creauit eos intellectum habentes, & tamen erat intellectus eorũ ligatus, vt non poſſent intelligere, quouſq; comederent de ligno, atq; ita, & dicunt aliqui, quod primi parentes ante peccatum, non potuiſſent carnaliter commiſceri, quia licet vim generatiuã, atq; organa ad hoc haberent, tñ erant vires ligatæ, & ante peccatum in actũ exire non poſſent.

Sed hoc ridiculum, atq; abſurdum eſt, ridiculum quidem, quoniã rei perfectio non eſt in potentia, ſed in actu, atq; adeo quicũq; potentiam ligatam habent, ſecundum hoc imperfecti ſũt, Deus autem non creauit eos imperfectos, imò in ſtatu innocentię maiorem habuiſſent perfectionem, quam poſt; eſt etiam abſurdum, quod potentiæ ſoluerentur ad actus per peccatum, cũ potius per peccatũ fuerint inductæ pęnę.

Rabbi Salomon. Neque audiẽdus eſt Rabbi Salomõ dicens, quod aperti ſunt oculi eorum, ſcilicet ad cognoſcendũ malum, nã ante hoc ſolum bonum cognoſcebant, poſtea vero etiam malum cognouerunt, quod inceperũt cognoſcere, dum de illo fructu comederunt, propter quod lignum illud, vocatur ſcientiæ boni, & mali, ita vt comedendo de illo ſcirent bonum, & malum; hoc namque eſt falſum, quia eadem eſt notitia contrariorum, & ideo prius habebant notitiam ſpeculatiuam boni, & mali ſibi appoſiti, ſed non habebant notitiam experimentalem mali, ſiue tranſgreſſionis, & punitionis, quã tunc experimentaliter cognouerunt, atq; adeo tũc aperti ſũt oculi eorum ad cognoſcendum ſuam nuditatem eſſe inconfuſibilẽ, quę prius erat honeſta, quia ſubtracta iuſtitia originali, ſtatim ſenſerunt rebellionẽ carnis ad ſpiritum, & motum inordinatum membrorum.

Quæritur Secundo quare ad ſignificandum, quod dictum eſt, dicitur aperti ſunt oculi amborum; quia poterat dici, quod viderunt ſe nudos, & non diceret; de apertione oculorũ ipſorũ; Quæſt. 2.

Dicendũ quod ſecundum veritatẽ nichil aliud fuit, niſi quod iſti cognouerunt ſe nudos poſt peccatum, quod ante non cognoſcebant; atq; iſtã cognitionẽ ſignificare voluit ſcriptura per oculorũ apertionem, & licet interdũ nomine oculorũ ſignificetur intellectus; non tamẽ in propoſito; quia ad cognoſcendũ nuditatẽ, non requiritur, intellectus, ſed oculus nuditas enim ſenſu percipitur. Obſ. eſt tamen, ꝙ ſcriptura ſacra, quando loquitur de cognitione dicit aperiri oculos, vel aperiri intellectum, quando ſcilicet quis cognoſcit, quod prius non cognoſcebat.

Aperire oculos idẽ eſt, quod intelligere in ſacra ſcriptura.

Secundo obſ. eſt quod quædam ſunt cognoſcibilia ſolo intellectu, quædam autem ſolo ſenſu, atq; adeo, quando loquitur de his, quæ ſolo intellectu cognoſcuntur, dicit aperiri intellectum; quando aũt de his loquitur, quæ ſenſu cognoſcuntur dicit aperiri oculos.

Cognoſcibilia ſunt in duplici differentia.

Primo obſ. eſt ꝙ licet in cognitione ſenſitiua, vel intellectiua dicatur aperiri oculus, vel intellectus, tamen ſcriptura non cõſueuit hoc dicere, niſi circa illas res, quas aliquis prius cognoſcere poterat, & non incepit prius cognoſcere. Vnde qñ aliquis poteſt videre rẽ, vt pote, quę pręſens ei eſt, & nõ videt, dr̃ oculus eius clauſus, vel impeditus, quia ſi nõ eſſet clauſus videret. Ita accipitur Lucę 24. ca. ſcilicet Ieſus aũt appropinquans ibat cũ illis, oculi aũt eorum tenebantur &c. & bene dr̃ tenebantur, quaſi violenter, quia ſi nõ eſſet aliquod impedimẽtũ, cognouiſſent eũ, qui pręſens erat, quẽ videre ſoliti erant, atque adeo qñ ceperunt videndo eũ agnoſce-

Scriptura ſacra quæ cognoſcibilia dicit aperiri oculos.

re di-

Digitized by Google

re dicitur, ꝙ oculi eorum aperti ſunt; atq; iſte modus eſt circa ea, quæ ſenſu percipiuntur. Cæterũ circa ea, quæ intellectu capiuntur, talis ſeruatur intelligendi modus: qñ enim alicui proponuntur intelligibilia; Si non intelligit ea, dicitur intellectus eius, clauſus, ſicut 2. Corint. 3. dr̃ de Iudeis, quorũ intellectus eſt clauſus, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorũ, & vſq; in odiernũ diem, id ipſum velamen in lectione veteris teſtamenti, manet non reuelatum, iuxta id, quod legit Iſa. 6. excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanẽ eos. Cũ igitur ſcriptura ſacra proponatur omnibus, ſiqui eam nõ intelligunt, dicitur clauſus intellectus eorũ, iuxta illud Lucæ 24. tunc aperuit eis ſenſum vt intelligerent ſcripturam. In propoſito autẽ, ꝙ cognoſcendum erat, corporale erat, ſcilicet nuditas, atq; adeo oculis videndũm erat, & quia hoc idem, quod nũc in Adã, & Eua erat, prius extiterat, cũ prius non eſſent veſtiti, ſicut, nec nunc, vr̃, quod ante hoc clauſi erãt oculi eorum, atq, adeo quando inceperunt videre hoc, dicuntur oculi aperti, atq; ita dicitur, ꝙ comedit, & aperti ſunt oculi amborũ, quaſi dicat, prius clauſi tenebantur, aut videbantur teneri clauſi, cũ eorum nuditatem non viderent.

Quæſt. 3. Quæritur tertio, quare non fuerunt aperti oculi Euæ ſtatim, vt illa comedẽdo peccauit: nã vr̃, quod ſtatim debuiſſent aperiri ad hoc, ꝙ agnoſceret ſe nudam, quia iſta nuditas fuit quædam pęna data pro peccato. Dicendum ꝙ ſi nuditas, & cognitio nuditatis eſſet aliqđ ſecundũ ſe conſequens peccatũ hominũ, qui ſteterant prius in innocẽtia, ꝙ ab eis non repararetur, non potuiſſet Eua, nõ pati nuditatẽ, & agnoſcere eã, facit tñ aliquid à Deo inflictum in pœnã pro peccato, ideò tunc eſſet qñ Deus vellet, & quia congruentius erat nõ ſtatin manifeſtari in Eua, poſt peccatum eius nõ apparuit nuditas. Tũ quia Deus noluit impedire tentationem Adę, quę tamen impediretur, ſi nuditas Euæ ſtatim appareret; ſi. n. poſt peccatum Eua ſtatim nudam ſe cerneret, erubeſceret cõparere ante Adã, atq; adeo nõ auderet ire ad offerendum ei cibũ; potiſſimum, quia putaret, ſibi hoc accidiſſe, quia de vetito ligno mãducauerat, atq. ita non procederet ad dandũ Adę de illo. Tũ quia ſi Eua poſt hoc iret ad Adã vidiſſet Adam eius nuditatẽ, atq; ipſe quoq; erubeſceret, aut ſaltẽ miraretur, & per conſequens ſcire vellet cauſam huius mali, & cognito, ꝙ de ligno vetito comediſſet, nollet ipſe de eo comedere. Tũ tertio, quia Eua peccante, nõ dum erat peccatũ conſumatum, ſed qñ peccauit Adã, ideo pœna nõ debuit inferri vſquequo peccaret Adam.

Oculi Euæ cur ſtatim poſt pecc. ũ non ſunt aperti.

Nã Euæ peccatũ duobus modis cõſiderari põt vno modo vt erat perſona le peccatũ; altero modo, vt poſſet ſe ad poſteros extendere, atq; ita tranſiret ad naturã. Priori modo Euæ peccatũ conſumatũ fuit in ea, quia cũ ipſa eſſet per ſona ab Adamo diſtincta, neque ab eo depẽderet, per actũ propriũ merebatur atq; demerebatur, nã anima, quæ peccauerit, ipſa morietur. Ezec. 18. ideo nõ erat opus, vt alius peccaret ad hoc, ꝙ Eua puniretur. Poſteriori autẽ modo peccatũ in Eua non erat conſumatum, quoniã peccatũ Euæ non poterat tranſire in naturam humanam, et ꝙ in Eua non erat tota ſpecies humana, ſed ſolũ in Adamo, atq; adeo ea peccãte, nõ poterat tota infici nã, ſed peccante Adamo, vnde, & nos nõ peccauimus in Eua, ſed in Adamo, ſicut dr̃ ad Ro. 5. atque adeo: quia peccãte Eua, nõ erat peccatũ conſumatũ nõ debuit pęna ſequi.

Eua peccatũ duobus modis conſiderari poteſt.

De primorum parentum nuditate, & perizomatibus.

Cumq; cognouiſſent ſe eſſe nudos cõſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi Perizomata.

Digitized by Google

Nudati, namque propter peccatum ſupernæ gratiæ amictu, ſenſibilis ſuæ expoliationis ſenſum acceperũt, vt per erubeſcentiã, quæ inuadebat ipſos certos ſcirent inquantum periculum, ſe adduxiſſet mandati Dominici præuaricatio. Qui enim antea fruebãtur tanta fiducia, & neq; ſibi conſcij erant ſe ſe nudos eſſe, nec nudi erant; quãdoquidem ſuperna ipſos gloria quouis veſtimento honeſtius tegebat, poſt eſum autem, hoc eſt, poſt præuaricationem pręceptorum, intantam humilitatem redacti ſunt, vt ob intollerabilem erubeſcentiam, veſtem tunc quęrerent. Quippe mãdati preuaricatio, vt ſuperuenit, veſtem illam nouam, & admirabilem (glorię inquam) ac ſupernã beneuolentiam expoliauit, & tã confuſione indicibili circundedit, quam nuditatis ſenſum prębuit, & conſuerunt folia ficus, & fecerũt ſibimet ipſis ſuccintoria Nam mox vt pręceptũ trãſgreſſi ſunt, intrinſecus gratia deſerente, omnino nudati, quã thypho quodã, & ſuperbo amore ſuæ poteſtatis offenderãt in ſua membra, oculos iniecerunt, eoq; motu quem non nouerant concupiuerunt. Ad hoc ergo aperti ſunt oculi, ad quod antea non patebant, quamuis ad alia paterent, Hæc mors ea die accidit, qua factum eſt, quod Deus vetuit. Amiſſo quippe ſtatu mirabili, corpus ipſum, eius ſtatus etiam de ligno vitæ virtute myſtica præbebatur, per quẽ, nec morbo tentari, nec ætate mutari potuiſſet, vt hoc in eorum carne, quãuis adhuc animali, & in melius commutanda, iã tamen ſignaretur per eſcam ligni vitę, quod ex ipſo ſpiratali alimento, cuius ſacrarum lignum illud erat, ſic in bonis Angelis per æternitatis participationem, vt in deterius non mutentur. Hoc ergo amiſſo ſtatu, corpus eorũ duxit morbidã, & mortiferam qualitatẽ, quæ ineſt etiam pecorum carni, ac per hac etiã eadem motũ, qui fit in pecoribus concubẽdi appetitus, vt ſuccedant naſcentia morientibus. Sed tamen etiã in ipſa pœna ſuę generoſitatis vindex, anima rationalis, beſtialẽ motũ in mẽbris ſuę carnis erabuit, eiq; incuſſit pudorẽ, non ſolum, quia hoc ibi ſentiebat. vbi nunquã ante tale aliquid ſenſerat, verũ ẽt, ꝙ ille pudendus motus de pręcepti tranſgreſſione veniebat. Ibi enim ſenſit, qua prius gratia veſtietur, cũ ſua nuditate nihil indecens patiebatur. ibi cõpletum eſt. Dñe in voluntate tua pręſtitiſti decori meo virtutẽ, auertiſti faciẽ tuã a me, & factus ſum conturbatus. Deniq; illa conturbatione ad folia ficulnea cucurrerunt, ſuccinctoria cõſuerunt, & quia gloriã deſeruerunt pudenda texerunt. Nec arbitror eos cogitaſſe aliquid in illis folijs, ꝙ talibus cõgrueret contegi iã membra pruriẽtia, ſed occulto inſtinctu ad hoc, illa cõturbatione cõpulſi ſunt, vt ẽt talis pęnę ſuę ſignificatio à neſcientibus fieret, quæ peccatorem factũ conuinceret, & doceret ſcriptura lectorẽ. Cęterum illud, quo vſi ſunt. 70. interpretes gręcũ vocabulũ perizomata, latinè ſignificat ſuccinctoria, vel ſubligacula: nã licet vniuerſæ ſigñcaret oẽ id, ꝙ ambit, & circũ cingit, ꝓprie tñ hic ſignificat ſuccinctoria lumborũ. i. bracos breues, vt cãpeſtrias, vnde Latina translatio, quã habuit D. Aug. pro ſuccinctorijs, hoc loco habebat, cãpeſtria, ſic. n. ille ſcribit li. 14. de Ciu. Dei c. 17. & fecerunt ſibi cãpeſtria genitaliũ: nã quidã interpretes ſuccinctoria poſuerũt. Porrò aũt cãpeſtria Latinũ quidẽ verbũ eſt, ſed ex eo dictũ ꝙ iuuenes, qui nudi exercebãtur in cãpo pudenda aperiebãt, vnde qui ita ſuccincti ſunt, cãpeſtratos vulgo appellat. Quod itaq; aduerſus damnatam culpã in obedientię, voluntatem libido violenter mouebat, verecũdia prudẽter tegebat: ex hoc oẽs gentes, quoniã ab illa ſtirpe procreatæ ſunt, vſq; adeo tenent inſitũ pudenda velare, vt quidã Barbari illas corporis partes, nec in balneis nudas habebant, ſed cum earum tegu-

mentis

mentis lauentur, per opacas quoque Indiæ ſolitudines, cum quidam nudi philoſophentur, vnde Gymnoſophiſtæ nominantur, adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per cætera membrorum carent. Hæc Aug.

Quæſt. 1. Quæritur primo, quomodo Adam, & Eua poſt peccatum, cognouerunt ſe eſſe nudos. Aliqui dicunt, quòd hoc fuit: quia prius non videbant, ſed hoc improbatum eſt ſupra.

Quidam vero dicunt, quòd Adam, & Eua non cognoſcebant prius, quid eſſet nuditas, atque adeo, neque nuditate erubeſcebant, ſed neque hoc eſt verum, quia paruuli non erubeſcunt propter defectum diſcretionis, ſed Adam, & Eua non ſe habebant ſic, quia perfectum iudicium habebant, ſcilicet perfectionem naturalem adiunctam gratuitis, vnde tunc perfectius ſingula iudicarent, quàm poſt peccatum.

Adam, & Eua quō poſt peccatum cognouerunt ſe eſſe nudos.

Dicendum eſt ergo, quòd cognouerunt poſt peccatum ſe eſſe nudos: quia tunc verè fuerunt nudi, prius autem non cognoſcebant ſe eſſe nudos, quia non erāt, vnde vtroque tempore rectè ſe habuerunt in cognoſcendo, quia cognouerunt ſicut res ſe habebat: ante peccatum enim non habebant veſtes, & tamen non erant proprie nudi, quia veſtibus non indigebant, ideo ſciebant ſe non habere veſtes, ſed non cognoſcebant ſe eſſe verè nudos, quia non erant verè, atque adeo non erubeſcebant.

Poſt peccatum verò fuerunt verè nudi, quia veſtes non habebant, & erant eis neceſſariæ, quia habebant aliquid, de quo iam erubeſcerent, ſi non operirent illud, ideo dicitur, quòd poſt peccatum cognouerunt ſe nudos.

Quæſt. 2. Quæritur ſecundo. Quare fecerunt ſibi perizomata.

Adam, & Eua quare fecerūt ſibi perizomata.

Dicendum, quòd Deus non dedit mox homini cōdito veſtem, neq; quādiu manſit in innocentia, neque etiam habiturus eſſet veſtem, ſi in innocentia manſiſſet, atque adeo cum non haberent veſtes fecerunt ſibi veſtes, quas potuerunt: nam præcipua cauſa veſtium erat confuſio quædam, qua erubeſcimus, quando nudi ſumus, quia apparent in nobis quædam partes corporis, quas turpes iudicamus manifeſtas habere, at quia ante peccatum huiuſmodi turpitudo non inerat, quia prouenit ex inobedientia quadam partium corporis, aut virium partis ſenſitiuæ contra rationem, quæ non erat ante peccatum, ideo ante peccatum non erat aliqua cauſa operiendi, cum neque eſſet verecundia, poſt peccatum autem inobedientia ſubſequuta eſt virium ſenſitiuarum ad rationem, atque ex immoderato partium motu, verecundia, atque adeo ad confuſionem, & verecundiam tollendam, fecerunt ſibi perizomata.

Quæſt. 3. Quæritur tertio quare tales veſtes fecerunt, & non potius tales, quales nos habemus, quæ totum corpus operirēt, aut quales ipſi poſtea habuerunt. Aliqui dicunt, quod ideo tales veſtes fecerunt, quia alterius generis veſtes facere neſciebant, cum nihil horum nunquā feciſſent, & aliquid melius, & artificioſius agere eis pro tunc non occurrit, ars enim de imperfecto ad perfectum procedit, & per tempus perficitur ars, vt dicitur libro primo, ethyc. capitulo ſeptimo, præterquam, quod ſi aliquid melius per prudentiam, & ingenium excogitare ſcirent, tamen tunc aliud excogitare non potuerunt, quia locus, & tempus non patiebantur. Nam grauius verecundia eos tenebat, atque adeò, vt eam diutius non paterentur ſic nudi manentes, prouiderunt ſibi citius, quam potuerunt, & nihil citius fieri poterat, quam iſtud, ergo, &c.

Adam, & Eua quare non fecerunt ſibi veſtes quæ totū corpus operirent.

Cęterum dici poteſt, quòd circa iſtas veſtes, aut dubitatur de materia, aut de forma, ſi de materia dicēdum eſt, quod fecerunt operimenta de folijs arborū, quia nihil ſibi promptius occurrebat. Si autem de forma, ſeu figura, dicendū

quod

Digitized by Google

quod talia facta ſunt, quia non putauerunt alias veſtes ſibi neceſſarias pro tūc nam non faciebant veſtes ad arcendā intemperiem continentis, ſed ad liberandum ſe a verecundia, partes autem, in quibus erubeſcebant, erant ſolę partes genitales, atque adeo ſufficiens fuit illas ſolas operiri, atque hoc factum eſt per Perizomata.

Quęſt. 1. Quæritur quarto. Quare potius opetimentum fuit factum de folijs ficus, quàm alterius arboris. Aliqui dicunt, quod ideo ex folijs ficus fecerunt ſibi Perizomata, quia illa fuit arbor, in qua peccauerunt; ſed hoc ſtare non poteſt, quia, aut Adam, & Eua erant nunc iuxta arborem ſcientiæ boni, & mali, in qua peccauerunt, aut non: nō ſecundū, quia tunc oporteret, quòd irent de loco, in quo erant ad illam arborem, vt inde folia acciperent: ſed hoc non eſt conuenienter dictum, nam de alijs arboribus potuiſſent accipere folia abſq; eo, quod irent ad arborem ſcientiæ boni, & mali, ſi detur primum etiam falſum eſt, quia Eua accepit de ligno vetito, & comedit, & poſtea venit ad virū ſuum, & dedit illi, cumque comediſſet, aperti ſunt oculi amborum, atque ita in loco, in quo Adam erat, aperti ſunt oculi eorum, & ibi fecerunt perizomata, ſed tunc non erant iuxta lignum vetitum.

Adā, & Eua, quare de folijs ficus fecerūt ſibi perizomata, & non e folijs alterū arborum.

Magiſter Hiſtoriæ ſcolaſticæ, c. 33. Gen. inquit, non ſine cauſa de folijs ficuum fecerunt ſibi perizomata, quia de ſucco eorum, ſi teratur caro hominis in cuncta ſtatim ſibi ſentit voluptatis pruriginem, vt quaſi per hoc oſtenſum ſit, quia pruriginem voluptatis, iā in carne ſenſerant, quæ prurigo deſignat pruriginem voluptatis, quam ipſi habuerunt, atq; adeo ex folijs ficus perizomata ſibi texuerunt, vt deſignarēt paſſionem, quæ eis aduenerat: nam incępit motus inordinatus in mēbris genitalibus, & ficulnearum ſuccus ad hoc facit, quod excitat in vaſis genitalibus pruriginem, ſi iniuncta fuerint ſucco; qui de folijs ficus contritis exprimitur, ſed hoc ſtare non poteſt: tum quia non eſt veriſimile, quod voluerint alijs paſſionem ſuam oſtendere, quia nemo tūc erat, cui hoc ſignificare poſſent, tū quia ſi eſſet, nollent tamen, imo potius tegere vellent. Erat nanque malum eorum verecundia de turpi motu membrorū, contra quod quęſierunt remedium, operiendo membra folijs, atq; adeo magis paſſionem hanc occultare quęrebāt quam reuelare.

Ireneus lib. 3. aduerſus hæreſes, c. 37. cenſet ideo ex folijs ficus omnes feciſſe ſibi tegumentum, vt manifeſtam darent ſignificationem pęnitentiæ, quam ipſi de patrato ſcelere, & animo agebāt & corporis etiam maceratione declarare volebant. Folia enim ficus admota carni purgant, & affligūt eam, & illud quidem indumentum, tamquam cilicium, perpetuo Adamus humilitatis & pœnitentiæ cauſa geſtaſſet, niſi Dominus, qui eſt miſericors, & ſuauis, & benignus pro aſpero indumento ficulneo tunicas pelliceas vtiliorem nempe, ac molliorem amictum eis dediſſet.

Cæterum D. Aug. lib. 11. ſuper Gen. cap. 32. videtur hanc opinionem refellere cum inquit. Neque enim arbitror cogitaſſe eos aliquod in illis folijs ficus quod talibus congrueret contigi iam membra prurientia, ſed occulto inſtinctu ad hoc compulſi in illa perturbatione, vt etiam talis pœnæ ſuę ſignificatio a neſcientibus fieret, quæ peccatorem factum conuinceret, & doceret ſcriptura lectorem.

Dicendum eſt ergo, quod folia ficus acceperunt potius, quam alterius arboris, vel quia quando turpitudinem illam ſenſerant propinquiores illi arbori erant, quam alicui alteri, & quia volebant ſibi cito prouidere contra verecundiam acceperunt folia ex illa arbore, quæ proximior erat, vel quia folia illius erant aptiora ad illud, quia erant valde

valde magna, & pauca ex illis poterãt operire partes illas, & facilius erat ea cõſuere, quàm folia parua aliarum arborum, quæ non ita bene tegerent corpus interlucentibus quibuſdam partibus corporis, ſicut magna folia, quæ ſibi inuicem melius aptarentur.

Quæſt. 5.

Quæritur quinto. Quomodo Adam & Eua potuerunt conſuere folia, & quomodo ſciuerunt hoc facere, non.n. habebant inſtrumenta ſutoria: quia neque filum, quo ligarent folia, neque acum, cui filum immitterent, non enim inceperant eſſe hæc, quia inuentio ferri fuit poſt exitum de Paradiſo per zubalchaim.

Adã, & Eua, quomodo coſuerũt folia ficus.

Dicendum, quòd oportuit aliquando eſſe ſuturatio ſine his, quia artes mechanicæ perfectiores, tardius inuentæ ſunt; fuere autem etate de rebus maxime neceſſarijs, & communioribus, atque adeo oportebat fuiſſe ſemper ante inuentionem acus, ſimiliter ante filum, in quantum filus per multas operationes habetur de lino, aut canabo, alijſq; oleribus, vel leguminibus. Sed adhuc non ſunt æqualiter neceſſaria hæc inſuendo, quia filum eſt neceſſariũ in quantum manet inſutura actu colligans partes conſutas; acus vero non per ſe, ſed ſolum, vt viam aperit filo, vnde ſi filũ ſit aliquod durum, quod perforet partes conſuendarum rerum, acus non eſt neceſſaria: atque ita ſicut eſt magis neceſſarium filum, quam acus, fuit prius inuentione filum, quam acus, quia iſte eſt ordo in inuentione artiũ, quod magis neceſſariæ, prius inuentæ ſunt, atq, adeo, inquit Ariſt. lib. 1. Met. ca. 1. quod mechanicæ inuentę ſunt ante ſpeculatiuas, eo quod mechanicæ ſunt naceſſariæ ad vitam, non autem ſpeculatiuæ, ſed quicquid ſit de hoc; certum eſt, tempore illo, non fuiſſe filum, neque acum quia iſta ſunt inſtrumenta miſerorum, qui teſtantur indigẽtiam ſuam, ſed tũc non erat indigentia vlla, neq; miſeria. Potuerunt ergo conſuere folia per aliquid, quod haberet vicem vtriuſque, quod ſcilicet eſſet aliqualiter durum, quod perforaret, & flexibile, vt contineret, ſicut ſi in vimine aliquo conſuerentur folia, in eo enim manerent folia colligata, atque pendentia.

Filum, et acus ſunt inſtrumẽta miſerorum.

Cum autem quærebatur, quomodo Adam, & Eua ſciuerunt hæc facere, cũ nemo eos docuiſſet?

Dicendum, quod nullo docente hoc ſciebant: quia cum Deus formaſſet eos in ætate perfecta ſecundum corpus dedit eis perfectam cognitionem, qualem ſolent homines habere in ætate matura, quod apparet, quia ipſa die perfecte loquebantur, & ſecundum rationẽ reſpondebant, ſicut apparuit de Eua tentata a ſerpente, atque adeo, ſicut in cæteris habebant perfectionem intelligẽdi, ita quantum ad excogitanda aliqua factibilia, haberent rationem potiſſimam ad res valde faciles, quæ paruo ingenio egent, ſicut colligere folia in vimine, aut in alio ſimili, ita certum eſt quod iſtud ſcire potuerunt.

Quæſt. 6.

Quæritur ſexto. Quare Adam, & Eua, non fecerunt ſibi veſtes de pellibus animalium, ſicut Deus fecit eis veſtes pelliceas?

Adã, & Eua, cur non fecerunt ſibi veſtes de pellib. animalium.

Dicendum, quod forte non occurrit eis talia cogitare: nam hoc fuit principium omnium artificorum, & exordia & inchoationes artium ſunt ab imperfectiſſimo. Non erat autem aliquid facilius, quam hoc, atque adeo iſtud ſtatim occurri, vel quia propter celeritatem, & paſſionem non fuit locus cogitandi, vel eſto quod id cogitarent, non poſſent tamen efficere: quia erant tunc Adam, & Eua in Paradiſo, in quo ſecũdum aliquos non erant animalia alia, niſi Adam, & Eua, vel eſto, quod ibi eſſent, non audebant ipſi illa occidere ad detrahendas pelles, quia cum animalia non fuiſſent eis data in cibum, non putabant forte eſſe ſibi licitum illa occidere, & eſto, quod liceret, & eſſent ibi animalia, hoc tamen non feciſſent, quia

hoc

hoc erat multę occupationis, & difficultatis, ipſi autem volebant rem celerem vrgente verecundia, vel demum, quia non faciebat ad eorum intentionem. Veſtis enim ad duo ſeruit, ſcilicet, ad tollendam verecundiā, operiendo turpitudinem, & ad liberandum a lęſione propter intemperiem continentis. Adā vero, & Eua non volebant veſtes, niſi ad primum, ad quod ſufficiebat operimentum factum de folijs, ideo non erant eis neceſſarię veſtes pelliceę, atque adeo non fecerunt eas, licet poſſent.

Quæſt. 7. *Adam & Eua quæ ſola genitalia velauerunt.*

Quæritur ſeptimo. Quare potius genitalia, quam alias partes velauerūt? ſecundum quod veſtes acceperunt ſolū, quia erubeſcebant de nuditate, cauſa autem cur erubeſcebant, ſolum fuit de partibus illis, ideo ſolum illas tegere curauerunt, eſt autem verecundia de turpi, quę turpitudo non apparuit, niſi in membris illis: cauſa vero turpitudinis erat inordinatus motus illarū partium contra rationem, nam in ſtatu innocentię omnia ordinata erant; quia ratio ſub Deo, & membra corporis, atque potentię, & vires animę ſenſitiuę ſub anima rationali, cum autem homo ſponte iſtum ordinem deſtruxerit, ex eo quod menſura non fuit ſubdita Deo fecit Deus, quod pars inferior animę, non eſſet ſub ratione, atque ita inſurrexerunt quidam effectus, non quidem ſecundum vim nutritiuam, aut augmētatiuam, ſed tantum ſecundum generatiuam, organa autem exteriora generatiuę virtutis ſunt genitalia, tam in viro quam in fœmina, atque adeo fuit in illis motus inordinatus, quem ratio compeſcere non poteſt, aut quem ratio non iubet inſurgere, & iſta eſt tota deordinatio, quod rationi non obediant partes illę, cœterę autem obediunt; & licet omnes partes inferiores rationi repugnent, ita vt ferantur in aliud, quam ratio velit, tamen ſolum in genitalibus partibus apparet turpitudo propter cōcupiſcentiam venereorum, & cauſa eſt, quia alię paſſiones non determinant ſibi organa propria in corpore, per quę exerceatur, quod ad ipſas pertinet, nā ita per manum, per linguam, per oculos, & per omnes corporis partes poteſt exercere vindictam, atque adeo cū nullam partem determinet, nullam efficit turpem, concupiſcentia autem venereorum determinat ſibi ſolas partes genitales, & ideo efficit illas turpes, alię autem paſſiones, licet contra rationē ſint, nullam partem turpem efficiunt.

Quæſt. 8. *Adam & Eua quando erubuerūt, actualiter habuerūt in partibus genitalibus inordinatum motum.*

Quæritur octauo. An tunc in Adam, & Eua fuerit actualiter aliquis illorum partium motus. Dicendū quod Adam, & Eua habuerunt tunc motum actualiter in membris, nam fortè genitale Adæ tunc inſurrexit, atque notus ardor, & pruritus in eo factus fuit, ſimiliter in Eua, circà partes genitales facta fuit noua immutatio, quæ accidit alijs fæminis cum dicuntur habere veneream concupiſcentiam; & quia talis motus in eis nunquam fuerat, & iubente voluntate non ceſſabat, erubuerunt, eo quod contra rationē eſſet. Nā licet in nobis ſine actuali motu ſit in partibus illis verecundia. Hoc ideo eſt, quia in nobis præfuit aliquis motus, & vnus motus ſufficit ad hoc, quod membra illa iudicentur ſemper turpia, quaſi nunquam, ſecundum rationem moueantur, atq; ei obedianr.

Cæterum in Adam, & Eua nunquā talis huiuſmodi motus præceſſerat, atque adeo non poſſent illa turpia iudicare, niſi in eis fieret aliquod nouum, atque ita fieret in eis actualiter, aliquis motus; & confirmatur; quia ante hoc, Adam, & Eua videbant illa membra ſine veſtibus, & non erubeſcebant de illis, cum ergo inciperent aliquando erubeſcere, neceſſe eſt quod per aliquē motum in illis factum erubeſcerent, nam ſi in eis non eſſet aliquis motus turpis, non habuiſſent per quid erubeſcerent manifeſtè apparebat in eis aliquis motus in corpore contra rationem.

Dicen-

Queſt. 9. Deſideriũ perfectũ coeundi duo importat.

Quæritur nono. An Adam, & Eua habuerint tunc deſiderium coeundi. Dicendum quod perfectũ copulæ deſiderium duo importat.

Primum eſt motum concupiſcentiæ venereorum in membris.

Secundum eſt deliberatio voluntatis in ijs, ad quod concupiſcentia mouet.

Primum non eſt perfectum deſiderium, quia non ſequitur inde actus, ſi illud ſolum ſit; quia licet voluntas non poſſit dominari concupiſcentiæ venereorum, vt non ſurgat, & appareat in membris, & pruriat, aut titillet ipſa membra, poteſt tamen impedire, vt non exeat in actum, & non ſolum non complectitur actus, ad quem inclinat concupiſcentia, ſi voluntas prohibeat, ſed etiam ſi non prohibeat; ſi non iubet, non copulabitur, quia ad executionem exigitur motus aliarum partium corporis, & non vnus motus, ſed multi. Cætera tamen membra voluntati obediunt, atq; adeo primum, quod eſt concupiſcentia venereorum excitata in membris non eſt perfectum deſiderium, quia nõ ſequitur inde effectus.

Secũdum etiam, ideſt voluntatis deliberatio, ſi ſola eſt non ſufficit, quia ſi non inſurgit concupiſcentia venereorum in membris nunquam poterit ſequi venereorum actus, ſicut in incontinentibus, & intemperatis, qui propter memoriam delectationis præteritæ vellent frequentare actum, ſed non eſt diſpoſitio in organis. Vtrumque ergo requiritur ad hoc quod ſit perfectũ deſiderium venereorum.

Ad propoſitum autem de Adamo & Eua, dicendum, quod primum fuit in eis, nam fuit motus nouiter inſurgens in membris, de quo ipſi erubuerunt, & iſte, eſt motus concupiſcentiæ, inclinãs, & diſponens ad venerea.

De ſecundo autẽ, ſcilicet de voluntate eligente, & imperãte actum, ad quẽ concupiſcentia inclinat, eſt dubium, & licet poſſit teneri vtrunque magis tamen rationi conſonat, quod non fuerit in eis deſiderium perfectum, per deliberationem, tum quia non fuit ſecuta copula in Paradiſo, & tamen ſi deſiderium perfectum per deliberationẽ exiſteret, nihil impediebat copulam, tum quia iſte motus fuit contra rationem ipſorum, atq; adeo veriſimile eſt, quod non continerent, ſi enim conſenſiſſent, placuiſſet voluntati huiuſmodi motus, quem tamen diſplicuiſſe conſtat; quia ſtatim erubuerunt, ergo non fuit in eis deſiderium perfectum.

Adam, & Eua non habuerũt deſiderium coeundi; ſtatim [illegible] erubuerunt. c.

Quæritur decimo quare Adam, & Eua non ſunt copulati in Paradiſo? Dicendum quod non fuit, primo quia nõ deſiderauerunt hoc, nam non ſequitur copulatio, niſi ad deſiderium perfectũ, in illis autem fuit concupiſcentia venereorũ, vt eſt paſſio: ſed non electio de copulatione.

Qu[illegible] Adam, & Eua [illegible] remo [illegible] copulati in Paradiſo. c.

Secundo quia in Adam erat aliquid quod ab hoc diſtraheret, nam nunc Adam, & Eua ceciderunt à ſtatu bono in miſeriam, & nouiter in ſe expediebant pœnam, ideo potius hæc conſideratio detraheret eos à venereis, quam impelleret eos concupiſcentia, ſicut fit generaliter quãdocunque duæ paſſiones concurrunt, quæ in diuerſa trahũt, ea, quæ vehementior eſt, extinguit aliam, faciens non ſentiri illam.

Tertio fuit propter verecundiam nimiam, nam erubeſcebant, ſe adinuicẽ, atque adeo non ſolum, non poſſent copulari, ſed potius auerterentur adinuicem, quamdiu ſic erubeſcerent, quouſque ceſſaret verecundia inter eos, tunc enim poſſent copulari.

Quarto quia deſiderium operiendi partes verendas fuit maius, quam concupiſcentia venereorum, ideo potius ſtatim dederunt operam ad conſuendum Perizomata operientia partes nudas, quam ad copulationẽ poſtremo: quia hoc facto, non videtur illis manſiſſe tempus, quia ſtatim venit Deus ad illos vt colligitur ex ordinẽ litteræ, nã

ſtatim

ſtatim ſequitur, & cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis, &c.

Quæſt. 11. Quæritur vndecimo, an motus genitalium, quem conſequebatur turpitudo, & verecundia, fuerit in Adam, & Eua naturaliter, vel ſuper naturaliter. Dicendum quod motus ille aliquo modo proueniebat naturaliter, & aliquo modo non naturaliter, fuit enim in illis apparens de nouo turpitudo quædam, de qua erubuerunt, quod autem erubeſceret, prorſus naturaliter fiebat, quia iſtud eſt conſequens ad manifeſtationem turpitudinis, data ergo turpitudine manifeſta ſequebatur in eis naturaliter, & neceſſario quod erubeſcerent.

Motus venereorũ in Adam & Eua fuit partim naturaliter, et partim ſuper naturaliter.

Cæterũ quod turpitudo eſſet in eis cum prius nõ fuiſſet, Dicendum quod aliqualiter erat à Deo, aliqualiter tamen ſecundum naturam, nam turpitudo erat inordinatio motus, ideſt, quod mouebantur illæ partes contra rationem, ideſt non iubente ratione, atque etiam poſtea ea reſiſtente, prius autem non erat ſic, ſed mouebantur, ſecundũ imperiũ rationis, iſta in ordinatio fuit à Deo, qui priuauit hominem dono dato; fuit etiam per naturam, inquãtum in ea erant principia ad hæc faciendũ. Dicendum eſt ergo quod iſta deordinatio partim fuit ſupernaturalis, & partim naturalis, ſupernaturalis fuit inquãtum non fuit facta, niſi per Dei operationem, nam dederat Deus homini originalem iuſtitiam, qua manente vires omnes ſub ratione neceſſe erat ordinatas eſſe, & in ſtatu innocentiæ habuit Adam donum illud originalis iuſtitiæ, atque adeo vires inferiores erant tunc ſuperioribus ſubditæ. Poſt peccatum vero, quia Deus donum illud abſtulit, ordinatio illa ceſſauit, atque deordinatio ſubintrauit, atque ita patet quomodo deordinatio illa fuiſſet ſupernaturalis, fuit etiam aliquo modo naturalis, quia vires iſtæ ex conditione ſua habent, quod non ſequatur rationem, ſed per ſe moueantur, atque adeo naturaliter fit hoc, & non diuinitus, nam quod mouerentur ille vires cõtra rationem, non egebant aliquo adiutore, ſed ſolum quod ceſſaret detinere eas agens ſuperius quod rationi ſubditas continebat, &c.

DE PECCATO *Originali.*

Quæſt. 1. Verum enim uero cũ de peccato Adæ quatenus perſonale fuit, ſatis, vt opinor dictum ſit, quòd nuditas, turpitudo, verecundia, atque cęteræ pœnæ ſubſecutæ ſunt. De peccato originis, ſcilicet, quatenus peccatũ illud transfundatur in poſteros, ſubtilius hoc loco, & accuratius diſputandum eſt. In qua diſputatione quæſtiones tres ſunt enodãdæ. Prima, an ſit peccatum originale. Secunda quid ſit. Tertia, quomodo cõtrahatur, vel transfundatur a parentibus in filios.

Quæritur primo, an peccatum originale ſit. Quid nomine peccati originalis in præſenti quæſtione intelligamus, pendet ex his, quæ dicemus infra, cum de quidditate peccati originalis erit nobis ſermo. Pro nunc autem obſeruandum eſt, quod originale peccatum poteſt tripliciter accipi, vno modo actiue atque ita dicitur originale peccatum, quod fuit in alijs origo peccati, & hoc modo dicit Hugo de S. Victore, & Magiſter ſent. quod peccatum Adæ, ideſt, quod commiſit Adam, fuit originale, quia fuit omnium peccatorum cauſa. Secundo modo dicitur peccatum originale, quod ab origine ineſt, ideſt, immediate poſt animæ infuſionem, atque ita Adam, & Eua non habuerunt peccatũ originale. Tertio modo dicitur peccatũ originale, quod in alijs ab alio traducitur, ſiue, quòd in origine ipſa, ſeu generatione contrahitur, vel quia ab origine, hoc eſt a primo parente deriuatur, & hoc modo accipitur in propoſito.

Peccatũ originale tripliciter accipi poteſt.

Digitized by Google

Hoc autem peccati genus quamplures Hæretici aperte negarunt, in primis Pelagius, qui aſſeruit, paruulos ſine peccato naſci, egere tamen Baptiſmo, non vt a peccato aliquo purgentur, ſed vt regnum cœlorum conſequantur, iuxta id quod habetur Ioã. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei. Ita refert Hæreſim illius. D. Auguſt. lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſione, ca. 18. & 20. & colligitur ex concilio Mileuitano can. 2. & Auriſciano 2. can.

Secundo hunc errorem ſecuti ſunt etiam Armeni, vt docet Caſtro aduerſus hæreſes, verbo peccatum, hæreſi 3. vbi ſcribit eos aſſeruiſſe, paruulos deſcendentes ſine Baptiſmo, ſi ſint filij infidelium dãnari in inferno cum adultis, & ita neceſſarium eſſe Baptiſmum, vt dicebat Pelagius ad conſequendum Regnum cœlorum, non ad delendum aliquod peccatum.

Tertio eundem errorem docuerunt Albanenſes, teſte Antonino, 4. p. t. 11. c. 7. §. 5. & Caſtro hoc loco citato.

Quarto eundem errorem amplexati ſunt poſtea Annabatiſtæ, vt ſcribit Prateolus in Elenco hæreticorum, verbo, Zuinglius, nec ab ea ſententia longe fuit Eraſmus in annotationibus, in illud ad Rom. 5. Per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors, cum illum locum interpretetur de peccati traductione ſecũdum immitationem, non ſecundum legem.

Cæterum hunc errorem præter ſcholaſticos doctores in 2. d. 30. & 31. luculenter confutarunt Armacanus libr. 8. de quæſtionibus Armenorum, Albertus Pighius libro controuerſiarum, cõtrouerſia 1. Catherinus in opuſculo de peccato originali. Driedo to. 2. lib. 2. de gratia, & lib. arb. tract. 3. Alphonſus de Caſtro, loco allegato. Sotus lib. 1. de natura, & gratia, c. 10. 11. & 12. Andreas a Vega. lib. 2. ſuper Conc. Triden. cap. 11. & 12. & omnes recentiores ſcriptores Catholici.

Eſt enim Catholica ſententia, iam diu in Eccleſia Dei, palam definita ex primo noſtro parente non ſolum pœnã ſed etiam culpam, & peccatum in poſteros deriuari, quæ ſcripturæ Conciliorum, & Patrum teſtimonijs confirmatur, & primo Gen. cap. 17. legitur, Maſculus, cuius præputij caro circonciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit, ex quo loco Aug. lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 27. & lib. 2. de peccato originali contra cęleſtium, cap. 30. & alibi, colligit peccatum originale, addit enim cum ſeptimo, octauo die, ratione quorum verborum, neceſſario textus ille intelligendus eſt, etiam de paruulis, vt ipſis quoque pœna eſſet aſſignata, niſi circunciderentur, cumque non poſſent irritum facere mandatum Dei de circunciſione, quia capaces doli non erant, refert D. Auguſtinus hanc præuaricationem pacti domini ad tranſgreſſionem primi parentis, in quo omnes paruuli peccauerunt, & præuaricati ſunt.

Secundo pſ. 50. inquit Dauid, Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c. vbi ſecundum literam Hebraicam dicitur, In iniquitate, & peccato, &c.

Tertio Eccleſ. 25. dicitur, A muliere initium peccati, & per illã omnes moriuntur, & Iob 3. legitur, Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo, & ca. 14. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, &c. & 25. ſecundũ 70. nemo mundus a ſorde, neq; infans vnius diei. Vnde Ioannes Baptiſta ait, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Grecis in codicibus habetur, qui tollit peccatum mundi.

Et in nouo Teſtamento ſunt apertiora teſtimonia, & præcipua ſunt tria.

Primum habetur ad Romanos, ſcilicet, ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per pec-

peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt, &c. quæ verba omnes Patres cum tota Eccleſia intelligunt de peccato originali, quam interpretationem probat & definit Conc. Trid. ſeſſ. 5. can. 4. de peccato originali.

Secundum teſtimonium habetur 2. ad Corinthios 4. Si vnus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ergo omnes mortui ſunt, at qui Chriſtus pro paruulis mortuus eſt, ergo paruuli mortui ſunt, & non ſunt mortui actuali peccato, ergo originali.

Tertium teſtimonium eſt ad Epheſios 2. Eramus natura filij iræ, ex quo loco arguit Aug. de peccatorũ meritis, & remiſſ. cap. 20. & ſerm. 14. de verbis Apoſtoli, & explicat illud, natura hoc eſt originaliter, filius autẽ irę eſt peccator, ergo ſi eramus natura filij irę, ergo & natura peccatores.

Secundo comprobatur eadem veritas ex conciliis Mileuitano, can. 2. Auriſicano 2. can. 2. Aphricano, & Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. 3. & 4. Itaq; roboratur ſententiis omnium Patrum à D. Petro, vſque ad noſtram hanc ętatem, quas refert Aug. lib. 1. & 2. contra Iulianum, et lib. 1. & 3. de peccatorum meritis, & remiſſione.

Iuxta hoc quęritur, an peccatum originale ſit proprie peccatum. Ratio dubii eſt, quoniã D. Chriſoſto. edifferens illum Pauli locum, Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum hom. 10. & rurſus hom. 39. in epiſtola 1. ad Corinth. explicans illa verba cap. 15. ſicut in Adam omnes moriuntur, ita, &c. & hom. 17. cap. 6. eiuſdem epiſtolæ, & hom. 24. in epiſt. ad Epheſios, exponens poſtrema verba vltimi capitis, & in hom. ad Neophitos, Eua de peccato originali videtur ſentire. Primum eſt peccatũ Adę ad poſteros tranſiſſe, non culpa, ſed pęna, quia vnuſquiſque ex ſuo ſcelere, ſceleratus efficitur. Secundum eſt pęnam peccati huius nõ

D. Chriſ. vria de peccato originis ſentire videtur.

eſſe animę damnationem, ſed ſolã corporis infirmitatem, corruptionem, & mortem, animę autem mors illos conſequitur, qui ex libera electione voluntarie peccant; mors vero corporis peccantes, & non peccantes comprehẽdit. Tertium eſt peccatum primi parentis, nihil nobis detrimentum attuliſſe, ſed maxima lucra.

Vnde Durandus in 2. d. 30. q. conatur quantũ poteſt oſtendere, quod peccatum originale non ſit proprie peccatum. Idemq; docet Catherinus in opuſculo de peccato originali. Cęterum cõmunis Theologorum ſchola tenet originale eſſe veram culpam, & vere, & proprie peccatum, & non ſolum obligatione ad pœnam, atque adeo aſſerere, quod originale in paruulo non eſt proprie peccatum, neque vere, & proprie culpa, eſt erroneum, quia aſſerere quod proprie non eſt peccatum, idem eſt, ac ſi diceretur, quod non eſt peccatum, ſicut aſſerere, quod proprie non eſt homo, eſt dicere, non eſt homo, & aſſerere hoc abſolute non eſt tale, eſt dicere, quod hoc non eſt tale, ſi ergo originale proprie non eſt culpa, ergo non eſt culpa. Sed Paulus vocat illud culpam, ergo ſimpliciter tenendum eſt vere, & proprie eſſe culpam, & peccatum, & in puero aſſerimus originale, ſimpliciter eſſe voluntarium voluntate propria, quia eſt eadem cum voluntate primi parentis, ſicut peccatũ, quod eſt in manu, eſt voluntarium ſimpliciter, nõ voluntate ipſius manus, ſed totius ſuppoſiti, atque id ſufficit, vt in puero ſit vere peccatum, ſat enim eſt ad id, voluntatem primi parentis legem iuſtitię originalis, pro ſe, & ſua poſteritate ſuſcepiſſe.

Aſſerere peccatum originale, non eſſe vere, & proprie peccatum erroneum eſt.

Secundo dico ſat eſſe ad hoc, quod in puero originale ſit voluntarium primum parentem fuiſſe auctorem totius naturę, & voluntarie peccaſſe, & illud idem, quod in primo parente formaliter fuit voluntarium, interpretatiue eſt

vo-

voluntariū impuero, ſicut Baptiſmus impuero eſt voluntarius,quia interpretatiue conſentit in voluntate parentū, ratio enim voluntarij nō eſt genus malitiæ,& bonitatis moralis, ſed tantum fundamentum illius, atque adeo ſicut ſunt diuerſa genera peccatorum, ita etiam diuerſa ratio voluntarij ad ea ſufficit, nam peccatum perſonæ quod in operatione conſiſtit, poſtulat voluntarium perſonæ operantis, peccatum non originale quod in effectu naturę poſitum eſt ſecundum eſſe ſolum poſtulat voluntarium,aliena voluntate; Et quod originale ſit paruulo voluntarium, & verè, & propriè ſit peccatū probatur ex concil. Arauſicano.2.cano. 2. vbi ita definitur, ſi quis dixerit ſoli Adæ præuaricationem ſuam, non & eius propagini nocuiſſe, aut certè mortem tantum corporis, quæ pœna peccati eſt, non autem, & peccatum, quod mors eſt animæ per vnum hominis in omne genus humanum tranſiiſſe teſtatur,iniuſtitiā Deo dabit, &c. Sed clarius hoc definit.in Conc. Trid. Seſſ.5. in decreto de peccato originali, vbi ſic dicitur. Si quis hoc Adę peccatum,quod origine vnum eſt,& propagatione, non immitatione traſfuſum omnibus, in eſt vnicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium aſſerit tolli,quam per meritū vnius mediatoris Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui nos Deo reconciliauit in ſanguine ſuo,factus nobis iuſtitia,ſantificatio,& redemptio,aut negat ipſum Ieſu Chriſti interitum, per baptiſmi Sacramentum in forma Eccleſiæ ritæ collatum, tam adultis, quā paruulis applicari anathema ſit.Et cano.5.dicit. Si quis per Ieſu Chriſti Domini Noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat,autem etiam aſſerit non tolli, totum id,quod veram, & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari anathema ſit.Ad id quod ex Chriſoſtomo adducitur, Dicendum eſt omni dubio procul Chriſoſtomū veram fidem de peccato originali tenuiſſe, vt patet ex ijs,quę paſſim ſcripſit de infectione naturæ humanæ in primis parētibus,& potiſſime hom.40.in priorem ad Corinth.vbi manifeſte pronunciat in Baptiſmi regeneratione auferri peccatum originale, quod ipſe radicale peccatum,vtpotè à radice primi parentis creatum, appellat,ſic dicens. Deus in regenerationis lauacro mentem gratia tangit, radicale peccatum euellit, & hominem, qualis erat iam olim,dū conderetur, imò illuſtriorem facit.

Proinde cum Chriſoſtomus inquit nemo ex peccato primorum parētum peccatorem conſtitui, & à Cœlorum Regno excludi,& damnationi æternę obnoxium fieri,non ſimpliciter, & omnino abſtulit peccatum humani generis ex prima Patrum noſtrorū traſgreſſione contractum; ſed (ni fallor) ſignare voluit,quod Adæ poſteri,non ea ratione peccatores ſint; quia primi tantū parentes actualiter peccauerūt; ſed quod etiam ipſi poſteri in ipſo Adā & vna cum ipſo peccauerūt quatenus omnes ob humanæ ſpeciei participationem, vnus idemque homo ſunt. Cum progenitore Adamo, & ſicut eādem naturam, ita eiuſdem corruptæ naturæ vitium participant, niſi re illi in primo parente, in quo,ſeu in radice olim virtualiter inerant delinquiſſent, pfectò ex Adami peccato peccatores non eſſent, nullus enim (vt rectè ait Chriſoſt.) ex alieno peccato,& à ſe nō participato peccator exiſtit.Sed pro defenſione Chriſoſtomi legat quæſo lector D.Aug.con.Iulianum vol.1.

Quæritur tertio. Quid ſit originale peccatum, nā vera eſt Theologorum ſententiā de quidditate originalis peccati differentium, atque adeo, vt breuiter nos, quid ſit originale peccatum explicemus.Primo explicabimus quid ſit originale peccatū quātum ad quid nominis, deinde quantū ad quid rei. Quæſt. 3.

Peccatū originale ad quatuor comparari poteſt.

Quo ad primū poteſt originale peccatum comparari,vel ad Deum,vel ad animam,

Digitized by Google

aiam, vt ad corpus, vt ad actus delectabiles. Primo modo, ideſt per cõpatatio nem ad Deum triplici nomine appellatur, ſcilicet ira, mors, & inimicitia, nam pro vt comparatur ad volũtatem Diuinam, quæ ex originali peccato, ad iram, (ſi ita dicere fas eſt,) eſt pro uocata ex eo quod peccatum originale, tam in Adam, quam in poſteros determinauit punire, ira appellatur. Vnde diuus Paulus ad Epheſ. 2. inquit, Eramus natura filij Iræ ſicut Gen. 1. In peccato originali nati, pro vt exponit ibi Nic. de Lyra, quatenus autem comparatur ad Diuinam viſionem, quæ eſt vera vita, à qua originale peccatum ſeparat, dicitur mors. Vnde ad Rom. 5. inquit D. Paulus vnius delicto, multi mortui sũt, & alibi vnius delicto mors regnauit, &c. peccatum ergo originale dicitur mors, quia à Deo, qui eſt vera vita, homines ſeparat; pro vt autẽ comparatur ad Deum, Iuſtitiam originalẽ tribuentem, quam homo tenebatur habere, & non habet, atque adeo inimicus Dei eſt conſtitutus, appellatur inimicitia. Vnde D. Paulus ad Ephe. 2. per Crucẽ iterficiẽs inimicitias in ſemetipſo, & alibi, cũ inimici eſſemus Deo &c.

Peccatũ originale quid ſit quo ad qd hominis.

Secundo modo pro vt, ideſt comparatur ad animã, ſortitur diuerſa nomina, appellatur enim infirmitas; quia animam impotentem reddit ad reſiſtendum illicitis motibus; nam vt docet Alex. de Ales par. 2. quęſt. 105 nu. 7. arti. 8. homo per originalem peccatum habet impotentiam quamdam ad reſiſtendum malis motibus, & hanc infirmitatem in ſe ſentiebat Propheta, quãdo dicebat, Miſerere mei Domine: quoniam infirmus ſum. Item vocatur fœditas, ſiue macula, quia per illud maculatur, & fętida efficitur. Vn Hyerem. 2. legitur ſi laneris tenitro & multiplicaueris tibi herbam borith. maculata es in iniquitate tua, corã me dicit Dñs.

Item vocatur pronitas, & hoc, quo ad diſpoſitionem, quia continuat inclinationem appetitus ad malũ, quoniã, vt dicit D. Thom. in 9. diſp. de peccato originali art. 2. in reſponſione ad ſeptimum argumentum, voluntas hominis deſtituta originali iuſtitia per peccatũ originale, omnem pronitatem ad eligenda mala incurrit, iuxta illud, quod legitur Gen. 6. Cuncta cogitatio cordis intenta eæ ad malum omni tempore.

Quarto vocatur corruptio, & hoc quantum ad bonum naturæ, quia diminuit naturale bonũ, non quod per peccatum diminuatur aliqua portio naturæ, ſed quia naturam inhabilem reddit ad bene operandum, & priuat bono vſu ſui; vt declarat Scotus in 2. diſtin. 37. vel dicitur corruptio, quia duicit ad nihilum, ideſt ad peccatum actuale, quod nihil eſt, ſed tantum priuatio boni. Vnde Dauid in Pſal. 13. inquit corrupti ſunt, & abhominabiles facti ſunt.

Quinto appellatur vitium, quia diminuit naturales virtutes, peccatum enim originale cauſat in homine quandam oppoſitionem, ſiue repugnãtiam ad virtutem, vt inquit Alex. de Ales vbi ſupra, quapropter omnes in originali peccato concepti, cum difficultate virtutes operantur, & ideo Iuuenis ille, cui dixit Dominus Lucæ 18. Vade, & vende omnia, quę habes &c. contriſtatus eſt, quia diues erat valde. Poſtremo vocatur languor animæ, & hoc, quo ad perſeuerantiam, quia durat in natura corrupta vſque ad mortem; per ſeuerat enim & inueteraſcit cum natura. Vnde D. Paulus ad Rom. 7. cupiens ab iſta languida carne ſeparari, aiebat. Infęlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

Tertio modo, ſcilicet per comparationẽ ad corpus, appellatur primo lex carnis, & hoc quo ad Diuinam inſtitiã, eo quod ſit carni affixum: propter peccatum enim primi parentis, diuina Iuſtitia operante, inflicta eſt humanæ carni concupiſcentia quædam; quæ vocatur lex carnis, & ſtimulus ad malum. Vnde D. Paulus ad Gal. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Secundo vocatur lex membrorum, & hoc quo ad humana membra, quia mouet organa cor

poris

poris ad opera cōcupiſcentiæ, & de iſta lege membrorum inquit D. Paulus ad Rom. 7. Video aliam legem in mēbris meis &c. Tertio vocatur Tirannus, & hoc quo ad violentiam, quia concupiſcentia ex originali peccato contracta habet in hominē dominium quaſi violentum; imo violentum, in quibus mēbris. ſ. genitalibus, in quib. inſurgit concupiſcentia, etiam voluntate nolente, atque contradicente, & de hoc tiranno captiuante inquit D. Paulus ad Rom. 7. Video aliam legem in mēbris meis, captiuantem me in legem peccati.

Quarto vocatur fomes, & hoc quo ad conſeruationem, eorū peccatum fouet ſicut enim ignis fouetur à Cinere, ita ex carne ſm fouetur peccatum in anima actum nutritiuæ, & generatiuæ. Cibus enim & generationis actus cōcupiſcentiā fouent, & augmentant, quæ ad peccatum impellunt, vnde in hoc cap. ſcribitur, ſpinas & tribulos germinabit tibi. i. terra corporis noſtri concupiſcentiam ex originali peccato contractam intra ſe fouet, ex qua tentationum tribulos germinat, & ſpinas. Demum vocatur ſtimulus carnis, quia ſtimulat carnem ad primos motus, & animam ad conſenſum. Vnde Diuus Paulus 2. ad Corin. 12. ſcribit, ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus &c.

Quarto modo per cōparationem ad actus delectabiles, vocatur cōcupiſcentia, & hoc quo ad vim concupiſcibilem voluntatis in potentia propinqua In adultis. n. ex originali peccato, eſt inclinatio quædam ad immoderatè concupiſcendum delectabilia. Vnde ſcribitur Iac. 2. vnuſquiſque tentatur, à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Secundo appellatur concupiſcibilitas, & hoc quo ad vim concupiſcibilem voluntatis in potētia remota. In paruulis enim ex originali peccato eſt quædam pronitas ad inordinate concupiſcendum delectabilia, ſed in potētia remota. Vnde ſcribitur Geneſ. 5. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ? & alibi miſtice, corrupta eſt autem terra, ideſt caro humana coram Domino, & repleta eſt iniquitate. Tertio dicitur libido, & hoc quo ad vim cōcupiſcibilem voluntatis in actu de qua ſcribitur Iac. 1. Concupiſcentia cum cōceperit, parit peccatum, ideſt cōcupiſcentia cum inualuerit inducit ad perfectum conſenſum, vbi eſt peccatum etiam ſine opere eſteriori.

Peccatū original: quid ſit quo ad quid rei.

Quo ad ſecundum, ſcilicet de peccati originalis quidditate obſer. eſt quod omiſſis hæreticorum errorib. cum quibus non eſt modo diſceptatio. Inter Catholicos fuit opinio Alberti Pighij centuria prima, qui dicit peccatum originale non eſſe aliud, quam peccatum actuale primorum parentum, quo illi conſtituti ſunt peccatores; quod in illis quidem fuit ſubiectiue, & in poſteris omnibus eſt denominatione extrinſeca, per quam omnes dicuntur peccatores, ex quo colligit fruſtra peccatum hoc diuidi in plura, vnum (inquit) eſt omnium peccatum originale. Ideo nō eſt quęrendum proprium cuiuſcunque hominis, omnes enim dicuntur peccatores à peccato Adæ, & eodem peccato dicuntur filij ire.

Hanc ſententiam videntur ſequi (licet non ex toto) Franciſcus de May. in ſecundo diſtin. 31. quæſtio. prima, & Guilemus Rubion, in ſecundo diſtin. 30. quæſt. ſecunda, & in tertio, diſtinct. tertia, quæſt. prima. Inquit enim Rubion, quod proprie loquendo aliud eſt peccatum, & aliud eſt reatus, ſic enim habet peccatum, & Reatus quodammodo, ſicut cauſa, & effectus, vel ſicut accidens, & conſequens.

Propter peccatum enim homo eſt reus, quia ad pœnam aliquam obligatus, nec eſt aliud reatus, quā obligatio ad pœnam debitam, propter culpam. Huiuſmodi autem obligatio ad pęnam eſt duplex, altera enim eſt ſequens propriam culpam rei, & talis eſt reatus actualis, quia ſequitur ipſius rei actuale peccatum, alius eſt ſequens non propriam rei culpā, ſed alterius à quo originē trahit reus; & talis reatus licet ſit

Digitized by Google

actualiter in excidens tamen non dicitur actualis, ſed originalis, quia ſequitur culpam otiginantis reum; atque adeo dici pōt originalis reatus ad differentiam reatus actualis, qui non tantū ineſt ipſi Reo, ſed etiam in eo peccatū fuit, quod ipſum Reum conſtituit, cuius contrarium eſt de iſto originali reatu, quem non parit peccatum Rei proprium, ſed originantis ipſum.

Ex hac doctrina inferūt primo, quod originale peccatum non eſt actus malus, quia propter hoc diſtinguitur a peccato actuali, nullū enim actum habet Anima, quando peccatum contrahit.

Secundo inferunt, quod peccatū originale non eſt aliquis habitus vitioſus, quia talis imprimeretur à Deo, ſi eſſet; peccatum autē originale non eſt à Deo.

Tertio inferunt quod peccatum originale non eſt pronitas, & concupiſcentia carnis, quia ita nobis à natura ineſt ſicut brutis.

Quarto quod peccatum originale non eſt aliqua infectio morbida, quia nullum peccatum eſt in corpore.

Quinto quod peccatum originale non eſt macula poſitiua in anima quaſi rubigo, nullus enim ſpiritus eſt maculabilis à corpore.

Sexto quod peccatum originale non eſt ſolum carentia originalis Iuſtitiæ. Ea enim caruiſſet homo in puris naturalibus excidens, qui tamen peccatum originale non habuiſſent.

Septimo quod peccatum originale non eſt debitum, ſeu obligatio ad habendum eam, quia obligatio ad bonū, bona eſt; ſed obligatio ad iuſtitiam eſt bona, patet quia terminus eius, (qui eſt iuſtitia originalis) eſt bonus. Dicunt ergo iſti doctores; quod peccatum originale eſt formaliter reatus obligationis ad pœnam damni, proueniens non ex propria culpa, ſed alterius, ſcilicet per propagationem primi parentis.

Cęterum quoniam ſic opinantes, negant originale peccatum eſſe culpam, pro vt culpa diſtinguitur contra reatū. Ideo arguunt contra ſeipſos duobus rationibus, & primo ſic, nullus iuſte punitur propter peccatum alterius, atque adeo nullus propter alterius peccatum efficitur reus, vel ad pœnam aliquam obligatus; ſed paruulus naſcitur obligatus ad pœnam damni, ergo hoc eſt propter aliquam culpam eius, ſecūdo, ſic, ſecundum Magiſtrum, & ſanctos, originalis defectus non tantum eſt reatus, ſed etiam peccatū, ſeu culpa ergo &c.

Ad primum dicunt, quod aliud eſt aliquem punire, & aliud non præmiare. Vnde licet nullus ſit ex alterius culpa punitus, poteſt tamē ex alterius culpa, vel etiam abſque aliqua ſua, vel alterius culpa non præmiari. In propoſito autem paruuli propter alienum demeritum non puniuntur; quia nec in aliquo corporaliter, nec mentaliter affliguntur, ſed ſolum non præmiantur, quia nec Deum intuentur, nec ipſo, vt Beati fruuntur.

Ad Secūdum dicunt, quod culpa aliquando ſumitur, non tantum pro actu malo, vel eius deformitate, ſed etiā pro reatu, actum ipſum deformem prætereuntem ſequente, ſicut dicitur de quocunque actualiter non peccante, quod eſt in peccato, quod prius cōmiſſit, conſtat aūt in eo non eſſe peccatum, prout peccatum diſtinguitur contra reatum, cum peccatum non maneat actu, cuius deformitas eſt peccatum, non manente, manet tamen reatus, hoc eſt obligatio ad pœnam ſibi debitam ex peccato præterito, & hoc modo homo ſtatim, vt conceptus eſt, dicitur contrahere peccatum, hoc eſt, reatum ſequentem peccatum, non tamen proprium, ſed alienum, ſcilicet primorum parentum; atque ita hic reatus poteſt dici culpabilis in ordine ad illud primum peccatum, iſtum reatum inducens ita quod ſi defectus originalis peccatum dicitur, hoc eſt tantum extrinſeca denominatione.

Eandem ſententiam amplexus eſt Catherinus in opuſculo de peccato originali. c. 8. quę opinio fundamentū habet ex D. Augu. 2 1. enim retractationū ca. 1 5. & in Epiſtola tertia ad Hilarium

contra

contra Pelagianos, quæ eſt ordine, 89. & in Enchiridion cap. 36. & 3. de libro arb. cap. 20. docet peccatum originale eſſe concupiſcentiam nõ ſecũdũ ſe; ſed ratione reatus, itaque reatum putat eſſe formalem rationem peccati originalis; materialem vero eſſe ipſam concupiſcentiam, & vt explicet naturam huius reatus, affert exẽplum eius, qui peccauit, & prçterito opere peccati, dicitur nihilominus in peccato manere, nõ ex alio, quã ex reatu, qui dicitur toto tempore ante pœnitentiam manere; ita docuit lib. 1. de nuptijs & concupiſcentijs cap. 26. & lib. 6. contra Iulianum. capit. 8. vbi ait in renatis manere cõcupiſcentiam, & tranſire reatum, atque adeo tolli peccatum originale, ſicut è contra in ijs, qui peccant, manet reatus, & tranſit peccatum.

Hanc ſententiam ſecutus eſt Roffenſis articulo ſecundo, contra lutherum, intelligẽs nomine reatus obligationem ad pęnam.

Verum ſi hæc opinio abſolute aſſereret, originalem defectum in nobis eſſe dumtaxat reatum, & non peccatũ, non eſſet admodum fidei Catholicæ conſona, quippe cui cõtra dicit Concil. Trid. decretum tertium, & quartum in ſeſ. 5. de peccato originali, vbi determinat peccatum originale eſſe propriam omnium filiorum Adæ iniuſtitiam ex ipſius peccato contractam; Reus enim poteſt quis eſſe dumtaxat ob delictum alterius, tamen peccator nequit eſſe aliquis, niſi à ꝓpria culpa, at omnes Adæ filij mortui fuere ſpiritualiter, & conſtituti peccatores, ſicut diſerte docet Paulus ad Rom. 5. Item alias non dicerentur paruuli baptizati in remiſſionem peccatorum; ſed tantum, vt non ſibi imputetur peccatum Adæ, quod manifeſte eſt cõtra definita in Concil. Trident. ſeſſ. 5. can. 4. ſed patet Franciſcum atq; Rubionẽ non ita intellexiſſe, non enim negant peccatum originale tranſire culpa ad poſteros, ſed negant defectum originalem peccatum eſſe accipiendo peccatum proprie, vt dicit actualem alicuius actus in ordinationem, quoniam, vt ſic eſſet peccatum actuale, & non originale Magiſter ſenten. in 2. diſt. 30. opinatus eſt quod voluntas Adæ peccans in carneſura cauſauit qualitatem quandam morbidam ipſius voluntatis curuitatem conſequentem, atque ita ſecundũ eũ originale peccatum, & qualitas morbida, quæ includit corruptionem, & morbũ, morbida inquam qualitas non carnis, ſed animæ, ex corruptione tamen appetitus carnalis deriuata.

Hanc opinionem ex profeſſo ſecuti ſunt Olchot. nono, illa de imputabilitate primi peccati ad primum Principale. Gregorius in 2. diſtin. 30. quæſt. 2. articulo primo, Gabr. quæſt. 2. articulo primo, & articulo ſecundo, concluſ. 6. Hen. quol. 2. quæſt. 11. Guilemus Pariſienſis trac. de vitijs, & peccatis. cap. 2. & clarius. capit. 4. Altiſiod. libro ſecundo, tract. 27. capitulo primo, & 2. quibus concordat Driedo libro primo de gratia, & libro arbit. tracta. 3. capitulo tertio, par. 4. conſid. 4.

Hæc ſententia non placet viris doctis, tum quia peccatũ Adami fuit eiuſdem rationis cum noſtris; noſtra non producunt hanc qualitatem, ergo &c. tum quia non potuit Adam producere in his, qui non ſunt qualitatem; quod autem dicunt transfundi per ſemen, eſt ridiculum; nam in baptizatis non eſt originale, quomodo poſſunt transfundere hanc qualitatem Alexan. de Ales par. 2. quæſt. 105. in 2. articulo tertio, quem ſequitur Diuus Thom. in 2. quęſtione 82. articulo primo, & tertio, D. Bonauen. in 2. diſtin. 30. articulo 2. quęſtione 1. & Ricch. in 2. diſtin. 30. artic. 1. quęſt. 1. docet quod in peccato originali duo conſiderantur, vnum tamquã materiale, ſcilicet concupiſcentia, quæ eſt qualitas, quędam morbida, aliud eſt formale, quod eſt carentia iuſtitiæ originalis debitæ, quemadmodum in peccato actuali. Vt verbi gratia in homicidio eſt aliquod poſitiuum in anima, ſcilicet quidam actus elicitus à volunta-

Digitized by Google

re,qui eſt velle occidere, ex in exteriori actus ipſe occidendi,& hoc eſt materiale.Formale autem,eſt priuatio, ideſt carētia iuſtitiæ debitæ in eſſe illi actui, quæ ſi in eſſet, neq; actus interior,neq; exterior eſſet peccatū. Peccatum itaq; originale ſecūdū Alex. ſupponit pro vitio concupiſcentiæ,& connectat carentiam iuſtitiæ originalis debitæ. debitæ dico non ineſſe concupiſcentiæ, ſed debitæ in eſſe animæ lege propagationis à primo parente deſcendenti. Vnde dicit in ead.q. Alex.nu.2.art.1.quod peccatum originale includit culpam,& pœnam; culpam quia eſt carentia Iuſtitiæ ſeu deformitas quædā,qua ipſa anima deformatur, & pœnam.i.concupiſcentiam, quæ in paruulis dicitur concupiſcibilitas, in adultis vero dicitur concupiſcentia actu, & infra ſubdit, quod ſi dicitur peccatum originale eſt concupiſcentia, materialis eſt prædicatio. Formalis vero cum dicitur macula, vel deformitas, ſeu priuatio Iuſtitiæ.

Scotus doctor ſubtilis ſecutus D.Anſel.in lib.de caſu Diaboli.c.16.& in lib. de conceptu Virginali, in 2.d.32.docet totam rationem peccati originalis conſiſtere in præuaricatione, ſeu carentia iuſtitiæ originalis, atq; adeo peccatum originale, eſt carentia Iuſtitiæ originalis debitæ in primo parente acceptæ,& in ipſo amiſſæ.Cū enim peccatum formaliter ſit iniuſtitia, & iniuſtitia non eſt aliud,quam carētia Iuſtitiæ debitæ, vt declarat vbi ſupra D.Anſel. ſequitur quod peccatum originale, eſt carentia, & priuatio originalis iuſtitiæ debitæ in eſſe.Sunt enim omnes filij, & filiæ Adā ſecundum legem propagationis geniti, ſeu genitæ,iuſtitiæ originalis debitores, quia Adam originalem iuſtitiam, nedū pro ſe,ſed etiam pro tota natura,quæ in ipſo erat accepit,atque adeo Adamo iuſtitiam originalem accipiente,ipſa originalis iuſtitia data eſt etiam eius filijs voluntate antecedente,hoc eſt, quantū eſt ex parte Dei, dūmodo non eſſet impedimentum,ſtatuit namq; Deus dando Adæ iuſtitiam originalem,dare etiā cuilibet Adæ filio iuſtitiam originalē, atq; ita accepit Adam eam pro ſe, atq; tota poſteritate ſua, atque ex illa collatione Adam, & tota eius poſteritas facti ſunt Iuſtitiæ originalis debitores, quā ſtatuit Deus quaſi naturaliter propagatis conferre, dummodo non poneretur obex, non quod pater eam tranſfundiſſet: quia donū ſupernaturale eſt; ſed quod Deus regulariter cooperaretur naturæ dādo Iuſtitiam propagato, ſicut modo animā intellectiuam creat organizato corpore; qua propter quando Deus voluntati Adæ tribuit formaliter originalem iuſtitiam,dedit etiam ea virtualiter,& voluntate antecedente toti eius poſteritati. Et cū pater Adā tranſgreſſus eſt præceptum,nedum nudauit ſe originali iuſtitia debita, verū etiam totam poſteritatem ſuam atque adeo omnis poſteritas eſt debitrix originalis iuſtitiæ quam debet habere, & ea caret.

Iuſtitia poteſt duobus modis eſſe debita.

Ex his infertur quod Iuſtitia poteſt eſſe debita duob. modis Priori modo, quia in ſe accepta, & actione accipientis amiſſa, poſteriori modo q a accepta in alio,&actione alterius amiſſa;Priori modo peccatum actuale eſt carētia Iuſtitiæ, Poſteriori modo peccatum originale, vnde magis comparatur peccato, quaſi quieſcenti in anima, ideſt peccato pro reatu, quia reatus remanet actu tranſeunte,quam peccato actuali,quod elicitur à voluntate peccante, & iuxta hac ſaluatur, atq; declaratur ſententia Franciſci,atque ita patet, quod peccatum originale ſecundum Doc.ſub. pro formali acceptum, non dicit aliquod poſitiuum, ſed dicit priuationem Iuſtitiæ Originalis cum debito habendi eam.

Concupiſcentia ſumitur tribus modis.

Cœterum, quia multæ ſanctorum auctoritates dicunt originale peccatum eſſe concupiſcentiam; Ideo obſ. eſt ex Doc. ſub. vbi ſupra quod concupiſcentia tribus modis accipitur ex parte appetitus ſenſitiui, primo vt eſt actus ſecundo vt eſt habitus,tertio vt eſt pronitas quædam in appetitu ſenſitiuo, &

nullum

Digitized by Google

nullum iſtorum eſt formaliter peccatũ, quia tunc peccatũ originale eſſet in appetitu ſenſitiuo, & non in voluntate, quod falſum eſt, quia in eadẽ ſubſtantia ponitur peccatũ in quo ponitur Iuſtitia ſibi appoſita, ſed illa ponit' in voluntate, vt oſtendimus ſupra tractantes de originali iuſtitia, ergo & peccatum ponitur in voluntate. Tribus item modis accipitur concupiſcentia, ex parte appetitus rationalis, ideſt voluntatis.

Concupiſcentia ex parte appetitus rationalis tribus modis ſumitur.

Primo vt eſt actus concupiſcendi, atque ita cõcupiſcentia nõ eſt paccatum originale.

Secundo vt eſt habitus concupiſcendi ex frequentatis actibus generatus, nec vt ſic concupiſcentia eſt peccatum originale; quia paruuli non habent concupiſcentiam his duobus modis, & tamen habent peccatum originale.

Tertio vt eſt pronitas in appetitu rationali, & in voluntate, ad cõcupiſcendum delectabilia, hæc inferiora, & hæc pronitas nihil eſt poſitiuum in voluntate, ſed ſola nuditas volũtatis, ſi enim volũtas eſſet habituata iuſtitia originali ipſa frenata, & per habitum moderata, effrenatè, & immoderatè iſtis in rebus delectabilibus creatis non delectaretur, nec condelectaretur appetitui ſenſitiuo, ſed magis delectaretur in Deo, at nudata iuſtitia illa ad condelectãdũ appetitui ſenſitiuo inclinatur, atque ratione cõiunctionis quam habet cum illo, delectabilius ſibi eſt condelectari appetitui quam delectari in Deo, licet Deus ſit in ſe obiectum delectabilius, & tamen ſi voluntas rationem ſequeretur, magis deberet in Deo delectari, quam condelectari appetitui ſenſitiuo. Iſta autem pronitas voluntatis ad concupiſcendum hæc delectabilia inferiora, eſt peccati originalis materiale, & non formale, ideſt iſta concupiſcentia eſt materia circa quã verſatur ille, qui eſt in peccato originali; Igitur ſancti, qui dicunt peccatum originale eſſe voluntatis concupiſcentiam nõ loquũtur de formali ipſius peccati originalis, ſed de materiali, & iuxta hac exponi põt, atque declarari conformiter ad D. Anſelm. opinio Alex. Alenſis & D. Bona. à qua non declinant Franc. de May. & Guil. Rob. ſi eorum ſententia recte intelligatur.

Quæritur quarto quomodo peccatũ originale transfundatur. Quæſt. 4.

Omnes homines qui deſcẽdunt ab Adam conſiderari poſſunt vt vnus homo.

Pro cuius explicatione obſ. eſt quod omnes homines, qui deſcendunt, ab Adam conſiderari poſſunt, vt vnus homo, quatenus in vnam conueniunt naturam, quam à primo parente acceperunt, eo modo, quo omnes homines vnius communitatis reputantur vnum corpus, & tota cõmunitas, quaſi vnus homo vnde etiã Porphirius dicit quod participatione ſpeciei, plures homines ſunt vnus homo ita etiam multi homines ab vno Adam deriuati, ſunt tanquam membra vnius corporis; actus autem vnius membri corporalis, vt puta manus, non eſt voluntarius voluntate ipſius manus, ſed voluntate animæ, quæ primo mouet manum, atque adeo homicidium, quod manus committit non imputatur manu ad peccatum, ſi conſideretur manus ſecundũ ſe, vel à corpore diuiſa, ſeu vt mota violenter ab extrinſeco, ſed bene imputatur, quatenus eſt mota à voluntate hominis, & in quantum eſt aliquid eius, & comparatur ad illum; ita etiam in ordinatio peccati originalis, quæ eſt in hoc homine, non eſt voluntarium voluntate ipſius, ſed voluntate primi Parentis, qui mouet motu generationis omnes, qui ex eius origine deriuantur, ſicut voluntas animæ mouet omnia membra ad actum.

Ita quod ſ'm Nico. de Lyra in epiſtola ad Rom. 5. Adam non ſolum conſideratur ſicut ſingularis perſona, ſed etiam vt totius naturæ humanæ principiũ, à quo ſinguli homines deſcendunt per generationem, & ſicut eius membra; atq; adeo ſicut homicidium à manu factum dicitur voluntarium à voluntate, quæ eſt in mente, ita ſuo modo carentia originalis iuſtitiæ, dicitur in

Digitized by Google

poſteris voluntaria Adami voluntate, & quia Adam originalem iuſtitiam accepit, ne dum pro ſe, ſed etiam pro tota poſteritate, Ideo omnes poſteri per vim generationis, ab eo deſcendentes, fuerunt in ipſo obligati ad habendum eam; at quia carentia Iuſtitiæ originalis cum debito habendi eam, eſt culpabilis: Ideo merito poſteris Adæ imputatur ad culpam. Ex hac doctrina infero corrolaria quędam.

Peccatũ originale vt contrahatur qd requiritur.

Primum corrolarium ad hoc quod peccatum originale traducatur, ſeu contrahatur requiritur primo, quod caro ſit traducta a primis parentibus tranſgreſſoribus; & ratio eſt: quia certum eſt quod originale peccatum ineſt homini ex eo, quod à primis parentibus, poſtquam tranſgrediendo præceptum Dei peccauerunt, traducitur; & inde in filijs deriuatur, ex quo ſequitur, quod ſi Deus formaret nunc vnũ hominem de terra, ſicut fecit Adam, & non de carne primorum parentum, iſte non contraheret peccatum originale. Secũdo ſequitur quod ſi Adam non peccaſſet, ſed aliquis filiorum, ſcilicet Cayn ab eodẽ genitus peccaſſet. Cayn non contraxiſſet originale peccatum ab Adam, ſed filij ipſius Cayn ab ipſo geniti, peccatum originale contraxiſſent, quia eſſent à parente tranſgreſſore geniti, quod intelligẽdum eſt, ſi Cayn ſicut Adam iuſtitiã originalem pro ſe, & filijs ſuis accepiſſet.

Originale peccatum ex propagatione cõtrahitur.

Secundũ corrolarium ad hoc quod contrahatur originale peccatum requiritur quod ab ipſis primis parẽtibus fiat naturaliter propagatio ex viri, & mulieris ſeminibus nam ſi quis, ſicut Chriſtus Dominus Spiritu ſancto operante, ſuper naturalem conciperetur ex virgine, non contraheret peccatum originale. Sed ponamus caſum qđ Demon incubus, vt ſuccubus ſuſceptum ſemen viri in mulierem trãſfunderet, ſicut de Molino narratur in Hiſtorijs annalib. homo genitus peccatum originale contraheretur. Dico quod ſic: quia eſſet de ſemine corrupto humano, nec talis hominis geniti pater eſſet Demõ; ſed ille homo, cuius Demon ſuccubus ſemen ſuſcepit.

Anima contrahit peccatum originale mediante carne ab Adam ſeminaliter propagata.

Tertium corrolarium anima contrahit peccatum originale mediante carne ab Adam ſeminaliter propagata, quod non eſt intelligendum, vt dicit Scotus, quod caro per quandam qualitatem in ea cauſatam, cauſet peccatum iſtud in anima, & quidam dicere voluerũt, ſed ex hoc quod caro concupiſcibiliter ſeminatur, & ex ipſa formatur corpus organicum, cui infunditur anima perſonam conſtituens, quæ eſt filius Adæ, & perſona iſta, quæ eſt naturalis filius Adæ, atque adeo debiti ex iuſtitiæ originalis datæ à Deo ipſi Adamo pro omnibus filijs, quia iuſtitia originali caret, peccatum originale habet. Cõtrahitur ergo originale peccatum mediante carne per quam quis eſt filius Adæ, & debitor originalis Iuſtitiæ, qua caret propter Adæ peccatum.

Originale peccatum contractũ eſt per primorũ parentum in obediẽtiã.

Quartum corrolariũ originale peccatum contractum eſt per primorum parentum in obedientiam, & principaliter per in obedientiam Adæ, quoniã ſecundum Alex. de Ales par. 2. q. 105. in 3. Prohibitio facta fuit Adæ in quantũ erat habẽs in ſe totam naturam, vt per quam alij deſcenderent per propagationem, atque ita prohibitio, non tantũ extendebatur ad ipſum, ſed etiam ad eos, qui erãt in ipſo ſeminaliter; ſi enim prohibitio facta fuit Euę in Adam; quę non deſcendit ab ipſo per propagationem, ſed per quandam formationem, multo fortius deſcendere debebat ad eos, qui ſeminaliter erant in eo.

Quæſt. 5.

Iuxta hoc quęritur primo an peccatum originale, vt transfundatur ad poſteros exigat Parentum libidinem, & ratio dubitationis eſt, quia dicit Diuus Auguſtinus in libro de fide ad Petrum. Peccatum originale non tranſmittit ad poſteros propagatio ſed libido; ex altera vero parte D. Anſelmus dicit, quod peccatum originale ſolum cauſatur per inobedientiam Adę. Dicendũ eſt quod libido tripliciter ſumitur.

Libido tripliciter ſumitur.

Primo

Digitized by Google

Primo modo dicitur libido, improba voluntas. Vnde D. Auguſt. in lib. de lib. arbit. inquit, nihil aliud videmus in toto maledicẽdi genere niſi libidinem dominandi, ideſt improbam voluntatem, ſecundo dicitur inordinata delectatio, ſicut dicimus maiorem eſſe libidinem, ideſt delectationem in actu generationis, quam alterius potentiæ, tertio modo dicitur libido corruptio vitioſa, quam dicimus eſſe in ſemine, & in virtute generatiua, quæ dicitur corrupta, & infecta, atque ita dicimus, quod libidinem eſſe oportet, in peccato originali; dum transfunditur. Quando ergo dicit D. Auguſt. quod peccatum originale non tranſmittit ad poſteros propagatio, ſed libido non intelligitur de libidine primo mõ dicta, ſcilicet improba voluntate, quia ſine illa cõtingit frequẽter generare, ſicut in matrimonio, neque intelligitur de libidine ſecundo modo dicta, quoniam ſine immoderata delectatione, interdum generare contingit, licet raro, & forte vix ſine ea generetur. Intelligitur ergo de libidine tertio modo accepta, ſine illa naturã, per eã corruptione vitioſa, & fœda, quæ eſt in ſemine, nunquam contingit generare de lege communi. Nam ſi acciperetur primo, vel ſecundo modo libido, ſequeretur quod maiori libidine conceptus per amplius contraheret originale peccatum, quia libido facit peccatum originale vt inquit D. Augu. vbi ſupra ergo maior libido, magis facit, atque ita peccatum maius, quia ſicut ſimpliciter, ſit magis ad magis &c. Secundo Top. ſed de hoc magis infra.

Quæritur ſexto quomodo peccatum originale ex parentibus Baptiſmo mundatis contrahatur in anima; & ratio dubitationis eſt, qa nihil dat alteri, quod non habet, vt docet Ariſt. primo Elenchorum, ſed parentes Baptizati peccatum originale non habent, quomodo poſſunt illud transfundere ad filios? Nec dici poteſt quod peccent generando, quia in actu matrimonij cum debitis circunſtantijs non cõmittitur peccatum, non videtur ergo quomodo anima paruuli inficiatur.

Dicendum quod cauſa quare homo Chriſtianus, & mũdus generat immundum filium, eſt quia generatio filiorũ eſt ab Adam ſecundum eſſe naturæ corruptæ, in qua ſumus omnes membra Adæ non autem ſecundum eſſe gratię, quod habemus per Baptiſmum, in quo ſumus membra Chriſti, atque adeo quãdo generans in quantũ huiuſmodi generat ſibi ſimile in eſſe naturæ, originali iuſtitiã deſtitutæ, cũ debito habendi eam, quoniam eam voluntate antecedente in Adamo accepit, & eadem ratione omnes eius poſteri generant ſibi ſimiles cum tali defectu, nec parentes Baptizati filios generant ſecundum eſſe gratię, quo ſunt membra Chriſti, ſed ſecundum eſſe naturæ corruptæ quo ſunt membra Adæ; atque adeo etiam à Chriſtianis fonte Baptiſmatis renatis filij geniti originale contrahunt peccatum. *Cur homo Chriſtianus & mũdus Filiũ immundũ generet.*

Quæritur ſeptimo. An originale peccatum æqualiter ſit in omnibus, propagatis ab Adam, vel in quibuſdam. Sit maius propter parentum peccata. Et ratio dubitãdi poteſt eſſe talis; quia concupiſcentia, quæ eſt pœna peccati originalis, videtur maior in vno, quã in alio, vel ratione complexionis, quia magis feruet in ſanguineis, & collericis, quam in malenconicis; vel ratione aſſuefactionis ſicut aſſuetus luxuriari ardentius concupiſcit.

Reſpondeo ex doctrina Alexan. de Ales, p. 2. q. 105. in q. art. 2. cui concordat Doct. Sub. in 2. d. 32. quod quantũ ad effectum alicuius pœnæ in futuro, vnum peccatum originale, non eſt maius alio, quia non magis in futuro punitur in vno, quam in alio, ſimiliter quantum ad priuationem iuſtitiæ originalis, quæ eſt eiuſdẽ rationis in omnibus; quo ad gradum ſpecificum, vnum peccatum originale, non eſt maius alio, quia in omnibus iuſtitiam originalem priuat, ſed quantum ad effectum alicuius pœnæ præſentis poteſt vnum

poſteris voluntaria Adami voluntate, & quia Adam originalem iuſtitiam accepit, ne dum pro ſe, ſed etiam pro tota poſteritate, Ideo omnes poſteri per vim generationis, ab eo deſcendentes, fuerunt in ipſo obligati ad habendum eam; at quia carentia Iuſtitiæ originalis cum debito habendi eam, eſt culpabilis: Ideo merito poſteris Adæ imputatur ad culpam. Ex hac doctrina infero corrolaria quędam.

Peccatũ originale vt contrahatur quid requiritur.

Primum corrolarium ad hoc quod peccatum originale traducatur, ſeu contrahatur requiritur primo, quod caro ſit traducta a primis parentibus tranſgreſſoribus; & ratio eſt: quia certum eſt quod originale peccatum ineſt homini ex eo, quod à primis parentibus, poſtquam tranſgrediendo præceptum Dei peccauerunt, traducitur; & inde in filijs deriuatur, ex quo ſequitur, quod ſi Deus formaret nunc vnũ hominem de terra, ſicut fecit Adam, & non de carne primorum parentum, iſte non contraheret peccatum originale. Secũdo ſequitur quod ſi Adam non peccaſſet, ſed aliquis filiorum, ſcilicet Cayn ab eodẽ genitus peccaſſet. Cayn non contraxiſſet originale peccatum ab Adam, ſed filij ipſius Cayn ab ipſo geniti, peccatum originale contraxiſſent, quia eſſent à parente tranſgreſſore geniti, quod intelligẽdum eſt, ſi Cayn ſicut Adam iuſtitiã originalem pro ſe, & filijs ſuis accepiſſet.

Originale peccatum ex propagatione cõtrahitur.

Secundũ corrolarium ad hoc quod contrahatur originale peccatum requiritur quod ab ipſis primis parẽtibus fiat naturaliter propagatio ex viri, & mulieris ſeminibus nam ſi quis, ſicut Chriſtus Dominus Spiritu ſancto operante, ſuper naturalem conciperetur ex virgine, non contraheret peccatum originale. Sed ponamus caſum qđ Demon incubus, vt ſuccubus ſuſceptum ſemen viri in mulierem trãsfunderet, ſicut de Molino narratur in Hiſtorijs annalib. homo genitus peccatum originale contraheretur. Dico quod ſic: quia eſſet de ſemine corrupto humano, nec talis hominis geniti pater eſſet Demõ; ſed ille homo, cuius Demon ſuccubus ſemen ſuſcepit.

Anima contrahit peccatum originale mediante carne ab Adam ſeminaliter propagata.

Tertium corrolarium anima contrahit peccatum originale mediante carne ab Adam ſeminaliter propagata, quod non eſt intelligendum, vt dicit Scotus, quod caro per quandam qualitatem in ea cauſatam, cauſet peccatum iſtud in anima, & quidam dicere voluerũt, ſed ex hoc quod caro concupiſcibiliter ſeminatur, & ex ipſa formatur corpus organicum, cui infunditur anima perſonam conſtituens, quæ eſt filius Adæ, & perſona iſta, quæ eſt naturalis filius Adæ, atque adeo debiti ex iuſtitiæ originalis datæ à Deo ipſi Adamo pro omnibus filijs, quia iuſtitia originali caret, peccatum originale habet. Cõtrahitur ergo originale peccatum mediante carne per quam quis eſt filius Adæ, & debitor originalis Iuſtitiæ, qua caret propter Adæ peccatum.

Originale peccatum contractũ eſt per primorũ parentum inobediẽtiã.

Quartum corrolariũ originale peccatum contractum eſt per primorum parentum in obedientiam, & principaliter per in obedientiam Adæ, quoniã ſecundum Alex. de Ales par. 2. q. 105. in 3. Prohibitio facta fuit Adæ in quantũ erat habẽs in ſe totam naturam, vt per quam alij deſcenderent per propagationem, atque ita prohibitio, non tantũ extendebatur ad ipſum, ſed etiam ad eos, qui erãt in ipſo ſeminaliter; ſi enim prohibitio facta fuit Euę in Adam; quę non deſcendit ab ipſo per propagationem, ſed per quandam formationem, multo fortius deſcendere debebat ad eos, qui ſeminaliter erant in eo.

Quæſt. 5.

Iuxta hoc quęritur primo an peccatum originale, vt transfundatur ad poſteros exigat Parentum libidinem, & ratio dubitationis eſt, quia dicit Diuus Auguſtinus in libro de fide ad Petrum. Peccatum originale non tranſmittit ad poſteros propagatio ſed libido; ex altera vero parte D. Anſelmus dicit, quod peccatum originale ſolum cauſatur per inobedientiam Adę. Dicendũ eſt quod libido tripliciter ſumitur.

Libido tripliciter ſumitur.

Primo

Primo modo dicitur libido, improba voluntas. Vnde D. Auguſt. in lib. de lib. arbit. inquit, nihil aliud videmus in toto maledicẽdi genere niſi libidinem dominandi, ideſt improbam voluntatem, ſecundo dicitur inordinata delectatio, ſicut dicimus maiorem eſſe libidinem, ideſt delectationem in actu generationis, quam alterius potentiæ, tertio modo dicitur libido corruptio vitioſa, quam dicimus eſſe in ſemine, & in virtute generatiua, quæ dicitur corrupta, & infecta, atque ita dicimus, quod libidinem eſſe oportet, in peccato originali; dum transfunditur. Quando ergo dicit D. Auguſt. quod peccatum originale non tranſmittit ad poſteros propagatio, ſed libido non intelligitur de libidine primo mō dicta, ſcilicet improba voluntate, quia ſine illa cõtingit frequẽter generare, ſicut in matrimonio, neque intelligitur de libidine ſecundo modo dicta, quoniam ſine immoderata delectatione, interdum generare contingit, licet raro, & forte vix ſine ea generetur. Intelligitur ergo de libidine tertio modo accepta, ſine illa naturã, per eã corruptione vitioſa, & fœda, quæ eſt in ſemine, nunquam contingit generare de lege communi. Nam ſi acciperetur primo, vel ſecundo modo libido, ſequeretur quod maiori libidine conceptus per amplius contraheret originale peccatum, quia libido facit peccatum originale vt inquit D. Augu. vbi ſupra ergo maior libido, magis facit, atque ita peccatum maius, quia ſicut ſimpliciter, ſit magis ad magis &c. Secundo Top. ſed de hoc magis infra.

Quæritur ſexto quomodo peccatum originale ex parentibus Baptiſmo mundatis contrahatur in anima; & ratio dubitationis eſt, quia nihil dat alteri, quod non habet, vt docet Ariſt. primo Elenchorum, ſed parentes Baptizati peccatum originale non habent, quomodo poſſunt illud transfundere ad filios? Nec dici poteſt quod peccent generando, quia in actu matrimonij cum debitis circunſtantijs non cõmittitur peccatum, non videtur ergo quomodo anima paruuli inficiatur.

Dicendum quod cauſa quare homo Chriſtianus, & mũdus generat immundum filium, eſt quia generatio filiorũ eſt ab Adam ſecundum eſſe naturæ corruptæ, in qua ſumus omnes membra Adæ non autem ſecundum eſſe gratię, quod habemus per Baptiſmum, in quo ſumus membra Chriſti, atque adeo quãdo generans in quantũ huiuſmodi generat ſibi ſimile in eſſe naturæ, originali iuſtitiã deſtitutæ, cũ debito habendi eam, quoniam eam voluntate antecedente in Adamo accepit, & eadem ratione omnes eius poſteri generant ſibi ſimiles cum tali defectu, nec parentes Baptizati filios generant ſecundum eſſe gratię, quo ſunt membra Chriſti, ſed ſecundum eſſe naturæ corruptæ quo ſunt membra Adæ; atque adeo etiam à Chriſtianis fonte Baptiſmatis renatis filij geniti originale contrahunt peccatum.

Cur homo Chriſtianus & mũdus Filiũ immundũ generet.

Quæritur ſeptimo. An originale peccatum æqualiter ſit in omnibus, propagatis ab Adam, vel in quibuſdam. Sit maius propter parentum peccata. Et ratio dubitãdi poteſt eſſe talis; quia concupiſcentia, quæ eſt pœna peccati originalis, videtur maior in vno, quã in alio, vel ratione complexionis, quia magis feruet in ſanguineis, & collericis, quam in malenconicis; vel ratione aſſuefactionis ſicut aſſuetus luxuriari ardentius concupiſcit.

Reſpondeo ex doctrina Alexan. de Ales. p. 2. q. 105. in q. art. 2. cui concordat Doct. Sub. in 2. d. 32. quod quantũ ad effectum alicuius pœnæ in futuro, vnum peccatum originale, non eſt maius alio, quia non magis in futuro punitur in vno, quam in alio, ſimiliter quantum ad priuationem iuſtitiæ originalis, quæ eſt eiuſdẽ rationis in omnibus; quo ad gradum ſpecificum, vnum peccatum originale, non eſt maius alio, quia in omnibus iuſtitiam originalem priuat, ſed quantum ad effectum alicuius pęnæ præſentis poteſt vnum

vnum originale eſſe maius alio, non quod peccatum originale in ſe ſit maius, vel minus, ſed q a in quadã natura plus habet de effectu, nam quidam eſt promptior adincontinẽtiam; quidam ad auaritiam, quidam ad ſibetudinẽ, & ignorantiam, & ratio eſt; quia malitia complexionis, quæ eſt in corpore, cum originali conſonat, & inclinat ad vitia, iſta tamen intenſio concupiſcentiæ, nõ facit ad grauandum peccatum originale, ſed bene facit ad grauandũ peccatom actuale hominis, ſe tam præcedat, ſed non ſequatur iudicium rationis, Denique concupiſcentia non eſt niſi materiale, atque adeo non facit inæqualitatem.

Quæſt. 4. Quæritur quarto. An peccatum originale ſit vnicum in omnib. ante plura in vno ſuppoſito, vel in pluribus, & ratio dubitationis eſt, quia dicitur in Pſ. 59. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c. vbi dicit Gloſſa, quod iniquitates ſunt peccata originalia; ergo videtur quod in eodem ſuppoſito ſint plura peccata originalia.

Peccatũ originale, eſt vnum ſpecie in omnibus.

Pro ſolutione dico primo, ꝙ peccatum originalc in omnibus eſt vnum ſecundum ſpeciem, quia formaliter eſt priuatio iuſtitiæ originalis, quæ eſt vna in omnibus ſecundum ſpeciẽ, tum quia vnica fuit inobedientia, atque ita in quolibet indiuiduo reſpondet ſibi vnicum peccatum in ſpecie, tum etiã quia totam ſpeciem humanam ad vnam pœnam obligat. ſ. ad carentiam viſionis Dei.

Peccatũ originale, in vno indiuiduo ẽ vnum ſimpliciter.

Dico ſecundo, quod peccatum originale in vno indiuiduo eſt vnum ſimpliciter; quia formæ, vel priuationes formarum numerantur, aut numeratione ſubſtituti, aut numeratiõe actus, per quem macula contrahitur, ſed hæc anima, quæ eſt ſubſtitutum peccati originalis eſt vna numero, ergo & peccatum originale eſt vnum numero. Similiter actus, per quem contraximus peccatum originale, fuit virtualiter in Adam vnus, & ſingularis vniuſcuiuſque noſtrum, ergo, &c.

Dico tertio, quod ſi in Sacra Scriptura aliquando dicatur peccatum originale pluraliter, hac eſt ratione diuerſarum inclinationum ſecundum concupiſcentiam, quantũ ad diuerſas potentias, & vires, vel quantum ad inclinationem ad diuerſa peccata, ad quæ inclinat.

Quæritur quinto, à quo peccatum originale cauſaliter transfunditur, & ratio dubitandi eſt, quia multæ authoritates Sanctorum videntur dicere, ꝙ infligitur à carne infecta in animam agente, vt eſt expreſſa ſententia Hugonis dicentis, concupiſcentiam eſſe in carne, mediante qua inficitur anima; Et D. Paul. ad Gal. 5. inquit, quod caro concupiſcit aduerſus ſpiritum.

Peccatũ originale nõ infligitur à Deo animã creante.

Pro ſolutione dico primo, ꝙ peccatum originale non infligitur à Deo animã creante; quia Deus nullius peccati eſt cauſa, & licet concupiſcentia in carne, ſit à Deo inflicta. Concupiſcentia tamen triplici modo ſumi conſueuit.

Primo demeritorie, atque ita eſt ab Adam peccante.

Secundo conſideratur in quantum nominat priuationem. ſ. defectum à bono, atque ita non habet cauſam efficientem, ſed deficientem, ſicut aliæ priuationes.

Tertio in quantum eſt pœna, vel punitio, atq; ita eſt à Deo, & omnis alia pœna pro peccato. Et hoc etiam modo de peccato originali intelligendũ eſt, quod non eſt à Deo, inquantũ eſt culpa formaliter, ſed bene inquantum eſt pœna pro Adæ inobedientia iuſte inflicta. Qua propter peccati originalis cauſa demeritoria fuit Adam, cauſa negatiua non dans iuſtitiam originalem eſt Deus, quia iuſto iudicio ſic punit; nec in hoc peccatum cauſat; quia non homine illam iuſtitiam ſimpliciter non eſt peccatum, ſed non habere eam, cum debito habendi, & hoc non habere eſt ex parte hominis peccatũ.

Peccatũ originale nõ infligitur à parentibus.

Dico ſecundo, quod peccatum originale non infligitur à Patre, vel Matre,

Digitized by Google

tre, tum quia ipſi mundati ſunt in Baptiſmo, atque adeo non dant, quod nō habent; tum quia frequenter contingit Patrem mori, antequam filius animetur, in qua animatione peccatum originale contrahitur.

Peccatū originale nō inſligitur à carne infecta. Dico tertio, quod peccatū originale non intelligitur à carne infecta in animam agente, cum omne agens ſit patiente prǽſtantius, quod nequit in carne ſuper animam reperiri. Vnde ſicut ſolis radius, cum ſit præſtantior, nullū inquinamentum à rebus corporalibus ſordidis recipere poteſt, multo minus anima cum ſit lux ſpiritualis præſtantiſſima à carne corrupta infici valet, quomodo autem intelligenda ſit. Hugonis authoribus dictum eſt ſup.

Peccatū originale inſligitur caliter à lege diuina. Dico quarto, quod peccatum originale inſligitur cauſaliter ab ipſa diuina lege, & iure regulante, ex eo quod Diuina lex ordinauit, & ſuper nos hoc decretum poſuit, quod quilibet homo deſcendens ab Adam modo ſeminali, contrahat originale peccatum, niſi ſpeciali præuilegio eximatur, ſicut exemptam credimus, atque profitemur Beatam Virginem Dei Matrem. Atque ita ſicut natus ex adulterio efficitur irregularis ipſa lege poſitiua Eccleſiæ, adeò quod ad ſacros ordines promoueri non poteſt, niſi cum eo diſpenſetur, ita omnis homo ex concubitu maris, & fęminæ naſcens in peccato originali, lege diuina ſic ſtatuente naſcitur, niſi cum eo ex Dei Priuilegio diſpenſetur.

Quæſt. 8. Quæritur octauo, quando contrahitur originale peccatum; Dico breuiter quod in primo inſtanti, in quo anima creatur, obſ. eſt tamen, quod in hoc inſtanti ſunt quatuor ſigna.

Peccatū originale; contrahitur in primo inſtanti animationis.

Primum eſt in quo corpus organizatur.

Secundum in quo anima creatur.

Tertium in quo animam infunditur.

Quartum in quo ex vnione, animæ ad corpus peccatum originale contrahitur, & iſta quatuor ſigna naturæ ſunt in eodem inſtanti temporis, ita quod in illo inſtanti, in quo ex anima, & corpore fit perſona quę ex debito in Adam tenetur habere iuſtitiam originalem, & non ſit. Illud non habere cū debito habendi eſt peccatum originale, contrahitur originale peccatum; niſi in illo eodem met inſtanti, in quo quantum ex ſe, talis perſona eſſet priuata iuſtitia originali, datum eſſet per gratiam ſpecialem à Deo æquiualens iuſtitiæ originalis. ſ. gratia gratum faciens, ſicut datam fuiſſe Diuæ Virgini piè credimus atque firmiter tenemus.

Quæſt. 9. Quæritur nono, quæ fuerunt pœnalitates originale peccatum, conſequentes. Dico quod fuerunt ſex, quæ accipiūtur iuxta deformitates, quæ fuerūt in peccato primi parentis, ſicut enim dicit D.Thom. in quæſt. diſp. 9. de pec. orig. art. 8. ad primum in peccato Adæ fuit multiplex deformitas. ſ. inobedietia, Gula, furtum, & ſuperbia, & iuxta has deformitates accipiuntur peccati originalis punitiones, & pœnæ, quę vt diximus ſunt ſex.

Originale peccatum ſex pœnalitates cōſequūtur.

Prima fuit ſenſus, & carnis rebellio, & iſta fuit punitio inobedientiæ, nam vt dicit Nicol. de Ly. ſuper epiſtolam ad Roman. 5. quam diu Adam fuit Deo obediens, & ſenſus erat ſubditus rationi, & corpus animę; ſed poſt quam Adam cōmedendo de ligno vetito contra Dei præceptum, factus eſt Deo inobediēs, vires inferiores rebelles fuerunt rationi, & corpus animæ, & huiuſmodi rebellio figurata fuit infra in hoc cap. quando Deus dixit ſerpenti, inimicitias ponam inter te, & mulierem. Serpens eſt ſenſualitas, mulier eſt portio inferior, inter quæ eſt cōtinua pugna. Dicente Paulo ad Ro. 7. Video aliam legem &c. Et Rebellio carnis ad animam, figurata fuit, quando dixit Deus Adæ ſpinas, & tribulos germinabit tibi, i. terra corporis tui.

Secunda fuit corporis labor, & fatigatio, & iſta fuit punitio Gulæ, quia enim primus homo contra Dei pręceptum comedit de ligno ſcientiæ, ideo merito

vnum originale eſſe maius alio, non quod peccatum originale in ſe ſit maius, vel minus, ſed q a in quadã natura plus habet de effectu, nam quidam eſt promptior ad incontinẽtiam; quidam ad auaritiam, quidam ad ſubetudinẽ, & ignorantiam, & ratio eſt; quia malitia complexionis, quæ eſt in corpore, cum originali conſonat, & inclinat ad vitia, iſta tamen intenſio concupiſcentiæ, nõ facit ad grauandum peccatum originale, ſed bene facit ad grauandũ peccatum actuale hominis, ſe tam præcedat, ſed non ſequatur iudicium rationis, Denique concupiſcentia non eſt niſi materiale, atque adeo non facit inæqualitatem.

Quæſt. 4. Quæritur quarto. An peccatum originale ſit vnicum in omnib. ante plura in vno ſuppoſito, vel in pluribus, & ratio dubitationis eſt, quia dicitur in Pſ. 59. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c. vbi dicit Gloſſa, quod iniquitates ſunt peccata originalia; ergo videtur quod in eodem ſuppoſito ſint plura peccata originalia.

Peccatũ originale, eſt vnum ſpecie in omnibus. Pro ſolutione dico primo, ꝙ peccatum originale in omnibus eſt vnum ſecundum ſpeciem, quia formaliter eſt priuatio iuſtitiæ originalis, quæ eſt vna in omnibus ſecundum ſpeciẽ, tum quia vnica fuit inobedientia, atque ita in quolibet indiuiduo reſpondet ſibi vnicum peccatum in ſpecie, tum etiã quia totam ſpeciem humanam ad vnam pœnam obligat. ſ. ad carentiam viſionis Dei.

Peccatũ originale, in vno indiuiduo ẽ vnum ſimpliciter. Dico ſecundo, quod peccatum originale in vno indiuiduo eſt vnum ſimpliciter; quia formæ, vel priuationes formarum numerantur, aut numeratione ſubſtituti, aut numeratiõe actus, per quem macula contrahitur, ſed hæc anima, quæ eſt ſubſtitutum peccati originalis eſt vna numero, ergo & peccatum originale eſt vnum numero. Similiter actus, per quem contraximus peccatum originale, fuit virtualiter in Adam vnus, & ſingularis vniuſcuiuſque noſtrum, ergo, &c.

Dico tertio, quod ſi in Sacra Scriptura aliquando dicatur peccatum originale pluraliter, hac eſt ratione diuerſarum inclinationum ſecundum concupiſcentiam, quantũ ad diuerſas potentias, & vires, vel quantum ad inclinationem ad diuerſa peccata, ad quæ inclinat.

Quæritur quinto, à quo peccatum originale cauſaliter transfunditur, & ratio dubitandi eſt, quia multæ authoritates Sanctorum videntur dicere, ꝙ infligitur à carne infecta in animam agente, vt eſt expreſſa ſententia Hugonis dicentis, concupiſcentiam eſſe in carne, mediante qua inficitur anima; Et D. Paul. ad Gal. 5. inquit, quod caro concupiſcit aduerſus ſpiritum.

Peccatũ originale nõ infligitur à Deo animã creante. Pro ſolutione dico primo, ꝙ peccatum originale non infligitur à Deo animã creante; quia Deus nullius peccati eſt cauſa, & licet concupiſcentia in carne, ſit à Deo inflicta. Concupiſcentia tamen triplici modo ſumi conſueuit.

Primo demeritorie, atque ita eſt ab Adam peccante.

Secundo conſideratur in quantum nominat priuationem. ſ. defectum à bono, atque ita non habet cauſam efficientem, ſed deficientem, ſicut aliæ priuationes.

Tertio in quantum eſt pœna, vel punitio, atq; ita eſt à Deo, & omnis alia pœna pro peccato. Et hoc etiam modo de peccato originali intelligendũ eſt, quod non eſt à Deo, inquantũ eſt culpa formaliter, ſed bene inquantum eſt pœna pro Adæ inobedientia iuſte inflicta. Qua propter peccati originalis cauſa demeritoria fuit Adam, cauſa negatiua non dans iuſtitiam originalem eſt Deus, quia iuſto iudicio ſic punit; nec in hoc peccatum cauſat; quia non homine illam iuſtitiam ſimpliciter non eſt peccatum, ſed non habere eam, cum debito habendi, & hoc non habere eſt ex parte hominis peccatũ.

Peccatũ originale nõ infligitur à parentibus. Dico ſecundo, quod peccatum originale non infligitur à Patre, vel Matre,

tre, tum quia ipſi mundati ſunt in Baptiſmo, atque adeo non dant, quod nō habent; tum quia frequenter contingit Patrem mori, antequam filius animetur, in qua animatione peccatum originale contrahitur.

Peccatū originale nō infligitur à carne infecta.

Dico tertio, quod peccatū originale non intelligitur à carne infecta in animam agente, cum omne agens ſit patiente præſtantius, quod nequit in carne ſuper animam reperiri. Vnde ſicut ſolis radius, cum ſit præſtantior, nullū inquinamentum à rebus corporalibus ſordidis recipere poteſt, multo minus anima cum ſit lux ſpiritualis præſtantiſſima à carne corrupta infici valet, quomodo autem intelligenda ſit. Hugonis authoribus dictum eſt ſup.

Peccatū originale infligitur cauſaliter à lege diuina.

Dico quarto, quod peccatum originale infligitur cauſaliter ab ipſa diuina lege, & iure regulante, ex eo quod Diuina lex ordinauit, & ſuper nos hoc decretum poſuit, quod quilibet homo deſcendens ab Adam modo ſeminali, contrahat originale peccatum, niſi ſpeciali priuilegio eximatur, ſicut exemptam credimus, atque profitemur Beatam Virginem Dei Matrem. Atque ita ſicut natus ex adulterio efficitur irregularis ipſa lege poſitiua Eccleſiæ, adeò quod ad ſacros ordines promoueri non poteſt, niſi cum eo diſpenſetur, ita omnis homo ex concubitu maris, & fœminæ naſcens in peccato originali, lege diuina ſic ſtatuente naſcitur; niſi cum eo ex Dei Priuilegio diſpenſetur.

Quæſt. 8. Quæritur octauo, quando contrahitur originale peccatum; Dico breuiter quod in primo inſtanti, in quo anima creatur, obſ. eſt tamen, quod in hoc inſtanti ſunt quatuor ſigna.

Peccatū originale, contrahitur in primo inſtanti animationis.

Primum eſt in quo corpus organizatur.

Secundum in quo anima creatur.

Tertium in quo animam infunditur.

Quartum in quo ex vnione, animæ ad corpus peccatum originale contrahitur, & iſta quatuor ſigna naturæ ſunt in eodem inſtanti temporis, ita quod in illo inſtanti, in quo ex anima, & corpore fit perſona quę ex debito in Adam tenetur habere iuſtitiam originalem, & non fit. Illud non habere cū debito habendi eſt peccatum originale, contrahitur originale peccatum; niſi in illo eodem met inſtanti, in quo quantum ex ſe, talis perſona eſſet priuata iuſtitia originali, datum eſſet per gratiam ſpecialem à Deo æquiualens iuſtitiæ originalis. ſ. gratia gratum faciens, ſicut datam fuiſſe Diuæ Virgini piè credimus atque firmiter tenemus.

Quæſt. 9. *Originale peccatum ſex pœnalitates cōſequūtur.*

Quæritur nono, quæ fuerunt pœnalitates originale peccatum, conſequentes. Dico quod fuerunt ſex, quæ accipiūtur iuxta deformitates, quæ fuerūt in peccato primi parentis, ſicut enim dicit D. Thom. in quæſt. diſp. 9. de pec. orig. art. 8. ad primum in peccato Adæ fuit multiplex deformitas. ſ. inobedientia, Gula, furtum, & ſuperbia, & iuxta has deformitates accipiuntur peccati originalis punitiones, & pœnæ, quę vt diximus ſunt ſex.

Prima fuit ſenſus, & carnis rebellio, & iſta fuit punitio inobedientiæ, nam vt dicit Nicol. de Ly. ſuper epiſtolam ad Roman. 5. quam diu Adam fuit Deo obediens, & ſenſus erat ſubditus rationi, & corpus animę; ſed poſt quam Adam comedendo de ligno vetito contra Dei præceptum, factus eſt Deo inobediēs, vires inferiores rebelles fuerunt rationi, & corpus animæ, & huiuſmodi rebellio figurata fuit infra in hoc cap. quando Deus dixit ſerpenti, inimicitias ponam inter te, & mulierem. Serpens eſt ſenſualitas, mulier eſt portio inferior, inter quæ eſt cōtinua pugna. Dicente Paulo ad Ro. 7. Video aliam legem &c. Et Rebellio carnis ad animam, figurata fuit, quando dixit Deus Adæ ſpinas, & tribulos germinabit tibi, i. terra corporis tui.

Secunda fuit corporis labor, & fatigatio, & iſta fuit punitio Gulæ, quia enim primus homo contra Dei pręceptum comedit de ligno ſcientiæ, ideo

merito

merito datus eſt ſibi in pœnam labor corporis, & fatigatio in quærendo ſibi cibum,& alia neceſſaria ad vitę ſuſten tationem, & iſta punitio exprimitur cum dicitur, in labore, & ſudore vultus tui veſceris pane tuo.

Tertia fuit carnis dolor,& afflictio, quę fuit punitio furti,nam quia Adam contrectauit rem alienam inuito Domino. Ideo furtum commiſit, & quia fures ſecũdũ leges verberari,& crucia ri ſolent.Ideo in pęnam ſui furti datus eſt ſibi, & ſui poſteris carnis dolor, multiplexque afflictio, vt ſunt fames, ſitis, frigus, calor, laſſitudo infirmitas &c.& iſta punitio exprimitur, quã do Dixit Deus mulieri, multiplicabo erumnas tuas, & conceptus tuos,in dolore paries filios.

Quarta fuit carnis, & animæ ſepara tio, ſeu mors, quæ fuit etiam punitio furti,fures etiam ſecũdũ leges, ſuſpen duntur,& occiduntur, atque adeo in pœnam furti primi parentis data fuit ſibi, & poſteris animæ, & carnis ſeparatio, & hæc punitio notatur cum dici tur Adæ, donec reuertaris in terrã &c.

Quinta fuit corporis incineratio, quæ fuit punitio ingratitudinis. Deus enim Glorioſus ex ſua liberalitate pri mis parentibus iuſtitię originalis orna mentum dederat, ratione cuius, vt communiter dicunt omnes Theologi pręſeruatum fuiſſet humanum corpus ab omni corruptione, ſi grati de tanto beneficio ſe exhibuiſſent, at quia man datum tranſgreſſi ſunt, & ingrati de tanto beneficio extiterunt, merito tali iuſtitia originali ſunt priuati,atque ita remanſerunt ineſſe eorum naturali,& quia corpus naturale ex quatuor elementis contrarijs conſtituitur, ideo poſt animæ ſeparationem corrumpitur,& muneratur,& hęc punitio deſignatur, cũ dixit Deus Adæ puluis &c.

Sexta pœna fuit animæ à Diuina viſione ſeparatio,quę fuit ſuperbię pu nitio. nam quia primi parentes diuinã æqualitatem ſiue ſcientiam appetiuere,à Diabolo decepti eis dicente eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum, ideo congruentiſſime tam ipſis, quam poſteris eorum de communi lege Diuina viſione priuati ſunt, niſi ad eam rehabilitaretur per Dei, & hominum mediatorem Chriſtum Dominum, & iſta punitio inſinuatur, cum dicitur, quando prohibiti ſunt primi parentes comedere de ligno vitæ, atque de Paradiſo fuerunt expulſi dicente Domino, ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum.

De Dei apparitione Adæ facta poſt peccatum atque eius Citatione.

Et cum audiſſent vocem Domini Dei, deambulantis in Paradiſo ad Aurã poſt meridiem,abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini in medio ligni Paradiſi.

CVm omnia fecerit, operatuſq; ſit Deus,vt rationale hoc animal à ſe conditum,in omni honore eſſet, & in nullo Angelorum vita minutius foret ſed & in corpore illorũ poſſideret impoſſibilitatem,& ſi peccando per negli gentiam tranſgreſſum ea,quæ à ſe præ cepta erant videret,tamen à miſericor dia ſua haud ceſſans, ſed ſemper ſibi ſimilis,quaſi clementiſſimus Pater, filium, indignum quid ſua nobilitate, commiſiſſe,& à ſummo honore in extremam vilitatem redactum videns, paternis viſceribus commotis non illũ conſilij inopem,& auxilio deſtitutum finit:ſed iterum ſuum agit officiũ,breui illum à leuitate liberatum priſtinæ reſtituens dignitati. Simili modo bonus Deus miſeratus eſt hominis, cum vxore ſua circunuenti Diaboli inſidijs cuius per ſerpentem conſilium accepe rant,atque adeo veluti medicus ad inualidum,& ægrotantem,iacẽtemque, ac diligentem,cura,& medici manu protinus illum accedit.

Ea quippe hora talis iam conuenerat viſitare,qui defecerant à luce veritatis,

tatis, atque adeo ad veſperam vocem Domini audierunt.

Ceterum illud ad auram poſt meridiem, variè legitur quidam enim codices Latini, quos citat Hieronymus & ſecutus eſt Aug. habebant tantum ad veſperam, alij poſt meridiem.

Verba Hieronymi ſunt hæc in queſtionibus hæbraicis in Gen. In pleriſq; codicibus latinorum, pro eo, quod hic poſuimus Ad veſperam poſt meridiē, habetur quia τὸ δειλινόν, græcum ſermonem ad verbum transferre nō poſſumus pro quo in Hebraico ſcriptum eſt laruah. haiom: quod Aquila interpretatus eſt. Inuento diei: Symmacus vero per ſpiritum Diei; porro theodotiō manifeſtius, ἐν τῷ πνεύματι πρὸς καταψύξιν τῆς ἡμέρας, vt meridiano calore tranſacto refrigerium auræ reſpirantis oſtenderet. Hæc Hieronymus.

Paraphraſis Caldayca habet ad quietem diei haud dubie veſperam ſignificans, videlicet eo tempore incipit diei eſtus quieſcere, ac remitti. Pagninus, & Vatablus habent, ad auram diei, ideſt ſub veſperam, nam eo tempore ventus ſpirare ſolet, præſertim, autem Zephirus. Dicitur autem vētus diei, qui poſt meridiem, & ante ſolis occaſum in locis maritimis ſpirare ſolet. Et igitur Periphraſis pomeridiani ſeu veſpertini temporis, quo tempore Deus in Paradiſum venit.

Quæſt. 1. Queritur primo quomodo apparuit Deus primis Parentibus in Paradiſo? Reſpondetur ſecundum D. Auguſt. lib. 11. ſuper Gen. cap. 33. quod apparuit in forma humana, & ratio prima eſt, qa apparuit per creaturā tali actioni congruam, in cuius conſpectu erubeſcei et nuditantem ſuam homo, & motum peccati pudendi in membris ſuis, ſed ad huiuſmodi cōgruit forma humana ergo, &c.

Deus in forma humana apparuit primis parentibus.

Alia ratio, quia Deus erat humanam naturam aſſumpturus, ergo in tali congruebat apparuiſſe pro myſterio.

Tertio quia loquendo debuit redarguere Adam. Vnde dicitur cum audiſſet vocem Dñi, de ambulantis, &c. Lyra dicit, iſta locutio, & deambulatio Dei non eſt intelligenda in forma deitatis, ſed in aliqua ſimilitudine creata in qua apparuit, ſicut apparuit Abrahæ, & Moyſi, & multis alijs: ſed quia loquela competit homini, igitur in forma humana apparuit.

Sed audiumus D. Auguſtini verba, ita enim ſcribit 11. lib. ſuper Gen. cap. 33. Fortaſſis enim in alijs intrinſecus, vel effabilibus, vel in effabilibus modis, Deus cum illis antea loquebatur; ſicut etiam Angelis loquitur, ipſa immutabili veritate illuſtrans mentes eorū, vbi eſt intellectus noſſe ſimul, quæcunque etiam per tempora non fiunt ſimul, forte inquam ſicut, cum eis loquebatur, & ſi non tanta participatione Diuinę ſapientiæ, quantum capiunt Angeli, tamen pro humano modulo quantumlibet minus, ſed ipſo genere viſitationis, & locutionis; Fortaſſis etiam illo, qui fit per ſcripturam, ſiue in eſtaſi, ſpiritus corporalibus imaginibus; ſiue ipſis ſenſibus corporis aliqua ſpecie prēſentata, vel ad vidēdum, vel ad audiendum ſicut iu Angelis ſuis ſoler videri Deus, vel ſonare per nubem. Hunc tamen quod audierunt vocem Domini ambulantis in Paradiſo ad Veſperam, non niſi per creaturam viſibiliter factum eſt ne ſubſtantia illa inuiſibilis, & vbique tota, quę eſt patris, & filij, & ſpiritus ſancti corporalibus eorum ſenſibus locali, & temporali motu apparuiſſe credatur.

Sed clarius explicat hoc in lib. 65. q. 9. 35. vbi ita ſcribit. Rogo quæ nam eſt iſta deambulatio, cum dicitur, quod Adam, & Eua audierunt vocem Dei, deambulantis in Paradiſo? Abſit vt Deus, qui eſt trinitas, ex hoc quod eius dicitur deambulatio, corporeus, aut localis eſſe credatur, omne ſi quidem corpus locale eſt. & omne locale, vtrique corpus eſt. Deus vero in corporea res eſt, nec temporaliter mouetur, nec loco continetur, neque de loco ad locum transfertur. Eius namq; deambulatio intelli-

intelligēda eſt per aliquam creaturam factam, quam creaturam hominem fuiſſe ex ipſius circunſtantia ſcripturæ intellectum à maioribus recolo.

Quæſt. 2. Quæritur ſecundo. Vtrum Pater, an filius, vel ſpiritus ſanctus, aut ſine vlla diſtintione perſonarum, ſicut cum dicitur Deus meus, & ſolus, per illam humanæ naturæ formā, primis parentibus apparuerit.

Hanc quæſtionem mouet D. Augu. lib. 2. de Trinit. capit. 18. & libr. contra Adimantum manichei diſcipulum ca. 9. cui reſpondens ſupponit primo nunquā corporeis oculis apparuiſſe Deū, nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum ſanctum, niſi propter ſubiectam ſuę poteſtati corpoream creaturam.

Secundo ſupponit, quod ſi excepta figurata ſignificatione rei geſtæ fides ad literam teneatur. In ſpecie hominis, vir Deus, cum homine tunc locutus; quia & ſi expreſſe hoc ſcriptura non dicat, circunſtantia autem locutionis id reſonat, maxime in illo, quod ſcriptū eſt. Vocem Domini audiuiſſe Adam, deambulantis in Paradiſo ad veſperā, & abſcondiſſe, ſe in medio ligni, quod erat in Paradiſo, Deoque dicenti. Adā vbi es, reſpōdiſſe, audiui vocem tuam, & abſcondi me à facie tua, quia nudus ſum. Quomodo enim poſſet ad litterā intelligi talis Dei ambulatio, & collocutio, niſi in ſpecie humana, nō video, neque enim poteſt dici, vocem ſolam factā, vbi deambulaſſe dictus eſt Deus, aut eum, qui ambulabat in loco non fuiſſe viſibilem, cum & Adam dicat, quod abſconderit ſe à facie eius.

His ſuppoſitis, inquit, reſpōdens ad quæſtionem; quod contextio ipſa ſcripturę nunquam trāſire ſentitur à perſona ad perſonam, ſed ille videtur loqui ad primū hominem, qui dixit fiat lux, & fiat firmamentum, & cętera per illos ſingulos Dies, quem Deum Patrē ſolemus accipere dicentem, vt fit quicquid facere voluit, omnia enim p verbum ſuum fecit, quod verbum eius, vnicum Filium eius, ſecūdum rectam fidei regulam nouimus; Deus ergo primus fuit, qui ad primum hominem locutus fuit, qui in Paradiſo ad veſperam ambulauit, & à cuius facie ſe in medio ligni Paradiſi peccator abſconderat.

Deus pater fuit qui ad primum hominem locutus fuit.

Sed fieri etiam potuit, vt à perſona ad perſonam, occulte ſcriptura tranſiret, & cū Patrem dixiſſe narraſſet fiat lux &c. quæ per verbum feciſſe commemoratur, iam per filium indicaret loqui ad primum hominem, non aperte explicans hoc, ſed eis qui poſſunt intelligendum intimans: nam in illis antiquis corporalibus formis, & viſis, quibus apparuiſſe legitur Deus, non tantū modo Patrem, nec tantum modo filiū, nec tantum modo ſpiritum ſanctum apparuiſſe, ſed aut indifferenter Dominum Deum, qui Trinitas ipſa intelligitur, aut quamlibet ex Trinitate perſonam, quam lectionis teſtus indicijs circunſtantibus ſignificaret. Oſtendit D. Auguſt. ſecundo de Trinit. à cap. 10. vſque ad finem libri.

Quæritur tertio vtrum ad hoc opus tantum modo creatura formata ſit, in qua Deus ipſe ſe humanis aſpectibus oſtenderet, an angeli corporalem ſpeciem illam aſſumentes, ex perſona Dei loquerentur. Hanc quæſtionem ſoluit D. Auguſt. lib. 3. de Trinit. capit. 11. vbi ſcribit illa omnia, quæ patribus viſa ſunt, cum Deus illis ſecundum ſuam diſpenſationem temporibus cōgruam præſentaretur per creaturam factum eſſe, manifeſtum eſt, & ſi nos latet, quo modo ea miniſtris angelis fecerit: per angelos tamen eſſe facta, nō ex noſtro ſenſu dicimus, ne cuiquam videamur plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapiamus ad temperantiam, ſicut Deus nobis partitus eſt menſuram fidei, ſed credimus propter quod, & loquimur. Extat enim authoritas diuinarum ſcripturarum, vnde mens noſtra deuiare non debet, nec relicto ſolidamento diuini eloquij per ſuſpicionum ſuarum à brupta præcipitari, vbi nec ſenſus corporis regit, nec perſpicua ratio veritatis elucet Quęſt. 3.

Angelus in perſona Dei locutus eſt primis parentibus poſt peccatū.

elucet apertiſſime quippe ſcriptũ eſt in epiſtola ad Hæbreos, cũ diſpenſatio noui teſtamenti, à diſpoſitione veteris teſtamenti ſecundum congruam ſeculorum, ac temporum diſtingueretur, nõ tamen illa viſibilia, ſed ipſum, etiam ſermonem per angelos factum &c.

Et in libro contra Adimantum manichei diſcipulum capit. 9. inquit quibuſdam in locis ſcriptura ſacra teſtatur Angelũ viſum vbi dicit Deum viſum; ſicut in illa luctatione Iacob; & Angelus dictus eſt illæ, qui apparuit, & cum apparuit in Rubo moſi, & iterum in Eremo cum iam eduxiſſet populum de terra Aegipti, quando legem accepit Deus ei locutus eſt, ſed ſiue in Rubo cum eum miſit, ſiue poſtea cum ei legẽ dedit, Angelum dicit Stephanus in actibus Apoſtolorum cap. 7. eis apparuiſſe, quod ideo dicimus, ne quis arbitretur verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, quaſi per loca poſſe definiri, & alicui viſibiliter apparere, niſi per aliquã viſibilem creaturam ſicut enim verbũ Dei eſt in Propheta, & recte dicitur dixit Dominus, quia verbum Dei quod eſt Chriſtus in Propheta loquitur veritatem, ſic & in Angelo, ipſe loquitur, quando veritatem Angelus nunciat, & rectè dicitur, dixit Dominus, & Deus apparuit, & item recte Angelus dixit, & Angelus apparuit, cum illud dicatur ex perſona inhabitantis Dei, illud ex pſona ſeruiẽtis creaturæ. Hæc D. Aug.

Quærit quarto. Ad quid venit Deus ad Adam, & Euam poſtquam peccauerunt. Dicendum quod venit primo ad oſtendendum peccatum ſuum nam dixit Adæ quis dixit tibi quod nudus eſſes niſi, quod de ligno de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti? Quæſt. 4.

Secundo ad denunciandum eis pœnas pro peccato, nam mulieri, & viro, & ſerpenti denunciauit, quæ futura erant.

Tertio ad redarguendum eos de peccato: nam dixit Deus Adę, & Euæ verba increpatoria pro peccato, improperando, quod hoc feciſſent; & hoc fieri non potuiſſet, niſi ad eos veniret.

Quarto fuit ad eijciendum eos de Paradiſo.

Quinto ad dandum eis veſtes, quia ante peccatum non dederat eis veſtes.

Quæritur quinto. Cur venit ad eos poſtquam fecerunt ſibi perizomata, & non ſtatim vt peccauerunt. Dicendum quod hoc fuit, primo, vt daret eis locũ cogitandi de ſe, & pęnitendi, vt ſic poſſent redire ad ſtatum priorem. Quæſt. 5.

Deus cur venit ad Adam & Euã poſtquam fecerunt ſibi perizomata.

Secundo negrauarentur magna verecundia, nam ſi ſtatim veniret, inueniſſet eos prorſus nudos, atque adeo valde erubeſcerent. Nam ſi Adam, & Eua Perizomatibus veſtiti eruberũt aduentum Domini, multo magis erubuiſſent ſi illis operti non fuiſſent.

Tertio ad oſtendendum nobis magnitudinem verecundiæ Adami, & Euæ poſt peccatum; nam tam grauiter de auiditate erubuerunt, quod ſtatim fecerunt ſibi perizomata.

Quarto vt oſtenderetur de quibus partibus erubuerant, quod nobis erat conueniens ſcire, & tamen ſi Deus veniſſet, antequam feciſſent ſibi perizomata, & daret eis veſtes, quæ totum operirent corpus, nõ conſtaſſet de quo erubeſcerent. Sed cum Deus venerit poſtquam fecerunt ſibi perizomata, apparuit quod de ſolis genitalibus erubuerunt, quia huiuſmodi veſtes, eas ſolum tegebant corporis partes.

Quinto vt daretur locus humanæ prudentiæ, atque ingenio ad fabricandas ſibi veſtes.

Sexto fuit ad oſtendendum Dei beneficiũ, & cauſam eius: nam dedit eis Deus veſtes quãdo eos expulit de Paradiſo. Si autem homines potuiſſent ſibi de illis prouidere, nõ fuiſſet magnum beneficium hoc eis præſtare, voluit itaque ſcriptura oſtendere cauſam huius, ideſt hominis indigentiam, quia illi nõ poterant, aut neſciebant ſibi ipſis tales conſuere veſtes, atque ita Deus dedit eis veſtes, quibus indigebant.

Quæritur ſexto, quæ fuerit vox illa; quam audierunt. Aliqui dicunt quod Quæſt. 6.

fuit

fuit vox, quam dixit Deus, ſcilicet Adã
vbi es ? quia ante iſtam non legitur,
alia vox Dei. Sed hoc ſtare non poteſt,
quia Adam abſcondit ſe, quando audi
uit vocem Domini ſicut ipſe dixit. Vo-
cem tuam audiui, & abſcondi me, &
tamen quando Deus dixit Adam vbi
es, erat iam Adã abſconditus ergo non
fuit iſta vox quã audiuit, præterea hac
voce audita, Adam vbi es; Adam ma-
nifeſtauit ſe, quando autẽ dicitur, quod
audiuit vocem Domini abſcondit ſe,
ergo nõ eſt eadem vox; Item Deus am
bulans in Paradiſo, quaſi non inueniẽs
Adam, dixit, Adam vbi es; & ſtatim
Adam exiuit de latibulo, & quaſi red-
diturus rationem cur lateret, dixit au-
diui vocem tuam, & abſcondi me.
Ergo ante iſtam vocem, Adam vbi es,
ſe abſconderat. Dicendum ergo quod
nõ fuit iſta vox aliquis ſermo Dei, quo
vocaret Adam, ſed fuit ſonitus Dei am
bulantis; nam cum inter arbores am-
bularet, fiebat ſtrepitus, & illum ſtrepi
tum audiuit Adam, cognouitque eſſe
Deũ, & latuit, & vocatur ille ſonitius,
vox, quia licet proprie vox non ſit niſi
animatorum, vt dicit Ariſt. libr. 2. de
Anima, tamen iuxta ſcripturæ conſue
tudinem, interdum ſonitus rerum in
animatarum vox appellatur, ſicut dici
tur, vox aquarum multarum pſal. 41.
Et abiſſus abiſſum inuocat inuoce ca-
tharactarum tuarum, & vox tubæ.
Apoc. & nubis & tonitrui. pſal. 76. vo-
cem dederunt nubes, & vox tonitrui
tui in rota. Tota ſtrepitus pedum, vel
fragor arborum, vocabitur vox, atque
ita dicitur cumque audiſſent vocem
Domini &c. ideſt ſonitum, quem facie
bat Dominus ambulando. Deus ergo,
qui antea placide, & blãde Adamo cõ-
ſueuerat apparere, tunc ei ſe repreſen-
tauit, formidabilem, atque terribilem,
& quaſi peregre aduenientem, ac ve-
lut ira tumentem, ruentemque, & ſuo
ingreſſum cõcutientem terram, ipſaſ-
que Paradiſi arbores, præſſis veſtigijs
tremere facientem, vt illi ea re pertur-
bati, & pauici, ſcelus ſuum agnoſcerẽt,
atque confiterentur & miſericordiam
& veniam implorarent.

Quæritur ſeptimo quare dicitur qđ Quæſt. 7.
audierunt vocem Domini deambulan
tis in Paradiſo? D. Chriſoſt. homil. 17.
in Gen. videtur ſentire, ambulationem
iſtam non eſſe ad litteram intelligen-
dam; Ita enim ſcribit, ſi vellemus ver-
ba, vt ſunt pronunciata ſectari, & non
digne, vt docet de Deo exponere. Dic
quęſo quomodo non multa ſimul com
mitarentur abſurda ? Nam de ambu-
labat Deus? Pedes ipſi tribuemus? non
ambulabat Deus, abſit. Quomodo eñ
ambularet, qui vbique præſens eſt, &
omnia implet? Cui Cœlum tronus, &
terra ſcabellum, ipſe inhorto contine-
tur ? Quis cordatus hoc diceret? Quid
igitur eſt audierunt vocẽ Domini Dei,
de ambulantis inhorto ad meridiem ?
Voluit illos hoc tali modo ſentire; vt in
magno mentis angore cõſtituerentur,
id, & quod factum eſt. Mox enim vt
intrauit peccatum, & præuaricatio, tu-
multuatio ſimul eos inuaſit, & erube-
ſcentia. Quippe iudex incorruptus con
ſciẽtiam puto, cum aduerſus homines
exurgit, clara voce clamat, & accuſat,
& oſtendit, & quaſi ante oculos ſcribit
peccatorum magnitudinem, eamque
ob rem miſericors Deus. Principio cũ
formaret hominem conſcientiam illi
indidit accuſatiuem perpetuam, quæ
decipi, & deceptionẽ facere poſſet nun
quam ipſa circumit, obturbat, laniat,
flagellat, nunquam quieſcit, ſed etiam
domi, & in foro, & in templis, & in
menſa, & dormientem, & ſurgentem
ad oritur, rationem delictorum exigit,
obque oculos proponit, & delictorum
grauitatem, & ſubſecuturam pœnam,
& propter ea Prothoplaſtus, vt illum
ſenſum accepit, aduentum Domini ſe-
cum cogitans ſtatim ſe occultauit.

Quare dic oro ? quoniam videbat
ſibi trucem ad ſtare accuſatorem, con-
ſcientiam dico. Neq; enim alium ob-
iurgatorem, & teſtem peccatorum, ſed
vnicum illus, quem interinſecus circũ-
ferebat itaque poſt graue peccatum il-
lud,

lud, confuſione amicti deliteſcere tentauerunt. Audierunt.n.inquit, vocem Domini, deambulantis in horto ad meridiem, & occultauerunt ſe, tam Adam, quàm Eua. Hæc D.Griſoſt.

Cæterum dicendum eſt, quod Deus ambulabat in Paradiſo iuxta literam, non quod Deus ipſe ambularet, ſed Angelus aliquis in aſſumpto corpore, qui iſta loco Dei repræſentabat, & quaſi ipſe eſſet Deus, atque adeo ſcriptura, de eo loquitur quaſi de eo referens eũ dicere ea, quę Deus diceret, ſi loqueretur.

Quęſt.8 *De⁹ cur ad aurã deambularet.*

Quęritur octauo, quare dicitur quod ambulabat Deus ad Auram. Aliqui dicunt, quod modus loquendi figuratus eſt, & ſignificatur voluntas Dei de puniendo D.enim Aug. vult, quod hoc ſit tropice dictum, quia qui ad auram ambulat, refrigerari deſiderat, atq; ita innuitur, quod Deus per peccatum Adæ calorem iracundiæ excanduerat, & nũc per illationem pœnæ refrigerari volebat; quia iratus quieſcit cũ retribuerit, lib.4.Ethic.c.5.& lib.2. Recet.c.3.

Secundo dicunt, quod ſignatur motus Dei ad puniendum; ibat.n.tunc tardus ad inferendam pœnam, nam qui contra auram mouetur, tardus mouetur obſiſtente ſibi aura, ſic erat de eo, qui tardus veniebat ad puniẽdum peccatum primorum parentum, cum ei ſit proprium, atque naturale miſereri ſemper & parcere.

Ceterum, etſi iſta colorem quendam habeant, tamen ad ſenſum literæ non ſpectant, nam ſi hoc topice intelligatur tantum; non fuit aliquid vere, ſed tantum ad ſignificãdum; at verè Deus ambulabat ad auram ergo; non dicitur topice tantum.

Poteſt ergo dici, primo, quod ponitur aura, quia illa erat ſignum aduentus Dei, nam poſt aurã, vel in aura ſolet venire, vt patet, lib.3.Reg.c.19. Secũdo, poteſt dici, & melius, quod hoc dicitur ad reddendam rem veriſimilem: Nam dicitur, quod Adam, & Eua latuerũt audita voce Dei: ergo ad hoc, quod laterent, multo ante audire debuerunt vocem, quã Deus eis appropinquaret: vox autem quam audierant erat ſtrepitus pedum; quia dicitur vox ambulantis, ſed ſtrepitus pedum non auditur de longinquo, atq; adeo dictum eſt, quod ambulabat ad auram, quia aura faciebat audiri ſonitum (flabat.n. ventus ex ea parte, qua Deus gradiebatur) contra eam partem, in qua erat Adam, & ideo ferebat ſonitum in longinquum, & perueniebat ad tantum ſpatium ad quantũ alias non poſſet peruenire, atq; ita Adã, & Eua habuerunt tempus latẽdi, quod nõ fuiſſet, ſi Deus fuiſſet eis propinquus quando vocem illius audierunt.

Quæſt.9 *De⁹ cur ambulabat ad aurã poſt merid. ẽ.*

Quæritur nono, quare dicitur, quod ambulabat Deus ad auram poſt meridiem? Irenęus lib. 5. aduerſus Hæreſes inquit, quod hoc fuit propter myſteriũ, vt ea re adumbraret ſcriptura aduẽtum Chriſti ad redimendum genus humanum ad mundi veſperam futurum.

D.Greg.lib.28.Moralium.c.2.inquit, quid eſt, quod ad Aurã poſt meridiem Dominus ambulabat? niſi quod lux feruentior veritatis abſceſſerat & peccatricem animam culpæ ſuæ frigora cõſtringebat? Aliqui verò dicunt quod ſignificatur in hoc tempus, quo Adã fuit eiectus de Paradiſo, nã tunc quando Deus venit ad Adam, expulit eum; hoc autẽ factum dicitur ad auram poſt meridiẽ, atque adeo ſignificatur, quod erat poſt meridiem quando de Paradiſo eiectus eſt. Alij dicunt, quod in hoc, non ſignificatur tempus aliquod, ſed ſola determinatio venti; Quis namque eſſet ventus ille, qui flabat, qui erat ventus Zephirus, qui eſt medius inter ventum vere occidentalem, & ventum auſtralem. De meridie n. flat ventus, qui vocatur auſter, & iſte ventus non erat auſter, ſed erat aura poſt meridiem, i. ventus, qui poſt meridianum procedit contra occidentem, nam meridianus eſt auſter, occidẽtalis eſt fauonius, & vni eorum ſ. fauonio eſt collateralis Zephirus, qui eſt ventus mollis, & refrigeratiuus; vt notat Iſidorus lib.13, Ethy.

Sed dicendum eſt, quod huiuſmodi

determinatio poſita eſt ad ſignificandũ tempus, non locum à quò ventus flaret, tum quia littera hæbrea, vnde ſumpta eſt noſtra, non dicit ad auram poſt meridiem, ſed ad auram diei, ideo non eſt vnde diſtinguamus ventum meridianum, vel meridiei coniunctum, tũ quia tenendo litteram noſtram, illa dicit ad Auram poſt meridiem, atque adeo aperte ſignificat fuiſſe illam auram, ventum aliquem, qui poſt meridiem flaret, ideſt ante ſolis occaſum.

Quæſt. 10. Quæritur decimo, quomodo Adam, & Eua nouerunt illum, qui ambulabat eſſe Deum.

Dicẽdum, quod cognouerunt illum eſſe Deum, primo, quia ille ſonitus erat tam grandis, vt non poſſet eſſe alterius niſi Dei, nam ſi Deus apparet in ſonitu, vt patet, quando voluit oſtendere ſigna aduentus ſui in ſono ante Eliam fecit audiri tam grauem ſonitum, vt videretur ſubuertere montes, & conterere petras, vt legitur lib. 3. Regum cap. 19. & artic. 2. quando Spiritus ſanctus in ſono voluit Apoſtolis ſigna aduentus oſtendere, factus eſt repẽte de cęlo ſonus, &c. Ita etiam quando Deus ſe manifeſtat in voce eſt, tam excedens alias voces, vt appareat Deum eſſe loquẽtem, vel eius nomine ſermo fiat, ſic patet in exod. 2. & Deut. 4. & ad Hebræos 12. quando Deus dedit Moyſi legem. Ita in propoſito; ſonitus ambulantis Dei potuit eſſe tam terribilis, vt per ipſum conſtaret illum eſſe Deum.

Secundo dici poteſt, quod Adam, & Eua eo ſono audito, cognouerunt eſſe Deum, non quod ſonus eſſet grandis, & fortis, ſed quia nullus alius erat in Paradiſo, quem tunc venire putarent, nam nullus alius erat homo, niſi ipſi duo.

Angelus autem adhuc nullus apparuerat, de Deo autem; ideſt de Angelo, qui loco Dei loquebatur, certum eſt, q eis apparuerat.

Primo, quando introduxit Adam in Paradiſum, & præcepit ei, ne manducaret de ligno ſcientiæ boni, & mali, Item quando adduxerat omnia animalia ad eum, deinde, quando Eua formata, adduxit eam ad Adam, tunc enim Adam, & Eua Deum viderunt, alium autẽ non viderant in Paradiſo, atque adeo quando audierunt ſonitum venientis, crediderunt ipſum eſſe Deum; quia nullus alius erat, de quo putare poſſent. Etſi dicatur, quod poterant putare, quod eſſet aliquod animal, cuius eſſet ſonitus, illi ambulantis inter arbores.

Dicendum, quod non ſtat, quia in Paradiſo nulla erãt animalia, ſed ſolus homo, vt Damaſcenus dicit, & nos oſtendimus ſupra id eſſe probabile; ideo non erat aliquod brutum, cuius ſonitus ille eſſe putari poſſet. Audito ergo eo, ſtatim crederent eſſe Deum, cuius ſonitus audiretur. Vel eſto, quod in paradiſo eſſet animalia, quod probabilius eſſe ſupra docuimus, interna aliqua inſpiratione cognouerunt ſonitũ illum non eſſe animalis, ſed Dei.

Quæritur vndecimo, quare Adam, & Eua à facie domini ſe abſconderunt. Quæſt. 11.
D. Gregor. lib. 33. Moralium, c. 3.

Primus homo inquit poſt culpã inter arbores Paradiſi ad auram poſt meridiem abſconſus inuenitur, quia enim meridianum caritatis calorem iam perdiderat ſub peccati vmbra, quaſi ſub frigore torpebat, S. Aug. lib. 11. de Gen. ad litteram, capit. 33. ſcribit feciſſe id Adamum vehemẽter animo turbatum præ nimio pudore, ac metu, neſcientẽ, quid ageret, turbati enim homines interdũ, quædam faciunt ſimilia dementibus. Verba D. Aug. ſunt hęc. Cũ Deus auerterit intrinſecus faciem ſuam, & fit homini conturbatus, nõ miremur hęc fieri, quæ ſimilia ſunt dementiæ, per nimium pudorem, ac timorem, illo quoque occulto inſtinctu non quieſcente, vt ea neſcientes facerent, quæ aliquod ſignificarent, qñ quæ ſcituris poſteris, propter quos iſta conſcripta ſunt. Irenęus hanc Adami fugam, & ſe abſcondendi conatum, bonam in partem accipit, referens ad pium quendam, & ſalutarem humilis, & pœnitentis animi metum, & pauorem: nam libro 3. aduerſus

Hæreſes

Digitized by Google

Hæreſes hunc in modum ſcribit. Ab altero ſeductus Adam ſub occaſione immortalitatis, ſtatim timore corripitur, & abſconditur non quaſi poſſet effugere Deum, ſed confuſus, quoniam tranſgreſſus erat præceptum Dei, indignum reputauit venire in conſpectū, & colloquium eius. Timor autem Domini initium eſt intelligentiæ, intellectus vero tranſgreſſionis fecit pœnitentiam. Hæc Ireneus. Abſcondit ſe ergo Adam. Primo, propter verecundiam, cognouerat, enim ſe eſſe nudum, atque adeo erubeſcebat coram Deo apparere. Secundo, propter timorem: timebat enim Deum, quia erat ſui peccati conſcius, & hæc duo ſimul ſignificat Adam in ſua reſpōſione dicens; audiui vocem tuam, & timui, eo quod nudus eſſem erubuerunt autem Adam, & Eua Dei præſentiam, quia ipſe non aderat eis, vt intellectualis natura, ficut vbique eſt, ſed vt in corpore aſſumpto; quia ille Angelus, qui vice Dei iſta agebat, ſumebat corpus, & loquebatur, atque oculos monſtrabat, vt homo. Ideo pari ratione conſpectum eius erubeſcebant, ſicut & aliorum hominum.

Adam cur ſe abſcondit.

Quæſt. 12. Quæritur duodecimo. Cur Adam, & Eua voluerunt, ſe abſcondere veniente Deo, & cur de hoc ſcriptura fecerit mentionem. Dicendum primo, quod hoc fecerunt, non cogitantes; tanta .n. paſſione repleti erant (vt dicit Aug. vbi ſupra) quod non cognouerunt, quid facerent, & impellente verecundiæ paſſione, abſconderunt ſe. Ita enim paſſionibus impellentibus, interdum facimus aliqua, quæ nullo modo proſunt. Quo ad ſecūdum dicendum eſt, quod huius abſconſionis meminit ſcriptura, vt oſtenderet nobis magnitudinē pęnæ inflictæ Adę; nam tanta fuit verecundia ex turpitudine in ipſum ſecuta, quod non ſolum perizomatibus ſe operuerunt; ſed etiam abſconderūt inter arbores. Fuit aūt nobis conueniens ſcire magnitudinē peccati Ada; & ideo fuit conueniens ſcire, quod abſcondit ſe, ipſe, & vxor eius.

Quæſt. 13. Quæritur tertiodecimo. An Adam, & Eua peccauerint abſcōdendo ſe à facie Domini, & videtur, quod ſic; tum quia hoc procedere videbatur ex infidelitate quadam, quaſi non viſurus eos eſſet Deus, ſi ſe abſconderēt, & tamen dixit Deus per Hyeremiam 23. Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum dicit Dominus? Numquid non cœlum, & terrā ego Impleo? tum quia fugere volebant Dei poteſtatem, & iudicium: velle autem à Deo, fugere, præuaricatio eſt.

Dicendum eſt tamē, quod Adam, & Eua occultando ſe non peccauerunt, licet non agerent prudēter, prudentius .n. egiſſent, ſi videntes ſe pro peccato in miſerijs conſtitutos, audita Dei voce occurriſſent, et veniā petituri, quā ſe occultarent: occultando tamen ſe non peccauerunt, tum quia non fecerunt contra aliquod Dei præceptū, nec poſitiuum, nec de lege naturæ, tum quia ſi peccaſſent in hoc, redarguiſſet illos Deus, ſicut arguit, quod de ligno vetito, comedeṙint, neque huiuſmodi abſconſio ex infidelitate proceſſit, non .n. putauerunt, ſe poſſe effugere cognitionem Dei, inquantū ipſe eſt ſubſtantia intellectualis omnia intelligens, ſed quatenus ille, quē Deus vocabat, corpore vtebatur, atque adeo putauerūt, quod eſſet aliquod, ꝙ poſſet effugere aſpectum eius, atque ita volebant ſe ſubtrahere aſpectui eius; Vel dici poteſt, quod Adam, & Eua nimium erant timore, ac verecundia turbati; atque adeo non aduertebant, quid facerent, atq; ita, licet factum illud cum deliberatione aliquid infidelitatis pręſupponeret, factum tamen fine deliberatione, nec infidelitatem, neq; errorem ponebat in intellectu. Neque Dei poteſtatem fugere volebant, atq; iudicium, ſed verecundiam, quam paſſuri erant, ſi à Deo viderentur, & hoc non erat malū, quia nolle pati, pœnas, quas pro peccato quis meretur, non peccat; quia velle fugere malum, non eſt peccatū, pœnam autem fugere non eſt malum. Dum tamen volendo eam fugere, aliud malum non committatur, ꝙ de ſe ſit malū, aut

Adam & Eua occultādo ſe nō peccauerunt.

vetitum. Adam vero, & Eua abſcondendo ſe, vt non verecūdarentur nichil tale comiſerunt, atq; adeo non peccauerūt.

Quæſt. 14.

Quæritur decimoquarto, quomodo Adam, & Eua abſconderunt ſe in medio ligni Paradiſi? nō enim poteſt dici iuxta rigorem ſermonis, quod eſſet in medio Paradiſi lignum aliquod concauum, intra cuius cōcauitatem ambo laterent, ſicut ſunt aliquę arbores veteres, quæ præ vetuſtate habent conſumpta interiora, adeo, ꝙ poteſt ibi aliquid occultari; tum quia non erat in Paradiſo aliqua talis arbor prę vetuſtate conſumpta, quia arbores fuerunt à Deo creatæ die tertio; Adam autem fuit de paradiſo excluſus die ſexto, vel ad plus die ſeptimo, ſ. ſequenti die, poſtꝗ formatus eſt, ſecundum communiorem opinionē, atq; ita in duobus, aut tribus dieb. nulla arbor potuiſſet veteraſcere; tum quia lignum illud erat in Paradiſo in quo non erat corruptio rerum, pp loci qualitatē.

Adam quō abſcōdit ſe in medio ligni paradiſi.

Dicendum eſt ergo, quod eſt modus loquendi figuratus, cum. n. dicere deberet in medio lignorum, dixit in medio ligni; certum eſt. n. quod non poterant abſcondi, niſi inter multa ligna, & modus iſte loquendi frequens eſt in ſcriptura ſacra, vt Exodi, c. 8. venit muſca grauiſſima in Pharaonem, & in omnes ſeruos eius, non poterant autem eſſe vna, ſed multæ. Item in pſal. 77. Miſit in eos Cynomiam, & comedit eos, eſt autem Cynomia muſca canina, non erat tamen vnica, ſed plures, intelligitur ergo in medio ligni i. lignorum, ſ. in aliqua denſitate lignorum: nō. n. erat aliquis locus vbi non eſſent arbores, atque ita vbique eſſet homo in medio lignorum, cum Paradiſus eſſet hortus, ſed locus ille per excellentiam, erat in medio lignorū: quia erat ibi magna denſitas, ita vt ibi videri non poſſet qui eſſet, & ad illum locum declinauerunt Adam, & Eua; vt videri non poſſent.

DE ADAE, ET EVAE Examinatione.

Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei, vbi es?

HIc primum homo ſiſtitur ante tribunal, & iudiciū Dei, vt qui Deū non coluit, vt patrem, vt iudicē, ac vindicem experiatur, ſed non eſt tamē obſitus miſereri Deus, neque in ira ſua, continuit miſericordias ſuas: nam mox, vt vidit, quod factum erat, & ſceleris magnitudinem ad opitulādum feſtinauit, vt ne vlcus craſſando fieret incurabile vulnus; atque adeo, vt præueniat accelerat, & velociter creſcenti vlceri adeſt, & pro ſua bonitate, neque ad paruum tempus, à cura ſua illum deſtitutum relinquit. Nam ſicut tantam præſeferebat inſaniā ſalutis noſtræ, inimicus, qui ſemper noſtris bonis inuidet, vt mox ſub initium moliretur inſidias, & ſuo pernicioſo conſilio, nos admirabili, hac vita priuaret. Ita cōtra optimus, & omnipotens Deus, qui ſua ſapientia res noſtros diſpenſat, videns Diaboli malignitatem, & hominis peccatum, per quod, cum muliere deceptus, in tātam incidit confuſionem, mox aſſiſtit, & quaſi manſuetus, & miſericors iudex, in tribunali terrore, & horrore pleno ſedet, & examinat diligenter per hoc nos docendo, ne quem fratrem noſtrum condemnemus, niſi cauſa antea diligenter cognita.

Sed quid iudex roget audiamus, & Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit illi.

Adam vbi es? quibus verbis apparet, quantum interſit inter Dei miſericordiam; atque hominum inter ſe auſteritatem, elucet enim quam maxime Dei miſericordia, non ſolum, quod vocauit, ſed quod per ſeipſum vocauit, id, quod homines facere, nunquam ferret

inter

Digitized by Google

inter ſe, licet eamdem naturam ſortiti ſunt cum ſe Iudices in alto ſolio ſedent, ſupplicijs malefactores afficiũt, nec ſuo eos reſponſo dignantur; hoc ipſo oſtendentes illis, quãta ignominia, ſe ſe aſperſerunt ſuis flagitijs, & Iudex quidem non reſpondet.

Sed alius quiſpiam à Iudice, hæc excipiens reo annunciat, & Iudici quoq; quæ reus dixerit, & hic ferme vbiq; iudicantium mox eſt.

Verum Deus non ſic agit; ſed quomodo? & vocauit Dominus Deus Adam, dixitque illi, Adam vbi es? quaſi ita diceret ad illum, quid factum eſt? In alio te loco, reliqui, in alio te inuenio, alia gloria veſtitum te reliqui, nunc in nuditate te inuenio? vnde tibi hoc accidit? quis te in tantam induxit viciſſitudinẽ?

Quis latro, vel fur ſic ſemel omnes diuitiarum ſubſtantias auferens in tãtam te inopiam deduxit? vbi nuditatis ſenſus tibi contigit? Quis tibi auctor, fuit, quod ablatum à te veſtimentum illud admirabile, quo amictus eras? quæ repentina hæc mutatio? quæ tempeſtas, ita ſubito omnes tuas merces demerſit? Quid accidit, quod ab eo, qui tanta beneficia præſtitit, & in tantum honorem te euexit, occultari attentas? quem nũc timens deliteſcere ſtudes? Num adſtat tibi, qui accuſet? num præmunt teſtes? vnde tanta formido? tantuſque metus te inuaſit? In hoc ergo Dei Iudicio miſericordia eius mirabiliter eluxit, quod non, vt Diabolum, ſtatim Adamum cõdemnauit, ac perdidit, ſed tempus, & locum dedit, pœnitẽdi, quod prior quęſiuit eum, & ad petendam veniam prouocauit, quod non nimis dure, ac aſpere eum tractauit, ſed ei pudore, ſimul, & metu perturbato, & conſternato loquẽdi, & obſecrandi fiducia dedit.

Quæſt. 1 *De⁹ cur vocauit Adam.* Quæritur primo, quare Deus vocauit Adam, cum ad eum redarguendum ire poſſet. Dicendum, quod fuit primo, quia Deus volebat occaſionem loquendi contra Adam ea, quæ locutus eſt, habere ſ. conuincendi eum ex verbis eius; quam haud habuiſſet, ſi ad locũ in quo erat acceſſiſſet: Nam verba, quæ Deus dixit ad Adam, ex eo procedunt, quod Adam de latibulo exiuit, atque adeo, vt ijs occaſio daretur, non fuit congruum, quod Deus iret ad Adam, ſed magis, vt vocaret eum, quaſi non videns.

Secundo, quia ſi Deus iret ad locum, vbi erat Adam, maiori verecundia confunderetur, & tamen volebat Deus, ꝙ Adam haberet tempus ad deliberãdũ, quid Deo reſponderet; atque poſſet in ſeipſo compungi, & veniam de perpetrato ſcelere petere; quod magna ſuperueniens turbatio impediret. Deus autẽ voluit eum turbare, atque ita ad eum ire non debuit.

Tertio, quia ſcriptura tangit rem veriſimilem: dixerat enim, quod Adam abſconderat ſe, ſed abſconditi, vel latentes facilius poſſunt ab alijs vocari, quam inueniri.

Quæſt. 2 *De⁹ cur nõ vocauit E. ã* Quęritur ſecundo, quare Deus vocauit Adam; & nõ vocauit Euam, cũ tam Euam, quam Adam, vt redargueret veniſſet. Dicendum eſt quod Deus ſolum Adam vocauit, quia non vocauit, nunc pro aliqua cauſa quæ concerneret ambos; tum quia Adam erat principalis, & caput, tum quia ambo latebant, & vno vocato ambo apparebãt, atq; adeo alterum eorũ vocari ſufficiebat, & congruũ erat vocare principalem. ſ. Adam; tum quia, etſi Deus ad arguẽdum de peccato vocaret, & ambo peccauerint, & primo Eua: tamen Deus dederat præceptum Adæ, & non Euæ, & ipſe Adam poſtea ex Dei mandato dederat illud præceptum Euæ; cum ergo nunc de præcepti tranſgreſſione ageretur, illũ vocare debuit Deus, & illum alloqui, cui præceptum dederat; tum demum, vt daretur occaſio ad illum ordinem, quem Deus ad infligendas pœnas ſeruauit, & ad veritatem inquirendam per peccatorum confeſſionem.

Nam ſerpẽs fuit primum motiuum ad decipiendam mulierem, ipſa vero ſeducta incitauit virum, qui comedit, & in eo, conſumatum fuit peccatum, atque adeo Deus quæſiuit primo à vi-

ro de peccato ſuo, vt ille quæſitus retorqueret peccatum in mulierē,atq; illa in ſerpentem, & ita ex confeſſione eorū peccatum apparet,& quod iuſte inferebatur pœna. Si autem Deus vocaſſet primo Euam peteret ab ea de peccato, illaque non retorqueret aliquod in virum, ſed in ſerpentem atque ita vir nō appareret adhuc nocens; Si vero ambo ſimul vocaret, & ambobus ſimul peteret, atque adeo non inueniretur ordo præcedens delicti, vno retorquente in alium congruum, ergo fuit, quod Deus primo vocaret Adam, vt quærendo ab eo, ipſe retorqueret in fœminam, & fœmina in ſerpentem.

Quæſt. 3 Quæritur tertio, quare Deus vocauit Adam cum ſciret vbi eſſet. Dicendum cum D. Aug. lib. 11. ſuper Gen. c. 34. non ſunt hæc verba ignorantis, vbi nam locorum Adamus eſſet, in omni re loco, oculi Domini contemplantur bonos,& malos, ſed increpantis, ſeu inuitantis ad fidenter comparendum, & intrepide colloquendum ſunt Patris quærentis filium, ſecum perditum, ſunt medici requirentis ab egroto locum vulneris, vt ei congruentem, ac ſalutarem applicet medicinam. Sunt verba declarantis, Adamum propter ſcelus admiſſum de numero eorum eſſe, quibus dicet Dominus, neſcio vos, vnde ſitis, & de his, qui longè ſunt a Deo, de quibus dixit Dauid, longè à peccatoribus ſalus,& rurſus; qui elongant ſe, à te peribunt; ſunt verba indicantis. Adamum nō eſſe in loco ſuo; namque, vt lapidis locus naturalis eſt centrum, ſic hominis Deus extra, quem ſcilicet, nuſquam homini bene eſt; Per peccatum. n. fit homo vagus, profugus, nulloque loco conſiſtēs. Denique verba ſunt reducentis in memoriam Adamo, qualis tunc eſſet, & quantum mutatus ab illo, qui fuerat ante peccatum, videlicet, ex quanta fælicitate, in quadam deiectus miſeriā, quaſi diceret. Vbi ſunt illa tam magnifica ſerpentis promiſſa; vbi eſt prima illa tua tranquillitas mentis? ſecuritas animi? pax conſcientiæ? tantotumque bonorum poſſeſſio? omniumque malorum vacuitas?

Hæc ferè ſcribit D. Ambr. in libro de Paradiſo c. 14. vbi inquit dicendo. Vbi es? non locum quærit, qui nouit archanum, neque. n. Deus clauſos oculos habebat, vt non videret latētem, & infra. Quid eſt ergo Adam, vbi es? id eſt non in quo; ſed in quibus es. Non ergo interrogatio eſt, ſed increpatio, de quibus inquit bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miſeriam incidiſti? dereliquiſti vitam æternam, & attumulatus es morti conſepultus errori. Vbi eſt illa tua bene ſibi conſcientia, confidentia, timor iſte culpam fatetur, latebra præuaricationem. Vbi es, ergo? non in quo loco, quæro, ſed in quo ſtatu; quo te deduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum, quem ante quærebas? Hęc Ambroſ.

Quæritur quarto, quare Deus dixit Adam vbi es?& non dixit Adam veni, vel exi foras, ſicut Lazarum vocauit, Chriſtus dicens Lazare veni foras? Dicendum, quod hoc congruum nō fuit, tum quia ſignificaretur, quod Deus videret, vbi eſſet Adam, ſi ita vocaret eū, quaſi à ſe viſum dicēs. Adam veni huc, at non conueniebat ſic Deum introduci, vt ſcientem, vbi erat Adam, quia cum ille eſſet in abſcondito, ſi Deus loqueretur, vt ſciens, vbi ille erat, deſignaretur, quod etiam peccatum eius nouerat, cum aliud occultum, ſ. locus eius noſſet, non debuit autem Deus, vt ſciens, Adæ peccatum, oſtendi, ergo non debuit eum vocare, vt ſciens, vbi erat, dicendo veni Adam, ſed quaſi neſciens, vbi eſſet, dicendo Adam vbi es? Quod autem dicitur de Chriſto vocante Lazarum, non eſt ſimile; quia ille præſupponitur, vt ſciens quatenus erat àd oſtium monumenti, vbi Lazarus dicebatur iacere. Quæſt. 4 *De⁹ cur nō dixit Adā exi foras.*

Vocem

Digitized by Google

Vocem tuam Domine audiui in Paradiſo & timui eo, quod nudus eſſem, & abſcondi me.

SAtis probabile eſt ſolere Deum per creaturam tali actioni congruam in forma humana primis illis hominibus apparere, quos tamen nunquã permiſit aduertere nuditatem ſuam; eorũ intentionem in ſuperna ſubſtollẽs; niſi, cum poſt peccatum pudẽdum in membris motum, pœnali membrorum lege ſenſiſſent. Sic ergo effecti ſunt, vt ſolent affici homines ſub oculis hominum, & talis affectio de peccati pœna erat, cum latere vellent, quem latere nihil poteſt, & ab eo carnem occultare, qui cordis inſpector eſt.

Sed quid mirum ſi ſuperbi volentes eſſe ſicut Dij, euanuerũt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorũ? ſe quippe dixerunt eſſe ſapientes, in abundantia ſua; & illo auertente faciem, ſtulti facti ſunt: quod.n. iam ipſos pudebat; ergo ſeipſos, vndę ſibi, & ſuccinctoria fecerant, multo vehementius ab illo, etiam ſic ſuccinti videri verebantur, qui tamquam familiari temperamento, ad eos videndos per creaturam viſibilem, velut humanos oculos afferebat. Si enim propterea ſic apparebat, vt homines tanquam cum homine loquerentur, quemadmodum Abraam ad quercum Mambræ illa ipſa quoq; amicitia pudore onerabat poſt peccatũ, quæ fiduciam dabat ante peccatum, nec iam illam nuditatem audebant oſtẽdere talibus oculis, quæ diſplicebat, & ſuis.

Quæſt. 1

Sed quæritur primo quare Adã prodijt ſtatim, vt Deus de eo quæſiuit. Nã poſtquã Deus vocans Adam dixit, Adã, vbi es? ſtatim exiuit Adam de latibulo, & Eua, & proceſſerunt coram Deo, & dixit Adam Vocem tuam Domine audiui, & timui. Dicendum quod fuit primo, quia Deus quærebat Adam, vbi eſſet, & hoc audiebat Adam; atque adeo, vt eum amplius non offenderet reſpondit, & quia dicere non poterat, niſi, hic ſum, vel exire ad eum; ideo exiuit. Secũdo, quia cum Adã videret, quod Deus eum quærebat putauit, quod non poſſet latere; quapropter ſi non manifeſtaſſet ſe, vt Deus eum inueniret, acrius à Deo puniret, atq; ita, vt vocatus eſt, prodijt.

Adam cur domino vocãte ſtatim prodijt.

Quæſt. 2

Quæritur ſecundo, quare Eua venit ante Deum cum ipſa non vocaretur. Dici poteſt primo, quia ſe vocatam putauit: nam vocato viro, videbatur, & ipſa vocari; quare quaſi vocata venit. Secundo, quia cum ipſa eſſet cum viro, forte vir ſuaſit ei, quod exiret. Tertio, quia occultatio iſta fuit propter timorem, ſicut dixit Adam, audiui vocem tuam, & timui, & tamen deterius ſibi futurum putabat, ſine viro, quam cum eo, ideo exiuit cum illo. Quarto, quia latuerant ambo, vt Deos non haberet eos obuios, & ita quęreret aliud ab eis, quod alias quęrere non intenderet; & tamen nec ipſe quæſierat, pro Adamo; Ideo neque ipſe, neque illa poſſent latere, ideo prodijt. ſ. quia ſi illa non exiret ſponte, quæſiuiſſet Deus forte ab Adamo de ea, atq; illa eam, proderet ideo voluit ſponte exire, ne culpabilior videretur. Si Adamo prodeunte, ipſa, ſe occultaret.

Eua cur nõ vocata venit ãte Deũ

Quæſt. 3

Quæritur tertio, quare dixit Adam; vocem tuam audiui in Paradiſo, & timui, cum hoc dici non videatur.

Adam cur dixit vocẽ tuã. audiui, & timui.

Dicendum, ꝙ fuit, quia Deum quæſierat ab Adamo, vbi eſſet, ipſe vero exiuit, de latibulo, & videbatur, quod adhuc maneret quæſt. ſ. quõ fuerat in loco vbi nõ videretur à Deo, Adam dicit, quod ſe abſcõderat, ſed quia occultatio, non fit ſine aliqua cauſa ſpeciali. Ideo Adã cauſam aſſignat, quare latuerat, dicens, ꝙ fecit, quia timuit, & cũ dicit vocem tuam audiui intelligitur de ſonitu, quẽ faciebat Deus inter arbores, vel ſonitu pedũ, qui ab aura ferebatur, vt audiretur remotius iuxta ea, quæ diximus ſup. quia nullam vocẽ audierat, nec ſolius vocis timorem habuerunt, quaſi ſonitus ille fuerit tota ratio timoris, nam magis timuiſſent, ſi vidiſſent Deum, qui propinquius eſſet, vt eos poſſet punire, ſed de voce dr; tum quia per illam ſignãtur Deum adeſſe, atque adeo habebant

timendi cãm, tum vt ſignificaretur, quare latuerunt, nam ſi Adam vidiſſet Deũ eſſe, tam propinquum, vt latere nõ poſſet, vel videretur quoque ipſe, atque ita latere non poſſet, ſuperuacuum fuiſſet latere, cum iam viſa eſſet eorum nuditas. Cæterum, cum dicitur, quod audierunt vocem Dñi, ſignificatur, ꝙ Deus longe erat, & non videbant Deum, neque ipſe illos, atque adeo tunc proderat latere. Tum Demum, vt excuſationem afferret quare latuerunt, nam poterat obijci, quo ſe abſcondebat à facie Domini, quaſi malum fecerint?

Reſpondet Adam, quod audierunt vocem eius. i. ſonitum ambulãtis, atque ita non ſciebãnt an ad eos vellet venire, an non; propter quod nihil contra Deum facere videbantur, ſecus ſi Deus iam eos vidiſſet, vel ipſi Deũ: quia ſi ſe abſconderẽt viderentur, ſe ſubtrahere Deo quærenti ipſos, &c.

Quæſt. 4 Quæritur quarto, quare Adam dixit, quod timuit, & tamen prodijt; nã hæc videntur ſibi repugnantia; qui. n. timet; nõ ſe manifeſtat; ſed potius ſe occultat. Dicendum eſt primo, quod Adam non dicit ſibi repugnantia, & timor eſt cauſa latendi; & non manifeſtandi ſe, & ſic fuit in Adam; Vnde Adam non refert, quod timuit ad hoc tempus, quod nunc erat, ſed ad tempus, quo audiuit vocem Dei, & tunc verum eſt, quod latuit, & non ſe manifeſtauit; nam quando audiuit primo ſonitum Dei, timuit coram ipſo videri; quia nudus erat, & putauit, ꝙ poſſet nõ videri. ſ. ſi ſe occultaret; quia forte Deus non veniebat tunc ad eum, atq; adeo ex iſto timore, ſe occultauit; nunc vero qñ prodijt, ſiue timuerit, ſiue non timuerit; ipſe nihil dicit; atque ita non repugnat ſibi ipſi. Et confirmatur, quia Adã reddit cauſam; quare latuit, & non quare apparuit; vt patet ex verbis eius.

Adam ſi timuit cur ſe p̄dijt.

Secundo, dici poteſt, quod Adam timebat, & tamen manifeſtauit ſeipſum, quia ſi nõ ſe manifeſtaſſet deteriora timebat, ſ. ꝙ Deus inueniret eum, & puniret tanquam addentẽ peccatum peccato, ſ. quod cõparere nolebat, ideo cõparuit, nam vnus timor expellit alium; quãdo eſt maior, & generaliter, omnis paſſio maior facta, occultat, vel expellit minorem; maior autẽ timor erat. i. maiorum malorum, quo Adam nunc timebat, ſi vocatus non prodiret; quã timor quo timuit videri, quia nudus erat, & ideo ſe abſconderat, ſuperior tñ reſponſio, vr̃ melior, nam licet verum ſit Adamum timuiſſe, quando ſe manifeſtauit, tamen de hoc timore, nõ loquitur ipſe, ſed de timore, quo latuit cũ non reddat cauſam, niſi quare latuerit.

Quæſt. 5 Quæritur quinto, quare Adam dixit, quod timuit, quia nudus eſſet, nam videtur, quod debuit dicere, erubui: quia nudus eram, quoniam de nuditate non eſt timor, ſed verecundia, vel confuſio. Dici poteſt primo, ꝙ bene dixit timui, quia iſte timor non eſt aliud, quam verecundia, & includitur in ratione verecundiæ, cum dicamus verecundiã eſſe timorem ingloriationis pro turpi commiſſo. Ideo Adam expreſſit id, quod ad verecundiam pertinebat, & tũc dicitur timuit, ſ. non aliquas pœnas, ſed ingloriationem, vel confuſionem, eo quod nudus eſſet.

Adam cur nõ dixit erubui, ſed timui.

Verecundia quid ſit.

Secundo, dici poteſt, quod melius dixit timui: quam erubui, quia erubeſcere eſt verecundiam pati, de nuditate autẽ patitur quis verecundiam; quando videntur turpia eius, ſed quando Adam audiuit vocem Dei, nulla eius turpia videbantur, nam ideo latebat, vt non viderentur, ergo nondum verecundababatur; ſed timebat, verecundiam pati, atq; ita videbatur melius dictum quod timuit, quam quod erubuit.

Tertio, dici poteſt, quod accipiendo proprie verecundiam, eſt ipſa verecundia timor, atque adeo eſt ante malum quia nõ eſt timor de malo præſenti, ſed de futuro, malum autem, quod quis timet per verecundiam, eſt ingloriatio, vel confuſio, atque adeo verecundia, ſecundum ſuam ſubſtantiam, neceſſe eſt, quod ſit ante ingloriationem, & quantũ ad hoc verecundia, eſt paſſio laudabi

lis

Digitized by Google

tis in aliquibus ſcilicet, in iuuenibus: quia propter eam cauent committere turpia, de quibus timent confuſionem, aliquando tamen verecundia accipitur large pro confuſione, vel ingloriatione, & iſtud eſt malum, quod quis patitur, quando manifeſtantur turpia eius; In Adam autem, quando audiuit vocem Domini non erat confuſio, vel ingloriatio, quia nondum videbatur aliquod turpe in eo, ſed erat in eo timor de illa ingloriatione, vel confuſione, quæ neceſſario fierent ſi coram Deo apparerent, atque adeo erat in eo verecundia proprie dicta, & hanc vocauit Adam, timorē, & recte dixit, quia illa eſt timor ingloriationis. Pōt etiam dici, quod timuit, ſcilicet pœnas infligendas, nam Adam præuaricatus fuit mandatum Dei, & deteriorauerat ſe ipſum operiens perizomate, quo Deus illum non operuerat, pro quo Deus iuſte illum punire poſſet, Ideo timuit malum, quod ei rationabiliter inferri poterat, & vt iſtas pœnas euaderet, vel vt ſtatim non incideret in illas, abſcondit ſe, atque ita accipiendo timorem, vtroque modo applicatur illa clauſula ſcilicet timui eo, quod nudus eſſem de primo timui ſcilicet, confuſionem, vel ingloriationem, eo quod nudus eſſem id eſt de nuditate, nam quia nudus eram viderentur turpia mea, de quo confunderer, & hoc nō timerem ſi nudus non eſſem; accipiendo alio modo eſt ſenſus, timui, eo quod nudus eſſem id eſt, timui pœnas infligendas: quia nudus eram ſcilicet manifeſtabatur peccatum meum in nuditate prior tamen ſenſus verior eſt.

Queſt. 6 Quæritur ſexto, quomodo Adā poterat timere, quia nudus eſſet? nam non erat nudus, quia induerat ſe perizomate, nam prius quam audiſſet vocem Domini Adamus: iam ſubligalulis ficulneis pudenda contexerat.

Adam quō timuit q. nudus eſſet, cūm nudus non eſſet.

Reſpondent quidam Adamum non ſe operuiſſe niſi poſtquam audiuit vocem Dei. Sed hoc manifeſte aduerſatur conteſtui verborum Moyſi, & ordini narrationis, quæ habet, ſtatim poſt admiſſum ſcelus, Adamum conſpecta nuditate ſua, operuiſſe eam. Deinde ſi cum Adamus Dei vocem audiuit nudus erat, profecto eius aduentu, & præſentia perterritus, non potuiſſet ſubligacula ſibi perficere, partim ob temporis anguſtias, partim nimia perturbatione animi, & terrore conſternatus. Dicendum eſt ergo, quod Adam dixit ſe nudum, quia non erat ſufficienter veſtitus; ſolum enim genitales partes ſubligaculis operuerat; reliquiæ autem ſine veſtimento, manebant; vel dici poteſt, & melius quod Adam dixit, ſe nudum, quia inuenerat nuditatē eſſe confuſibilem, atque adeo ſine operimento turpe erat apparere, & licet partibus illis apertis de eis non erubeſceret; erubeſcebat tamen, quod non poſſet apparere coram Deo niſi ſic opertus, qualem Deus eum non fecerat, & hoc pro nuditate ſibi contingebat. Obiter tamen obſeruandum eſt ideo timoris ſui cauſam Adamus peccato ſuo non aſſignat, ſed nuditati corpori, quia non dum flagitium ſui grauitatem agnouerat, propter quam magis erubeſcere, atque dolere debebat, quam propter corporis nuditatem.

Sic vſu venit, quod homines de factis a ſe ſceleribus angantur, non tam propter Dei offenſam, & bonorum cæleſtium ammiſſionem, quam propter incommoda, & mala fortunæ, aut corporis, quæ illis ex peccato acciderūt Verbi gratia propter publicum dedecus, & infamiam, propter offenſionem hominum apud quos gratioſi eſſe cupiunt, deniq; propter detrimentum rei familiaris, aut damnū aliquod corporis.

Cui dixit Dominus; quis enim indicauit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti.

Chriſoſ. hom. 17. in Gen.

VNde tibi nuditatis tuæ ſcientia contigit dic (obſecro) quid hac noui, & rari? vnde poſſes hoc iure, te tanta confuſione veſtiri, niſi multum intemperans fuiſſes, & mandatum meum contempſiſſes? Quis hoc vnquam annũciare potuiſſet tibi niſi ipſe huius confuſionis author eſſes factus, niſi à ligno, de quo præcepi, vt ab eo ſolo non comederes, comediſſes; Sed ponderemus melius, hæc Domini verba non enim carent emphaſi, & latenti quadam vi, quod dicit, de quo ſolo, quaſi diceret. Non adeo anguſtos fruendorum bonorum limites tibi præſcripſi? Non ne omnium tibi copiam præbui? non ne omnium quæ in Paradiſo ſunt, poteſtatem tibi dedi? & duntaxat ab hoc vnico, vt abſtineres præcepi, vt ſcire poſſes, & ſub Domino quodam eſſe, cui obedientiam debes, quæ igitur negligentia illa, vt tantis fructibus non ſis contentus, ab vnico abſtinere nolueris. & ſic ſtatim ad violandum mandatum, quod dedi proruperis temetipſum tantis malis immergendo? quæ tibi inde vtilitas? An non hæc prędixit? non ne metu pœnæ volui te coercere? & munire, non ne hac de cauſa, ne in tanta mala incideretis, hunc cibum prohibui? Quis te poſt tanta mandata, adeo inſenſatum factum venia digaretur? Non ne ſicut Pater germanum filium de omnibus ſatis dilucide, & diſtincte inſtruxi, & vt de alijs quidem guſtares ab hoc, autem abſtineres, vt ne omnia bona ſimul perirent? Sed forte ratus es alterius conſilium meo mandato melius, & fidelius; & expectatione maiorum bonorum hæc feciſti, & offenſo mãdato meo de ligno edere auſus es. Ecce quod tibi acciderit, nunc re ipſa didiciſti, & expertus es, quãta conſilij illius pernicies.

Auguſt. li. 11. ſuper Gen. cap. 35.

Dominus ergo volens iam peccatores more iuſtitiæ interrogatos punire amplius, quam erat illa pœna, de qua iam cogebantur erubeſcere, quis nunciauit inquit tibi, quia nudus es niſi à ligno quod præceperam tibi tantum, ne ex eo comederes ab eo ediſti? Hinc enim mors concepta propter Dei ſententiam, qui ſic fuerat cominatus, fecit aduerti concupiſcentialiter membra; & ibi dicti ſunt, aperti oculi & ſecutum eſt quod puderet, & ex hac Domini interrogatione excellens eius materia, & patientia perſpicitur: Cum enim poſſet, ne reſponſo quidem dignari eum, qui peccauerat, ſed ſtatim pœnam infligere, quam prius ſtatuerat præuaricaturo: longaminis tamen eſt, & ſuffert, & interrogat, & reſponſum accipit, & iterũ interrogat, quaſi ad defenſionem eum prouocans, vt arrepta occaſione, etiam poſt tantam præuaricationem, ſuam erga illum materiam declaret: nam dicendo, quis annuntiaſſet tibi, niſi de ligno, de quo ſolo præcepi tibi, ne comederes, de illo comediſſes, ianuas illi aperire vult defenſionis, vt & materiam ſuam, erga eum, qui tantum peccauerat declararent: Quo etiam nos doceret, vt quando reos condemnamus, non tam crudeliter illis loquamur, neque ferina in illis vtamur ſeuitia, Sed longanimiter, & miſericorditer agamus, vt pote noſtra ipſorum membra condemnaturi, & cogitantes illos nobis ſecundũ naturã cognatos ſuppliciumq; miſericordia temperemus. Non .n. fruſtra tanta verborum humilitate noſtræ tenuitati congrua vtitur diuina ſcriptura, ſed verbis craſſis emulari nos debere Dei miſericordiam docet.

Chriſoſ. vbi ſupra.

Quęſt. 1. *Deus cur dixit Adamo quis indicauit tibi, quod nudus eſſet.*

Quæritur Primo. Cur dixit Deus Adamo? quis indicauit tibi quod nudus eſſes. Dicendum quod hoc dixit primo, vt induceret in medium Adæ peccatum. Peccauerat enim Adam, & ſe peccaſſe, non fuerat confeſſus, atque adeo voluit Deus peccatum manifeſtare, quod ille tacebat, & quia hæc interrogatio Domini erat introductio ad illud. Ideo dixit ei. Quis indicauit tibi, &c.

Secun-

Digitized by Google

Secundo fuit ad accuſandum Adamum in eo, in quo illi ſe excuſabat. Nam Adam abſcondens ſe, fecerat rem inſolitam, quis ſpeciem mali haberet, & ad ſe excuſandum dixit quod erat nudus, & quod præ verecundiā nō audebat comparere, & quia iſtam nuditatem nitebatur Adam retorquere in Deum, quaſi ipſe feciſſet eum nudum, cum veſtes non dediſſet, reducebat in Deum cauſam ſuæ occultationis, atque adeo, vt Deus à ſe repellat hanc accuſationem reducit eam in Adam dicens. Quis indicauit tibi, quod nudus eſſes, quaſi dicat, non ego te feci nudum, ſed tu feciſti te nudum. Vnde obſeruãdum eſt quod Deus non accuſauit Adã, quia latebat, nudus exiſtens, quaſi male ageret; ſed quia nudus erat ideſt ſe ipſum nudauerat non enim ei dixit, quare abſcondiſti te, etiam ſi nudus eſſes? quaſi nuditas non eſſet cauſa conueniens ad ſe abſcondendum, ſed dixit, quis indicauit tibi, quod nudus eſſes? cõcedit enim Deus nuditatem eſſe ſufficientem cauſam ad ſe occultandum; quia contemnitur caro, quæ nuda eſt, ſicut ipſe dixit Iſaiæ cap. 58 cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.

Queſt. 2. Deus quare aſſignauit cauſam nuditatis Adæ fuiſſe: quia cõmedit de ligno, &c. Ioſeph.

Quæritur Secundo cur Deus cauſam nuditatis Adami aſſignauit eo quod de ligno, de quo præceperat, ne comederet, ipſe comederit.

Diceret Ioſephus, quod aliquis reuelare debebat Adamo, quod nudus eſſet, ſed nemo erat, qui loqueretur ei, atque adeo cõmedendo de aliquo ligno, iſtam accepit cognitionem, nullum autē erat lignum, quod cognitionem daret, præter lignum ſcientiæ boni, & mali, & ideo comedendo de illo, ſciret iſtud, quoniam Iuxta Ioſephi intentionē eſus illius ligni, vſum prudentiæ, & ingenij accelerabat, & iuxta hanc ſententiã concluditur, quod Adam peccauit, quia de ligno vetito commedit, ſed non infertur, quod nuditas eſſet pœna pro peccato, ſed quod prius habebat eandē nuditatem, quam nunc habebat, ſed eã non cognoſcebat, nunc autē poſt ligni eſum agnouit, cum illud lignum daret cognitionem cæterum hæc Ioſephi opinio ſupra improbata eſt.

Dicendum eſt ergo quod Adam videbat ſe nunc eſſe dum, & prius non cognouerat, cum tamen eſſet ſine veſtibus, ideo aliquis ei reuelauit, hoc autē eſſe non poterat, niſi manducando de ligno vetito, & peccando, quia nullus poterat ei oſtēdere, quod eſſet nudus cum non eſſet; niſi inciperet eſſe nudus, cum prius non fuiſſet, ſed eſſe nudum de nouo erat pœna; quæ non poterat eſſe ſine peccato, ideo manducaſſe eum de ligno vetito conſtabat, in quo peccauit, atque adeo dixit ei Deus. Quis indicauit tibi &c. quaſi dicat nullus potuit tibi indicare, quod eras nudus; quia non eras, & quod non eſt non poteſt indicari, ſed quia cõmediſti de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes ideſt, quia peccaſti, hoc fecit te eſſe nudum, ergo ſicut tu es in culpa, quod peccaueris, ita es in culpa quod ſis nudus oſtēdit ergo Deus, quod nuditas pertinet ad peccatũ Adę, & non ad aliam cauſam, atque ita dicit. Quis indicauit tibi, &c.

Queſt. 3. Deus cur dixit Adamo, de ligno quod ſuſceperam tibi ne comederes comediſti.

Quæritur Tertio, quare Deus dixit de ligno de quo præceperam tibi ne comederes, cõmediſti; Dicendum quod fuit primo ad oſtendendum cauſam nuditatis, vt dictũ eſt ſupra ſecundo, quod iuſtum erat, vt quod homo occultabat, Deus reuelaret. Si enim nos peccata cõfitemur veniam petentes. Deus occultat per remiſſionem, iuxta illud Pſalm. 31. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c. Si autem homo occultat, nõ petens veniam, Deus reuelabit in iudicio, coram Angelis Dei, & omnibus hominibus. Adam autem peccatum ſuum noluerat confiteri, ideo Deus illud reuelat. Tertio quia Deus volebat, vt aliquo modo veniam peteret Adam de peccato, & adhoc dixit à principio, Adã vbi es? nullam memoriam faciens de peccato, vt Adam de hoc quæſitus, etiam de peccato reſponderet confitendo illud, & veniam petens, & hoc fuiſſet optimum, quia erat magis volũtarium ſcilicet,

Digitized by Google

ſcilicet, quod Deo non petente ipſe con fiteretur peccatum.

Sed Adam non fecit hoc; quoniam ta cuit, voluit ergo Deus, adhuc dare Adã aliam opportunitatem petendi veniam de peccato: licet non eſſet ita bona ſicut prima, ſ. dicens ei peccatum ſuum hoc eſt, comediſti de ligno, de quo præcepe ram tibi, ne comederes, vt hoc dicto, Adam diceret.

Verum eſt, quod comedi, & peccaui, veniam igitur peto. Sed Adam valde malè in omnibus ſe habuit, quia ſicut à principio tacuit, data ſibi opportu nitate loquendi, & confitendi peccatum ita, & nunc reuelato ſibi peccato, quod negare non poterat, non dixit verum eſt, & peccaui, ſed retorſit peccatum in mu lierem, quaſi in nullo ipſe deliquiſſet.

Quarto fuit, quia voluit Deus dare pœnas Adæ, & Euæ, ſed nõ poterat eas iuſte dare, niſi de peccato conſtaret, ſed hoc illi non confeſſi fuerant, ideo debuit Deus iſtud dicere, quia ita dixit, De ligno, de quo preceperam tibi, ne comederis, comediſti.

Quæſt 4 Quæritur quarto, quare vocatus Adã, & veniens ad Deum non eſt confeſſus peccatum ſuum?

Adam quare nõ eſt cõfeſſus peccatum ſuum.

Dicẽdum, quod fuit primo, quia ipſe reſpondebat Deo. Deus autem ſolum quæſierat Adam vbi es, ideo de loco reſpondit, & cauſa loci, & quia locus ille erat occultus, & videbatur ibi Adã eſſe abſconditus, aſſignauit cauſam abſconſionis. ſ. quia erat nudus, & quia hæc ſine peccati mentione dici poterãt, nihil de peccato dixit.

Secundo, quia Adam cupiebat occul tare peccatum, niſi cogeretur illud prodere: verecundabatur. n. quod contra Dei præceptum egiſſet, & verecundiã vitare volebat, quam pateretur confitẽdo peccatum, atque adeo cum Deus nihil de hoc nunc quæreret, tacuit, & dato quod Adam intelligeret Deum, aliquo modo velle de hoc audire, q̃a tamẽ ex verbis eius non clarè conſtabat, tacuit, quàm diu tacere potuit.

Tertio, quia Adam confeſſus eſt id, quod neque negari, neque diſſimulari poterat, tacuit autem id, quod potuit diſſimulari, nam nuditas erat apparẽs, tum quia ipſe de ea erubeſcebat, & non poterat non erubeſcere, tum quia ſe cir cundederat perizomate, ad tegendum nudas partes, & illud viſui apparebat, ideo hoc confeſſus eſt, ſed peccatũ non apparebat foris: quia præterierat, & licet, Deo quærente de illo non poſſet illud negare Adam, poterat tamen diſſi mulari quam diu non petebatur de eo atque ita Adam tacuit.

Quarto, quia magis erubeſceret loquendo de peccato, quam de nuditate, nam nuditas non videbatur eſſe ab eo, ſed quia Deus non dederat ei veſtes; & ita quaſi ſine culpa ſua poterat putari; ſed non erat ita de peccato, quia illud erat actio voluntaria, & ei erat culpa, & non Deo, neq; erat ei de hoc excuſatio.

DE ADAMI DEFENſione.

Dixitque Adam mulier quam dediſti mihi ſociam dedit mihi de ligno, & comedi &c.

POſtquam magna longanimitate, do minus Adæ mentem commouit, & oſtendit peccati magnitudinẽ: quaſi defenſione contexta inquit, Adã. Mulier q̃ dediſti mihi ſociam, vt ſit mecum, ipſa michi dedit de hoc ligno, & comedi; ſcio inquit, ꝗ peccauerat, ſed mulier, quam dediſti, vt ſit mecum, de qua ipſe dixiſti, faciamus illi adiutorium ſecundum eum, ipſa mihi huiuſmodi ruine, cauſa fuit, Mulier, quam dediſti, vt ſit mecum; Quando enim expectaſſem, vt tanta confuſione me reſpergeret, quæ ideo condita, vt mihi ſolatio eſſet? Tu mihi iſtam dediſti; tu ipſam mihi adduxiſti; Ipſa neſcio vnde mota, dedit mihi de ligno, & comedi. Videntur hæc quidem defenſionem quamdam præ-

ſeferre,

Digitized by Google

ſeferte, ſed prorſus venia carent. Qua enim venia dignus es, inquit; qui mea præcepta obliuiſceris, & quod mulieris datum meis verbis præferendũ putas? Nam licet mulier cibum dederit ſufficiebat tamen mandatum meum, & timor ſupplicij, ad fugam eſcæ fugiendum; Quapropter ex his Adami verbis liquido cernitur quale ſit diſcrimen inter virum iuſtum, & in iuſtum. Iuſtus enim, vt ſcriptum eſt Prouer. 18. Prior eſt accuſator ſui, Nam initium bonorum, quæ datum eſt Deus hominibus, vt quodam loco dixit Auguſt. Confeſſio malorum eſt, quæ commiſit homo, negatio autem, & excuſatio, vel defenſio peccati, non modo nulla eſt eleuatio, vel diminutio ſceleris, ſed contra deteſtabilior eius aggrauatio, & exageratio, Peior eſt enim, inquit, D. Auguſt. lib. 14. de Ciuit. cap. 18. damnabiliorque ſuperbia, quam etiam in peccatis manifeſtis, ſuffugium excuſationis inquirit, nam ſuperbia eodem D. Aug. teſte libro 11. ſuper Gen. capit. 35. habet confuſionis deformitatem, & non habet confeſſionis humilitatem.

Ad hæc ita conſcripta ſunt, quia, & ipſæ interrogationes nimirum ad hæc factæ ſunt, vt & veraciter, & vtiliter, ſcriberentur; quia ſi mendaciter non vtique vtiliter, vt aduertamus, quo morbo ſuperbiæ laborant homines hodie, non niſi in Creatorem conantes, referre ſi quid egerint mali, tamen ſibi velint tribui, ſiquid egerint boni. Mulier inquit, quam dediſti mecũ, id eſt, quam dediſti, vt eſſet mecũ, hęc mihi dedit à ligno, & edi, quaſi ad hoc data ſit, vt non ipſa potius obediret viro, & ambo Deo.

Quæſt. 1 Quæritur primo quare Adam dixit, Mulier quam dediſti mihi, &c. & quare non negauit, cum vſque nunc, non confeſſus eſſet? Dicẽdum, quod Adam non erat adhuc tam deprauatus, vt vellet veritatem negare, neque eam vſque modo negauerat, occultauerat enim aliquam veritatẽ ſcilicet, de qua nõ quærebatur expreſſe, & hoc pre verecundia; tacere autem quando nõ quæritur non eſt mendacium, neque videtur eſſe peccatum. Sed negare veritatem eſt mendacium, & peccatum. Et hoc non dũ fecerat Adam, ideo neque nunc fecit; ſed ſtatim, vt hoc ſibi dictum eſt, conceſſit veritatem, &c. ſecundo, quia videbat Adam, quod non proderat ſibi occultare, & negare, ſi enim ipſo negante, poſſet res Deo manere incognita fortaſſis negaſſet, ſed iam Deus, illud dixerat, Adæ, aſſerendo quod comederat de ligno vetito, ideo fruſtra erat Adæ negare; tertio, quia in hoc committeret Adã grauiſſimum peccatum, ſcilicet, quia Deum mendacem faceret, nam Deus aſſerebat, quod comederat de ligno ſciẽtiæ boni, & mali, ſi autem ipſe diceret, non comedi feciſſet Deum mendacem, & quam maxime Deum offendiſſet, atque adeo non eſt auſus negare.

Adam quare nõ negauit peccatũ ſuum.

Quæſt. 2 Quæritur ſecundo. Quare Adam dixit Mulier quam dediſti mihi, potius quam aliud. Dicendum quod Adã non poterat negare peccatum, & ſi vellet, ideo non negauit, & ſi ſapiens fuiſſet, aut ſapienter egiſſet, confeſſus eſſet peccatum, & veniã petijſſet, ſed quia non venit ei in mentem, voluit ſeipſum excuſare, atque modum iſtum excuſationis inuenit. Motiuum vero ad ſe excuſandum fuit, primo, quia Adam erubeſcebat ſe in peccato deprehenſum, & quanto maius erat peccatum, tanto erat maior confuſio, atque adeo, vel minueretur, vel alleuiaretur; voluit ſe excuſare, quoniã excuſatio, vel peccatũ alleuiat vel trãſfert ſecũdo fuit, propter timorẽ; Deus prædixerat, quod quacũq; hora comederent morte morerentur, nunc vero peccauerant, & videbant in ſe pœnæ principium; quia erubeſcebãt, atque ita, quę reſiduum erat timebant, ſcilicet, quod morerentur; Adam verò mortem timens peccatum à ſe transferre voluit, quaſi nõ peccaſſet, vel ſaltem alleuiaret, ne tota pœna in ipſum, locum haberet.

Adam peccatũ negare non poterat, ideo dixit mulier quã dediſti mihi.

Quæſt. 3 Quæritur tertio. Quare Adam, ita ſe excuſauit, Reſpõdetur quia nõ fuit ſibi viſus modus alius cõuenientior, tũ quia ita

Adam quare ita ſe excuſauit.

ita

Digitized by Google

ita fuerat, quod mulier ei dederat de illo fructu, atque ita veritas attenuabat, aut attenuare videbatur culpam; nam ſicut noluit Adam negare factum; quia verum erat, ita noluit pro ſe falſam excuſationem allegare; Sed hoc quod verum erat ſcilicet, quod mulier ei dediſſet, ſiue multum, ſiue parum alleuiaret culpam allegauit, tūque iſtud verbum poterat intelligi ambigue ſcilicet, mulier dedit mihi ideſt, mulier non indicauit mihi de qua arbore eſſet fructus, atque adeo nihil mali ſuſpicatus, comedi; & licet hoc non ita exprimatur ſub his verbis generaliter dictis, poterat intelligi iſtud, vel aliud; quod ad excuſatione pertineret, tumq; eſto, quod Adā ſciret fructum illum eſſe de ligno vetito, muliere id ſibi reuelante, tamē non erat tanta culpa, vt ipſe acciperet à muliere ſibi oblatum, quanta ſi ipſe de arbore illo tuliſſet; quoniam non fuiſſet æquale deſideriū faciendi id, in quo cōſiſtebat peccatū, & ex libidine ideſt deſiderio faciendi, augetur peccatum, aut diminuitur. Tum quia Adam de ligno comedit non quaſi futurum eſſe putās, quod ſerpens dixerat, ſcilicet quod efficerentur ſicut Dij; ſed, vt mulieri placeret quæ inſtanter orabat, & ſi Adam in hoc ei non complaceret, magno afficeretur thedio; atque adeo, vt eam non contriſtaret comedit hoc aūt licet peccatum non transferat, tamen peccatum alleuiare videtur, In quantum Adam in aliquo complaciturus videbatur mulieri; atq; iſtud ſignificatur ex illis Adami verbis. Mulier; quam dediſti mihi ſociā, &c. quaſi dicat, eo quod tu illam dediſti mihi ſociam, in aliquo eram ei placiturus, quia voluiſti, vt eam diligerem, vt Carnem meam, cum autem fecerim hoc, vt ei placerem, nō debes grauiter iraſci. Tum poſtremo intelligi poteſt quod Adam retorqueat culpam in Deum, dicendo, mulier, quam dediſti mihi, &c. ac ſi diceret; ſi iſta mulier à te mihi data non fuiſſet, ego neque illam diligerem, neque illi placerem neq; illi conſiderem, imo ab ea cauerem, ſed tu mihi illā dediſti ideo confidebā, quòd illa nihil mali in me induceret propter ea dante illa de fructū, comedi, atq; adeo non debes grauiter iraſci.

Et dixit Dominus Deus ad mulierem quare hoc feciſti?

QVaſi dicat virum audiſti in te culpam transferētem, & omnia tibi aſcribentem, quæ ipſi in adiutricem data es, atque ideo condita, vt tuis ſolatijs ipſum foueres, vt potē eamdem naturam, cum ipſo ſortita, cur hoc feciſti, ò mulier! cur, & tibi, & viro, tantæ confuſionis facta es auctor? Quæ vtilitas ex hac intemperātia tibi accreuit? Quod ex hoc errore tibi lucrum acceſſit, quod ſfronte decepta, etiam virum, eius mali participem, facere voluiſti?

Quæritur primo. Cur Deus Adamo ſe excuſanti, cum ſciret excuſationē eius haud eſſe conuenientem nihil reſpondit, nec ipſum redarguit? Dicēdū quod non tacuit Deus, vt aliqui dicere voluerunt: quia Adami reſponſio fuerit ſufficiens excuſatio, atque adeo, vt dignam accipiens, eam; Adamum nō redarguit; quoniā ſi accepiſſet illā Deus, vt legitimam, & ſufficientem excuſationem, non intuliſſet Adæ pęnam, ſed intulit, immo multiplices pœnas, vt videbimus infra. ergo non tacuit, quaſi legitimam indicaret excuſationem. Præterea falſum eſt Deum non arguiſſe Adæ excuſationem nam inferens ei pœnam excuſationem arguit dicens. Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti, &c. quaſi dicat. Non eſt iuſta excuſatio, quā affers; quia licet vxor tua, quam diligis, & dilecturus eras, daret tibi de ligno, comedere non debebas, cum ego hoc tibi vetuerim; nam præualere debebat imperium meū; præcibus mulieris: atque adeo quia magis audiſti eā, quam me, iniuſte feciſti; item non approbat reſponſum, vel excuſationē tamquam legitimam ex eo quòd nō dixerit Deus Adæ aliquod incontrarium; quia ſimiliter argueretur, quòd excuſationem mulie- *Queſt. 1 De⁹ cū Adam ſe excuſantē n redarguit.*

Digitized by Google

mulieris acceptaſſet Deus, nam illa dicente ſerpens decepit, me Deus nihil è contrario dixit, & tamen non acceptauit eam, ſed puniuit mulierum. Dicendum eſt ergo quod Deus tacuit audita Adæ excuſatione, non tamquam approbans eam ſed vt relinqueret poſtea arguendam, & diſcutiendam quaſi poſtea conuenientius quam tunc iudicaretur de illa.

Quæſt. 2. *De⁹ cur cur ſtatim nō redarguit Adami excuſationem.*

Quæritur ſecundo. Cur Deus Adami excuſationem non redarguit ſtatim cum non fuerit legitima, atque conueniens? Dicendum, quod ideo ipſam redarguendam in aliud tempus diſtulit, Tum quia Deus voluit incipere dare pœnas vbi inceperat malum, illud autem à ſerpente inceperat, in quo facta eſt tentatio, Ideo primum debuit ei inferri pœna, vel prænunciari: quare ſi ſtatim, vt Adam reſpondit, Deus argueret eius excuſationem, prædiceret ſtatim pœnam, ſicut poſtea nullo mediate, inter increpationem & prænunciationem pœnæ, tum, vt peccatum Euæ non alleuiaret, nam cum Adam excuſauit ſe, ſi dixiſſet Deus non eſt legitima excuſatio, quia potius debebas obedire voci meæ, quam vxoris tuæ, alleuiata videretur Culpa Euæ, quia non transferretur in eam totum peccatū, tam eius, quam Adę; Nunc vero cum Deus tacuerit poterat mulier cogitare Deum acceptaſſe Adæ excuſationem, & in eā tranſlatam eſſe culpam, vt ergo ſaltem non putaret ſe in aliquo alleuiatā, non debuit Deus ſtatim arguere Adam, oſtendendo eius excuſationem nō eſſe legitimam. Tum demum non ſtatim Deus repræhendit Adam, vt non auferetur timor pœnæ, ſi enim Deus argueret excuſationē Adæ ſtatim adiungeret prænunciationē pœnæ, ſicut poſtea fecit, quando poſtea arguit, tam virum quam fœminam, ſed non fuit conueniens, quia Eua antequā rationem de ſe redderet, audiret, quæ pœna inferenda eſſet Adæ; quia ex hoc minus timeret, ergo non debuit Deus, aliquid dicere ſtatim, vt Adam ſe excuſauit.

Quæſt. 3

Quæritur tertio, quodnam eſſet inconueniens, ſi Eua audiſſet Deum arguentem Adę excuſationem tamquam nō legitimam? Dicendū quod fuit hoc primo, quia Deus voluit eos liberos relinquere ad dicendum id, quod vellent circa peccatum ſuum, vt non dicerēt aliquod quaſi inuiti, vel determinati à domino ad dicendum, at ſi Deus argueret Adæ excuſationē non recipiendo eam, Eua deinde non proponeret excuſationem; quia putaret illam repellēdam ſicut excuſationem Adæ, ſecundo quia quando Deus arguit Adam oſtendit illegitimam excuſationem, ſcilicet quia etiam propter mulierem non debuiſſet hoc facere, atque ita Deus non iudicabat totam culpā facti Adæ tranſlatam eſſe in mulierem, ex quo Eua putaret ſe minus teneri ſcilicet, ſolū pro facto proprio, & tamen ſi taceret Deus, ſicut tacuit, audita excuſatione Adæ, putare poſſet Eua, quod culpa viri erat in eam tranſlata, atque ita peccatum ſuū eſſet magis graue, ergo debuit Deus tacere. Quod aūt Euā putaret peccatum ſuum eſſe grauius, vel in nullo alleuari per id, quod vir dixerat; cōueniens erat primo, vt cogitaret quid pro hoc reſpondere conueniebat, quia forte aliud reſponderet, in eam tranſlata tota iniquitate, aut eum putaret ſolum factū proprium ad eam pertinere.

Quæſt. 4

Quæritur quarto. Cum Deus dixit mulieri, quare hoc feciſti? de quo loquitur, an quod dederit Adæ de ligno ad manducandum, an quod ipſa manducauerit?

Deus qd intellexit cū dixit Euæ quare hoc feciſti.

Dicendum, quod ex vi verborū non intelligitur quæſitum eſſe à muliere, niſi quare dedit viro ad manducādum; nam Adam dixerat; Mulier dedit mihi, & comedi, & ſtatim Deus quæſiuit à muliere. Quare hoc feciſti? atque ita non videtur quæſiuiſſe niſi de eo, quod dictum fuerat, Tum quia Deus adhuc non quærebat aliquod de facto mulieris. ſed de facto Adæ, & quia ille excuſans ſe dixerat; quia mulier dederat ei. Voluit quærere à muliere, an hoc feciſſet,

ciſſet, & quare feciſſet, atque ideo non
quæſiuit de alio; Si autem Deus quære-
ret nunc à muliere de facto eius, vt ma
gnitudinem culpæ eius agnoſceret, non
quæreret ſolum de hoc, ſed de toto; Præ
terea non habebat Deus aliquam cau-
ſam, quærendi nunc à muliere, aliquod
alterum, cum nihil alterum deductum
fuerat coram ipſo Adamo, quippe non
dixerat, quod mulier comedit, & dedit
ei; ſed ſolum, quod dedit ei, ipſa vero
nihil adhuc confeſſa erat; quia nondum
fuerat locuta ideo Deus nõ peteret cau-
ſa eius iudicialiter, quod non conſtabat
ſibi, iudicialiter eſſe; atque adeo ſolum
quæſiuit, quare dederat viro de fructu,
quia hoc Adam propoſuerat, &c.

Quæſt. 5 Quæritur quinto, Cum Deo eſſent
Adæ, & Euæ certa delicta, atque adeo
ſtatim potuiſſet eis inferre, aut prædice-
re pœnas; Cur interrogauit eos.

De° cur ſtatim non punit Adã & Euam.

Dicũt aliqui quod Deus proceſſit hic
iudicialiter, nõ poteſt autem aliquis iu-
dicialiter de crimine condemnari, niſi
ſit ille, ſpontè confeſſus, vel conuinctus,
ſiuè per euidẽtiam facti; ſiuè legitimis
teſtibus, &c. Adam vero, & Eua non
erant teſtibus conuicti; atq; adeo eorũ
confeſſio expectari debebat, & ad extor
quendam ab eis confeſſionem, hoc ordi
ne petendo proceſſit Deus: nã licet pec-
catum eorum eſſet notorium, crimen
tã notorium, non excludit teſtes, ſed ſo-
lum accuſatorem, nam euidẽtia patrati
ſceleris, non eget clamore accuſatoris,
extra de accuſat. c. euidentia. ſed teſtib.
opus eſt ad hoc; quod deponant factum
eſſe notorium; ſed ſaltem ſic eſſe, &c.

Dicendum eſt ergo, qui ita proceſſit
Deus propter aliquas ſpeciales cauſas;
primo, quia iſta erat prima pœna, quam
Deus inferebat hominibus; voluit ergo
quod agnoſcerent conditionem eius, &
qui non procedebat tãquam dominus;
ſed tãquam iuſtus iudex auditis excuſa-
tionibus, delinquentium; ſi quas habe-
rent ad reddẽdum actum legitimum;
vel excuſabilem.

Secundo, fuit ad inſtruendum nos,
qui iudices ſumus, qualiter in cauſis pro
cedamus; nã ſi Deus, qui omnia nouit, à
quo non poteſt occultari vir in abſcõdi-
tis. Ieremi. 23. & qui etiam cogitationes
agnoſcit, pſ. 7. voluit ad puniendum ad-
huc habere cõfeſſionem delinquentiũ,
quanto magis hoc facere debent iudi-
ces; qui decipi poſſunt.

Tertio, hoc fecit propter Adam. &
Euam, vt eis eſſet aliqua conuerſionis
occaſio, & pœnitentiæ de peccato, Deus
enim non fecit mortem, nec gaudet in
poſitione viuorum, Sap. ca. 1. ſed vult, q
homo conuertatur, & quia nobis non
loquitur expectat nos, vt conuertamur,
non inferens ſtatim pœnam. Iſaiæ c. 30.
Ideo expectat nos Deus, vt miſereatur
noſtri; ſed: quia non volebat expectare
Adam, & Euam, quibus pro longũ tem
pus, daret ſpiritum compunctionis, &
precum ſtatim voluit eis loqui, vt iſta
locutio eſſet vice diuturnæ expectatio-
nis; nam petendo ab eis, quod egiſſent,
aut quare incitabat eis ad confitendum
delictum, & petendum veniam, quod ſi
feciſſent, feliciores extitiſſent.

Quarto, fuit ad manifeſtãdum nobis
iuſtam primorum parẽtum damnatio-
nẽ, ſi. n: Deus nihil ab eis peteret de deli
cto, aut cauſa delicti, & irrogaret pœnã
expellendo eos de paradiſo, non conſta
ret nobis tam manifeſtè de iuſta eorum
damnatione, ſcilicet, nunc conſtat.

Quinto, fuit ad oſtendẽdum cauſam
diuerſitatis pœnarum; nam triplicitet
diſtinctæ fuerunt pœnæ, ſ. Adæ, Euæ, &
Serpẽntis, atque adeo, vt de cauſa diſtin
ctionis conſtaret debuit, notum eſſe de
delicto; ſed non poterat melius conſta-
re, quam confitentibus eis, qui peccaue-
rant; ſed non fieret iſta confeſſio ſi Deus
non quæreret, ideo debuit introduci
Deus quærens ab eis.

Quæſt. 6 Quæritur ſexto, quare Deus ſtatim
credidit Adæ dicẽti Mulier dedit mihi,
& comedi.

De° cur ſtatim credidit Adæ, dicẽti, mulier, quã dediſti mihi, &c.

Dicendum, quod Deus voluit proce-
dere; ſcilicet, Iudex ad inquiſitionẽ ve-
ritatis, at quoniam Adam hæc dicẽs cul
pam in mulierem trãsferebat, ſi mulier
cõfiteretur id, quòd Adã dicebat plena
pro-

probatio fuiſſet, quia certum eſt, quod mulier, non confitaretur aliquod contra ſe, niſi verum eſſet, ſi autem mulier non confiteretur; eſſet alius modus indagandi veritatem, at confeſſa eſt mulier, quod Adam dixerat, atque adeo non fuit modus conuenientior, quam ſtatim, vt Adam, tranſtulit peccatum in Euam, vt ab ea peteretur, an iſta eſſet, ſecundo quia Adam confeſſus fuerat totum factum, licet excuſaret illud, aliqualiter dicendo, quod fœmina incitauerat eum; Deus autem aut oſtendebat ſe credere hoc, aut non; ſi oſtendiſſet ſe credere, non oportuiſſet amplius peti de pertinentibus ad peccatum viri, ſed procederetur ad inquirendum de peccato mulieris; ſi autem oſtendiſſet ſe non credere, aut dubitare vellet de hoc certificari; & quia Adam, iam non diceret, aliquid contra id, quod dixerat, non erat petendum ab eo, ſed ab alio, petiuit igitur à muliere, cui crederetur potiſſimum; quia contra ſe confitebatur tertio, quia iſte erat modus breuiter ad examinandum totam veritatem, nam quærendo de vno, erat reſponſio de omnibus. Cum enim Deus dixiſſet Adæ de ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti reſpondit Adam totum, quod fecerat, & cauſam facti cum autem ſuper illa cauſa, Deus à fœmina peteret, reſpondit illa, totum quod ipſa fecerat, atque adeo inueſtigando de vero reſpondebatur de omnibus, & per conſequens conueniens fuit modus iſte quærendi, & procedendi.

Queſt.7 *De° cur dixit mulieri, Cur feciſti ſic, & nō dixit, an feciſti ſic.* Quæritur ſeptimo, quare Deus dixit mulieri, Cur feciſti ſic? & non dixit an feciſti ſic? dici poteſt vno modo, quod hoc ſupponebatur notum, eo quod non negabat illud vir, aut fœmina, atque ita non erat dubitatio de facto, ſed de cauſa faciendo, & ideo petebatur cur feciſſet, & hoc poteſt apparere in omnibus: nam de Adam Deus dixit, quis dixit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod de ligno quo præceperam tibi, &c. in quo non petiuit Deus, an Adam comediſſet, ſed aſſeruit; Sic etiam fuit de ſerpente, maledictus eris, &c. ſimiliter ergo de muliere, potuit Deus præſupponere quaſi notum, & quod non negatur, quod dediſſet viro, ſed cauſa faciendi poterat negari, & hanc petiuit; ſecundo pōt dici, quod fuit aliter, ſcilicet, quòd quæſiuit quare feciſti, pro an feciſti, & eſt modus prudens excutiendi veritatem quantum ad eos, quòd poſſunt, aliquid non ſcire. & cautè procedūt, nam à quibuſdam ſi petatur; an fecerint, dicent, quod non, quia ex modo quærendi, putant hoc neſcire à petentibus. Vt igitur quæſitus putet rem ſcire apud quærentem, quòd cautè petit, non dicit, an feciſti? ſed quare feciſti? vel vbi, vel quando, vt præſupponat factum; ita nunc quæſiuit Deus ab Eua. Cur feciſti? id eſt, an feciſti? ſi autem Eua nō feciſſet poterat dicere non feci, ſed quia fecerat, non eſt cauſa negare, & reſpondit.

EVAE DEFENSIO.

Serpens decepit me, & Comedi.

Viſe etiā quomodo, & mulier peccata ſua defendit, nam ſicut vir culpam in mulierem reijcere videtur dicens, Mulier quam dediſti mihi ſociam, &c. ſic, & ipſa nulla m effugium inueniens fateretur factum, & inquit. Serpens decepit me, & comedi, mala illa beſtia, inquit, hunc nobis lapſum attulit, illius pernicioſum conſilium, in hanc non confuſionem adegit ille me decepit, & comedi, Nec iſta confitetur peccatum, ſed in alterum refert, impari ſexu, pari factu. Quæſt.1

Eua in quo decepta Quæritur prima, in quo mulier deceptam ſe dicebat à ſerpente; Dicendum, quod mulier in multis decepta

 fuit,

fuit; decipitur enim quis cum aliter de re exiſtimet, quam ſit; ſed agente ſerpente, mulier in multis credidit aliter quam res ſe haberent, ideo decepit eam ſerpens, primum fuit, quia ſerpens dixit, quod comedendo de ligno, non morerentur; at modo mulier credebat, ſe morituram, & verum erat, ergo ibi decepta fuerat, quamuis mulier putaret ſe ſtatim morituram, Deus autem non erat hoc facturus, ſed dilationem mortis daret. Secũdum fuit, quod dixerat ſerpens, quod aperirentur oculi eorũ eſſentque ſicut Dij ſcientes bonum, & malum, & tamen hoc non fuit verum; quia non cognouerunt poſtea plura, quam prius, neque facti ſunt, ſicut Dij. Tertium poteſt eſſe, quia ſerpens dixerat, quod Deus præceperat eis, non manducare, non quaſi morituri eſſent; ſed vt non efficerentur Dij; & tamen hoc non erat verum, quia non erant futuri Dij comedendo, neque ideo Deus vetuerat manducare, vt non efficerentur ſicut Dij, & quia mulier crediderat hoc, quod Deus hac intentione dixerat, vt non efficerentur homines Dij, nunc falſum eſſe videbat, cum poſt cibum illum, non eſſent, effecti Dij, vel quaſi Dij, atque adeo in his omnibus ſe eſſe deceptam ſciebat.

Quæſt.2 *Eua cur ſe deceptam dixit.*

Quæritur ſecundo, Eſto quòd mulier eſſet decepta, quare ſe deceptam dixit?

Dicendum, quod fuit primo, quia vere decepta erat; ſecundo dixit, hoc in ſui excuſationem, nam videbatur hoc, culpam alleuiare, tertio fecit ad transferendum culpam in ſerpentem, quarto, quia ſecuta eſt Adam in excuſatione, nam ille tranſtulit peccatum, in mulierem: mulier autem in ſerpẽtem, putans ex hoc, vel totaliter transferre, vel ſaltem alleuiare culpã, quinto quia Eua volebat ſe excuſare, & non videbatur ſibi aliam excuſationem habere, niſi quia ſerpens illam ſeduxerat, atque adeo iſtam protulit. Voluit autem mulier ſe excuſare, tum vt ſe alleuiaret à pœna: timebat enim inferendam mortem cum dixiſſet Deus In quacumque hora comederis ex eo, &c. Tum vt exoneraret ſe à verecundia: erubeſcebat enim fœmina, quod contra Dei præceptum egiſſet; & vt tam grauem illam confuſionem haud ſuſtineret, voluit eam alleuiare transferendo cauſam peccati in alterum.

Quæſt.3 *Eua cur ita Deo ſe excuſando reſpondit.*

Quæritur tertio, cum ita reſpondit mulier, non enim videtur ad interrogata reſpondere, nam Deus quæſiuit, quare dederit viro de fructu ligni vetiti; ipſa vero reſpondit, ſerpens decepit me, & comedi: atque ita non reſpondit, quare dedit viro, de quo quærebatur; ſed quare comedit, de quo non quærebatur.

Dicendum, quod mulier quantum apparet ex verbis eius non reſpondebat principaliter ad id, de quo petebatur; ſed ad aliud, & cauſa eſſe potuit ex ignorantia: imperiti enim quando interrogantur de aliquo pertinente ad aliquod negotium, reſpondent totum, quod nouerant de negotio, eo quod neſciunt diſtinguere id, quod eſt vnius partis, ab eo, quod eſt alterius, quia habent notitiam confuſam, & non diſtinctam: ita Eua quæſita cur dediſſet viro de fructu, non ſolum de illo, ſed etiam de toto, quod ad illam pertinebat reſpondit. Secundo, poteſt dici, quod ita reſpondit, quia animus mulieris erat ad excuſationem, ideo non potuit reſpondere ad quæſtionem, niſi ad id, quod videbatur eam excuſare, aut illud principaliter ponere. Tertiò poteſt dici, quod mulier non ſolum reſpondit ad verba Dei ſed etiam ad intentionem eius, vt ipſi videbatur: non enim putabat mulier, quod Deus vellet ſolum ſcire, quare viro dederat, ſiue an dederat de fructu, ſed totam rem geſtam, atque adeo adhoc reſpondit incipiens à primo ſcilicet, quod ſerpens ſeduxerat eam, atque ita comedit & dedit viro ſuo.

Quæritur quarto, cur mulier non reſpondit ad id, de quo quærebatur, Quæſt.4

dici

dici poteſt, primo, quod fœmina ad hoc reſpondit, ſed ſcriptura non expreſſit illud, vt breuitati ſtuderet. Secundo poteſt dici, quod ſcriptura poſuit totum, quod mulier Deo reſpondit; ſed cum quæreretur de hoc cur dediſſet; non plus reſpondit, quam ſerpens decepit me, & comedi, atque adeo non plus ſcribi potuit. Non reſpondit autem Eua ad totum, quòd quærebatur; quia forte putabat iſtud ſufficere: nam cum peteretur; quare, hoc feciſti, præſupponebatur, quòd mulier dederat viro, de fructu, & petebatur cauſa, quare dediſſet; vnum illorum voluit concedere tacendo ſcilicet, quod dediſſet viro, quia non poterat hoc negare, cum verum eſſet, & vir illud dixiſſet: de cauſa autem non reſpondit, quia putauit ex alia confeſſione eius colligi cauſam: ipſa enim dixit ſerpens decepit me, & comedi. Ex eo autem quod dicebat ſe comediſſe apparebat, quare dediſſet viro; ſcilicet, vt participaret bona quæ per illius cibi eſum ſe conſecuturam ſperabat; diligebat enim virum ſuum. Tertio dici poteſt, quod mulier tacuit id, de quo quærebatur, & tamen expreſſit cauſam, quia ex alio quod confitebatur apparebat; nam ipſa dixit ſerpens decepit me: deceptio autem fuit: quia credidit vera eſſe, ſerpens dixerat, & tamen falſa erant: ſerpens autem dixit, quòd non morerentur, & quòd eſſent ſicut Dij. Eua autē ſignat, quod crediderit hoc, nam ſi non crediſſet, non eſſet decepta, & tamen ſe deceptam confeſſa eſt; ergo aſſerit, ſe crediſſe dicta per ſerpentem. Sed quid ſerpens dixerit mulieri iam certum eſt, ſed illa erant talia, quæ ſi mulier crederet, vellet illa aſſequi, & faceret quicquid poſſet, vt illa aſſequeretur; ergo confitetur ſe feciſſe propter illa, atque adeo tacitè confitetur cauſam, quare manducauit, & per cōſequens apparet, quòd mulier reſpondit plene ad omnia, non ſolum ad quæſita, ſed ad non quæſita. Nam Deus quæſiuit, quare dederat viro, ipſa vero reſpondit, quòd comedit ipſa, & quare comedit ſcilicet, quia ſerpens decepit eam, & propter illa, quæ dixit ei ſerpens comedit, & propter eamdem dedit viro ſuo; quia volebat, quod vir ſuus participaret eiſdem bonis, quibus ipſa, vel quia iuxta verba ſerpentis, putauit mulier, quòd ipſa comedente ſi vir non comederet nō aſſequeretur, quod efficeretur ipſa ſicut Deus, cum dixerat ſerpens, Nequaquam moriemini, ſcit enim Deus, &c. vt ergo mulier iſtud conſequeretur, quod putabat non poſſe conſequi, niſi ambo manducarent, & ſi ipſa non procuraret bonum viri ſui, propter ſe ipſam inducebat virum, ad manducandum.

Eua cur nō reſpō-dit ad interroga-ta.

Quæritur quinto, quare Adam, & Eua iſtas excuſationes adduxerūt cum non eſſent legitimæ?

Quæſt. 5 Adā, & Eua cur adduxerunt excuſationes nō legitimas.

Aliqui dicunt, quod ideo fecerunt, quia putauerunt eas eſſe legitimas, ſed hoc ſtare non poteſt; quia manifeſtum erat non ſufficere aliqua illarum, vt explicatum eſt ſupra.

Dicendum eſt ergo, quod, & ſi non eſſent conuenientes excuſationes, tamen propoſuerunt illas, quia excuſatio erat, vel ad transferendum, & tollendum culpam, vel ad alleuiandū eam. Si excuſatio eſſet legitima, tolleret culpam in totum, ſi non eſſet legitima, aut ſufficiens, ſed colorata aliqualiter alleuiaret culpam, licet non tolleret, & hoc ſufficiebat eis, & talis fuit excuſatio primorū parentū, vt patere poteſt ex his quæ ſuper dicta ſunt.

DE MALEDICTIO-nibus ſerpẽtis,& contra eum lata ſen tentia.

Et ait Dominus ad ſerpentem; quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia,& beſtias terræ ſuper pectum tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.

VIdimus quanta diligentia Adam interrogatus eſt cum quanta tollerantia in iudicium adducta eſt mulier; quomodo vtroque ſe defendit; videamus conſequenter hic ineffabilis miſericordiæ iudicis excellentiam; Quia poſtquam mulier dixit, ſerpens decepit me; & Comedi non iam ſerpentem dignatur, vt audiatur; & locum habeat defendendi, neque rogat ſicut virum, & mulierem, ſed accepta ab illis defenſione, in illum quaſi malorum auctorem impetum fecit, Quia feciſti hoc, Quia hoc malum inquit, operatus es, quia perniciosũ, hoc conſilium induxiſti, quia huic inuidiæ miniſtraſti, quia inuidiam acuiſti aduerſus creaturam meam, Maledictus es inter omnia animantia, &c.

Quæſt.1 Quæritur primo, quare Deus loquens ad ſerpentem non petijt ab eo, quare hoc feciſti, ſicut petijt ab Adam, & Eua.

Magiſter hiſtoria Scholaſt. 11 Gene. c.23.

Aliqui dicunt, quod Deus nihil quæſiuit à ſerpente, ita quod, quia ſerpens non fecerat operatus per ſe, ſed demon per ſerpentem, atque adeo non erat ab eo ratio petenda eorum; quæ non fecerat; ſecus de Adam, & Eua, quia per ſe operati fuerant: ſed hoc ſtare non poteſt; quia ſi ſerpenti nihil debuit dicere Deus; quia per ſe egiſſet, ita neque debuiſſet ei imponere pœnam, nihil agenti, & tamen impoſuit pœnam, vt videbimus.

Alij dicunt, quod cauſa fuit; quia per ſerpentem operatus fuerat diabolus; quia iam erat damnatus, & de cælo empyreo eiectus, atque ita iam non erat interrogandus; Sed huic obſtat, quia ſi ideo nihil dictum eſt ſerpenti, quia diabolus, iam fuerat, damnatus, neque debuit eſſe nunc alia damnatio; Sed fuit: quia hic Deus protulit pœnam ſerpentis, ergo &c.

Alij dicunt, quod Deus non fuit, ſerpenti locutus, quia erat irrationalis, & ſuperuacaneum eſt loqui ad irrationalia, ſecus de Adamo, & Eua; quia erant intelligentes, à quibus peti aliquid poterat; Sed contra, ſi hæc eſt præciſa cauſa; Ergo, nec debebat Deus loqui ſerpenti, & tamen locutus eſt ei, cum dixit, quia hoc feciſti maledictus es, &c.

Dicendum eſt, ergo, quod cauſa prima, quare non interrogauit Deus aliquod ſerpentem fuit; quia Deus interrogabat, vt ſibi reſponderetur; ſerpens autem reſpondere non poterat, atque, adeo non debuit eum interrogare, nam ſi Deus quæreret oportebat reſpondere ſerpentem, quod facere non poterat, quia vt dicit Ariſt. quarto, de animalibus, nullum animal habet ſermonem præter hominem, poterat bene Deus ad ſerpentem loqui pronuncians ei pœnam, quia non quærebatur ibi reſponſio; ſecunda cauſa fuit ab Adam, & Eua quæſiuit, quare feciſſent, vt ex interrogatione eſſet eis occaſio, dolendi de peccato, & veniam petendi, ſed in ſerpente, non poterat, hoc eſſe, nam etiam ſi diabolus adhuc eſſet in ſerpente, & poſſet loqui tamen non quæreret Deus ab illo, quia diabolus obſtinatus eſt, & compungi non

De° cur nõ dixit ſerpenti quare hoc feciſti.

Digitized by Google

non poteſt nam, vt inquit Diuus Hieronymus in lament. Ieremiæ capitulo quarto, prope finem, ſerpens non requiritur; quia nec eius pœnitentia quærebatur.

Quæſt. 2 *De° cur locutus ſit ad ſerpentem.* Quæritur ſecundo, quare Deus voluit loqui ſerpenti dicendo, quia hoc feciſti, maledictus eris, &c. nam erat ſerpens irrationalis, & non intelligebat verba, ad ſe dicta, ideo videtur, quod fruſtra loquebatur ei Deus; dicendum, quod cum hæc ſint opera Dei, omnia valde rationabiliter fiant, & nihil ſuperuacuè, verum eſt autem, quod ſerpens non intelligebat, quæ ei dicebantur; atque adeo propter ſerpentem non erat conueniens fieri locutionem iſtam, ſed erat conueniens fieri propter homines; Deus enim puniebat Adam, & Euam ptopter malum, quod commiſerant; Serpens autem fuerat eis aliqualis cauſa mali, inducendo, vel ſeducendo; ſi autem ſerpens impunitus maneret, non eſſet ſatisfactum hominibus, & ipſi, male contempti eſſent, quod ille, qui tanti mali cauſa fuerat, impunitus maneret, Debuit ergo Deus pœnam inferre ſerpenti, & non ſolum inferre pœnam, ſed etiam præſentibus hominibus, & ſcientibus.

Quæſt. 3 Quæritur tertio, quomodo ſerpens erat nunc præſens quando Deus prænunciauit pœnas Adæ, & Euæ, & ratio dubitandi eſt: quia ſerpens motus fuit à Demone, vt iret ad locum, in quo erat mulier, vt eam temptaret, expleta autem tentatione nihil vltra diabolus volebat, ideo reliquit ſerpentem, ſed ille relictus non haberet animum comitandi mulierem, aut virum; quia non intelligebat aliquod eorum, quæ facta erant per ipſum, ideo non eſſet vltra cum viro, & muliere, & confirmatur; quia Deus non fuit nunc locutus Adam, & Euæ in loco vbi mulier per ſerpentem temptata eſt, patet, quia mulier perſuaſa à Demone fuit abſente viro, & cum illa comedit, iuit ad virum offerens ei fructum, vnde vir ſerpentem non viderat; ibi autem ambobus exiſtentibus etiam de nuditate erubeſcentibus aduenit Deus, atque adeo videtur, quòd ſerpens non erat ibi præſens.

Dicendum eſt tamen eſt, quòd ſerpens erat præſens tum quia modus loquendi ſignificat, quòd erat præſens; quia continuato ſermone, poſtquam Deus quæſiuit à Viro dixit fæminæ, quare feciſti? & illa reſpondente, dixit ſerpenti, Quia hoc feciſti, & ſtatim prænunciauit pœna viro, & mulieri, ſi autem ſerpens non erat præſens cum loqueretur. Deus viro, & mulier oporteret interrumpi ſermonem, cum prius loqueretur viro, & mulieri, & poſtea iret ad loquendum ſerpenti alibi exiſtenti, & rurſum compleret ſermonem inchoatum, cum viro, & muliere, quod non eſt conueniens tum, quia verba dicta ſerpenti habent ortum exprius dictis, & verba vltima dicta viro, & mulieri dependent ex verbis dictis ad ſerpentem, & non ſatis viderent vir, & mulier, cauſam dictorum ad ſe, ſi non audirent dicta ad ſerpentem; tum quia Deus non eſt locutus ſerpenti, propter ſeipſum; Cum ipſe nihil intelligat, ſed propter homines; vt ipſi viderent, quòd puniebatur ſerpens propterea, quæ fecerat contra eos, & ſibi in hoc ſatisfactum eſſet, ſed hoc non fieret ſi Adam, & Eua non audirent verba, quæ Deus dicebat contra ſerpentem, ergo fuit neceſſarium, vt coram eis loqueretur. *Serpens quō erat præſens, quando Deus pœnas dedit Adamo, & Euæ.*

Ad rationem dubitando dicendum eſt, quòd ſerpens relictus à Demone, nihil cognoſcebat eorum, quæ facta erant, ideo mouebatur hinc, inde prout ferebat eum impetus; atque ita accidit quod veniente Deo ad loquendum Adæ, & Euæ eſſet ſerpens in eodem loco, ſicut, & poterat eſſe in quocumque loco Paradiſi, vel dicatur, quòd hoc accidit per Dei voluntatem, nam expediebat quod ſerpens

Digitized by Google

eſſet præſens, quando Deus loqueretur. Adæ, & Euæ propter cauſas ſuperius dictas; Et hoc Deus poterat facere tripliciter, vel immittendo ei deſiderium veniendi in illum locum, vel faciendo eum moueri ab aliquo Angelo bono localiter; vel tertio quòd Deus faceret venire Adam, & Eua contra locum vbi erat ſerpens, ſed duo priores modi ſunt veriſimiliores; nam neceſſe eſt dici, quid per Angelum bonum, aut per deſiderium à deo immiſſum ſerpenti teneretur ſerpens, quia non ſolum accidit ſerpentem eſſe, vbi iſta dicta ſunt; Sed & ſemper fuit præſens; quamdiu dicerentur, & fierent, & quoniam non eſt nam ſerpentis conſentaneum, vt diu ſit præſens hominibus atque adeo non erat illis præſens per accidens, ſed deo operante, quia ita expediebat.

Queſt. 4 Quæritur quarto. Vtrum maledictio ſerpentis ad verum ſerpentem, an ad diabolum referenda ſit? Tres ſunt de hac re Patrum ſententiæ; quidã enim arbitrantur maledictionem illam, & pœnam verè pertinuiſſe ad illum ſerpentem, licet ipſe nullum patraſſet ſcelus, ſed eius flagitii auctor fuiſſet diabolus; & huius ſententiæ fundamentum illud potiſſimum eſt, quia narratio Moſis hiſtorica eſt, atque adeo verba eius, ſecundum propriam ſignificationem, & vt ipſa per ſe ſonant, intelligenda, atque interpretanda ſunt, Moſes autem in tota hac narratione ſolius meminit ſerpentis, nullum de diabolo verba faciens.

Secunda ſententia plane primæ contraria affirmat, ea maledicta quæ Deus in ſerpentem dixit, non ad verum ſerpentem, ſed ſub illius vocabulo, & figura ad ſolum diabolum pertinere. Etenim diabolus ſerpens dicitur per cauſas ſuperius expoſitas; quæ ſententia tota allegorica eſt, atque myſtica, vt magis infra apparebit.

Maledictio ſerpentis, & Tertia ſententia eſt quorumdam; qui arbitrantur, illam ſerpentis maledictionem, ſecundum hiſtoricum ſenſum ad verum ſerpentem pertinuiſſe, ſecundum autem ſenſum miſticum, à Deo tantum principaliter intentum, & cum ea maledicta in ſerpentem prænunciauit ad diabolum eſſe referenda, Etenim ad ſcelus illud perficiendum, & diabolus princeps eius ſceleris auctor, & ſerpens tamquam diaboli organum conuenerunt. *ad ipſum ſerpentem. & ad Demonẽ referre poteſt.*

Sed quia ſolus ſerpens cernebatur, & audiebatur. Demon autem, quòd intra ſerpentem latens maleficium illud operatus eſt ſenſum omnem fugiebat; idcirco maledicta illa; hiſtorico modo de ſerpente prænunciata ſunt, & de eo intelligi debent, de diabolo autem figurate, & miſticè; & hæc ſententia mihi probabilior videtur licet, ſecundum quamlibet ſententias litteræ Moſis explicari optimè poſſit.

Quæritur quinto, quomodo dicitur ſerpenti maledictus eris inter omnia animantia pro huius difficultatis, & ſequentium ſolutionem, obſeruandum eſt maledicta illa ſerpentis ſimpliciter, & abſolutè loquendo, fuiſſe naturalia ſerpenti, quod ad modo tamen poſt illam tentationem, & peccatum primorum hominum fuiſſe ei, tamquam pœnas, & ſupplicium, non quidem habito ad ſerpentem, reſpectu, qui nullam, ex illis pœnam ſentit, ſed habitu reſpectu ad hominem. Queſt. 5

Nam quæ antea fuerunt ſerpenti naturalia, poſt peccatum eidem fuere apud homines ad magnum dedecus, opprobrium, odium, & execrationem: Qui enim antea non fuiſſet homini propter iſta inuiſus, & execrabilis, poſt peccatum infamis, exoſus, & abominabilis extitit.

Eſt quidem, vt inter alia animalia, ita inter homines, & ſerpentem, naturalis, & vehemens quædam antipathia, vterque enim alterum naturaliter odit, & auerſatur; ſed ea ſingulari prouidentia, & potentia Dei, cohibebatur ante peccatum cohibenda pariter omni tempore, quo ſtatus ille fæliciſſimus innocentiæ permanſiſſet: cohibeba-

Digitized by Google

tebatur inquam, ne erumperet in actum.

Secundum, ideſt in mutuũ odium, & nocendi ſtudium, atque conatum, quo fiebat, vt id temporis, nec homo ſerpentem, exhorreſceret, nec ſerpens inſidijs hominem appareret, at poſt peccatum ammiſſa originalis iuſtitia, ſublataque ſingulari prouidentia, & protectione Dei, naturalis illa ſerpentis, & hominis antipathia, relicta eſt libera, vt in actum prodiret, ex quo factum eſt, vt poſtea naturaliter homo ſerpentem horreat, non ſecus, quam ouis lupum, pullus miluum, & mus felem, & ipſe ſerpens naturali quodam inſtinctu hominem adeo, & inſidijs perſequatur.

Hæc igitur quæ naturalia, quidem per ſe ſunt, ſed antè peccatum tamen ſingulari munere dei repreſſa tenebatur, poſt peccatum ſoluta, & noſtræ ſuæ permiſſa ſunt.

Eſt autem velut quædam pœna, & ſupplicium ſerpentis, vt ex illo tempore cum homo ſuper alia animalia oderit auerſetur abominetur, & quoquo modo lædere, & perimere conetur.

Exemplo mortis, quod dictum eſt, declarari poteſt, Mors enim naturalis eſt homini, & quidem naturalis etiam erat ante peccatum; homo enim naturaliter mortalis eſt; verum eximio, & admirabili beneficio Deus in ſtatu innocentiæ mortem ab homine perpulſabat, atque arcebat, ita vt ſi numquam homo peccaſſet, numquam mortuus fuiſſet; propter peccatum autem ſpoliatus homo iuſtitia originali, & illa ſingulari protectione Dei deſtitutus, ſuæque permiſſus naturæ in mortem incurrit; itaque factum eſt, vt licet mors naturalis ſit homini, propter peccatum tamen, vt eius pœnam, & ſupplicium, homini eam contigiſſe, in ſacris literis proditum, & teſtatum reperiamus.

Hoc ſuppoſito dicendum eſt iuxta primam ſententiam, huiuſmodi verba ad ſerpentem referri, quia ſerpens, eſt de animantibus: quatenus viuit, atque mouetur; eſt etiam beſtia, quia eſt animal ferum, & homini non confert ad vitam, ea autem vocantur animantia, quæ ab anima generaliter appellata, qua viuunt, vitam habent, atque mouentur, beſtia autem eſt nomen magis ſpeciale animalia fera ſignificans, quæ nec manſueſcunt apud homines, nec ei vtilitatem afferunt, & diſtinguuntur contra iumenta, & pecora, quæ manſueſcunt, & humanæ vitæ vtilitatem conferunt, adiutoriumque præbent.

Serpens eſt animal, & beſtia.

Eſt ergo ſenſus, Maledictus eris inter animantia, & beſtias, ideſt, nulla beſtia, nullumque animal inuenietur te infælicius, & eſt modus loquendi conueniens ad ſignificandum mali exceſſum; ſicut per contrarium ſignatur eminens bonum, velut cum de Domina noſtra dixit Angelus; Benedicta tu inter omnes mulieres; vel ſic quia calliditate, male, & non vt oportebat es vſus, ſed priuilegium, quod ſuper omnia animalia poſſidebas, hoc tibi in omnium malorum ceſſit occaſionem.

Inquit enim ſerpens erat prudentiſſimus omnium beſtiarum ſuper terram; propterea maledictus es tu inter omnia iumenta, & omnes beſtias terræ futurus es; Ita Chriſoſt. Iuxta autem ſecundam ſententiam, & allegorica ſenſum, hæc verba feriunt Demonem; ipſe enim ſerpens dicitur atque maledictus inter beſtias terræ, quia damnatus eſt æternis pœnis, & quicquid in beſtijs corporaliter cernitur; obſcenum, fraudolentum, aut turculentum, id multo magis in Demone ſpiritualiter reperitur.

Nam, vt inquit Diuus Auguſtino de Geneſis contra Manichæos libro ſecundo, capitulo decimoſeptimo, qui ſolebat antequam caderet ſublimi veritate gaudere, in qua non ſtetit ideo illi etiam pecora præponuntur non in poteſtate, ſed in conuerſatione no-

ſtræ ſuæ, quia pecora non amiſerunt beatitudinem aliquam cæleſtẽ, quam numquam habuerunt, ſed in ſua namquam acceperunt peragunt vitam, &c.

Quæſt.6 Quæritur ſexto, quomodo intelliguntur illa verba ſuper pectus tuũ gradieris? iuxta priorem ſententiam, hæc verba de vero ſerpente intelliguntur; quoniam licet ſerpens a principio pedibus non incederet, ſicut nec humana vtebatur loquela, tamen forte ſerpens ille, qui tentauit Euam, eiecto corpore coram Eua ambulauerat; vtebatur enim diabolus ſerpente illo, ſicut organo; atque adeo ſicut diabolus mouebat illum ad locutionem, ita fortaſſis mouebat illum Corporalem ad ingreſſum, quod veriſimile videtur; nam alias non fieret conuenienter locutio corpore prono, & exiſtente capite ſuper terram, & hæc eſt Didimi ſententia citati in Catena à Lippomano. putauit namque Didimus ſerpentem illum, re vera caruiſſe pedibus; fuiſſe tamen ad tempus quo deciperetur homo, opera Demonis erectum, vt arduus, & ſublimis ingrederetur; ideo quæ dixiſſe illi Deum; ſuper pectus tuum gradieris; quaſi diceret licet diabolus, te erexerit, & celſo corpore ingredi fecerit, redibis tamen ad tuam priſtinam naturam.

Quæ fuit ſerpẽtis pena gradi ſuper pectus ſuum.

Didimus.

Verum non videtur iuxta hanc Didimi ſententiam fuiſſe ſerpenti pœna redire ad naturalem ſui corporis habitum, & motum, atque adeo iuxta hanc priorem expoſitionem, probabilius dici poſſet, Anguem illum fuiſſe antea, de genere beſtiarum, quadrupedum, ſed quia fuit Sathanæ organum, icirco inhæſit ipſi diuina execratio, ex beſtia pedibus ingrediente factum eſt reptile animal, prono ventre, prorepens, ſicut etiam Sathan quia præuaricatus fuerat, ex Angelo euaſit demonium, & vxor Loth, retro contra Dei pręceptum reſpectans ex muliere tranſmutata, etiam in ſtatuam ſalis, ita docet Barcephas lib. de Paradiſo capitulo vigeſimoſeptimo. Secutus Epheæm, & complures alios authores, nec incredibile videri debet ſerpentem illum, aliquando præditum fuiſſe pedibus.

Nam Plinius libro vndecimo, capitulo 46. tradit viſus ſerpentis anſerinis pedibus, nec id portenti loco memorat. *Plinius.*

Iuxta autem poſteriorem ſententiam, hæc verba intelliguntur de Demone; Super pectus enim, & ventrem graditur Demon, quia duabus vijs adoritur. Seducere homines, per ſuperbiam ſcilicet, quæ figuratur pectore, & libidine, quæ adumbiatur ventre, vel quia in pectore eſt iraſcibilis; in ventre concupiſcibilis, quos appetitus commouet, & incendit Demon, vt homines ad grauiſſima flagitia rapiat.

Demon quõ gradiuit ſuper pectũ ſuum.

Ita Diuus Auguſtino libro ſecundo, de Geneſis contra Manichæos capitulo decimoſeptimo, & decimooctauo, & libro decimoſecundo, de Geneſis ad litteram capitulo trigeſimoſexto, quem ſecuti ſunt Beda, Rupertus, Hugo de S. Vittore, Caiet. & alij quam plurimi ſuper hoc loco geneſeos.

Vel ſecundum, Diuus Auguſtino libro vigeſimoprimo, moralium capitulo ſecundo, per ventrem ſignificatur executio operis luxuriæ, per pectus autem eius cogitatio, & deſiderium. Demon enim quos non poteſt ad luxuriæ effectum perducere, interna nititur cogitatione polluere.

Quæſt.7 Quæritur ſeptimo quomodo intelligantur illa verba terrã comedes omnibus diebus vitæ tuæ; Iuxta litteralem ſenſum referuntur hæc verba ad verum ſerpentem, qui Euam tentauit; atque decepit, tum quia ad ipſum dirigebatur ſermo; tum quia ſerpens terram comedit, & non diabolus; tum quia dicitur terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ, atque ita limitatur tempus comedendi, ideſt quamdiu vi-

Serpens quõ terram comedit.

uerer,

Digitized by Google

tteret, & tacitè ſignificatur id, cui fit ſermo iſte eſſe aliquod mortale, & tamen demon, nõ eſt mortalis; ſed in æternum viuet, ergo de Serpente; qui aliquando moritur intelligitur, &c.

Sed iuxta ſenſum allegoricum intelliguntur de Demone, adeo quod ſit ſen ſus, ſupra pectus tuum gradieris, & terram comedes, ideſt ſuper homines tantum, qui ita terra ſunt, qui non deſiderant, aut reſpiciunt cœlum, quæras, & deuores odio inſatiabili, corde impenitenti, ita datus in reprobum ſenſum, vt contra intentionem tuam ſemper bonũ Dei circa electos dum impedite interis magis expedias, & adiuues propoſitũ; quod eſt miro modo grandi ſuper pectus proprium.

Demon quo terram comedit.

Sed audiamus D Auguſtinum libro 1. de Genſi. contra Manichæos cap. 17.

Dicitur hic pectore, & vẽtre repes; Quod quidem, & in colubro animaduertitur, & ex illo animante viſibili, ad hunc inuiſibilem, inimicum noſtrum, locutio figuratur, nomine. n. pectoris ſignificatur Superbia, quia ibi dominatur impetus animi; nomine autem ventris ſignificatur carnale deſideriũ; quia hæc pars mollior ſentitur in corpore, & quia his rebus ille Serpit, ad eos, quos vult decipere, propterea dictum eſt pectore, & ventre repes.

Et terram inquit, mãducabis omnibus diebus vitæ tuæ in omnibus diebus quibus agis hanc poteſtatem, ante illam vltimam pœnam iudicij; hęc enim vita eius vſ, de qua gaudet atque gloriatur.

Terram ergo manducabis, duobus modis intelligi poteſt; vel ad te pertinebunt quos terrena cupiditate deceperis, ideſt peccatores, qui terræ nomine ſignificantur, vel certè genus, tertium tentationis, his verbis figuratur; quod eſt curioſitas. Terra enim, qui manducat, pro funda, & tenebroſa penetrat; & tantum temporalia atque terrena, Hæc D. Auguſt.

Sanctus autem Greg. explanãs illum verſiculum pſ. 101. qui numeratur quartus inter pſalmos de pœnitentia, & terrę eius miſerebuntur, per terram, inquit Greg. peccatores accipimus, vnde Serpenti à Domino dictum eſt, Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.

Antiquus enim hoſtis terram comedit, quia peccatores quoſq; in ventrem hæc maliciæ abſcondit, iſque hominum poſitionem deſiderans, quodammodo reficit; dum prauis eorum delectationibus delectatur.

Illud autem cunctis diebus vitæ tuæ, deſignat omne tempus huius vitæ, vſq; ad conſummationem ſçculi, quo tempore permiſſum eſt demonis homines tentare, decipere, & perdere, quod ille pro vita, & magna voluptate habet. Quamobrem Demones rogabant Chriſtum ne mitteret eos in abyſſum, & alij dicebant ei; Veniſti huc ante tempus torquere nos.

Quæritur octauo, quomodo intelligantur illa verba; Inimicitias ponam inter te, & mulierem, &c. Quæſt. 8

Iuxta ſenſum allegoricum, ſeu tropologicum verba hæc referuntur, non ad Serpentem, & Mulierem; ſed ad Demonem; & appetitum ſenſitiuum, ſeu vim extimatiuam, iuxta ſententiam D. Auguſtini libro ſecundo, de Gen. contra Manichæos. Tunc enim inquit D. Aug. guſtat Mulier de cibo vetito quando ſenſibilitas, & extimatiua, ſic iudicant, & peccatum non eſt tunc conſummatum.

Vir autẽ guſtat de cibo vetito, quando ratio ſic iudicat, vt appetitus inclinat, & tunc eſt conſummatũ peccatum; dicuntur verò eſſe inimicitiæ inter Serpẽtem, & mulierem, ideſt inter Demõnem, & ſenſualitatẽ, quia Dęmon vellet tentare hominem perducendo ad malum, & quia non valet immediatè peruenire ad rationem, aggreditur partem ſenſitiuam, partib. exterioribus aliquod obijciendo, quod appetitum moueat, vel mouendo interiora. ſphantaſmata, ſecundũ quæ fiunt, nouæ conceptiones; & ſequitur appetitus conceptionem; at quia nõ eſt iſte motus immediatè a ratione; non dicuntur inimicitiæ ad virũ,

Inimicitiæ ſunt inter Demonẽ, & ſenſualitatem.

ſed

ſed ad mulierem, ſignantem ſenſualitatem.

Dicitur ſemen tuum, & ſemen illius; quia ſicut inter Serpẽtem; & Mulierem ſunt inimicitiæ, ita inter ſemen vtriuſque ſunt inimicitiæ.

Semen autem Diaboli, ſunt minores Diaboli, qui luciferum in peccando ſecuti ſunt; vel homines mali, Diaboli diſcipuli alumni, atque miniſtri iuxta verbum Domini. Io. 8. Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere; vel ſemen diaboli vocatur eius praua ſuggeſtio; ſemen autem mulieris eſt recta eius operatio, & iſta duo inimicantur ſibi. Et ſubditur ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.

Tunc enim Diaboli caput, quod eſt principium actiuum eius conteritur, quãdo in principio tẽtationis reſtituit: Ipſe verò calcaneo mulieris inſidiatur, cum quaſi inſenſibiliter lædere tentat, ſicut.n. qui in calcaneo mordet, a poſteriori mordet, & vbi nõ videtur, ita Diabolus, ne eius conteratur caput occultè inſidiatur; hæc iuxta ſenſum allegoricũ, vel tropologicum.

Mulier et ſerpẽs veras habent inimicitias

Cæterum iuxta litteram verba, hæc ad verum Serpentem referenda ſunt: Tum quia, ad illud loquebatur Deus; tum quia totum id, quod in hac littera continetur ad verum Serpentem ſine aliqua extorſione adaptari poteſt nam inter Euam, & Serpentem verę fuerũt inimicitiæ, & inter cæteras etiam mulieres, cęteroſque Serpentes, verũ etiam inter totum genus humanum, & Serpẽtes omnes, nam Serpens mordet, & lædit hominem homo verò repellens iniuriam, vel præueniens, vt non lędatur, frangit Serpentis caput, vel occidit ipſum; Alia etiam pars litteræ. ſ. inter ſemen tuum, & ſemen illius aduerſum Serpentem, & ad mulierem ſine extorſione eſplicantur, quia non ſolum illa mulier, cui fuit irrogatum malum, per Serpentem, habuit ad Serpentes inimicitias; ſed etiam omnes deſcendentes ab ea, omnes enim homines ſunt ſemẽ mulieris illius, quia nullus vnquam natus eſt, neque naſcetur; qui non ſit de illius mulieris progenie.

Semen autem Serpentis appellatur Serpens deſcendentes ab eo, vel in eadẽ ſpecie exiſtentes; non ſolum.n. ille Serpens habuit inimicitias ad hominem, ſed, & omnes poſteriores Serpentes deſcendentes ab eo, & omnes etiam alij Serpentes, & homo non ſolum contra illum Serpentem; ſed & contra omnes habet inimicitias.

Poſtremò etiam verba illa, ipſa conteret caput tuum; & tu inſidiaberis calcaneo eius, ad verum Serpentem, atque ad mulierem referri optimè poſſunt. Nam mulier conterit caput Serpentis, quia ita prouenit ex naturalis diſpoſitione corporis Serpẽtis, habet.n. corpus extentum ſuper terram, atque ita caput eſt etiam terræ coniunctum, vnde facile eſt caput illius pedibus calcare, atq; conterere, vel lapide, aut ligno frangere, &c.

Serpens verò cum mulieris ſit inimicus atq; ei nocere cupit; nocere autem non poſſit, niſi mordendo, & mordere nequeat, niſi in pede, quia diſpoſitio corporis ſui talis eſt, iacet enim extentus in terra, à qua tollere ſe non poteſt, ſequitur, quod mulier mordere haud poſſit niſi in partibus illius, quæ terram tangunt, atque adeo mordet in pede.

Illud autem obſeruandum eſt, quod non mordet Serpens mulierẽm in quacunque parte corporis terræ coniuncta; ſed ſolum in poſteriori pedis parte, quã calcaneum appellamus, quod inſidijs, atque timori conuenit, ſi enim non timeret palam, & à parte anteriori, mulierem aggrederetur, cæterum, quia timet inſidiatur, & in poſteriori; hoc eſt in calcaneo mordet.

Quæritur nono, quæ inimicitiæ ſunt iſte inter Serpentem, & mulierem, & quando Deus illas poſuit. Quæſt. 9

Ioſephus lib. 2. Antiquitatum cap. 3. ſcribit, quod eſt venenum, quo Serpẽs occidit, vel inficit hominem, nam Deus abſtulit Serpenti vocem iratus eius malitiæ,

Digitized by Google

Inimicitia quas poſuit Deus inter ſerpẽtẽ & mulierem, qua nã fuerint.

litiæ, quam geſſerat in Adam, ei ſub lingua ponens, venenum, quod eſſet omnibus inimicus; atq; ita inimicitias, vult conſiſtere in hoc, quod Serpens venenũ habeat; Videt autem hæc Ioſephi ſententia aliqualiter litteræ conſentanea; Tum quia per hoc apparet, quod potius erant inimicitiæ inter hominem, & Serpentem quam ad alia animalia: ſolus.n. Serpens venenum ſub lingua habet, cætera autem animalia, quæ ad genus Serpentis non pertinent venenum nõ habet; qua propter, etſi homini noceat, hic erit per vulnus, & non per venenum. Tum etiam, quia per hoc redditur cauſa eius; quod dicitur inimicitias ponam, quaſi non eſſet poſitæ, atque poſitę fuerint, cũ datum fuit Serpenti venenum, quia tũc habuit, quod prius non habebat.

Cæterum hęc Ioſephi ſententia ſtare nõ poteſt, nam Ioſeph innuere videtur; quod Serpens antè tentationem venenum non habuerit, & quod poſtea datum ſit ei; vt illud haberet, quod ſtare non poteſt, quia naturale eſt Serpenti habere venenum, ex habitudine enim ſui corporis, i. ex mixtionis modo rei cõuenit; omnia autem naturalia ſunt à generationis principio, atq; adeo habuit Serpens venenum antè tentationem, & non fuit ei datum poſt Euæ tentationẽ. Præterea, ſi poſt tentationem fuiſſet venenum datum Serpẽti cum tota vis nocendi inſit ei ex veneno, hoc nõ eſſet in pœnam Serpentis; ſed potius in pęnam hominum, nam dediſſet Deus Serpẽti maiorem hominibus nocendi poteſtatem, quam habuiſſet prius, cęterum hęc verba dicuntur; vt maledictio Serpentis, & non mulieris, ſequitur ergo, quod non fuit venenum datum Serpenti per iſta verba inimicitias ponã inter te, &c.

Serpens habuit venenũ ante tentationẽ, et nõ fuit ei datũ poſt Euæ tentationem.

Dicendum eſt ergo iſtas inimicitias, nihil eſſe aliud, quam naturale quoddã odium, & inclinatio ad nocendum, in alterutrum; Serpẽs enim naturaliter ad nocendum homini mouetur mordendo ipſum, & relinquendo venenum in vulnere, homo vero odit Serpẽtem, & naturaliter inclinatur ad nocendum illi, & ſi Serpens adhuc homini haud nocuerit.

De quo poſuit inimicitias, inter mulierẽ, & Serpentẽ

Iſtas autem inimicitias dicitur Deus poſuiſſe, quia Deus omnia naturalia dedit Serpenti, & alijs rebus, cum tota natura inceperit à Deo per inſtitutionem, atque à Deo poſuit, Deus iſtam conditionem ſecundum naturam tam in homine, quam in Serpente, non. n. habet homo odium ad Serpentẽ, per electionem, neque in Serpente ineſt hic appetitus nocendi, niſi ſecundum naturam.

Non enim poteſt in Serpente eſſe aliquis motus per electionem; atque adeo omnis eius motus eſt, ſecundum naturam, & licet Serpentis appetitus ſequatur phantaſiæ, vel extimatiuę cognitionem, tũ quia non apprælendit aliquod bonum ſibi: niſi quòd eſt ei ſecundum naturam conueniens, naturale eſt ſibi appetere, vel fugere, hoc, vel illud obiectum.

Homo etiã naturalem habet ad Serpentem inimicitiam, tum quia à natura refugit omne malum, ſicut naturaliter appetit bonum; Tum quia cognitio mouens ei appetitum, vt malum fugiat eſt à natura, quia non eſt per doctrinam, vel conſuetudinem; ſed per naturam. Nam ſicut ouis naturaliter lupũ viſum iudicat eſſe ſibi malum, & herbam, & aquam iudicat eſſe ſibi bonũ, ita homo per apprehenſionem extimatiuè iudicat Serpentem eſſẽ ſibi malum, atq; nocinum, atq; ita ſequitur naturale odiũ; & horror in videndo.

Hominis ad ſerpẽtẽ eſt naturalis inimicitia.

Naturalis eſt itaque hominis ad Serpentem inimicitia adeo, quod, & ſi homo numquã timeret ſibi, vel alteri malum inferendum per Serpentem, adhuc occideret Serpentes, quãdo poſſet, quia inimicorum eſt proprius actus inuicem nocendi, Serpẽs etiam naturalem habet ad hominem inimicitiam, neque mouetur ſolum ad nocendum homini ex timore; ſed ex naturali inimicitia cuius actus eſt nocere inimico, quod apparet: quia Serpens ex inſidijs nocet, atque ita antequam homo Serpenti noceat: Serpens

pens hominem lædit; quod non eſſet, ſi non eſſet in ſerpente odium ad hominem quod naturalem extimatiuè appre henſionem conſequitur, quia indicat hominem eſſe ſibi malum, quod verum eſt, quia repugnat ſerpenti homo, & ſputum hominis ieiuni eſt venenū ſerpenti, atque ei valde nocet, vt Iſidorus dicit.

Quæſt. 10. Quæritur decimo, quomodo dixit Deus inimicitias ponam, cum iuxta ea quæ dicta ſunt in præced. quæſt. inimicitiæ eſſent iam poſitæ, cum ex natura ſint inimicitiæ iſtæ? atque adeo nō videtur, quod eſſent ponendæ.

D.ᵒ q̃uo poſuit inimicitias inter ſerpentē & mulierem.

Aliqui dicunt, quod erant inimicitię ponendæ, quia propter tentationem facta in per ſerpentem euaſit, ſerpens homini odioſus, aliàs non futurus. Sed dicendum eſt, quod nō incepit iſtud odiū poſt tentationem, ſed erat poſitū prius, tum quia, vt ſuper diximus iſtud erat ſecundum naturam, & naturalia ſunt à principio generationis; tum quia eſto, quod in homine dici poſſet inimicitias, contra ſerpentem poſt tentationem incepiſſe, ex eo, quod homo agnouit malum ſibi ex tētatione illatum, atq; adeo potuit incipere odiſſe ex electione, tamen in ſerpente hoc eſſe nō potuit cum cognitione atque electione careat.

Cum ergo dicitur, quod incepit odiū iſtud, vel inimicitia poſt tentationē, dici poteſt quantum ad aliquod incepiſſe, vel magis auctam fuiſſe inimicitiā poſt peccatum ex parte hominis, vel quantū ad mulierem. ſ. Euam, quæ poſt tentationem odioſum valde habuit ſerpentem, quia credidit malum, in quod per peccatum incidit ſibi a ſerpente fuiſſe factum, vel quātum ad alios homines, in quibus naturaliter, eſt odium ad ſerpentem, cum tamen cognouerunt illum fuiſſe Diaboli inſtrumentum, ad eorum perditionem, oderunt eum magis.

Atque adeo reſpondendo ad difficultatem dicendum eſt, quod etſi ex formatione ſerpentis, & mulieris fuerint huiuſmodi inimicitiæ ipſum tamen inimicari actu, non erat, ad eo, quod erant ab initio, & ante ſerpentis tentationem inimicitiæ in actu primo, ſeu in habitu poſt vero tentatione fuerunt in actu.

Secundo, quapropter dixit Deus inimicitias ponam, quia ſecundum veritatem, Deus poſt tentationē ſerpentis poſuit aliquid, quod à principio non erat, nam licet principia ad inimicandū fuerint a natura, tamen ipſum inimicari nondum erat, quia neque homo vſque tunc fugerat ſerpentem, vel malum neque nocuerat ei, nec etiam ſerpens apprehenderat hominem, vt malum, neq; habebat appetitum nocendi, nec de facto nocuerat.

Poſt peccatum autem, quando Deus dixit hæc verba, Inimicitias ponā, &c. ſecutus eſt actus inimicandi. Nam ex parte hominis non fuerunt vſque tunc, actuales inimicitiæ, quia, &c. dono gratuito, quod erat in ſtatu innocētiæ, homo neque timebat ſerpentem, neq; eū, vt malum apprehendebat, timor enim eſt paſſio, & pœna, in ſtatu autē innocentiæ nulla pœna erat, neque eſſe poterat.

Ex parte etiam ſerpentis non erant actualis inimicitia: quia per Dei prouidentiam tenebatur ſerpens, ne homini noceret, neque inſidiaretur, immo neque appeteret ei nocere, quia licet inſitum eſſet ſerpenti, hominē eſſe aliquid ſibi malum, atque adeo præſentata ſpecie, vel figura hominis apprehenderet ipſum, vt malum, ex qua apprehēſione ſecutus eſſet appetitus fugæ, vel odij; tamen potuit Deus facere, quod homo non appareret ſerpenti, ſub ſpecie humana; ſed ſub ſpecie alterius rei quæ eſſet ſerpenti cōueniens, & apprehenſam bonam iudicaret, atque ita ſequeretur appetitus amoris, & proſecutionis; Vel potuit Deus ligare extimatiuam ſerpentis, qua ligata nō ſequebatur appetitus, neque motus, nam ſicut in homine primum principium eſt intellectus, quem in ſequitur appetitus per electionem, & ipſam electionem, ſequitur membrorū executio, ita in animalib. primum principium operationum eſt, extimatiua

cuius

cuius apprehenſionem conſequitur appetitus,& appetitui in animalibus, ſeruiunt omnia membra, in quibus eſt vis motiua; ex quo ſequitur, quod ſi extimatiua non apprehendat, nō poteſt ſequi appetitus,& ſi ille non fuerit,neque erit motus aliquis,proſecutionis,vel fugæ;ad adhærendum,vel nocendum.

Eſt ergo, quod Deus ligauerit ſerpentis extimatiuam;ſerpens non potuit hominem apprehendere, vt aliquid ſibi malum,& diſconueniens, & per conſequens non potuit ſequi appetitus fugæ, vel odij; Vel potuit adhuc alio modo fieri,nempè, quod ſerpens apprehenderet hominem,vt malum, & ſequeretur inde appetitus nocēdi ei, & tamē Deus impediret ſerpentem incutiendo,ei timorem,ne homini noceret,de facto ipſum lædendo.

Sic enim ſæpe aliqui odiunt alios, & vellent eis nocere: verum, quia Deus grauem in eis immittit timorem, non audent nocere,autem aggredi,ſicut patet Gen.35.de Cananeis, qui volebant delere domum Iacob, propter malum, quod fecerant Sicchimitis, quod minimè fecerunt, quia Deus vt inquit ſcripturas, grauem in eius immiſit timorē; ita.n.dicit ſcriptura, cumq; perfecti eſſent, timor domini inuaſit omnes per circuitum Ciuitatis, & nō ſunt auſi perſequi recedentes, ita & ſerpenti potuit Deus talem immittere timorem, vt in ſtatu innocentiæ non auderet nocere neque inſidiari homini.

Cæterum poſt peccatum ablato illo ſuper naturali dono, homo incepit apprehendere ſerpentem, vt malum, & velle ei nocere,aut fugere ipſum.

Serpens etiam incepit apprehendere hominem,vt malum,& appetere,ei nocere,& inſidiari,ac de facto nocere, qa ceſſauit illa prouidentia ſpecialis Dei, qua continebat ſerpentes ne nocere vellent,aut ſaltem nocere non poſſent,atq; ita inceperunt inimicitiæ,de facto, & non prius,& has Deus poſuit, quatenus abſtulit donum gratuitum, & ſpecialem prouidentiam, qua impediebantur,atque adeo rectè dixit; ponam.

Queſt. 11.

Quæritur vndecimo, quare dixit Deus inimicitiam ponam inter te, & mulierem,ſemen tuum, & ſemē illius, cum non ſolum ad mulierem ſint iſtæ inimicitiæ; nec ſolum ad ſemen illius ſerpentis,ſe extendunt,ſed etiam ad virum,& ad omnes alios ſerpentes, dixerunt quidam,non ſolum per hæc verba ſignificari inimicitias eſſe ad mulierem, ſed etiam ad viros:nam ſemē mulieris eſt omnis, qui naſcitur ex muliere, ſiue maſculus ſit,ſiue fęmina, ſed hoc nō videtur ſufficere quia non ſolum erant inimicitiæ contra Euam;ſed etiam contra Adam,& nō poteſt ille intelligi, per ſemen mulieris,cum non ſit natus de aliqua.

Deus quare dixit ſerpē ti inimicitias ponā in te, & mulierem.

Dicendum eſt ergo, quod Deus dixit hæc verba ad ſerpentem,vt maiorē eius innueret pœnam.

Nam videbatur ei pœna,quod ab homine occideretur, vel læderetur; ſed multo maior, quanto ab impotentiori: Eua autem imbecillior infirmiorque erat viro,ideo vt pœna hæc maior ſignificaretur dictum eſt,de muliere atq; de ea additum eſt, & ipſa conteret caput tuum.

Licet ergo eſſent etiam inimicitię ad Adam, & ad omnem hominem,cū ſint inimicitiæ naturales ſpeciem conſequētes, & nō determinatum indiuiduum. Tamen Deus ſolum de muliere eſt locutus,quippe quæ ſola per ſerpentem tentata;atque decepta fuit.

Quo ad ſecundum dicendum eſt, ꝙ ſecundum veritatem ad plures eſt inimicitia hominis, quam ſint ſerpentes, & quod deſcenderunt ab illo,in quo tētata fuit Eua.

Nam in ſpecie in qua erat ſerpēs iſte, plures erant ſerpentes,quam iſte, & ab alijs deſcenderunt ſerpētes,ſicut ab iſto, ſerpentes etiam non ſunt omnes in eadem ſpecie, ſed in diuerſis, ſicut coluber,vipera,ſtellio,disfras,regulus,iaculus,ſcitale,& ita de alijs, & cum omnibus iſtis,eſt hominis inimicitia,ſerpens autem qui tentauit Euam in vna tamē

ſpecie

Digitized by Google

ſpecie harum fuit, quia erat vnicum indiuiduum, atque adeo ab iſto ſerpente non poterant omnes ſerpentes deſcendere, licet in ſpecie, in qua fuit iſte ſerpens, duo ſola indiuidua fuiſſent ab initio.

Dicendum eſt ergo, quod Deus non intendit hic ſignificare id, quod verum erat; ſed quod ad propoſitum pertinebat: verũ enim erat, quod homini ſunt naturales inimicitiæ, ad omnes ſerpentes, nec ſunt iſtæ inimicitię, quia aliquis ſerpens decepit Euam; ſed quia ſerpens eſt aliquid malum homini, ſecundum naturam, & homo ſerpenti, vt explicauimus ſupra.

Cæterum ſi contenderetur, quod ad propoſitũ erat, conueniebat, quod Deus ſolum loqueretur de ſerpẽtibus, qui de ſemine huius ſerpentis erant naſcituri, quippè cum ſolum ſerpens iſte fuerit diaboli inſtrumẽtum ad decipiendum Euam.

Quęſt. 20. Quæritur duodecimo, quomodo intelligantur illa verba, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius, nam eſto, quod homo ex conditione corporis erecti ſerpẽtem lædere poſſet in capite, non tamen in ſolo capite; ſed etiam in toto corpore, cum totum ſit pronum in terra, ſerpens etiam, & ſi ſpecialiter calcaneo inſidietur tamen non ſolum in calcaneo mordet.

Homo quo præferti caput ſerpentis cõterat. Ad primum dicendum eſt, quod fuit primo ad deſignandam grauiſſimã pęnam ſerpentis, eſt enim caput optima animalis pars atque adeo vulnus in capite, eſt peſſimum.

Secundo, fuit ad deſignandam conditionem ſerpentis, nam ſerpens in quacunque alia parte lęſus, non moritur, at in capite lęſus moritur: quapropter ex naturali aſtutia, ſerpens totum corpus opponit pro capite, ne lędatur, in eo; vt ergo ex vulnere, quod mulier inferret ſerpenti innuatur, quod ſerpens moreretur, dicitur, quod mulier conteret caput illius.

Vel tertio hoc fuit ad oſtendendum modum, quo mulier ſerpenti noceret, quod quidem nocumentum ex nocumento, quod ſerpens mulieri vellet inferre ſequeretur: ſerpens enim nocet inſidiãdo, & inſidiatur calcaneo: cum autem inſidiaturus accedit, & appropinquat, mulier pede ſuo caput ſerpẽtis premit, & comprimendo frangit. Potius autem in capite lædit, quia pars iſta eſt, quæ magis mulieri appropinquat, ad nocendum, lædit ergo ipſum, calcando caput eius, quia illa pars tanquam vicinior facilius tangi poteſt.

Quo ad ſecundum dicitur inſidiaberis calcaneo eius, quia ita eſt, quod ſerpens potius his partibus inſidiatur, quã alijs. Vnde infra capit. 49. dicitur fiat Dan coluber in via, Ceraſtes in ſemita mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro: vngula autẽ in æquo, eſt loco calcanei in homine.

Secundo, quia ita conuenit ſerpenti ex conditione ſua Naturæ quo ad corpus, & quo ad animam; corpus enim ſuum ita eſt diſpertitum, vt illis parti, & non alijs inſidiari poſſit, nam eſt totus pronus in terra, homo autem totus erectus non contingens terram, niſi pedib. atque adeo ſerpens hominem tangere haud poteſt, niſi illis in partibus, quibus terram contigit, ſ. pedibus, quorum pars eſt calcaneus, & ideo calcaneo inſidiatur. Serpens etiã, quo ad animã eſt animal timidũ, quia eſt valde frigidæ complexionis, & terreę, ideo non habet audaciam, atque ita nõ audet impugnare hominem palam: ſi autem alijs corporis partibus inſidiaretur ad nocendũ, oporteret manifeſtè aggredi, & videretur, quando ſe in altum tolleret, atque adeo inſidiari non poſſet; cum ergo inſidiando noceat, non poteſt inſidiari niſi partibus iuxta terram, ſ. pedibus.

Tertio, vt oſtendatur diſcrimen vulneris, quod infert mulier ſerpenti, & ſerpens mulieri, atque ex hoc appareat deteriorem eſſe ſerpentis conditionem; nam mulier infert plagas ſerpenti in capite, cum dictum ſit, ipſa conteret caput tuum, & caput eſt digniſſima corporis pars: ſerpens autem pedes lędit, at

nulla

nulla eſt pars in dignior pedibus, quia illis terram tangimus; atq; ita in parte indigniſſima ſerpens hominem lædit, atque ipſe ab homine in parte digniſſima læditur.

Cum ergo dicitur, quod etiam in alijs partibus mordent ſerpentes, dicendum, quod cum ſerpens ex inſidijs noceat, nõ mordet niſi illis in partib. quæ ſunt proximæ terræ, vbi ſerpens latet; naturaliter autem ſoli pedes noſtri terram tangunt, atque adeo in illis eſt naturale ſerpenti poſſe plagas inferre, per accidens autem quaſdã alias partes corporis terræ coniunctas habemus, vt cum extendimus nos ſuper terram, adiacendum tunc quælibet pars eſt proxima terrę: ita vt à ſerpente lędi poſſit; atque ita de manibus, quando terram contingimus illis aliquid operantes, licet non iaceamus proni, atque adeo tunc lædi poſſunt, à ſerpente.

Et ſi quis dicat peſt habet alias partes præter calcaneum, quare ergo ſpecialiter dixit Deus, tu inſidiaberis calcaneo eius? & non dixit tu inſidiaberis pedibus eius? diximus, quod fuit primo, ad o ſtendendum ſerpentis timorem: eſt.n. naturaliter timidus, & ad timidos ſpectat à parte poſteriori lædere: calcaneus autem eſt pars pedis poſterior. ideo calcaneo inſidiatur, & nõ digitis, qui ſunt in anteriori parte pedis.

D.° cur nõ dixit ſerpenti tu inſidiaberis pedibus eius.

Secũdo, propter vultum humanum, nam ſerpẽs, & omnia animalia vultum timent humanum, ſicut dicitur infra c. 9. terror, ac tremor veſter ſit ſuper cuncta animalia.

Tertio, quia, vt diximus ſerpẽs ex inſidijs lędit, at ſi à parte anteriori lęderet non eſſent inſidiæ, quia videri poſſet.

Non poſſum facere, vt aſcribere hoc loco prætermittam alterã iſtorũ verborum allegoricam explicationem quam tetigerũt Seraphion, Eucherius, & Rupertus lib. 2. de victoria verbi Dei cap. 16. & 17. eleganter ad beatam Virginẽ hæc verba refert: ita enim ſcribit, inimicitias, inquit, ponam inter te, & mulierem; tamquam diceret, nunc mulier ſimul, & vir tibi fęderati ſunt tecumque fecerunt pactum, & cum morte fędus percuſſerunt; vtporè, quia a facie mea profugi, atque abſcõditi dum requirũtur a me quare hoc fecerint, contẽnunt vocem commonentis, & defendendo peccatum ſuum, palàm faciunt, quia tibi fauent, tibi conſentientes tui amici ſunt.

Ego autem huiuſmodi amicitias diſſoluam, inter te, & mulierem, inimicitias ponam, cur hoc ad ipſam mulierẽ non dixit? poterat namque vbi dixit mulieri multiplicabo erumnas tuas, & cõceptus tuos, & hoc ipſum ſic ad eamdem dicere, inimicitias ponam inter te, & ſerpentem, & ſemen tuum, & ſemen illius, &c.

Cur ergo non dixit? nimirum duplicem ob cauſam, primum, quia propter peccatum, & peccati defenſionem, hoc mulier non merebatur, vt iam tunc ad eam promiſſiones, tales, promiſſiones tãtæ gratiæ faceret Deus, deinde, quia nõ ad ipſam Euam; ſed ad alteram eiuſdẽ ſexus perſonam, videlicet ad beatã Virginem Mariam intendebat ipſe, qui loquebatur, hæc Rupertus.

Et recte quidem, quia ſic nullus fuit hominũ (vno excepto domino noſtro) gratior, & amicior Deo ipſa beata Virgine; ita nullus fuit inimicior, & inuiſior Diabolo ipſa proculdubio, vt verbis vtar bernardi Hom. 2. ſuper miſſus eſt, caput cõtriuit venenatum, quæ omnimodam maligni ſpiritus ſuggeſtionẽ tam de carnis illecebre, quam de mentis ſuperbia deduxit ad nihilum: & eſt valde notabile, quod dominus dixit inimicitias, & non inimicitiã ponam; cuius ratio eſt, quia quot habet anima virtutes tot habet cum diabolo virtuti crudeliſſimo hoſti inimicitias, atque adeo aliquæ mulieres inimicitiam habuerũt, ideſt modo vnam, modo alteram virtutem, aliquæ habuerunt inimicitias aliquas, ideſt aliquas virtutes: aliquę etiam multas habuerũt inimicitias, quia multas habuerunt virtutes, cæterum inimicitias ſimpliciter ideſt omnes inimici-

Diua Virgo cũ Diabolo oẽs inimicitias habuit.

tias

tias, nulla mulierum habuit, neq; habitura eſt, niſi illa, quæ fuit gratia plena.

Et nõ ſolum poſuit Deus inimicitias inter ipſam diuam Virginem, & Diabolum; ſed inter ſemen ipſius, & diaboli ſemen, eſt autẽ ſemen Virginis Chriſtus, & rectè ſolus, namque hominum ex fœmina tatum ſine virili commiſtione generatus eſt, ſolus eſt (vt inquit Ru pertus lib. 3. de Trinit. & operibus eius, cap. 19. ita ſemen mulieris eſt, vt non ẽt viri ſemen ſit, & hic planè cum illo, antiquo ſerpente inimicitias habuit fortiterque ſeſe exercuit, nec vnquam illi in aliquo conſentiens fuit, & quidem mirabilis oppoſitio atque contrarietas ſemper fuit inter Virginis ſemen, & diaboli ſemen, ſemen namq; Mariæ eſt Chriſtus, ſemen diaboli eſt peccandi, at vbi reperiri poſſunt inimicitię maiores, quã inter Chriſtum, & peccatum, quæ enim conuentio lucis ad tenebras, Chriſti ad Belial. venit autem Chriſtus, vt deſtrueret corpus peccati, & vt diſſolueret opera diaboli, vt quia totum peccatum deſtrui non poterat, niſi illud Chriſtus ſuperſe acciperet, nec vulnerari quidem poterat peccatum, nedũ occidi, niſi ipſe & vulneraretur, & occideretur, ideo venit in ſimilitudinem carnis peccati, & ſuper dorſum eius fabricauerunt peccatores, atque peccata noſtra ipſe tulit, & dolores noſtros, ipſe portauit, inquit, Iſaias 53. peccata noſtra ipſe pertulit ſuper lignum, vt inquit Diuus Petrus 1. cap. ſecundo, in quo, & vulnerari, & occidi voluit, vt peccatis mortuis iuſtitiæ viuamus, cuius liuore ſanati ſumus, quę omnia operatus eſt, quia maximo odio perſequebatur diaboli ſemen, & tu inquit, inſidiaberis calcaneo eius, ideſt ingeres te in extremis vitæ illius, inſidiaberis inquit; ſed non etiam mordere poteris, nam mox ad paſſionem dicẽdũ dixit, venit princeps mundi huius, & in me nõ habet quicquam, vel inſidiatus fuit calcaneo eius, quãdo Chriſtum occidi fecit; tunc enim calcaneũ offendit, i. eius humanitatem, quæ ſicut calcaneus eſt pars inferius corporis, ita & caro, eſt inferior Chriſto pars; nã quoad diuinitatem, quę eſt pars ſuperior, in ea non habuit quicquã, & ſimpliciter inſidiatus eſt calcaneo; quia inferiorem naturam, corpus paſſibile, atque mortale offendit dumtaxat, & hanc adeo infeliciter, qui dum credidit illam occidere, ipſe fuit occiſus, & dũ inſidiatus eſt calcaneo, Chriſtus contriuit caput illius, i. eius ſuperbiam deiecit, atque omnem eius impetum proſtrauit.

Illud etiam, eſt notabile, quod Spiritus ſanctus variè voluit, quod verterentur verba illa ipſa, cõteret caput tuum, nam editio noſtra vulgata legit, ipſa conteret caput tuum, in Hebræo legitur ipſum conteret caput tuum, ſeptuaginta tranſtulerunt, ipſe conteret caput tuũ, quaſi ipſe Spiritusſanctus, qui abſq; dubio idem eſt in interprete, qui fuit in auctore dicere vellet, ecce Maria, ea Diaboli inimica, ipſa conteret caput eius, ipſa demonem occidet, ſed quomodo? forſitan per ſeipſam? aut pariendo eum, qui ſerpentẽ occidat? non a ſe ipſa, ſed mediante ſuo ſemine, atque adeo ipſum ſemen, conteret caput eius, & quomodo? forſitan, vt ſemen? an factum, homo, homo, homo; & ſingulariſſimus homo, & ideo ipſe cõteret caput eius, quem ſenſum apertiſſimè explicat caldaica paraphraſis, quæ nec ipſa, nec ipſum, nec ipſe legit, ſed manifeſte dicit, & filius tuus cõteret caput ei⁹.

DE MALEDICTIONIBUS Mulieris, & in eam lata ſententia.

Chriſo. hom. 17. in Gen.

Mulieri quoque dixit Deus, multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.

Serpens, quia in poſturã intulit, propterea, & pęnam ipſe primos accepit, & quia primo mulierem decepit, ideo, & ipſa prior plectitur pœna, eique dixit

dixit Deus, multiplicabo ęrumnas tuas &c. q. d. ego quidem volebam te citra dolorem, & ærumnam viuere, liberáq; ab omni mętore, & triſtitia, & omni voluptate repleri, & licet corpore circundatam corporalium ſenſu non affici. At quia non vſa es, vt oporteret, tanta proſperitate, ſed affluentia bonorum in tanta te ingratitudine inuexit, propterea tibi frænum impono, vt ne amplius laſciuiæ ad triſtitias tuas, & gemitus te condemnent, multiplicās multiplicabo triſtitias tuas, & gemitum tuū, & in triſtitijs paries filios. Rem inquit magnæ lętitiæ & filiorum propagationem, à triſtitia te incipere faciam, vt & ipſa, quanta peccati, & inobedientiæ magnitudo, perpetuam habens memoriā, ex perpetuis dolorib. & præſertim tpe partus. Et ne proceſſu tpis obliuioni tradas, ꝙ factum eſt, quod hæc in poſtura horū tibi cauſa facta ſit, propterea multiplicans multiplicabo triſtitias tuas, & gemitum tuum, & in triſtitijs paries filios.

Eadem ratione ad virum tuum conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui, quaſi ſe defendens apud mulierē hęc dicit miſericors Deus. Ego inquit ab initio honore parem te formaui, & eiuſdem dignitatis in omnib: participē; & ſicut Adæ; ita & tibi omne principatū concredidi. Cęterū; quia abuſa es honoris dignitate, ſubijcio te viro, & ad virum tuū conuerſio tua: quia relicto eo, qui dignitate par, & eius naturæ particeps, & pp quē formata es, familiaritatem cū ſerpente, mala illa beſtia habere, & eius accipere conſilium voluiſti; ppea poſt hāc illi te ſubijcio, & illum dn̄m tuū aſſero. vt illius, ſ. dn̄um agnoſcas; & quia neſciuiſti imperare, diſce benè regi. Ad virū enim tuum, inquit, cōuerſio tua, & ipſe dominabitur tui. Melius eſt, vt tu ſub illo ſis, & illum dn̄um habeas, quā impauide, & liberè viuens per præcipitia feraris. Itaq; conſiderās, quod tibi vtile, ad illū te habere volo conuerſionem, & ſicut corporis eſt caput ſeq, ſic dn̄ū eius ſuauiter agnoſcere. Ruper. Abb. lib. 3. de trinit. & operib. eius cap: 22. triplici pęna his verbis mulierem puniri arbitratur, propter hoc, ꝙ triplo maius fuit peccatum eius, quā Adami. Primo, quia credendo ſerpenti pluſq̄ Deo ſeducta eſt: Deinde, qa ligni vetiti pulchritudinē & ſuauitatem delectabiliter cōcupierit. E·a triplici pœna Deo plectitur

Tertio, quia non contenta traſgreſſione propria, virum quoq; ad traſgreſſionem induxit. Merito igitur triplici peccato triplex vendicta, præter cōem ſibi cum viro mortem, reddita eſt. Nā quia ſerpenti credidit dicēti. Eritis ſicut Dij; iuſte ipſa contra hoc, quod Deus viuorum eſt, & non mortuorum, non viuorum, ſed mortuorū mater eſſe meruit; dicēte Deo, multiplicabo cōceptus tuos. Omnes .n. cōceptus eius aīa, & corpore in peccato moriuntur, & nemo eorū viuit, niſi viuificetur per Chriſtum. Itē qa viſa illius arboris pulchritudine, intēperanter fructū eius expetiuit pro illo viſus delectamēto cōtrarius redditur vteri dolor. In dolore, inquit, paries. Tertio, quia virū importunitate muliebri ad comedendum illexit; idcirco ſub viri poteſtate, inquit, eris & ipſe dominabitur tui. Ita pro ſeductione conceptuū multiplicitas, pro gulæ oblectamēto vteri dolor, pro temerario imperio, & ſcādalo; ꝙ viro exhibuit, ſeruitutis viri pœna ei reddita eſt. Hactenus Rup. Mag. autem hiſtoriarum in hiſtoria lib. gen. c. 23. volens reddere cām maledictionū ſeu pęnalitatū inflictarū ſerpenti, mulieri, & viro, inquit, ꝙ dn̄s à ſerpente incepit. ordinem ſeruans, & congruū maledictionum numerum. Serpens .n. eſt prius, & plus peccauit: quia in trib. Mulier poſt, & minus eo; ſed plus viro, quia in duob. Homo poſtremo, & minus, quia in vno; ſerpens inuidit, mentitus eſt, & decepit; his trib. redditę ſunt, tres maledictiones. Quia inuidit hominis excellētię, dictū eſt ei, ſuper pectus tuū gradieris. Quia mentitus eſt, punitus eſt in ore: Vnde terram comedes omnib. dieb. vitæ tuæ; imo abſtulit ei vocē, & poſuit ei venenum in ore. Quia decepit, accepit hoc. Inimicitias ponā inter te, & mulierē. In duob. peccauit mulier, ſuperbiuit,

& vetitũ comedit. Quia ſuperbiuit humiliauit eã, dicens ſub poteſtate viri eris violẽta, vt ẽt vulnerib. te affligat, in defloratione. Nunc quidẽ ſubdita eſt viro cõditione, & timore, cui prius ſubiecta erat, ſed amore. Et quia in fructu peccauit, in fructu ſuo punita eſt. Vñ dictum eſt ei, in dolore paries, Adã quia in ſolo eſu peccauit; in labore quærẽdi ſibi edulij punitus eſt. Maledicta terra in opere tuo, &c. Toſtat. q. 732. ſuper 13. ca. Gen. impugnat hæc dicta magiſtri, videntur enim ſi accipiantur, vt iacent eſſe falſa. Nam ꝙ primo dicit, ꝙ ſerpens peccauit prius, & plus muliere falſum eſt, ſerpẽs enim nullo modo peccauit, iõ neq; peccauit prius, neque plus quocunq; enim modo accipiatur. Serpens ſiue pro animali, ſiue pro demone, certum eſt, quod non peccauit. Nã ſerpens. i. animal non peccauit; quia peccare nõ poterat, cum non ſit animal rationale. Demon ẽt qui in ſerpente loquebatur peccare non poterat; quia iã erat obſtinatus: quia in termino. Secundo dicit Magiſter, quod ſerpens peccauit in trib. inuidit, mentitus eſt, decepit, & hoc ẽt falſum eſt; quia ſi intelligat de ſerpẽte animali, nihil iſtorum eſſe poterat, cum oĩa ſint intellectũ habentis, & ſerpens non intelligat. Si autem accipiat ſerpentẽ per diabolo, verũ eſt, ꝙ iſta tria fecit, ſed in eis non peccauit: quia neq; peccare põt, cũ ſit damnatus. Tertio inquit magiſter, ꝙ his trib. in quib. ſerpens peccauit, additæ ſunt tres pęnę vel maledictiones. Cęterũ huiuſmodi applicationes nõ ſunt oĩno ſm veritatẽ. Primo, quia nullæ pęnæ fuerunt datę hic; atq; adeo nõ poterat fieri applicatio ipſarum ſm aliquã rõnem. Secundo, quia etſi iſtę maledictiones verè eſſent pęnę, nõ eſſent illius, cuius fuiſſent peccata, tũ quia neq; demon peccauit, neq; ſerpẽs, vt ſupra oſtenſum eſt; pęna aũt nõ põt inferri niſi pro peccato, atq; adeo maledictiones iſtæ, nõ fuerunt, vt pęnæ. Tũ ẽt, quia certũ eſt, ꝙ iſta fuerũt ſm naturã, nam nulla facta tentatione haberet ſerpẽs iſta, imo habuit ea ex ſua inſtitutione, vt oſtẽſum eſt ſupra. Secũdum ẽt patet, quia ſi aliquod peccatum eſſet hic, aliud eſſet demonis inuidẽtis, mentientis, atque decipientis; atq; adeo illius deberent eſſe pœnæ, & tamen iſta non fuerunt conuenientia demoni, ſed ſerpenti, cum illa omnes ſerpentes, nũc habeant.

Quarto inquit Magiſter, ꝙ Deus abſtulit ſerpenti vocẽ, & poſuit ei venenũ in ore: in hoc dicto ſecutus eſt Magiſter Ioſephũ, ſed oſtenſum eſt, eſſe falſum, quia Deus non mutat naturam propter peccatum.

Toſtatus ipſe vbi ſupra q. 730. hanc mulieris maledictionem in hũc modũ explicat. Poſuit Deus pęnas mulieri pro peccatis eius, & poſtq̃ ad ſerpentẽ Deus dixit maledictionem, dicit ad mulierẽ, & quia oẽs tres, videbantur peccaſſe, ſerpens, Eua, & Adam, omnib. illis pœnas dedit: tenuit aũt Deus ordinem in proferendo maledictiones, vel pœnas ſicut fuit ordo peccandi, vel malum faciẽdi; ſed ſerpens primũ tentauit mulierẽ; mulier deinde comedit, & poſtea vir cõſenſit, & comedit. Ideo primo protulit Deus maledictionem ſerpentis, deinde mulieris, poſtea viri.

Et dr̃ primo multiplicabo ærumnas tuas. i. faciam eſſe multas miſerias tuas; multæ. n. ſunt paſſiones fœminarũ, quæ non ſunt virorum, & conſequenter eas, ex cõdictione ſexus, ſiue aũt ſint iſtę paſſiones aliquæ cõſequentes copulam, & ante conceptum, vel ſint miſeriæ fœminarum in generali, nihil refert, quia neceſſe eſt omne malum mulierũ intelligi in his, quæ ponuntur hic; & verũ eſt de malis illis, quæ ſunt ſpecialiter fęminę, nam mala communia ei, & viro, non ponuntur hic in maledictione eius.

Et cum dixit multiplicabo cõceptus tuos, non accipit conceptus pro re concepta, i. pro fętu, quia non pertinet ad pœnam, ꝙ mulier multos filios habeat, aut concipiat, ſed potius iſtud eſt deſiderium naturale mulierum, ꝙ filios multos concipiant, ſicut dicit Lia infra c. 30. quando ipſa pepererat quatuor filios, & ancilla peperit duos, quos ipſa ſuos

exti-

Digitized by Google

extimabat,& concepto ſexto dixit, hoc pro beatitudine mea beatā quippè medicent omnes mulieres, & vocauit nomen eius Aſſer.i. fęlicem, vel beatū.atq; ita, quando aliqui volebant imprecari proſpera mulieribus imprecabantur eis multitudinem filiorum, ſicut cognati Rebeccæ fecerunt infra capit. 28. Soror mea es creſcas in millia,& poſſideat ſemen tuum portas inimicorum tuorum. Non accipitur ergo cōceptus pro re cōcepta, nec etiam accipitur pro actu concipiendi, quia illud nō eſt aliqua pęna, quod fęmina concipiat, ſed potius ordinatur ad bonum.i.ad formationem fętus accipitur.ergo conceptus,pro tempore,quo mulier tenet fętum in vtero,& vocatur conceptus:quia incipit in conceptione,& finitur in partu;in iſto autem tempore habet mulier multas pęnalitates,& ſunt hęc,ci bi faſtidium,frequentia ſuſpiria, tardus motus, color infectus, immutatio appetitus, & labor in geſtando fętum,& hoc ſpecialiter habet mulier in omni conceptu,& quāto plures conceptus fuerint,tanto magis labores iſti multiplicabuntur.

Si vis lector ſcire,quot ſint anguſtiæ, & ærumnę mulierum prægnantiū lege Plinium lib.7.c.6.& 7.de hac re elegantiſſime ſcribentem,atque etiam Ariſto. lib.7.de hiſtoria animalium.c.8.

Additur in maledictione mulierū. In dolore paries filios tuos, iſtud ponitur vt vna miſeria mulieris,& dicitur in dolore paries,& nō dr̄ in dolore cōcipies; quia in partu eſt grauis dolor,nō aūt in cōceptu;& licet multa ſint alia, in quibus mulier doleat, potiſſimū tn̄ in partu,cum aperiantur ea,quæ ſunt naturaliter cōiūcta,efficiaturque mulier morti vicina;ſicut dixit Chriſtus dn̄s. Io.16. c.mulier cum parit, triſtitiā habet, quia venit hora eius;cum autem peperit non meminit præſſuræ præ gaudio,quia natus eſt homo in mūdum. Vnde obſeruādū eſt, quod dixit. Quia venit hora id eſt in hora mortis eius;& iterū dixit,nō meminit præſſuræ, &c. i. præſſuræ in qua fuit,quando peperit.

Additur vltra,ſub viri poteſtate eris; hoc ēt ad pęnam pertinet, ꝙ mulier ſit ſubdita viro, ꝙ nunc eſt;quia in gubernatione rei familiaris,mulier obedit,& vir regit,& hoc iudicatur pęna,quia nō eſſet futurū ſi nō peccaſſet homo. Quod verò dicitur;& ipſe dominabitur tui,ad idē pertinet. Vir.n.ideſt maritus dominatur fęminę,& comprimit eam,retrahendo ab ijs,quæ ipſa vellet, & inferendo ſæpe pęnas,pro exceſſibus ſuis,quod tn̄ non eſſet ſi non fuiſſet peccatum.

Quæritur primo. Cū prolis multiplicatio magnum ſit bonū, magnumq; parentum gaudiū,atq; ēt futura in Paradiſo,& in ſtatu innocentię ſi homo nō peccaſſet. Quare pro ſcelere admiſſo tanquam ingens quoddam malum mulieri loco pœnæ denunciatur. *Quęſt. 1* *Quæ pœna ſit mulieris p̄lis multiplicatio.*

Aliqui dicūt, ꝙ poſuit Deus in pęnā; quia in Paradiſo non erat futurū, ꝙ fœmina cōciperet; ſed poſtea factū eſt. Et ſi dicatur qūo ergo in Paradiſo multiplicarentur indiuidua in ſpecie humana, rn̄dent, ꝙ non eſſet ibi generatio, ſaltē per cōcubitum, ſed multiplicaret Deus homines formando eos,ſicut Adam, & Euā,qui de nullo geniti ſūt. Sed hoc eſt plnīq̄ falſum; quia in Paradiſo eſſet generatio per concubitū ſicut nunc. Hier. Oleaſter illud multiplicabo conceptus tuos, nō refert ad multiplicationē prolis;ſed ad tēpus quo poſt cōceptū geſtat fœtus in vtero,vſq; ad partū; arbitratur enim ſi nō peccaſſet primus homo fore, vt ſtatim proles cōcepta ederetur in lucem;in pęnam aūt peccati ipſ illud per nouē menſes multiplicatū, & prolatum eſt. Sed hoc nō modo falſum, verum ēt abſurdū,& ridiculū eſt; nā longa māſio fœtus in vtero naturalis eſt; & ex cauſis naturalib. proficiſcitur, atq; adeo non debuit pp peccatū variari:nā ſicut locus ipſius fętus in vtero,ſic modus nutritionis eius, accretionis auctuſq; corporalis naturalia ſunt;& idcirco eadē ante peccatū fuiſſent, quæ ſunt poſt peccatū, ita ēt tāta fętus mora in vtero naturalis eſt, nec peccati pęna. nō.n.ſtatim cōceptus partui maturus,& validus eſt, ſed pau-

latim augeſcens, valeſcens, & matureſcens fit idoneus, vt ex vtero edi queat, quemadmodum non ſtatim poſt partũ viſtam corporis molem, aut rationis vſum aſſequitur.

Alij dicunt, ꝙ non fuit pęna iſta mulieri à Deo impoſita in hoc, ꝙ conciperent, ſed quod conceptus ſui multi eſſent, nam dicitur multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. In Paradiſo aũt conceptus futuri erãt, ſed pauciores, quia ibi ſoli electi gignerentur; hic aũt tã electi, ꝗ reprobi. Et hæc vr̃ fuiſſe ſnĩa Ruperti. Ita.n. ſcribit li.3. de trin. & operibus eius cap.22. Quanta putas hęc ira; quanta eſt vindicta cõcipi, vel naſci tot homines, ꝙ numerum excedant, qui ad dñm, vel ad vitam æternam non pertineant, quib. proinde melius erat ſi nati non fuiſſent. Nempe ſi incorrupta naturæ noſtræ terra permanſiſſet, ſi non Dei benedictionibus peſtẽ maledictũ ſerpentis ſuperinduxiſſet, ſolas bonas arbores, ideſt ſolos bonos germinaſſet homines, & nullum agreſtium lignorum, quę ad hoc nata ſunt, vt excidantur, & in ignẽ mittantur, quia fructũ non ferunt ſucci eius abundantia produxiſſet. Hæc fortis atq; terribilis nimis, & timenda magis ꝗ diſcutiẽda diuini iudicij ſeueritas eſt. Hæc Rup. Hanc ſnĩam impugnat Toſtatus vbi ſup. q.750. Tum quia in eo, in quo eſt benedictio, non põt eſſe maledictio, at in multitudine filiorum eſt benedictio, Lia.n. ſe beatam dicendam à mulieribus dixit, quia habebat ſex filios, & maledicta reputabatur illa, quæ non pariebat. Deut. c.7. atque adeo nõ põt eſſe maledictio in multitudine conceptuũ. Tũ ẽt, quia ſi in multitudine conceptuũ eſſet maledictio, ſequeretur ꝙ in concipiendo, vel in conceptu eſſet aliqua pœna, vel malũ; atque adeo ſi in multis cõceptib. eſſet pœna, in vnico ẽt eſſet conceptu, quia conceptus, & multi conceptus non differunt, niſi per multum, & paucum, atque ita non differunt per pœnam, & per conſequens ſi in multis conceptib. eſſet magna pœna, in vnoquoq; conceptu eſſet aliqua pœna; ſed hoc eſt falſum, quia in Paradiſo non erat futura aliqua pœna, ergo non erat iſtud malum, ꝙ pronunciabatur, quaſi hic ſint multi cõceptus. Præterea in quibuſdam mulieribus hic contrarium apparet, nã multæ mulieres ſunt hic, quæ non concipiunt, vel quia multæ ante ætatẽ pubertatis moriũtur, vel quia ſteriles ſunt, vel quia voto caſtitatis ſe aſtringũt, vel quia à talib. viris cognoſcuntur, qui generare non poſſunt, aut alia ex cauſa. In Paradiſo aũt nulla eſſet mulier niſi forte vltima, quæ non cõciperet, omnib.n. eſſet præceptum dare operam proli. Nullaque mulier ibi moreretur antẽ pubertatem, imo nulla moreretur, nulla haberet ibi propoſitum caſtitatis, nulla eſſet ſterilis, nullus vir frigidus, aut impotẽs, quia iſti ſunt defectus pœnales, & in Paradiſo nulla eſſet pœna.

Præterea de mulieribus, quæ cõciperent neceſſe erat, ꝙ in Paradiſo quædã plures haberent cõceptus, ꝗ aliquæ modo hic habeant; nam quædam ſunt mulieres hic concipientes, quæ vnum tantum concipiunt in tota vita. In Paradiſo autem, vt communiter dicitur, quælibet conciperet duos ſimul, & duos vno partu effunderet.

Nec valet, ꝙ hic ſunt plures cõceptus, ꝗ fuiſſent in Paradiſo, quia hic naſcuntur tam electi, quã reprobi; ibi aũt ſolũ naſcerentur electi, dicendũ, ꝙ licet hoc verũ ſit, tñ ex hoc non ſequitur, ꝙ mulieres plures fœtus concipiant hic, quã ibi concepturæ eſſent: ſed ſequitur tantum, ꝙ tempus cõceptionis, & generationis durat hic diuturnius, quam ibi, quia ibi in paruo tempore compleretur numerus electorum, hic vero durauit mundus vltra quinque millia, & ſexcentos annos, & reſiduum tẽporis ſoli Deo cognitum eſt, qui poſuit tempora, & momenta in poteſtate ſua.

Vnde in pauciori tempore fierent ibi plures generationes, quam hic, datis tot mulieribus gignentibus, ſiue concipientibus, quot hic, atque ita hæc ſententia de multitudine conceptuũ, non eſt multum probabilis.

Alij

Digitized by Google

Alij dicunt, quod conceptus ponuntur in pœnam pro eo, quod ſequitur ad conceptũ, quia fœmina parit, & eſt partus cum dolore, conceptus autem ordinatur ad hoc, quod exeat de vtero, quod ſine graui pœna non fit. & ob hanc cauſam ponitur maledictio in conceptu. Et hæc etiam fuiſſe videtur Ruperti ſententia loco ſupra citato, vbi ſic ſcribit. Mulier quippe quanto fœcundior, tanto ærumnoſior poſt ſingulos conceptus dolor cruciat per ſingulos partus; ſed hoc ſtare non poteſt, quia tũc littera eſſet ſuperflua; nam poſtquam dixit. Multiplicabo conceptus tuos, addidit in dolore paries filios, quod non diceret aliquod malum vltra id, quod ſignat, multiplicabo cõceptus tuos, ſi vera eſſet hæc ſententia, & tamẽ multiplicatio conceptus eſt diſtincta pœna ab ea, quę eſt parere cum dolore.

Dicendum eſt ergo, quod iſta maledictio intelligitur de conceptu accipiendo conceptum non pro fętu, qui concipitur, neque pro actu concipiendi, quia in his non eſt pęna, vt dictum eſt ſupra; ſed pro eo tempore, quo mulier geſtat in vtero fœtum, quia in illo tẽpore ſunt multæ difficultates, & pœnæ quouſque emittat fœtum de vtero, quæ pœnę nõ potuerunt per aliquod notius deſignari, quam nomine conceptus.

Cum itaque dixit Deus. Multiplicabo conceptus tuos, non intulit pœnam in multitudine prolis, cum potius in ea ſit gaudium, ſed nomine conceptus pęnam ſignificauit, quæ mulieribus accidit poſt conceptionem, & cum illa accidat quãdocumque mulier concipit, neceſſe eſt, quod quanto plus multiplicati fuerint conceptus, tãto pęna ſit grauior. Quamobrem, non ſolum dixit, quod daret ei conceptus; ſed quod multiplicaret cõceptus, vt magnitudinem, & frequentiam pœnæ deſignaret.

Cæterum ſi alicui placeret accipere conceptum pro fœtu, dici poteſt, quod multiplicatio cõceptus poſt peccatum, quatuor ex cauſis intelligitur pœna mulieris, & magnum quoddam malum.

Primum, quia multi cõceptus, priuſquam ad maturitatem, & perfectionem veniant, per abortum in vtero matris intereunt. Deinde, quia multi generantur partium corporis, vel mole, vel numero, vel figura, vel ſitu, vel deformitate, & imbecillitate, vel ſenſuũ vitio, vel animi, vel rationis defectu deprauati, atque monſtruoſi, quod maximo dolori eſt parientibus. Præterea eorumque generantur pauci ſunt electi, & prædeſtinati plerique vero, propter eorum flagitia æternis ſupplicijs deſtinati; His accidit multitudinem prolis, plerumque vel ob parentum paupertatem, cui educandæ non ſufficiunt, vel propter flagitioſam, & probroſam filiorum vitã, vel propter miſerrimos caſus, & exitus acerbiſſimum parentibus tormentum, & infortunium eſſe ſolere. Hæc Pererius. Sed huiuſmodi pœnæ non ſunt naturales, neque omnes comprehendunt mulieres, nam multæ ſunt mulieres, quæ numquam fecerunt abortum, neq; mõſtrum pepererũt; eſſe etiam poteſt, quod mulieres aliquę omnes filios genuerint electos. Et quarta cauſa, ut plurimum apud diuites locum non habet, tenenda eſt ergo Toſtati explicatio, quæ veriſſima eſt; quam etiam tetigit. D. Chriſoſt. hom. 17. in Gen.

Quæritur ſecundo, cum naturale ſit mulieri cum dolore parere; Quomodo Deus Euæ pro ſceleris admiſſi pœna dolores partus inflixit? quod autem naturale ſit mulieri, cum dolore, & dolore parere filios, ex eo patet; quia naturalis vteri meatus anguſtior eſt, quam vt per eum fœtus exire poſſit, quamobrẽ clauſtra vteris, præter naturalem eius conſtitutionem, vehementer laxari, & dilatari neceſſe eſt, quod ſine magno doloris ſenſu fieri nequit. Fieri enim non poteſt cõtinui diuiſio ſine dolore naturaliter in ſentiente, in partu autem fit quædam diuiſio continui, ergo ſecundum naturam ſequitur dolor in partu. Preterea in brutis non eſt peccatum, atq; adeò non eſt pęna data pro peccato. Sed quicquid eis accidit eſt ſecũdum naturam, at bru- Queſt. 2 *Natura le eſt mulieri cũ dolore parere.*

tis in pariendo, ineſt dolor, ergo naturaliter accidit, & quanto eſt in diſpoſitio maior ad vteri appetitionem, tanto eſt maior dolor, ſed ita eſt fœmina ſpeciei humanæ, potiſſimè, quia ſenſus tactus eſt perfectior in homine, quàm in alijs animalibus, & ſecundum illū eſt dolor, atque adeo ſecundum naturam maior erit dolor in pàrtu mulieris, quàm in pecoribus.

Mulieres ī ſtatu innocētiæ peperiſſent ſine dolore ex Dei ſingulari prouidentia.

Dicēdum eſt ergo, quod naturale eſt mulieribus cum dolore parere; Verum in ſtatu innocentiæ Deus ſingulari quadā, & ſupernaturali ratione, mulierem omni labore, & dolore partus liberaſſet, feciſſetque, vt fœtum, & ſine labore, ac moleſtia in vtero geſtaret, & ſine vllo doloris ſenſu in lucem ederet. Qua Dei gratia, & beneficio propter peccatū priuata mulier obnoxia fuit doloribus partus; Quia ſanè dolores ſimpliciter quidē natura les ſunt mulieri: reſpectu autem habito ad ſtatum innocentiæ, in quo ab huiuſmodi doloribus immunis, & vacua Eua fuiſſet, peccati pœna cenſeri debent, atque adeo iſta mala dicuntur in pœnam data, licet alias ſecūdum naturam euentura eſſent, niſi dono ſupernaturali impedirentur.

Sed quomodo fieri potuit, vt in ſtatu innocentiæ mulier ſine dolore pareret.

Reſpondet D. Aug. lib. 9. de ciuitate Dei c. 26. Cum fœtus in vtero iam partui fuiſſet maturus, tunc fore, vt materna viſcera ſponte in tantum laxarentur, vt commodum fœtui ſine matris dolore tranſitum præberent. Sic ad pariendum ait Aug. non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus, fœminea viſcera relaxaret, vt ad concipiendum non libidinis appetitus, ſed voluntarius vſus naturam coniugis vtriuſq; coniungeret.

Cæterum ſcire oportet priuationem illam dolorum in partu, non tantū non potuiſſe proficiſci; ex vlla cauſa naturali, ſed neque ex aliqua virtute ſupernaturali, in corpore, & membris ipſius mulieris inhærente ac manente eſſe profectam; Verum quotieſcumque id fiebat, nouo Dei potentiæ miraculo fiebat, quamquam, quia id fuiſſet in eo ſtatu, vſitatum, & perfectum, non fuiſſet pro miraculo habitum.

Quæſt. 3

Quæritur tertio, Quomodo additur pro pœna mulieri eſſe ſub viri poteſtate, cum etiam in ſtatu innocentiæ fuiſſet mulier ſubdita viro? Pro huius quæſtionis ſolutione aliqua obſeruāda ſunt.

Vir ſecūdum naturā eſt dignior muliere.

Primo obſt. eſt quod vir eſt ſecūdum naturam dignior muliere. Tum quia ſecundum naturam ſublimiorem habet intellectū, quod patet ex eo, quod diabolus fallendo non eſt auſu incipere à viro; quia cognoſcebat eum eſſe intellectum ſublimiorem, & qui nō facile deciperetur; ſed incepit à muliere, quia iudicauit, eam eſſe minorem ſecundū intellectum. Tū quia mulier ſeducta eſt à ſerpente, vir autem nō fuit ſeductus, licet eadem fuerint præpoſita viro; quæ fęminę ſicut dicit Apoſtolus 2. Timoth. c. 2. Adam non eſt ſeductus, mulier autē ſeducta in præuaricatione fuit; ſed ſeduci eſt ex eo, quod quis credit, de re aliter, quam ſe habeat; ſed hoc non prouenit, niſi quia intellectus non ſufficit diſtinguere inter verū, & falſum, ex quo ſequitur, quod qui magis decipitur, vel decipi poteſt imbecilliorem habet intellectum, fœmina igitur minorem habebat intellectū; quia ſed ducta fuit, & ſeduci potuit in his; in quibus vir ſeduci non potuit. Tum etiam, quia fœmina habet ad virum eandem habitudinem; quam habet viro, ad Deum: nam vir eſt caput mulieris; caput autē viri eſt Chriſtus; caput Chriſti eſt Deus, 1. Cor. c. 11.

Et etiam vir eſt imago Dei, & fœmina non eſt imago Dei, ſed viri, cum dicatur eodem capit. vir autem non debet velare caput ſuum, quia imago, & gloria domini eſt, mulier autem gloria viri eſt; ſed quod vir ſit imago Dei, & fœmina viri, non conſtat per ea, quæ conueniunt eis per peccatum, ſed per naturalia; ergo vir eſt dignior muliere ſecundum naturam.

Mulier in ſtatu innocentiæ nō erat omnino æqualis viro.

Secundo obſt. eſt, quod mulier in ſtatu innocentiæ non erat omnino æqualis viro, ita quod nulla eſſet viri ad mulierem

lierem præſidentia. Nam ſi nulla fuiſſet ibi futura præſidentia, nullus fuiſſet in dignitate naturali exceſſus, quia inter æqualia non eſt præſidentia. cum ſecundum naturam ſuperiora ſecundum virtutem, agant in inferiora, & nihil ſit ſuperius alio, quod non habeat in illud aliquã actionem; ſi ergo nulla fuiſſet præſidentia, ſed pura æqualitas inter virũ, & fœminam, fuiſſet etiam ęqualitas in dignitate naturæ, quod eſſe falſum patet ex his, quæ ſupra diximus, & maxime ex verbis D. Pauli 1. ad Cor. 11. dicentis, quod vir eſt caput fœminæ, & Chriſtus viri, & Deus Chriſti, ſed ibi nõ poteſt eſſe comparatio ſecundum peccatum, aut pœnam conſequutam ex peccato cum nihil tale ſit in Deo, ex Chriſto ergo eſt ſecundum dignitatem naturalem, atque adeo ſicut Deus eſt naturaliter maior Chriſto, inquãtum eſt homo, & ideo eſt caput eius, ita vir eſt maior, & excellentior muliere naturaliter, & ob hoc conſtituitur caput eius.

Subiectio eſt vbi eſt principatus. Tertio obſt. eſt, quod ſubiectio eſt vbi eſt principatus, & vbi inuenit̃ principatus proprie; eſt ſubiectio proprie, & quanto magis ſtricte inuenitur principatus, tãto magis ſtricte inuenitur ſubiectio.

Inter homines 4. ſunt cõicationes. Quarto obſt. eſt, quod inter nos ſunt multæ communicationes. ſ. naturalis deſpotica, œconomica, homogalatica, & politica, vt docet Ariſt. 1. Politicorũ cap. 1. communicatio naturalis eſt propter ſimile. Tertium derelinquere, quæ *Cõicatio naturalis q̃d ſit* copulat duo, ſ. marem, & fœminam, ad generandum, & fœtos genitos educat, quouſque ipſi ſunt potentes alere ſeipſos, & circa vtrumque eſt aliquis modus *Cõicatio deſpotica q̃d ſit* imperij, & ſubiectionis.

Communicatio deſpotica eſt dominj ad ſeruum. Communicatio œconomica eſt in qua proprie eſt principatio, *Cõicatio œconomica q̃d ſit* & ſubiectio, & eius finis eſt habere diuitias; vt dicitur lib. 1. Ethy. c. 1. conſtatq; *Cõicatio homogalatica q̃d ſit.* ex naturali, & deſpotica cõmunicatione, quia in ea ſunt ſex extrema, ſcilicet, Vri, Vxor; Pater; Filius, Dominus, & Seruus.

Cõmunicatio homo galatica, eſt cognatorum inter ſe quatenus communicant in quibuſdam inter ſe, in quibus non communicant cum alijs hominibus, & in hac communicatione is pręſidet, qui maior, & honorabilior eſt in tota cognatione cæteri autem obediunt ei.

Cõicatio politica quid ſit. Poſtremo communicatio politica, eſt principaliter propter ſeſe inſufficientiã omnium; quæ pertinent ad vitam, & ad hoc oportet aggregari multos; in quantum nullus nunc ſolitarie viuens abundat omnibus, viuentes autẽ ſimul abundant, quia adiacet vnicuique particula alterius, vt habetur libro tertio Politicorum.

Cõicati deſpotica nõ fuiſſet i Paradiſo. Ex his dici primo, quod communicatio deſpotica, quæ eſt Domini, & ſerui non fuiſſet in Paradiſo, quia ſeruitus eſt pœna, immo pœnarum maxima, ſed in Paradiſo non eſt pęna; nam & in maledictionem datur, vt patet infra cap. 9. Cum dixit Noè maledictus Canaam, ſeruus erit fratrum ſuorum, atque ita fœmina non fuiſſet ibi ſerua, quia non fuiſſet maledicta ante peccatum. Præterea Eua erat vxor, & mulier, mulieris autem ad virum nõ eſt communicatio deſpotica; vt oſtendit Ariſto. 1. Politicorum. cap. 1. quia mulier eſt ſolum extremum communicationis naturalis, non autem deſpoticę; quia natura facit vnũ ad vnum, & non vnum ad plura, ergo Eua quæ erat mulier, & vxor Adæ non eſſet ſeruus eius; atque ita non eſſet ibi ſubiectio correſpõdens principatui deſpoſitio.

Cõicatio œconomica non fuiſſet in ſtatu innocentiæ Dico ſecundo, quod in ſtatu innocentiæ non fuiſſet communicatio œconomica, quia finis œconomicæ communicationis, vt diximus eſt habere diuitias, ſed ibi nullæ diuitiæ habebantur, & nullę procurabantur, ergo ibi non erat communicatio talis. Præterea communicatio œconomica conſtat ex naturali, & deſpotica; ſed in Paradiſo non poterat eſſe deſpotica communicatio, quia nulla fuiſſet ibi ſeruitus; quæ eſt pęna, vt dictum eſt.

Digitized by Google

Ideo neque potuit eſſe œconomica; quæ eſſentialiter conſtat ex deſpotica; deinde communicatio œconomica eſt propter habere abundantiam rerum neceſſariarum ad vitam, vt docet Ariſt. 8. Ethyc. cap. vndecimo vbi ſcribit, quod inter maſculum, & fœminam inter homines eſt aliquod vltra id, quod eſt in animalibus, quia in animalibus, eſt cõuentus maris, & fœminæ, ſolum ad ſimile tertium derelinquere, in hominibus non ſolum ad hoc, ſed etiam propter communicationem operum, vt apponentes propria ad cõmune magis abundent, & huius cauſa eſt operum diuerſitas, quare non ſunt eadem maſculi, & fœminæ opera; atque adeo diuiſim manendo nemo ſibi ſufficeret, vt coniunctim manendo, eſt communiter ambobus ſufficientia.

In Paradiſo autem non fuiſſet aliqua indigentia, ad quam oporteret apponere opera viri, & fœminæ, & per conſequens non conueniebat eſſe talem communicationem.

Cõicatio homogalatica nõ fuiſſet in ſtatu innocentia. Dico tertio, quod in ſtatu innocentiæ non fuiſſet communicatio homogalatica; quia iſta habet originem ex parua charitate; quatenus homines, quaſi nullo amore feruntur in alios homines niſi eos, qui proximi ſunt eis in ſanguine.

In Paradiſo autem fuiſſet magna charitas inter homines, & multa conuerſatio, atque ita non eſſet diſtinctio homogalatarum.

Præterea hæc communicatio locum habet diuerſitate habitationis, eſt enim communicatio homogalatica. Vitalis ideſt eorum, qui habitant in vno loco, quia cognati ſolent ſimul habitare dicente ſcriptura.

Iucundum eſſe habitare fratres in vnum Pſal. 132. atque ita Ariſto. vocat vicum communicationem iſtam, quæ eſt gratius vſus non diurnalis, ideſt Politicorum, cap. 1.

In Paradiſo autem non eſſet vicus, cum neque eſſet domus: quia domus eſt propter indigentias quaſdam, quæ non fuiſſent in Paradiſo; ibi enim mixtim manerent nullum certum locum habentes, cum neque domibus vterentur, atque adeo non diſtinguerentur homines per vicinias, & vicos.

Præterea eſto, quod in Paradiſo fuiſſet talis communicatio, adhuc non fuiſſet inter virum, & fœminam; quia illa eſt inter viros, qui ſunt de eadem progenie; & principatus eſt penes antiquiorem, vel ſeniorem, vt dicit Ariſtot. alij minores obediunt, inter Adam autem, & Euam non poterat eſſe talis communicatio principatus, & ſubiectionis.

Dico quarto, quod in Paradiſo non fuiſſet communicatio politica. Tunc quia iſta eſt principaliter propter per ſe ſufficientiam omnium, quæ pertinent ad vitam. *Cõicatio politica non fuiſſet in Paradiſo.*

In Paradiſo autem, quilibet per ſe haberet omnium ſufficientiam, cum ſponte humus omnia produceret, ergo non eſſet politica.

Tum quia in omni politia requiritur lex.

In Paradiſo autem non fuiſſet lex; quare lex poſita eſt peccatori non iuſto, 1. Thim. capit. primo, atque adeo non eſſet ibi politia, legem autem ad politiam neceſſariam eſſe docet Ariſt. libro 3. politicorum dicens, eos eſſe ciues, qui communicant loco, & lege.

Tum etiam quare in. Politia eſt iudex, quem Ariſt. Iuſtitiæ diſtributiuum appellat, eumque dicit in ciuitatem magis eſſe neceſſarium pane libro tertio, Politicorum.

Sed in Paradiſo nullus iude. eſſet, cum neque eſſet contentio vlla dirimẽda per iudicem; Ergo non eſſet ibi politia, atque ita neque principatus, & ſubiectio politica. Vnde neque Adam hoc modo præſideret, neque Eua ſubijceretur.

Dico quinto, quod in Paradiſo fuiſſet communicatio naturalis, quę eſt per ſimile tertium derelinquere, quæ vt diximus habet duos copulare, i. marem, & fœminam ad procreandam prolem, & prolem genitam educare. *Cõicatio naturalis fuiſſet in Paradiſo.*

De

De primo ſcilicet, de copulatione Pſalm. quia Deus non dederat mandatum Adæ, & Euæ de certo tempore copulationis, ſed per rationem determinandum erat ab eis; & quia neque natura determinabat eos ad certum tempus, ſed ſola ratione definiendum erat; & eſſet ad hoc libertas, ſed non accidit duos homines ſemper concordare in eodem volito, etiam ſi ambo ratione regantur. Ideo in his, quę dependent ex arbitrio, neceſſe eſt dare vnum, à quo dependeat determinatio aliorum, quia aliàs numquam eſſet concordare, niſi per accidẽs, & ob hoc debebat ſtare Eua determinationi Adæ circa hoc; & ſtetiſſet de facto, ideſt, quod cum Adam iuberet copulandum obedirer, vel aſſentiret Eua, & vbi ille iuberet, & quoties, atque ita de alijs circumſtantijs.

Et hoc iuberet Adam; quia erat vir, & caput mulieris, & magis intelligẽs; & ſicut ratio præeſt naturaliter alijs partibus animæ ratione communicare valentibus, ita & Adam Euæ, quia licet ambo vterentur ratione, tamen Adam excellentioris erat intellectus, atque adeo erat Adam reſpectu Euæ, vt ipſa ratio per eſſentiam. Eua autem, vt pars animæ ratione participans atque adeo regulanda erat, Adam etiam circa hoc, erat vt agens, Eua vero vt recipiens, & ideo non poterat eſſe principium motus; ſed totum imperium penes virum reſidebat.

De ſecundo, quod erat liberorum educatio verum eſt, quod iſta non eſſet difficilis in Paradiſo, ſicut nunc propter miſerias, & pœnalitates natorum. Fuiſſet tamen aliquis actus in educatione, quia paruuli nati nõ potuiſſent ſtatim ſe alere, cum neque haberent operationem corporis perfectas, & circa hoc vir aliquid fęminæ imperaſſet; cum filij eſſent communes; & licet educatio magis ad illam pertineret, fieret tamen per arbitrium viri, & quicquid alterum eſſet, quod concerneret hæc duo, vel aliquam communicationem actionum, illud per virum tamquam per maiorem, & caput ordinaretur, & fœmina obediret ei in illo. Ex dictis Pſal. primo, quod Eua non fuiſſet ſubdita Adæ in Paradiſo eo genere ſubiectionis, quo hic homines mutuo ſubduntur, cum non eſſet ibi communicatio aliqua, & principatus de his, quæ hic ſunt; ſecundo Pſalm. quod fuiſſet ibi aliqua præſidentia inter Adam, & Euam, quæ etiam futura erat ſi homines non peccarent.

Quæritur quarto, Quomodo mulier ante peccatum eſſet ſubdita viro? Magiſter hiſtoriarum in Gen. cap. 23. dicit, quod mulier erat ante peccatum ſubdita, & etiam poſt peccatum, ſed prius erat ſubdita amore, nunc vero conditione, & timore. Cæterum quamquam hoc verum ſit; non videtur tamen ſufficiens, primo quatenus dicitur, quod mulier erat prius ſubdita amore, nam quòd amore ſubditur non eſt ſubditus, ſed ipſe ſe ſubdit, atque ita, quòd maior eſt poteſt effici ſubditus, quia ex virtute humilitatis ſe ſubdit; ſicut dixit Chriſtus. Qui maior eſt inter vos fiat miniſter veſter Matth. 20. Et ipſe Chriſtus, qui ſecundum naturam maior eſt omnibus, cum ſit Deus ſubdidit ſe hominibus, vt iudicaretur ab eis; nam exinaniuit, atque humiliauit ſemetipſum ad Philip. capitulo ſecundo, atque, adeo ſi fœmina fuiſſet tantum viro ſubdita amore, ita poſſemus dicere virum fœminæ amore ſubditũ fuiſſe, ideſt, virtuoſo amore, atque ita non appareret, an vir eſſet ſubditus fœminę, vel fœmina viro. Quæſt 4

Secundo, pro vt dicitur, quòd nunc fœmina timore eſt ſubdita Viro, nam aliquæ ſunt fœminæ, quæ amore ſubduntur; quippe quæ ex deſiderio virtutis, & non timore pęnæ ſe ſubijciunt, atque ita non videretur nunc in eis eſſe differentia primi ſtatus, & huius.

Aliqui vero dicunt, quod ſecundum naturam inter virum, & fœminã erat inæqualitas dignitatis, nulla tamen inter eos fuiſſet præſidentia atque ſubiectio;

iectio; nam eſſe aliquid nobilius altero non inducit pœnam alicuius eorum, quia alias omnia eſſent cum pœna niſi Deus, qui eſt omnibus maior, quod eſt falſum; quia Beati nullam pœnam habent, & tamen ſunt minores, atque ipſi inter ſe ſunt inæquales: de præſidentia autem, & ſubiectione dicunt, quod non poteſt eſſe ſine pœna, & per conſequens non fuiſſet ante peccatum, atque ita non fuiſſet Eua Adæ ſubdita.

Sed hoc eſt falſum, quia licet in Paradiſo non fuiſſet talis ſubiectio mulieris ad virum, qualis nunc eſt; fuiſſet tamen ibi aliqua præſidentia; & aliqua ſubiectio, & ſi homines numquam peccaſſent.

Nō omnis ſubiectio eſt pœnalis.

Non enim omnis ſubiectio pęnalis eſt, & mala, ſed duo ſunt quæ faciunt ſubiectionem pęnalem; primum eſt quod ſit coacta, vt quia totaliter eſt ab extrinſeco; & non conſonat interius principium motiuum ſubdito imperio principantis, aut ſaltem non fit ad bonum ſubditi; quando autē in ſubiectione inueniuntur duo contraria, ad hæc eſt ſubiectio ſine pœna, & miſeria, primum patet in ſubiectione paruulorum, qui inſtruuntur in litteris, & primis rudimentis; quia hoc eſt coactum: nollent enim vacare litteris, ſed ludis; & verberibus, trahuntur ad litteras: hoc enim eſt contrarium; ad ſecundum, quia ad bonum ipſorum fit, quod cogantur ad litteras per verbera, & non ad bonum principantium; tamen, quia hoc eſt contra principium motiuum in pueris, ſcilicet contra iudicium, & appetitum, eſt iſta ſubiectio coacta; iudicat enim ſibi malum ad litteras cogi, & ideo appetunt fugere ocia litterarum, & coactionem, qua in litteris tenentur atque, adeo erudiri in illis cum quadam coactione, quædam pœna, & miſeria puerorum eſt, licet ad bonum ordinetur cæterum ex cōditione naturæ inordinatæ eſt, quod non poſſint ad bonum duci ſiue pœna, & coactione.

Secundum apparet in ſeruis; aliquando enim ſeruus ex virtute, vult domino ſeruire, non ex coactione. Sed ſponté, & hoc vel quia virtute eſt præditus, & vult ſponté agere id, ad quód cogendus eſſet, vel quia prudens eſt, & volens ſibi ipſi bonum facere, vult facere ſponté, quod inuitus ágeret, ne ſibi grauiorem reddat ſeruituté, quæ quidem grauior eſt, quo magis inuoluntaria fuerit; & vtroque modo eſt ſponté, & non coacté agere, quod iubet principatus, & tamen iſta ſubiectio eſt cum pœna, & miſeria, quia hoc quod ſeruus ibi agit non prodeſt ſubito, ſed principanti, & eo fine illa agere iubetur, vt principanti proſit.

Tertium, patet in ſubiectione qua Deo ſubditi ſumus; tam naturaliter, quam ſpecialiter, & beatificé. Naturaliter enim omnia entia ſunt ſubdita Deo, tamquam rectori, & Gubernatori, & ei ſubdi, non eſt eis pœna, ſed eſt totum bonum eorū; quia per hoc quod ei ſubduntur recipiunt influentiam ab eo; ſecundum quam conſeruantur in eſſe, & ſi omnia non eſſent ei hoc modo ſubdita, deſinerent eſſe hoc quod ſunt; ſimile eſt de ſubiectione, qua ſubijcimur Deo in eſſe ſpirituali, & gratuito obſeruantes mandata eius, nam licet ſubiectio ſit; quia agimus, quod imperatur nobis, tamen melius eſt ſic eſſe, & ſponté agere, etiam rem duram imperatam; quam non ſubijci quia per ſic ſubijci perficimur in eſſe ſpirituali acquirendo cariſmata magnarum gratiarum, & donorum, quæ non acquireremus, ſi nō eſſemus ſubiecti, & tunc magis ſponté, quod imperatur; & hoc ipſum, quod agimus non eſt ad vtilitatem, vel bonum imperātis, licet cedat in eius honorem, ſed ad bonum noſtrum ordinatur; quia Deus bonorum noſtrorum non indiget Pſalm. 15.

Idem apparet de ſubiectione, qua beati Deo beatificanti ſubduntur. Nemo enim negat beatos ſubditos eſſe Deo, imo ſacra ſcriptura aſſerit eos ſeruire Deo, & regiā Deo, patet Apoc. 7. & tamen certum eſt nihil maius bonum eſſe, quam effici beatum; non eſt ergo

omnis

omnis ſubiectio pœnalis; atque ita in Eua fuiſſet quædã ſubiectio ad Adam quæ non fuiſſet pœnalis, quia non eſſet coacta, nec ad bonum Adæ imperantis, ſed Euæ, aut ſaltem ad bonum amborum.

Quæſt. 5 *Qualis eſt ſubiectio qua mulier poſt peccatũ facta eſt ſubdita viro.*

Quæritur quinto, qualis ſit hæc ſubiectio, quæ mulier poſt peccatum effecta eſt ſubdita viro? nam cum aliqua fuiſſet ſubiectio fœminæ ad virum in Paradiſo, atque illa fuiſſet naturalis, quæ etiam nunc manet, dubium eſt, quæ vltra illam addita ſit ſubiectio, cum dicitur, ſub viri poteſtate eris.

Quidam dicunt, quod per iſtam maledictionem immutatæ fuerunt, vires mulieris, ita vt fragilior efficeretur viro; adeo vt vir poſſet ei imperare, & eam de facto comprimere cum opus eſſet: à principio enim vir, & fœmina fuerunt formati viribus æquales, ita vt non poſſet, vir ſubijcere fœminam, licet vellet, at poſt peccatum ipſa effecta eſt infirmior robore, ſed hæc ſententia ſtare nõn poteſt, imo videtur pertinere ad quorumdam Iudæorum inſanias, qui etiam aſſerunt ſolem, & lunã fuiſſe à principio lumine æquales, atque lunam inuidiſſe, & peccaſſe, atq; adeo à Deo lumine diminutã, ſed hæc fabulæ ſunt, à Catholicis uiris haud ſuſcipiendæ, & quantum ad propoſitum ſpectat; Deus non mutat naturam propter peccatum, ſed ſic eſt, quod naturale eſt fœminæ infirmiorem eſſe viro, & generaliter nũc inuenitur in omnibus ergo Deus eius naturam non mutaſſet; Etſi dicas contrarium fuiſſe, naturale, ſcilicet fœminam & virum eſſe æqualens robore; illud Deus non mutaſſet, cum neque in diabolo, quod grauius peccauit naturalia ſint mutata, vt docet D. Dioniſius de diuinis nominibus, cap. 4.

Sed nunc mas, & fœmina non ſunt æquales robore, ergo nõ fuit vnquam naturale. Præterea homo communicat cum brutis in eo, quod eſt eſſe animal, atque, adeo quantum ad ea, quæ corpus ſunt, concordat in plurimis, ſed in omnibus animalibus generatę eſt, vbi eſt diſtinctio maris, & fœminæ, quod maſculus ſit robuſtior, & præſtantior, ergo, & in ſpecie humana hoc reperiendum erat: animalia autem non fuerũt maledicta, cum non peccauerint, & manet in eis omne, quod aliquãdo fuit eis naturale; atque ita naturale fuit eis ſemper maſculos eſſe robuſtiores, & hoc etiam nunc in hominibus reperitur, ideo ſemper fuit in eis, ſicut in alijs animalibus atque ita non fuit mutatum robur propter peccatum.

Dicendum eſt ergo, quod vltra ſubiectionem naturalẽ, qua fœmina obediret viro circa communicationẽ naturalem in definiendo de copula, vt ſupra oſtenſum eſt; ſubiectio alia, quę non fuiſſet prius, neque eſſet futura ſi homo non peccaſſet, quæ ſubiectio negat.

Primũ mulieris gradus honoris ſuper virum, aut viro eſſe æqualem, & hoc apparet in doctrina: quia non permittitur mulieri docere; ideſt neque doceat viros neque fœminas, primo Timoth. 2. Docere autem mulieri non permitto.

Secundo fœmina non poteſt loqui in Eccleſia, quærendo aliquod, neque in publico inter viros, ſed ſoli viri. Vnde fœminæ non conueniunt ad actus publicis, neque habet voces in congregationibus, & hoc prouenit, ex pœna ſubiectionis, quæ nunc eſt data fœminæ ad virum, vt docet Apoſt. 1. Corint. 14. Mulieres in Eccleſiis taceant; nõ enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut lex dicit, ſi quid autem dicere voluerint domi viros ſuos interrogent, lex autem iubet mulierem ſubditum eſſe, ideſt ſub viri poteſtate eſſe.

Tertio, Viri denominãtur à mulierib. nõ quidem denominatione, quæ eſt ad ſeruum; ſed denominatione, quæ eſt in gubernando, qualiter placuerit, & eſt medium inter principatum deſpoticum, quod eſt domini ad ſeruos, & principatum politicum, qui eſt rectoris ad partes politiæ, & vocatur large dominatio, & hoc colligitur ex verbis Apoſt.

Digitized by Google

Apoſt. 1. Thim. 2. docere autem mulieri non permitto, ſed neque dominari in virum; in hoc quod dicitur neque dominari in virum, non ſolum intelligitur negatiue, quod mulier non dominetur viro; ſed etiam affirmatiue, quod vir dominetur mulieri, nam ambo, quæ poſuit ibi negatiuè, poſuit alibi affirmatiue; ſcilicet quod vir doceat mulierem, & quod habeat eã ſibi ſubditam, 1. Corinth. 14.

Quarto ex hac ſubiectione vir, poteſt punire fœminam, verberando eam; quando oportuerit, quod fœmina non habet ſuper virum, quantumcunque ille malus, & iniuſtus ſit; Ex quò patet, quod ſubiectio Euæ ad Adam, poſt peccatum, erat pœna quædam, atque adeo non fuerat, neq; futura eſſet in Paradiſo terreſtri, ſi ibi homines permanſiſſent.

Quæſt. 6

Plus eſt ſub viri poteſtate, quam ei ſubijci.

Quæritur ſexto, an idem ſit ſubijci viro, & eſſe ſub eius poteſtate ad quod reſpondetur, quod plus eſt eſſe ſub poteſtate viri, quã ei ſubijci; aliquis enim alteri ſubijcitur, quod tamen nõ eſt ſub eius poteſtate, quicumque enim ab alio regitur per modum iuriſdictionis eſt ille ſubiectus, ſed quòd iuriſdictionem habet, non dicitur ſub ſua poteſtate, habere omnes illos, in quo iuriſdictionẽ exercet, & ratio eſt quia omnis principatus, habet vim coercendi ſubditum in aliquo, ſed non coercent omnes æqualiter; quanto autem principatus, habet maiorem vim coercendi ex conditione ſua tanto dicitur Princeps magis habere ſubditos ſub ſua poteſtate. Pro huius exactiori intelligentia.

Principatus politicus, & principatus deſpoticus maxime diſtant.

Obſeruãdũ eſt primo, ꝙ principatus politicus, & Principatus dñatiuus ſiue deſpoticus ſunt maxime diſtantes. Politicus principatus eſt, quẽ Rector exercet politicè ſuper ciues, ꝙ ſunt partes politiæ. Principatus aũt dominatiuus, vel deſpoticus eſt, quem exercet dominus ſuper ſeruos. Inter autẽ hos duos principatus medij ſunt, patronus ad filios, & principatus oeconomicus, qui eſt viri ad vxorem, & ad cæteros, qui ſunt partes eiuſdem oeconomiæ.

Inter principatum politicũ, & deſpoticũ, mediãt paternus, & oeconomic⁹.

In principatu politico eſt minima poteſtas, & maxima libertas.

Secundo obſeruandum, eſt in principatu politico minimum eſſe poteſtatem, maximamque libertatem. Rector enim imperat ciuibus non tamen ſicut vult, ſed ſolũ ſicut legibus politicis ſancitum eſt; atque ita non habet Rector libertatem iubendi, cum legibus aſtringatur, atque adeo non dominatur. Et ciues, qui reguntur, liberi ſunt; quia non obediunt homini, ſed legi; atque homo non imperat eis, niſi vt Miniſter legis; atque adeo talis Rector non dicitur habere ſub ſua poteſtate, quos regit: quia licet ſuper eos poteſtatem exerceat non eſt illa poteſtas ſua; ſed legis, & per conſequens non ſunt ciues ſub poteſtate eius, ſed ſub legis poteſtate, & hoc reddit ſubditos liberos; quia non ſunt ſub homine, ſed ſub recta lege. Cæterum cum hac libertate ſubditorũ manet adhuc ratio principatus, quia Rector politiæ poteſtatem quamdam exercet, & obediunt ei ciues, atque poteſtatem habet coercitiuam contra nolentes, licet illa poteſtas ſit legis; quia tamen lex mortua eſt, & nõ habet exercitium ex ſe. Rector agit in virtute eius, & vt legis miniſter; & quia hoc non licet cuilibet, ſed ei ſoli in quem legitime, iſta poteſtas transfunditur, & dicitur ille Princeps, & non alij.

Principatus politicus eſt minimus.

Eſt autem iſte principatus minimus, qua non inuenitur alius principatus, quòd minus poſſit coercere, quam iſte, & qui minorem, habeat iubendi libertatem, & ob hanc cauſam Ariſtot. libro quinto Ethyco. dicit iuſtum politicum eſſe iuſtum ſimpliciter, iuſtũ autem patronum, & iuſtũ dominatiuum, non dicit ſimpliciter iuſtum, ſed cum additione patroni, & dominatiui, quæ additio vel detrahit, vel ſaltem diminuit de ratione iuſti.

Principatus dominatiuus, vel deſpoticus maxime habet de principatu.

Tertio obſeruandum eſt, quod principatus dominatiuus, eſt maxime habens de principatu; quia maximè coercet, & habet ſummam libertatem in iubendo, non enim iubet ſecundum legem, ſed quicquid iubet, hoc eſt lex, & poteſt coercere, per inflictionẽ quarum-

rumcumque pœnarum, ſiue ſubſit cauſa infetendi, ſiue non, quia ſatis eſt cauſa ſufficiens, quod ſit iubens dominus eius, cui pœnas infert. Iſte autem dicitur maxime habere ſub poteſtate ſua eos, quibus principatur, atq; illi non ſolum ſunt ſub domini poteſtate, ſed etiam vocantur eius pecunia iuxta modum loquendi ſacræ ſcripturæ. Exod. 21. vel iuxta modum loquendi Ariſtot, libro 2. polit. ſeruus eſt poſſeſſio domini, & organum eius animatum, & lib. 1. ſeruus eſt homo ſimpliciter alterius exiſtens, atque adeo nemo magis poteſt eſſe in poteſtate alterius, quam ſeruus in poteſtate domini; cum non ſolum ſit ei ſubditus, ſed ſit poſſeſſio ſua, vt dicit ibidem Ariſt. & lib. 8. Ethycorum. Atque adeo in principatu dominatiuo minime eſt iuſtum; nam non eſt propriè iuſtum, niſi inter eos, inter quos eſt lex; ſed domini ad ſeruum nulla eſt lex; immo facit dominus de ſeruo quicquid vult, ſicut de poſſeſſione ſua, & non facit ei iniuſtum quicquid in eum commiſerit, Quamobrem ſi dominus ſeruum occideret non erat reus legis; niſi moreretur in manibus eius, ſed ſi vno die ſuper viueret, dominus immunis erat à pœna, vt patet Exod. 21.

Principatus paternus, & oeconomicus habent magis de ratione principatus, quã politicus, & minus quã deſpotic⁹.

Quarto obſeruandum eſt, quod principatus paternus, qui eſt patris ad filium, & oeconomicus, quod eſt viri ad vxorem, & ad cæteros de oeconomia habent magis de ratione principatus, & coertione, & poteſtate libera iubendi, quam principatus politicus, & minus, quam principatus dominatiuus. In principatu enim dominatiuo ſubditus eſt ſeruus; in principatu autem paterno, & oeconomico ſubditi ſunt liberi, item principans in paterno, & oeconomico principatu non poteſt in ſibi ſubditos quamcumque coertionem, & poteſtatem exercere, ſicut poteſt dominus in ſeruos; atque adeo iſti principatus non accedunt ad iam ſtrictam principatus rationem, ſicut dominatiuus; Iſti tamen principatus, ſcilicet paternus, & oeconomicus, magis habent de ratione principatus, quam principatus politicus, quia in iſto, non poteſt principans imperare niſi per legem; in illis autem imperat principãs ad arbitrium ſuum; cum non ſit lex ſecundũ, quam vir regat vxorem; ſed ipſe vir eſt lex, & quicquid ei videbitur iubendũ vxori, hoc rectum eſt, vt iubeat. Similiter patris ad filios non eſt lex, vt hæc, aut illa faciat pater erga filios, & non alios, ſed ipſe pater eſt lex, & quod ei videtur agendum, hoc rectum eſt agi, & nulla lex exigit de eo vltionem, ſi ſecus egerit: hæc patent per Ariſtot. lib. primo, polit. cap. 1. & 7. Ethyc. cap. primo, & 11.

Principatus patern⁹ accedit magis ad deſpoticũ, oeconomic⁹ vero ad vxorẽ, accedit magis ad politicum.

Quinto obſeruandum eſt, quod licet tam paternum, quam oeconomicum ad vxorem, ſint media inter politicum, & dominatiuum, tamen non ſunt ſimpliciter æqualia, ſed magis accedit paternum iuſtum ad dominatiuum, & recedit magis à politico; oeconomicum autem ad vxorem, magis accedit ad politicum, quam paternus, & magis recedit à dominatiuo, quã paternum. In principatu tamẽ politico, eſt iuſtum ſimpliciter, tam inter ſubditos, quam inter ciues, & rectorem; in principatu autem paterno, & oeconomico ad vxorem, non eſt iuſtum ſimpliciter, neque iuſtum politicum; nam ſimpliciter iuſtum, eſt politicum iuſtum, & vbi non poteſt eſſe politicum iuſtum, non poteſt eſſe ſimpliciter iuſtum; ſed aliquod iuſti, vel ſimile iuſto, vt docet Ariſtot. lib. 5. Ethyc. cap. 11. Iuſtum tamen oeconomicum viri ad vxorẽ eſt magis iuſtum, quam paternum.

In iuſto politico ſubdit⁹ regitur à præſidente, ſed non eſt ſub eius poteſt.te.

His præſuppoſitis dicendũ eſt, quod in iuſto politico ſubditus regitur à præſidente, ſed non eſt ſub poteſtate præſidentis, neque dicitur præſidens eũ habere ſub ſua poteſtate, atque adeo ſubditi ſunt totaliter liberi. In iuſto autem dominatiuo, quod eſt alterum extremum, & maximè diſtans, ſubditus non ſolum eſt ſub poteſtate præſidentis, ideſt domini, ſed etiam eſt aliquod eius, ideſt poſſeſſio, quia eſt ſeruus, &

iſta

iſta eſt maxima ſubiectio. In iuſto autē paterno, & oeconomico, vxor, & filius, non ſunt poſſeſſio viri, & patris, nam filius vocatur pars, ſed non poſſeſſio ſimpliciter, quia non eſt ſeruus; atque ita communicant in hoc, vxor, & filius, quod dicuntur ſub poteſtate, ſcilicet filius ſub poteſtate patris, & vxor ſub poteſtate viri; magis tamen eſt filius, ſub poteſtate patris, quam vxor ſub poteſtate viri, quatenus iuſtū paternū magis accedit ad dominatiuum, quā oeconomicum, & ideo liberior eſt vxor reſpectu viri, quam filius reſpectu patris, & ſic minus eſt vxor ſub poteſtate viri, quam filius reſpectu patris, eſt tamen ſub poteſtate viri. Et hoc eſt ſub, quod dixit Deus ſub poteſtate viri eris, ſcilicet non ſolum præſidebit, aut principabitur tui, quod eſt regere, ſed etiam habebit te ſub poteſtate, quod eſt magis quam regere, & hoc eſt, quòd non regit vir vxorem per leges aliquas, cōmunes poſitas viro, & vxori; ſed ad arbitrium ſuum.

Quæſt. 7 Quæritur ſeptimo. Quid ſibi velint illa domini verba, & ipſe dominabitur tui. Aliqui dixerunt his verbis dominum ſignificare voluiſſe vxorem, & virum eſſe in communicatione deſpotica, ideſt vt vir ſit dominus; & Vxor ſit ſeruus. Sed hoc eſt falſum. Tum quia natura fecit fœminam generationis cauſa; atque ita fecit fœminam, vt eſſet extremum communicationis naturalis; natura autem non facit vnum ad multa, ſed vnum ad vnum; ſed ars facit vnum ad multa, ſicut figurationes æris faciunt gladium delphicū pro paupere, & hanc rationem ponit Ariſtot. 1. polit. cap. 1. ideo non eſt fœmina, ſecundum naturam, ſeruus, vt ſit in communicatione deſpotica. Tum, quia ſi fęmina eſſet ſeruus ſecūdum naturam, eſſet corpus eius robuſtum valde, & intellectus eius deficiens, iſtæ enim ſunt conditiones eorum, quod ſunt ſerui ſecundum naturam, vt docet Ariſt. lib. 1. polit. cap. 3. & 8. Sed in fœmina inuenitur contrarium, quantum ad primam, & præcipuam conditionem, ſcilicet corpora fœminarum non ſunt robuſta, ſed valde fragilia, ideo non fecit eas natura vt eſſent ſerui, nam quātum ad hoc potius vir eſſet naturaliter ſeruus.

Vxor nō eſt in cōmunicatione diſpotica.

Tum demum, quia id, quod apud ſolos Barbaros inuenitur non eſt rectū, cum in illis ſit quædam deuiatio ab eo, quod eſt ſecundum naturā humanam, & eſt plurimū beſtialitas, quæ eſt conditio brutorum, vt docet Ariſtot. lib. 7. Ethyc. cap. 1. Inter Barbaros autem fœmina, & ſeruus eundem ordinem habent, ideo apparet, quod fœmina non ſit ſeruus viri.

Etſi dicatur verum eſſe, quòd non ſit hoc ſecundum naturam, quòd fęmina non ſit ſeruus, cæterum fuit ei à Deo datum in pœnam. Cum dixit dominus; & ipſe dominabitur tui, quaſi diceret, vir alias ſecundum naturam non dominaturus in pœnam perpetrati ſceleris dominabitur tui. Dico, quod hoc ſtare non poteſt, quoniam etſi verum ſit, hoc datum eſſe mulieri in pœnam, tamen quia per peccatum non mutatur natura, & ſecundum naturam non erat fœmina ſeruus, ſed liber; ideo per peccatum non eſt ſeruus effecta. Præterea ſi Deus propter peccatum voluiſſet mutare id, quod erat ſecundum naturam faciendo fœminam ſeruum, dediſſet ei conditionem ſerui, ſcilicet robuſtum corpus, ſed non dedit, ergo non fecit illam ſeruum. Deinde ſi Deus feciſſet fœminam ſeruum propter peccatum, eſſet nunc fœmina verè ſeruus, atque adeo non aſcriberemus Barbaris, quod fœminam, & ſeruum in eodem ordine ponant, ſed potius hoc eſſet ſecundum rationem, & tamen Barbaris hoc attribuimus, tamquam irrationabiliter factum, ſicut Ariſt. reddit cauſam lib. 1. polit. cap. 1. cui etiam nos aſſentimus, ideo non fecit Deus fœminam ſeruum.

Dicendum eſt ergo, quod Deus per illa verba, non ſignificauit, quod fœmina efficeretur vere ſeruus, ſed quod haberet aliqua opera humanæ ſubiectionis;

nis; adeo quod illa verba dominabitur tui, intelligi poſſunt large, dominabitur tui, ideſt mandabit tibi quid facias, non quidem per certam legem, quod eſſet principari ſolum, & regere; ſed ſine lege ad voluntatem ſuam, quod eſt dominare, vel quaſi, & in hoc ſenſu pro eodem accipitur, ſub viri poteſtate eris. Et ipſe dominabitur tui; niſi quia vnũ eſt notius altero, & ponitur vt apertius illud notificans; nam fœminã ſub poteſtate viri eſſe, eſt quod ab eo regatur ſine lege data, ſed per arbitrium viri, vt ſuper oſtenſum eſt.

Secundo poteſt accipi illud dominabitur tui; vt ſit aliquod diſtinctum ab eo, quod eſt eſſe ſub poteſtate viri; nam vt docet Rupert. Abbas lib. 3. de operibus trinitatis cap. 21. grauioris dominationis eſt, vxorem eſſe ſub viro, tamquam ſub domino, quam eſſe ſub viri poteſtate, hoc enim modo ipſe ſcribit. Sed adhuc recte quæri poteſt, quid illud ſit, mulierem ſub viri poteſtate eſſe, & virum mulieris dominum eſſe; quoniam vtrumque dixit.

Et ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.

Ad hoc reſpondendum; valentioris eſſe dominationis mulierem ſub domino, quam ſub poteſtate viri eſſe; nam & ſecundum Romanas leges ſub viri poteſtate eſt mulier, antequam in manum viri conueniat, ſub poteſtate inquam viri, verumtamen non tamquam domini, ſed tamquam tutoris, ita vt ſine auctoritate eius teſtamentum illi facere non liceat. Quæ autem in manu viri conuenit, multo magis quam diu vixerit vir, teſtamentum illi ſine viro facere non licebit, vnde & Capite diminuta dicitur mulier, quæ in manu viri conuenit. Adeo apud Gentiles quoq; qui hanc ſcripturam non legerant, vel huius viri Dei præcepta non obſeruabãt, hæc lex naturaliter valuit, quam dominus naturæ impoſuit dicens mulieri. & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui, & parum infra. Recte ergo non tantum dixit, ſub viri poteſtate eris; nam & puerulus maſculus, ſub viri', ideſt tutoris poteſtate eſt. Sed additur, & ipſe dominabitur tui, ſcilicet vt numquam mulier libera ſit, de ſub iugo viri; ſed eius tam ætas, quam conditio, primũ ſub poteſtate viri tutoris; & deinde cum in manu viri per legitimas coniugij tabulas venerit, ſub dominio viri ſit. Hactenus Rupertus. His ergo verbis dominabitur tui, ſignificauit dominus aliquod ſimile, iuxta habitudinem ſerui ad dominum, vel domini ad ſeruum, ſcilicet quod vir verberibus interdum ſubijcit vxorem, & hoc eſt dominari ei; quia ad ſeruũ propriè conuenit verberibus caſtigari, ad liberos autẽ doctrina, & ſermone; in quantum ergo vxor à viro verberatur, eſt eius ſeruus, & hac ratione dicitur ei dominari. Cæterum non eſt hæc propriè ſeruitus; quoniam interdum fœmina meretur verbera, & ſupplicia, atque adeo cum ei inferuntur, non eſt ſeruitus; cum & liberis ſecundum legem politicam, multa genera ſupplicorum pro peccato inferantur.

Vel tertio dici poteſt, quod ſit propriè dominatio, & ſeruire, non quod vere ſit fœmina ſeruus, & vir dominus; ſed quia vir faciat vxori talia, qualia ſoli ſeruo fiunt, vt cum vir vxorem verberat, & ſupplicijs ſubijcit ſine cauſa; nam tunc ipſa eſt vere, vt ſeruus: liberis enim per legem politicam inferuntur interdum ſupplicia, ſed numquam niſi iuſte pro delictis ibi expreſſis, ſeruis autem inferuntur ſupplicia, tam ex cauſa, quam ſine cauſa; vnde licet dominus ſine cauſa verberet, nullius legis eſt reus. Cum igitur fœminæ inferuntur pœnæ ſine cauſa, eſt ipſa vt ſeruus, & qui infert, eſt vt dominus, atque ita dominatur illius.

Ex dictis patet explicatio illorum verborum, ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Fuiſſet quidẽ in ſtatu innocentiæ mulier ſub viri poteſtate, nullaque voluntatis repugnantia; nam cum eſſet mulier animo integro, rectaque mente, non niſi, quod erat

rectum,

Digitized by Google

rectum, atque honeſtum expetens, libens, & gaudens ſub viri imperio fuiſſet, quia id voluntati diuinæ, rationiq; conſentaneum eſſe intelligebat. Imperium quoque viri fuiſſet plenum æquitatis, & charitatis; nec vxor habita eſſet, vt ſerua, & ancilla, ſed vt cariſſima vitæ ſocia, & conſiliorum atq; officiorum mariti particeps, & ad generationem prolis, atque educationem adiutrix. Poſt peccatum autem grauis pœna eſt mulieri ſubeſſe viro, tum ob ingenij muliebris leuitatem, atque vanitatem, animique ſuperbiam, iniquo animo maritum ſibi præeſſe ferentis; tum etiam quia plerumque, viri vxores ſuas ſuperbè, iracundè, & aſpere tractantes imperium eius onerosum, acerbum, & odioſum faciunt.

Cæterum D. Hieronymus in traditionibus hæbraicus in Gen. variam ponitur horum verborum lectionē; nam ſeptuaginta verterunt, & ad virū conuerſio tua Aquila. Ad virū ſocietas tua. Symacus. Ad virum appetitus, vel impetus tuus. Hebæra autem lectio ſi quis verbum pro verbo reddat, hoc ſonat. Ad virum deſiderium, vel concupiſcentia tua, atque harum lectionum hæc videtur ſententia.

Quamuis in enixu prolis maximos perpeſſura ſis cruciatus, mox tamen quaſi dolorum oblita, rurſus ad virum conuerteris. & congreſſum eius expetes, vt ex eo iterum concipias prolem; tanta, ſcilicet, eſt inſita mulieribus, aut rabies libidinis, aut in coitu delectatio, aut potius generandæ prolis cupiditas; nam poſt menſes illos, poſt intollerabiles labores, poſt noctes in ſomnes, poſt membrorum diſtenſiones, paruo quodam internallo facto, licet ante ſtatum tempus abortiuerint informē, & non dum lineamentis figuratum, vel etiam formatum quidem, nō integrū autem, neque ſanum, vel etiā ſæpe mortuum, vix à periculis elapſæ, paruo quodā, inquam, interuallo facto, quaſi horū omnium oblitæ eadem, quæ antea ferunt, & tollerant. Et quid dico? ſæpe cū fœtu nato commori eas contingit, & neque hoc cæteras terret, neque perſuadet, vt rem fugiant, immo ſe ipſas, quaſi laborum omnium oblitæ, iterū generationi filiorum accomodant. Vel aliter poteſt hoc intelligi, omnia tua optata, omnes cogitationes, & curæ, officiaque ad virum tuum conuerſa erunt, videlicet illum ſpectabis, ex illius ſtudio ſermones nutuque tota pendebis, fœmina enim cum à viro accipiat victum, veſtitum, prolem, ac ferè omnia, quæ optare poteſt, velit, nolit ex viro pendere cogitur.

DE MALEDICTIONIbus viri, & in eum lata ſententia.

Ada vero dixit, quia audiſti vocē vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes; Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ ſpinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es; quia puluis es; & in puluerem reuerteris.

POſtquā ſcriptura poſuit maledictionem fœminæ, addit viri maledictionē. Sicut enim Adā vltimo loco peccauit, ita maledictio eius vltimo fuit denuntiata, & hoc quidem ordini reſolutionis cōpetebat, quē fecerat Deus. Primū enim quæſiuit à viro, deinde à fœmina, demum à ſerpente quæſiuiſſet, ſi animal rationale, & capax rationis fuiſſet, Quapropter, quia vltimo inuenta eſt radix peccati, vel mali à ſerpente proceſſiſſe, ſerpentem primo maledixit Deus, deinde retro cedendo dixit maledictionem fœminæ, cuius peccatum à ſerpente ortum habuit, ita poſita fœminæ maledictione, ſequi debebat maledictio viri, in quem à fœmina peccatum deſcendit.

Dicit

Dicit ergo Moyſes, Adę vero quia audiuiſti, &c. quaſi diceret: quia audiuiſti mulierem tuam, & comediſti de ligno, & conſilium illius, nec mandato maioris feciſti; & noluiſti ab vnico hoc ligno abſtinere, de quo ſolo præcepi tibi ne comederes, non enim tibi præcepi, vt à multis abſtineres, ſed de vno ſolo, & neque ab illo abſtinuiſti, ſed oblitus mandatorum meorum à muliere perſuaſus es, idcirco vt te ipſa diſcas quantum malum ſis operatus. Ideo maledicta terra in operibus tuis; terra enim quæ propter te producta eſt, vt poſſes frui his; quæ ex ea naſcũtur propter peccatum tuum maledictum ei inditur. Quapropter in triſtitijs comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ; nam ſpinas, & tribulos oriri tibi faciẽt; atque multis laboribus, & ærumnis operandum tibi erit; & omni tempore cum triſtitia viuere te faciam, vt hoc tibi frænum ſit, ne quid ſupra dignitatem de te ſentias, ſed continuo cogites tuam ipſius ſubſtantiam, neque feras, vt poſt hac ſic decipiaris.

Et comedes fœnum agri, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, quaſi diceret. Ego quidem cum in hunc mũdum te prodire feci, volebam te degere abſque doloribus, & laboribus, ſudoribus, & ærumnis, & omni fœlicitate frui, neque corporibus neceſſitatibus obnoxiũ eſſe, ſed ab omnibus illis liberum; quia vero non profuit tibi tanta ſeueritas, ea propter & terræ maledicam; ita vt ab queſ atione, & aratione non proferat ſuos fructus ſicut antea; ſed & cum multo labore, moleſtijs, & ærumnis, afficiam te triſtitijs, & continuis caſtigationibus, ſudoribus item totum humiliabo, & his exercitatus perpetuam doctrinam habeas modeſte agendi, tuamque ipſius naturam agnoſcendi, neque hoc id modicum, & breue tempus erit, ſed omni tempore vitæ durabit.

In ſudore enim faciei tuæ veſceris pane tuo, donec reuertaris tu in terrã, de qua ſumptus es, quia terra es; & in terram abibis. Hæc ſuſtinebis, vſque ad finem vitæ tuæ, & donec in illam reſolueris, ex qua formatus es, nam quamuis tibi dederim corporis naturam ob meam bonitatem, ipſum tamen hoc corpus ex terra exiſtens, iterum erit terra.

Terra enim es, & in terram abibis. Enimuero ne hæc fierent dixi. Ne comedatis de hoc ligno, quocunque enim die comederitis morte moriemini. Non enim hoc volebam, ſed quia eorum, quæ ad me attinebant nihil intermiſſum eſt; Tu autem te ipſum te in hæc coiecíſti ne in aliam cauſam retuleris, ſed tuæ ipſius deſidiæ, totum aſcribitur.

In his verbis, & in ſequentibus vſq; ad finem Capituli agitur de pęnis Adæ inflictis, quæ plures ſunt; nam quędã ſunt in ablatione boni, & quędam ſunt in impoſitione mali. In ablatione boni, cum dicitur. Videte ne forte mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ in impoſitione mali cum dicitur. Maledicta terra in opere tuo. Ablatio boni dicitur, quantum ad cauſam conſeruationis vitæ, quantum ad locũ voluptatis, & prima pœna eſt, quo ad hoc impotentia ſumendi de ligno vitæ, propter prohibitionem, ſecunda eſt expulſio de loco voluptatis, & tertia, eſt prohibitio reditus, cum dicitur eiecit Adam, & collocauit, &c. prima pœna eſt ex parte corporis; ſecunda ex parte animæ; voluptas enim ex parte animæ attenditur; tertia ex parte totius.

Quo ad impoſitionem mali, pœnæ diſtinguuntur, tum in vita, tum in morte; in morte cum dicitur donec reuertaris in terram de qua ſumptus es. In vita vero diſtinguitur quantum ad initium ſuſtentationis, quantum ad progreſſum, & quantum ad conſummationem. Quantum ad initium, cum dicitur. Maledicta terra, &c. Quantum ad conſummationem. Comedes herbas terræ, in ſudore vultus tui, &c.

In primis denotatur laborandi difficultas, quæ eſt in excolendo terram; in ſecunda infructuoſitas, cum dicitur ſpinas, & tribulos, &c. & in tertia victus parcitas, ad quem victum alia duo tendunt. Pœna verò, quæ reſpicit mortem duplex eſt moriendi neceſſitas, & incineratio. Incineratio notatur cum dicitur donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, quia puluis es, &c. Ipſa mortalitas, ſcilicet moriendi neceſſitas notatur per tunicas pelliceas, quibus erāt induti, & hoc apparet per hoc, quod dicitur. Ecce Adā factus eſt quaſi vnus ex nobis, ſciens bonum, & malum, ſciens quaſi per experientiam bonum vitæ, & malum mortis; ſciebat enim quid eſſet viuere, & ſtatim cognoſceret per experientiam mortem, quam prius nouerat per ſcientiam. Circa hæc.

Quæſt. 1 Quæritur primo, quare Deus poſiturus maledictionem Adæ dixit, quia audiſti vocem vxoris tuæ, cum in audiendo non ſit peccatum, tum etiam, quia peccatum Adæ fuit in comedendo de ligno vetito; pro vt Deus expreſſit dicens, comediſti de ligno, de quo præceperam tibi, &c. atque adeo ſufficiebat dicere, quia comediſti de ligno de quo præceperam tibi, &c.

Audire accipitur p o exaudire, ſeu aſſentire.

Dicendum, quod audire accipitur pro exaudire, ſeu aſſentire; audire enim ſolum non eſt peccatum, quicquid illud ſit, quod audimus: quia audire non eſt in poteſtate noſtra, aſſentire autem his, quæ audimus eſt aliquando peccatum, ſi ea, quæ audimus mortem, vel ad peccandum inducunt.

Eſt ergo ſenſus, quia audiuiſti, id eſt, aſſenſum præbuiſti voci vxoris tuæ, & feciſti, quod illa rogauit ad malum ſuadens; Ideo maledicta terra, &c. Et licet poſuiſſet Deus abſolute dicere. Quia comediſti de ligno, abſque eo, quod diceret, quia audiuiſti, &c. tamen cōueniēs fuit, quod Deus hoc exprimeret ex multiplici ratione. Primo quia volebat Deus ſignificare Adæ peccatū, at ſi ſolum dixiſſet; quia comediſti non ſignabatur peccatum eius ſufficienter; quia cemedere potuiſſet ſine peccato ſi per ignorantiam comediſſet, vtpote neſciens de fructu illius, quem Deus prohibuerat, ſed cum dicitur, quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti ſignificatur, quod ſciens, & volens comedit, vt vxori complaceret.

Secundo volebat Deus oſtendere, in quo conſiſteret radix peccati Adæ, & differētiam peccati eius à peccati Euæ. Eua enim peccauit, quia credidit ſerpenti, putans ſe poſſe effici ſicut Deus erat, ideo deſiderans hoc, comedit, ſi autem Adam crederet hoc, atque adeo idem deſiderans quod Eua, comederet, diceretur vocem ſerpentis audiuiſſe, & non vocem Euæ, cum ab Eua non eſſet illius vocis principium.

Cæterum Adam non credidit ſe poſſe effici ſicut Deus erat; atque neq; in ligno talem eſſe virtutem, vt id præſtare poſſet, ideo nec illud cōcupiuit, cum ſciret eſſe impoſſibile. Non comedit itaque Adam propter illa, quæ dixit ſerpens, atque ita non fuit ſeductus; ſed ſolum flexus fuit precibus vxoris, vt id faceret, & hæc erat vox Euæ, & non ſerpentis, ideo dicitur, quod audiuit vocem vxoris ſuæ. Et ex hoc ſequitur differentia peccati Adæ, & Euæ; quia Eua aſſentit ſerpenti, & Adam aſſentit Euæ, ſerpens proceſſit decipiendo, & falſum dicendo, & Eua proceſſit rogando, atque adeo Eua, quæ ſerpenti aſſentit, ſeducta eſt; ita enim ipſa dixit, ſerpens decepit me; Adam autem aſſentit Euę, ideo non fuit ſeductus, ſed complacuit roganti; & hæc patent ex Diui Pauli. 1. Thim. cap. 2. Adam non fuit ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit.

Tertio fuit hoc dictum, ad aggrauandum Adæ peccatū, nam ſi diceretur ſolum; quia comediſti de ligno, &c. ſignaretur peccatum, & non cauſa peccati, atque ita non appareret peccati grauitas, ſed cum dicitur. Quia audiuiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti.

Digitized by Google

diſti, &c. exprobratur Adæ peccatum, atque eius grauitas deſignatur quaſi diceret Deus. Ego præcepi ne comederes, vxor tua rogauit, vt comederes, & potius facere voluiſti, quod illa rogabat; quam quod ego præceperam; atque ita ſatis appares reprehenſibilis. Præceptũ enim magis obligat, quam preces.

Et etiam ſi Deus non præciperet, ſed ſuaderet ne comederet, Vxor antẽ ſuadaret, ſtandum erat Deo; propter ſuam reuerentiam, ſed Adam aſſentit potius vxori roganti, quam Deo præcipienti, atque adeo fuit valde reprehenſibilis, quod vt oſtenderet Deus, vſus fuit his verbis, Quia audiuiſti vocem vxoris tuæ, &c.

Quæſt. 2 Quæritur ſecundo propter quid cũ aſſignatur pœna Adæ a Deo: præmittitur ratio ſicut etiam fecit in aſſignando ſerpenti pœnã, cum autem aſſignatur, pœna Euæ non præmittitur ratio, nam loquens Deus ad ſerpentem dixit. Quia feciſti hoc, &c.

Ita homini maledicens dicit. Quia audiuiſti vocem, &c. cum autem maledicit Euæ, nullam aſſignans rationem dixit multiplicabo ærumnas tuas, &c. Dicendum, quod diabolo tentanti per ſerpentem data eſt pœna ratione præmiſſa, & ipſi viro. Quia in vtroq; principaliter vigebat ratio, vt immediate ſe habens ad Deum. In genere enim Angelorum lucifer immediate habebat ſe ad Deum, tamquam principium viatum Dei. In generũ vero hominum immediate Adam tamquã primus homo; atque adeo vtrique cum ratione infligitur pœna iſti ſcilicet ſerpẽti, quia ſuggeſſit tranſgreſſionem mandati; illi ſcilicet Adæ: quia perpetrauit ex ſuggeſtione tamẽ. Vnde ex ipſis verbis exprimentibus pœnam patet maius eſſe diaboli peccatum, dicitur enim maledictus eris, facta conuerſione ad diabolum; facta autem cõuerſione ad Adam dicitur: Maledicta terra in opere tuo.

Quæſt. 3 Quæritur tertio; propter quid terra maledicatur, cũ ipſa non deliquerit, ſed ipſe Adam præterea, quare non cecidit maledictio ſuper alia elementa, cum homo ipſe, qui peccauit ex quatuor cõſtet elementis, deinde grauius fuit peccato Cayn, quia damnoſius, ſed pro peccato Cayn infligitur pœna à Domino, cum dicitur maledictus eris ſuper terram, ergo & pro peccato Adæ congruebat, vt dominus diceret. Maledictus eris ſuper terram. Adde, quod non videtur maledictionem iſtam ad hominem pertinere, cum non dicatur. Maledictus tu, ſed maledicta terra, ſed terra eſt aliquod diſtinctum ab homine, ergo non videtur quod maledictio hæc ſit ad propoſitum.

Dicendum, quod licet terra nõ peccauerit in ſe; nihil hominus ad terram maledictio cadit ſuper terrã, quia homo conuerſus ad terram, ſcilicet ad delectationem fructus, quòd erat ex terra peccauit, & hunc ratio aſſignatur, quare tempore ieiunij fiat abſtinentia à carnalibus animalium, quæ nutriuntur in terra, non autem à carnibus piſciũ, qui nutriuntur in aquis, & ſi obijciatur de volatilibus, quæ originem habuerũt ex aquis: dicendũ eſt, quod nutrimentum ſuum accipiunt ab his, quæ oriũtur in terra per ſe, & non ſecundum accidens. Cæterum Beatus Aug. lib. 2. contra Manichæos per maledictionem terræ dat intelligere, maledictionẽ concupiſcentiæ, quæ prouenit ex parte inferiori, ſcilicet Carnis.

Quare tempore ieiunij fit carnium abſtinentia, & nõ piſcium.

Ad ſecundum dicendũ, quod maledictio facta eſt terræ, & non aliorũ elementorum propter hoc, quod mediãte fructu terræ prohibito, & inclinatione ad illum, factum eſt peccatũ, licet ergo homo cõpoſitus erat ex omnibus quatuor elementis, non tamen inclinatio ad delectabile in alijs traxit hominem ad peccatum.

Ad tertium vero dicendum eſt, quod aliter fuit de Cayn, & Adam nam Cayn imitatus eſt quodammodo diabolum in peccato ſuo; ex inuidia enim perpetrauit homicidium, ſicut & diabolus, vt dicit Alcuinus; & ſumitur ex illo verbo Io. 8. Ille erat homicida ab initio; at-

que adeo ſicut dictũ eſt diabolo in ſerpente. Maledictus eris, &c. Ita dictũ eſt Cayn. Maledictus eris ſuper terrã. Adæ vero dictũ eſt. Maledicta terra in opere tuo; vt notaretur quod ortum habuit peccatũ in concupiſcentia ſenſuali, quæ per terram deſignatur.

Ad vltimum dicendum eſt, quòd iſta maledictio eſt propria maledictio hominis quia deſignatur difficultas in acquirendo cibos; ſed iſtud eſt malum, quoddã ſolius hominis, ideo homo maledictus eſt in hoc; cum autem obijcitur, quod terra eſt diſtincta ab homine; dico quod verum eſt, verũtamen ſi aliquod malum eſt in terra, nõ eſt pro ipſa, ſed pro homine, atque adeo maledictio illa hominis eſt. Et hoc apparet ex ſcripturæ intentione; nam non dicitur abſolutè, Maledicta terra; Sed maledicta terra in opere tuo, ideſt malum eius ad te pertinebit, non ad eam, & apparet hoc per id, quod ſubditur, ſpinas, & tribulos germinabit tibi; nam non dixit ſimpliciter germinabit, ſed germinabit tibi, ideſt ad damnum tuum.

Vel dici poteſt, quod eſt maledictio hominis, quia debet cõuerti littera per hypallagem, ſcilicet. Maledicta terra in opere tuo, ideſt maledictus tu in opere terræ, & tum eſt veritas plana, & eſt maledictio hominis, & non terræ, qua maledictione ſignificatur hominem colendo, & operando terram experturũ eam ſibi maledictam, ideſt vtilium rerum ſterilem, contra verò inutilium, & noxiarum feracem, nec quæ ad victũ neceſſaria ſunt ſine magno labore, & ſudore hominis generantem. In ſacra enim ſcriptura, vt vocabolum benedictionis copiam, etiam abundantiã bonorum ſignificat, Ita maledictionis bonorum inopiam, & ſterilitatem, malorumque, & miſeriarum copiam.

Quæſt. 4 *Terra maledictio qd importet.* Quæritur quarto, quid importetur nomine maledictionis terræ, Aliqui dixerunt. Cum Deus dixerit. Maledicta terra in opere tuo, & verba Dei nõ ſint ſuperflua, quòd neceſſe eſt aliquod importari per maledictionẽ, & quia maledictio à malo dato dicitur, neceſſe eſt datum eſſe terræ aliquod malum, quod nomine huius maledictionis ſignificetur. Hoc autem malum ſignatũ nomine maledictionis dixerunt quidam eſſe deteriorationẽ quamdam, quæ fit continuo in terra, propter vetuſtatem, & quotidianam germinationem; quanto enim plus terra germinat, tanto plus exauritur virtus eius, vt minus poſtea germinare poſſit.

Sed primum ſtare non põt; nullum enim malum fuit datũ terræ, quod per maledictionem ſignificetur, ſed quicquid nunc eſt in terra prius eſſet in ea ſecundum naturam, quia Deus nõ mutat naturalia, propter peccatum etiã in peccantibus à fortiori nõ mutabuntur in non peccantibus: Demones vero peccauerunt grauiter, & tamen naturalia manſerũt integra poſt peccatũ, vt dicit D. Diony. lib. de diuinis nominibus c. 4.

Homo etiã verè peccauit, tam maſculus, quam fœmina, & tamen nõ fuerunt naturalia mutata, ſed perdita ſolũ dona gratuita, ergo terra cum nõ peccauerit, non fuit mutatũ in ea aliquid de eo in ipſa erat naturale: oĩa autẽ quæ inerant ei ante peccatũ, Adæ, erãt naturalia; ergo nõ fuit aliqđ mali in ipſa ſecutũ, ꝙ prius nõ haberet, & per conſequẽs ſi nomine maledictionis importatur aliquid mali, illud prius erat in terra.

Secundum etiã eſt falſum, quia licet verum ſit, quod deterioratur terra cõtinue hoc modo. ſ. diminuta eius virtute; verum quantũ ad Adam locũ non habet, tum quia iſtud cõtingit, qñ eadem terra ſæpe colitur, quod in Adã non habuiſſet locũ, quia poterat ſemper nouas terras colere, atque adeo malũ iſtud ipſe numquam fuiſſet expertus, quod videtur inconueniẽs, quia maledictionẽ iſtã non ſolũ erat neceſſe ad nos extendi, ſed principaliter ad Adã, cũ ei data fuerit, tum etiam quia ſi Adã nõ coleret ſemper terras nouas, hæc maledictio ei minime conueniret, & tamen innuitur, quòd ſtatim vt Adã de Paradiſo eiectus eſt, apprehendit ei iſta maledictio cum dica-

dicatur in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, &c. quibus verbis ſignificatur hoc malum fore continuum, atque manſurum per totam vitam Adæ: cæterum hęc deterioratio terræ, non poterat incipere ſtatim vt Adam fuit de Paradiſo expulſus, quia & ſi eaſdem terras ſemper coleret, tamen non deteriorarentur illæ ſtatim; ſed poſt multum tempus, atque ita circa finem vitæ Adæ incepiſſet maledictio illa terræ, & tamen denotatur incepiſſe ſtatim.

Terra maledictio non fuit deterioratio. Dicendum eſt ergo, quod maledictio hæc non fuit aliqua deterioratio vera facta in terra, aut aliqua tranſmutatio ab eo, quod Deus in Creatione dederat ei; ſed manſit in eadem conditione fertilitatis, & ſalubritatis in qua fuerat creata; eodem enim modo ſe illa habuit ante, & poſt hominis peccatum; ſed dicitur maledicta terra in opere hominis, propter ea, quod ante peccatum non fuiſſet opus homini terrã colere ad percipiendos fructus degendæ vitæ neceſſarios, aut certè ſine labore, & moleſtia fuiſſet culta.

Nam ſi homo non peccaſſet, manſiſſet in terreſtri Paradiſo, vbi ex conditione loci eſſet omnis vbertas fructuũ ad vitam, & non opporteret pro eis laborare. Etenim Paradiſi terra eſſet per ſe fertiliſſima, quæcumque ad hominis victum pertinuiſſent ſpontè ſuppeditaſſet largiſſimè. Poſt peccatum autem expulſus fuit homo de Paradiſo, atque in terra hac cõſtitutus, quæ fructus non præſtat ſine labore multo, & ſine impedimentis. Et ſicut Paradiſus ex conditione ſua præſtaſſet ſine labore omnem abundantiam, atque adeo non ſolum eam præſtaſſet ante peccatũ; ſed etiam poſt peccatum, ſi ibi homo manſiſſet. Ita terra iſta ex ſua conditione habet iſta præſtare cum defectu; & impedimento, & ob hanc cauſam multa cultura indiget; ex quo ſequitur, quod ſi homo ante peccatum poneretur in terra, iſte haberet cibos cum labore ſicut nũc habet, atque adeo Deus ſapientiſſimus hominem innocentem, qui in nullo peccauerat, quia nihil mali meruerat, poſuit in loco, vbi ſine ulla pœnalitate vitam ageret, ſcilicet in terreſtri Paradiſo. Ipſum verò poſtquam peccauit, quaſi pœna dignum fœliciſſimo Paradiſi ſolo exterminauit, & in hanc conſtituit terram, in qua ſine magnis difficultatibus atque ærumnis vitam non ageret.

Non fuit ergo propter hominis peccatum natura locorũ mutata, ſed homo propter peccatum de loco bono, in bonum mutatus fuit, nam ante peccatum etiam terra germinabat tribulos, & ſpinas, verum non Adamo, ſed brutis; ſed quia homo peccando non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & poſitus eſt in eorum loco, vel in quo illa ſunt, atque ita ſicut duritiem carceris non mutatur propter conditionem hominis iuſti, aut peccatoris, ſed homo mutatus de iuſtitia in peccatum trãsfertur de loco libero in locum carceris.

Ita antè peccatum non erat maledicta terra in opere hominis, quia homo non erat in terra, quam difficile, & durum eſſet operari, ſed erat in Paradiſo, in quo non fuiſſet ei opus terrã colere ad fructus percipiendos degendæ vitæ neceſſarios. Poſt peccatum autem fuit terra maledicta in opere hominis; quia tranlatus fuit in terra, in qua malum, ideſt difficile eſſet ei cibum acquirere. Non fuit itaque mutata conditio naturalis terræ; quia neque iſta terra fuit prius melior, quam nunc, neque Paradiſus terreſtris fuit deterior factus, quam prius erat.

Quæritur quinto. Cur Deus non poſuit aliquas maledictiones viro niſi in difficili acquiſitione ciborum. Hoc enim ſignificare videntur hæc verba. Maledicta terra in opere tuo. Cæterum ſunt multa alia malã, quæ viri patiuntur, vt mors, ægritudines, bella, ſeruitutes, verbera, ſubiectio ad alios, & multa alia pænalitatis genera. Quæſt.

Digitized by Google

Duo ſūt genera malorū

Dicendum, quod duo ſunt genera malorum; quædam enim mala ſunt, quæ homines ſibi ipſis faciunt, & ex quadam electione proueniunt; alia ſunt, quæ Deus eis infert faciendo neceſſitatē quandam in natura ad talia euenire. Primi generis ſunt bella, lites, occiſiones, verbera, prædæ, ſeruitutes, ablationes bonorum, captiuitates, & cætera huiuſmodi. Hæc enim non neceſſario eueniunt; ſed homines illa inferunt mutuo ex aliqua electione; atque adeo non debuerunt talia poni in maledictione Dei; Cum talia non videatur Deus hominibus inferre; ſed homo homini. Poſterioris generis ſunt ea mala, quæ neceſſario eueniunt ex conditione naturæ, vt quod homo moriatur, quod aliquando ægrotet, quod miſerias viuendo ſuſtineat. Hæc autem videtur Deus inferre conſtituendo naturam humanam huiuſce conditionis, vt in ea neceſſe ſit talia euenire; atque adeo iſta in maledictione conuenienter ponuntur. Præterea ad hoc, quòd poſſet aliquod malum poni in maledictione, requirebatur quod eſſet generale, & de neceſſitate eueniens, & quod ad ipſum Adam pertineret, ſed illa nominata non ſunt mala generalia; ſed quibuſdam eueniunt, nec etiam ſunt de neceſſitate, ſed accidunt, & plurima eorum habent pro cauſa voluntatem humanam, vt bella, occiſiones, ſeruitutes, iniuriæ, contumeliæ, & huiuſmodi: etiam nullum ipſorum fuit in Adam, ideo non debuerunt poni in maledictione eius.

Etſi dicatur, quod eadem ratione non debuit poni in maledictione in laboribus, vel in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, quia non omnes hæc pœna comprehendit, quia multi comedunt, & non in laboribus; atque ita Principes, diuites, & quòd ſunt in vita contemplatiua non haberent iſtam pœnam, non enim in laboribus comedunt.

Reſpondetur primo, quod principale, quod ſequebatur in maledictione erat, quod pertineret ad illum, cui prænunciabatur, quòd autem ex illo in alios tranſiret accidentale erat; licet de facto tota maledictio primorū parentum tranſiuit in poſteros. Adam autē cui dabatur iſta maledictio, erat, quòd debebat ſuſtinere hoc malum, quod prænunciabatur in ea, & ita fuit; quia ipſe fuit vir agricola tota vita ſua, atque conueniens maledictio erat, pro eo.

Secundo dicitur quod hæc maledictio eſt generalis, nam terra maledicta eſt quantum ad omnes homines, eo quod omnes homines aut terram colunt, vt cibos acquirunt, aūt alij pro eis colunt, nam nemo manducat niſi de cibis terræ cultura quæſitis; atque adeo nullus eſt, qui comedat ex ea, non præcedente labore in ſe, vel in alio.

Tertio poteſt dici, quod in ſingulos homines iſtud malum tranſiturū erat, niſi homines per prudentiam partim, & partim per tyrānidem prouidiſſent, vt non colerent omnes terram; ſed alij pro eis. De prudentia patet quantum ad inſtitutionem politiarum; ſi enim quiſquis homo per ſe maneret cum vxore ſua, ſicut Deus conſtituerat neceſſe fuiſſet, quod quilibet homo ſigillatim acquireret ſibi cibos, atque ita quilibet cogeretur agros colere; cæterū conſtitutio communicationum politicarum facta per humanā prudentiam, fuit remedium contra hoc. Politica enim communicatio ſola habet per ſe ſufficientiam omnium neceſſariorū ad vitam, & hoc eſt, quia ciues eius diſtinguuntur per diuerſa opera; & quilibet prouidet multis de opere ſuo, atque ita ſinguli habent ſufficientiam ſingularum rerum, & non cogitur quilibet operari circa omnia, ſed circa vnum tantum; vt docet Ariſt. lib. 1. & 3. Politicorum, & ita non colunt agros omnes ciues, ſed quidam colunt, pro omnibus.

De Tyrannide apparet, quia ſecundum naturam omnes liberi naſcebantur, quidam tamen ſupergreſſi æquita-

tem

Digitized by Google

tem naturalis conditionis voluerunt alijs per tyrannidem dominari, quouſq; eos in ſeruos reduxerunt, illoſque ad opera ſua cogebant, vel de eorum laboribus ſuſtentationem violenter accipiebant, quod tamen poſtea quantum ad aliquid tranſiuit in præſtationem iuſtam, & debitam, ſcilicet quod alicui reddatur tributum, & alicui vectigal, vt dicit Apoſt. ad Rom. cap. 13.

Adhuc per induſtriam in aliquibus ablata eſt maledictio iſta data à Deo, in quibuſdam alleuiata eſt, ſcilicet, vt non eſſet tam difficilis acquiſitio ciborum ex agricultura; nam in principio erat magna difficultas; quia ſolis humanis viribus laborandum erat; poſtea vero per humanam induſtriam inuentum, eſt, vt maxima pars ruſticani laboris transferretur ad bruta; iungendo ſcilicet boues ad aratrum, & iungendo boues ad plauſtrum, nam per hoc minuitur labor humanus, quòd à principio totus erat in hominibus. Poſtremo dici poteſt, quod iſta maledictio eſt generalis ad omnes homines, quia nullus homo eſt, qui non acquirat cibos cum difficultate aliqua, cuiuſcumque ſtatus ſit, & cũ omnis cibus habeatur de terræ naſcentibus, ſiue in illis, qui immediate habent cibos ex terra, ſiue in eis, qui ex cultoribus acquirunt, ſit labor quidam; vt ſollicitudo animi, & fortè non minor, quam ſit labor eorũ, quòd ex terra acquirunt erit generalis maledictio ad omnes ſignata per agriculturã; eo quod omnis cibus noſter à terra habet originem, & mediante illa cura habeatur.

Quæſt. 6 Quæritur ſexto. Vtrum ſpinæ, & tribuli orientur ex terra ſi non peccaſſet homo. Beda in Gen. & Rup. Abbas de operibus Trin. lib. 1. cap. 36. Rabanus, & Alchuinus dixerunt, quod ante hominis reatum nihil noxium terra protulit; hoc eſt, nullam herbam venenatam, nullamque arborem ſterilem, nam omnis herba, & vniuerſa ligna data ſunt hominibus, & volatilibus terræ, omnibuſque animantibus in eſcam: vnde ſicut mulierum conceptus ſunt multiplicati propter peccatum, ita propter peccatum terra protulit multas herbas, & plantas nociuas, & infructuoſas; ſpinæ etiã, & tribuli ante peccatum non fuerũt producti; Immo vt dicit Dam. lib. 2. de fide cap. 25. roſa fuit producta ſine ſpinis, quæ poſt peccatum hominis in eius pœnam, Roſis adnatæ fuerunt, & hæc ſententia litteræ conſentanea videtur, cum ſcriptura dicat ſpinas, & tribulos in pœnam hominis germinari.

Cæterum Baſil. hom. 5. exam. Amb. lib. 3. exam. cap. 9. & 11. & Dam. lib. 2. de fide cap. 10. affirmant die tertio venenoſas, & infructuoſas plantas productas fuiſſe. Tum, ne eorum pulchritudo vniuerſo de eſſet. Tum etiam, quæ hominibus venenoſæ ſunt, alijs rebus proſunt, & vtiliſſimæ ſunt multis animalibus, quæ ſunt propter homines, præter quam quod quædam eorum cum alijs commixtæ ad hominum morbos pellendos conducunt, atque doloribus ſedandis inſeruiunt; atque idẽ dicendum ſit de ſpinis, & tribulis, nam terria die data eſt terræ perfecta fœcunditas, atque adeo ſi tunc non germinaſſet tribulos, & ſpinas, ſed tantum poſt hominis peccatum videretur, quod poſt peccatum terra fuiſſet fœcũdior, & nouam recepiſſet potentiam ad producendum talia. Quis etiam credat roſam ante peccatum factam eſſe abſque ſpinis? Deus enim tales condidit res quales ſunt ſecũdum naturam ſuam; nec Adæ peccatum proprietates atq; rerum conditiones mutauit, cum nec ea quidem, quæ verè ſunt ſecundum naturã peccatum hominis quicquam variauerit, roſam, vero naſci inter ſpinas naturalem roſæ conſtitutionem, atque generationem conſequitur. Adde quod nulla eſt herba tam vilis, quæ non ſit alicuius vtilitatis, & virtutis, atque adeo cum alijs virentibus herbis, & lignis fructiferis intelligendum eſt iſta produci, & ſcriptura, ſub illorum generalitate comprehendit.

Quare ante peccatum Adæ erãt ſpinæ, & tribuli, & herbæ homini noxiæ, & letales verum non fuiſſent in pœnam ei, ſi non peccaſſet, & terra, quam ipſe victus cauſa voluiſſet nihil infructuoſum ne dum pernitioſum ei protuliſſet.

Cum ergo dicitur, quod generata ſunt hæc in pœnam peccati. Reſpondet D. Auguſt. lib. 3. ſuper Gen. ad litt. cap. 18. quod ſpinam, & tribulum generari vbi ſeminatur frumentum, hoc eſt in pœna peccati, & ex maledictione terræ, quæ cum colitur, vt det fructum vnde homo ſubſtentetur, potius producit, vnde homo crucietur, quod autem in locis multis generentur ſpina, & tribulus, hoc non eſt pœna, ſed natura, vel poteſt dici, quod ſi homo nõ peccaſſet commoratus erat cum tota ſua poſteritate ſemper in terreſtri Paradiſo; terra autem illa non germinaſſet ſpinas, & tribulos, neque aliquod nociuum, & hoc propter conditionem ſuam naturalem; quia eſt terra melior quam iſta: nam ſicut nunc ſunt quædam terræ, in quibus ſerpentes non gignuntur, neque noctuæ; ita aliquæ terræ gignunt aliquas herbas, & arbores, quas aliæ non gignunt.

In illa ergo terra Paradiſi, quæ melioris eſt qualitatis naturaliter, quam iſta, ſolum naſcitur, quod homines adiuuat: nihil vero naſcitur, quod lædere poſſit; terra autem in qua nos manemus, naturaliter tribulos germinat, & ſpinas, & ſi homo non peccaſſet, cæterum ſi non peccaſſet non coleret iſtam terram, quæ tribulos germinat, ante peccatum igitur hæc terra germinabat tribulos, & ſpinas ſed nõ Adamo; quia hanc terram non incolebat, poſt peccatum vero etiam ipſi Adæ ſpinas, & tribulos germinauit, quia è Paradiſo eiectus inhabitare cœpit hanc terram, atque excolere.

Quæſt. 7 Quæritur ſeptimo, qualiter datum ſit homini in pœnam, vt comedat herbas terræ, cum herbæ ſint, quæ ſponte naſcuntur ex terra, atque ſuper primo capitulo dixerit Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, &c. vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus antequam homo peccaſſet; ergo videtur, quod tunc fuit ei conceſſum commedere ex herbis.

Ad hanc difficultatem poteſt dupliciter reſpõderi. Primo dici poteſt, quod verba illa non fuerunt dicta, ſed ſolum id, quod per ea ſignificatur, adeo quod nulla fuit locutio, quando ſcriptura dicit, quod Deus dixit, Ecce dedi vobis omnem herbam, &c.

Sed expreſſio eorum, quę facta ſunt; nam Deus ad hoc produxit fructus, & herbas, vt homines, & omnia animalia veſcerentur eis; & quia non ſolum ita fecit, ſed etiam hominibus hanc cognitionem dedit, quòd arbores, & herbæ erant ad cibum eorum, & animalium, ideo dicitur, quod eis dixit. Ecce dedi vobis, &c.

Secundo poteſt dici, quod illa conceſſio cibi fuit locutio quædam Dei ad homines facta per Angelos, ſicut conſueuit in alijs; Sed facta fuit poſt peccatum, & expulſionem hominis de Paradiſo; quia dictum fuit, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, atque adeo dabatur ſimul homini, & pecori; ſed in Paradiſo nihil erat futurum commune homini, & pecori; quia ibi animalia non erant futura ſecundum aliquos; ergo non poteſt dictum eſſe, niſi poſt exitum de Paradiſo.

Nam poſtquam peccauerunt fœmina, & vir, increpauit eos Deus in Paradiſo prænunciando pœnas, quas habituri erant manentes extra Paradiſum, & inter cætera mala, quæ paterentur, dixit eis, de cibo ſcilicet comedes herbas terræ.

Poſt hæc autem, expulit eos Deus de Paradiſo. Tunc vero expulſi de loco fœlicitatis, in hunc locum exilii ſoli, & miſeri eſſent, quaſi deſperati, niſi Clementiſſimus Deus, quòd non continet in ira ſua miſerias ſuas ſuiſſet

ſet

Digitized by Google

ſet compaſſus operi ſuo, & tunc dixit eis; Creſcite, & multiplicamini, &c. i. licet pauci ſitis, quia duo ſoli, non credatis vos ſolos manſuros; dabo. n. vobis cōſolationem in poſteris veſtris; nam multiplicabimini, & multi eritis, & tādem adiunxit. Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. in quo prouidit eis de cibo, ſ. vt comederent de omnibus fructibus arborum, & de herbis terræ, quæ communia erant tam eis, quam pecoribus & omnibus animalibus, & non ſolum de eis, quæ ſponte naſcerentur; ſed de eis, quæ per cultum acquirerent, nam poſt peccatum prænunciatum fuit homini, quod terram in ſudore coleret, atq; ita cibos de ea haberet, & iuxta hunc. Secūdum modum dicendi, qui eſt valde probabilis, oportet dicere, quod verba illa dicta ſint per anticipationem.

Quæſt. 8 Quæritur octauo, circa illa verba. Donec reuertaris in terrā de qua ſumptus es. An peccatum intulerit Adæ neceſſitatē corporeæ mortis. Ioſephus Iudaicorum antiqritatum lib. 1. ca. 1. explicans ea verba, donec reuertaris in terrā, &c. indicat delictum primorum parētum, non intuliſſe eis neceſſitatem moriendi, ſed vitæ breuitatē, & ſenectutis, ac mortis accelerationem, ita. n. Deus inducit ad eos loquentem. Equidem proſpexeram vobis, quemodo vitam fœlicem, omniſque mali expertem viueretis omnibus quæcumque ad vſum, ac volupta tem conferunt ſua ſponte vobis pronenientibus, quibus fruentes vos, neq; ſenectus celeriter opprimeret, & vita diuturna, quam lōgiſſime proferretur; vos autem ſententiam meam ludibrio habuiſtis mandato meo contempto, quare, & ſenectus ocyor ſuperueniat, & vita veſtra minus ſit diuturna.

Eadem ſententia ferè ſecutus eſt Auguſt. Chiſami Epiſcopus ſentiens peccatum Adæ non intuliſſe homini corporis mortem, ſed animæ duntaxat, quæ ſententia multis poſt ſeculis fuit hæreſis Pelagianorum affirmantium mortem eſſe naturalem homini, non autem ortā ex peccato, vt refert D. Aug. lib. de hæreſ. c. 88. & Caſtro lib. 2. aduerſus hæreſes tit. Adam hæreſi. 4. In quam ſententiam iuit quoque Eugubinus in libro ſuarum annotationū ſuper Gen. in digreſſione de Paradiſo.

Verum hæc opinio errorem continet manifeſte contrarium diuinæ ſcripturę tradenti, tam in lib. ſapientiæ cap. 2. vbi legitur Deum feciſſe hominem inexterminabilē, & quod inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Tum etiā ad Rom. c. 5. vbi ſcribit Apoſt. quod per vnum hominem intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors, & ſic in omnes homines mors pertranſijt. hęc etiam ſententia damnata fuit in Concilio Mileuitano c. 1. vbi legūtur hęc verba, quæ etiam habentur de Conſ. d. 4. Placuit ergo omnib. Epiſcopis, qui fuerunt in hac ſancta ſynodo conſtituere, hæc, quæ in præſenti concilio definita ſunt, vt quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt ſiue peccaret, ſiue non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt de corpore exiret, nō peccati merito, ſed neceſſitate naturæ anathema ſit.

Eamdem deffinitionem ad litteram habet Concilium Affricanum tpe Bonifacij primi c. 76. contra hæreſim Pelagij, & Cęleſtij, in hæc verba. Placuit omnibus Epiſcopis (quorum nomina, & ſubſcriptiones inditæ ſunt.) In ſancta ſynodo Carthaginenſis Eccleſię cōſtitutis, vt quicumque dixerit, Adam primū hominem mortalem factum, ita vt ſiue peccaret, ſiue non peccaret moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret nō peccati merito, ſed neceſſitate naturæ Anathema ſit.

Confirmatur etiam ex Conc. Triden. ſeſſ. 5. can. 1. & 2. vbi definitur primum hominem per peccatum incurriſſe mortem, quam Deus illi comminatus eſt.

Poſtremò probatur ex communi omnium ſanctorum Patrum ſententia & conſenſu; ſed ſufficiat nobis locus D. Auguſtini lib. 13. de Ciuit. ca. 15. vbi dicit. Conſtat inter Chriſtianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipſam

nobis

Digitized by Google

nobis corporis mortem, non lege naturæ, qua nullam mortem hominis Deus fecit, ſed merito inflictam eſſe peccati quoniam peccatum vindicans Deus, dixit homini, in quo tunc omnes eramus, terra es, & in terram ibis.

Queſt. 9 Quæritur nono, an mors bonum, vel malum ſit? videtur.n. quod mors ſit bonum. Tum quia mors eſt diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum atque meriti, vt patet in martyribus, qui mortem ſuſtinẽt pro fide, vel pro iuſtitia, vnde inquit D. Auguſt. Nunc impletur iuſtitia moriendo. Tum quia in Pſ. 115. dicitur pretioſa in cõſpectu domini mors ſanctorum eius. Tum demum quia illud eſt optimum, quo fit redemptio humani generis, ſed Chriſti morte facta eſt redemptio humani generis; ergo mors Chriſti optima, & per conſequens mors eſt bonum.

Ex altera parte videtur, quod mors ſit mala. Tum quia mors, & vita opponũtur priuatiuè, ſed vita eſt bonum; ergo mors eſt malum, eſt.n. defectus, ſeu priuatio boni. Tũ quia Apoſt. ad Rom. c. 6. inquit, ſtipendium peccati mors, & 1. ad Corinth. 15. ſtimulus mortis peccatum, quod autem eſt peccati ſtipendium, vel ad peccatum ſtimulat, malũ eſt; ergo mors eſt malum.

Mors nõ eſt in ſe bonũ. Dicẽdum cum D. Aug. lib. 13. de Ciuit. Dei, quod mors nõ eſt in ſe bonum, licet bonis bona appellari poſſit. Nã ſic lex non eſt malum, quando auget cõcupiſcentiam peccantium, ita nec mors bonum; quando non auget gloriam. Cum ergo dicitur, quod mors eſt inſtrumẽtũ iuſtitiæ, & meriti; dico quod non eſt verum proprie, & formaliter, ſed tantum materialiter.

Suſtinentia enim mortis proprie dicitur inſtrumentum, ipſa vero mors materialiter ſe habet ad ſuſtinentiam, & ob iſtam rationem mors ſanctorum, dicitur pretioſa in cõſpectu domini, nimirum, quia ſuſtinentia mortis pro cauſa honeſta eſt pretio magno digna, ipſa tamen mors in ſe, ſiue in genere ſuo, non eſt bonum.

Vnde inquit D. Aug. mors non ideo bonum videri debet, quia in tantam vtilitatem, non ſua, ſed diuina opitulatione eſt conuerſa, vt quæ tunc metuenda propoſita eſt, ne peccato cõmitteretur, nũc ſuſcipienda proponatur, vt peccatũ non committatur, commiſſumque deleatur, magnæque iuſtitiæ victoriæ palma reddatur.

Et licet Chriſti mors ſit optimũ.i. expedientiſſimum nobis, tamen in ſuo genere mors non eſt bonũ, quicquid.n. bonum eſt, habet eſſentiam, ſicut dicit D. Aug. in Hypognoſticon, mors autem vitæ priuatio eſt, nomen habens, non eſſentiam.

Quæritur decimo. Cum mors ſit malum. Vtrum ſit malum pœnæ pro peccato. Videtur enim quod nõ, quia corpus humanum compoſitum eſt ex cõtrarijs, omne autem tale eſt naturaliter diſſolubile, atque adeo corpus humanum eſt naturaliter diſſolubile. Queſt. 10.

Corpus autem Adæ erat corpus humanum, ergo fuit naturaliter diſſolubile, & per conſequens mors non eſt malum pœnæ, ſed conſequens naturã corporis humani.

Ex altera parte videtur, quod ſit malum pœnæ, quia iuſtum fuit, vt anima deſerente Deum, Deus deſereret animam; ſed Deo animam deſerente, non habuit anima poteſtatem continuandi corpus, ergo Deus deſerente animam, anima incipit deſerere corpus, ſed hæc deſertio eſt mors, ergo mors ſecuta eſt ad culpam, atque adeo mors eſt pœna; præterea D. Aug. in libro de Rapt. paruulorum inquit, ſtabat ordo iuſtitiæ, vt ſicut anima domino ſuo, ita corpus illi obediret; ergo à contrario anima non obediente Deo, nec corpus iuſte obediebat ei, exiſtente autem repugnantia cõſequenter ſequebatur ſeparatio. Itẽ D. Aug. in lib. 13. de Ciuit. Dei ca. 15. Cum corpus anima ipſa deſeruit ætate corruptum, ſenectute confectum venit in experimentum mors altera, de qua Deus peccatum adhuc puniens homini dixerat. Terra es, & in terrã ibis; ex quo accipitur, quod mors inflicta eſt nobis tan-

quam

quàm pœna peccati. Denique ad Rom. 5. dicitur. Per vnum hominem intrauit peccatum in mūdum, & per peccatum mors, & ſic in omnes homines mors pertranſijt.

Mors Adamo peccāte introductα eſt in peccati pœnam.

Dicendum, quod mors Adam peccāte, introducta eſt in peccati pœnam, quoniam etſi peccato non exiſtente potuiſſet Adam mori; nunquam tamen ſi non peccaret mortuus fuiſſet. Prima pars patet. nam ſecluſa lege, & ordinatione diuina, qua primum hominem non moriturum actu niſi per peccatum. Deus ordinauit, omnibus alijs manentibus in innocentiæ ſtatu, tandem ſenio conficeretur, & moreretur, quod ſic probatur. Homo poſt peccatum ſumendo de fructu ligni vitæ, nō potuiſſet à morte pręſeruari, & ſi in pęnam peccati non fuiſſet introducta, ſed ob conditionem naturæ, ergo nec ante peccatū; antecedēs eſt notū, & ſententia probatur: quia nec natura per peccatū aliquid intrinſecum amiſit, nec lignum vitæ virtutem conſeruandi vitam perdidit.

Dices animam perdidiſſe virtutem continēdi corpus; vel qua corpus a morte præſeruare poterat. Contra. Nunquā illam virtutem habuit; ergo illam non perdidit, probo antecedens, qnia calidū naturale agens in humidum radicale, non ſubdebatur animæ imperio (alias ſine cibo potuiſſet homo per longiſſimū tempus viuere, quod rationi, & naturæ contrariatur) ergo non habuit virtutem in ſe, qua poſſet corpus à corruptione præſeruare, ſed ſi ab ea præſeruare potuit, id ſanè fuit ab extrinſeco, ſ. à ligno vitæ, in ſubſtantiam ipſius corporis conuerſo.

Secunda pars patet per ea, quæ diximus ſupra q. 8. nec concilia ibi adducta contrariantur primæ parti huius reſpōtionis, ſolum. n. definiunt mortem, neq; ingreſſam, neque ingreſſuram in mundum, niſi per peccati demeritum, quod vero ſecluſa ordinatione de transferendis hominibus in gloriā moreretur, nec ne, quæſtio eſt ad philoſophiam pertinens; ſtante tamen innocentia non accidiſſet mors. Ex his ergo patet, quod ſtante innocentiæ ſtatu, ſi Deus non trāſtuliſſet hominem in Paradiſum, ſi homines fuiſſent mortui, mors non fuiſſet in illis pœna magis, quā in brutis; ſed eſſet conditio naturæ, vel paſſio conſequens talem naturam, ſic per mixtionem compoſitā, ſicut modo. Non tamen accidiſſet mors illo ſtatu permanente, quia mors per peccatum intrauit, iuxta Paulum ad Rom. quo non exiſtente minime ſuborta fuiſſet.

Mors abſolutè conſiderata non eſt pœna culpæ.

Adeo quod mors abſolutè conſiderata non eſt pœna culpæ, ſed conditio naturæ ſic mixtæ. Nam ſi Deus creaſſet hominem in puris naturalib. ſine quocunq; dono, tunc mortuus fuiſſet, ſicut & bruta, & tunc mors non eſſet ei pœna, ſicut nec brutis, quæ nō peccant; ſed quia Deus creauit hominē cum donis gratuitis, inter quæ dona fuit iſtud. ſ. ne vnquam moreretur actu; Adam vero per peccatum expoliauit ſe donis gratuitis, vel Deus per peccatum Adamum expoliauit gratuitis donis, expoliauit eum etiam iſto dono, & huius doni priuatio data fuit homini in pœnam peccati, ex qua doni expoliatione ſequuta eſt mors, quæ licet ſit propria conditio naturæ, tam poteſt dici pœna, vel ſequela pœnæ, quia ſequitur ad illam expoliationem, alias non ſecutura; atque ita intelligendi ſunt doctores affirmantes mortem pœnam eſſe peccati, atque ita intelligenda ſunt verba D. Pauli ad Rom. per peccatum mors. i. potentia illa, quæ per Dei donum namquam fuiſſet reducta ad actum; remoto dono, reducta eſt ad actum moriendi, & ſic eſt pœna.

Quæritur vndecimo. An mors cum ſit malum pœnæ ſit à Deo? & ratio dubitandi eſt, quia D. Augu. in Hypognoſticon ſcribit hæc verba. Video mortem non à Deo auctore, ſed per errorem vitæ veniſſe hominibus in Paradiſo delitiarum poſitis, & Sap. 2. Deus mortem non fecit, ſed impij manibus & verbis accerſierunt eam. Quæſt. 11.

Ex altera parte dicitur Eccl. 11. Mors,

&

& vita à Domino eſt; quod exponens D. Augu. in lib. retractationum inquit. Malorum pœna, quæ adeo eſt, malum quidem eſt malis; ſed in bonis operibus Dei eſt: quoniam iuſtum eſt, vt mali puniantur. Item D. Aug. Mors, & vita à domino Deo eſt, vita, ſcilicet à donante, mors ab ipſo vindicante.

Reſpondetur ſecundum D. Auguſtinum in lib. retract. & 83. q. quod Deus non eſt auctor mortis, niſi in quantum eſt pœna, & hoc eſt, quod dicit, quod mors eſt ab ipſo vindicante, hoc etiam explanat in quæſtionibus veteris teſtamenti. Non Deus inuentor mortis eſt, ſed iudex: quia mortis auctor peccator eſt, quomodo ergo Deus poterat facere mortem, qui neſciebat peccare. Sed dũ peccatum retribuit ab ipſo, dicta eſt eſſe mors, cum non ex ipſo ſit, ſed ex eo, qui peccauit.

De⁹ non eſt auctor mortis.

Vnde obſ. eſt, quod mors duplicem habet reſpectum, vnum ad ipſum peccatorem, vel diabolum, cuius inuidia mors intrauit in orbem terrarum, & ex hac parte non dicitur eſſe mors a domino tamquam auctore, non enim agit aliquod, ad quod ſequatur mors; alterũ reſpectum, reſpectũ habet mors ad Dei iuſtitiam, & iuxta hunc reſpectũ, mors eſt adeo in ratione pœnæ, nam quod inflictum eſt à domino pro peccato iuſtũ eſt, & quod iuſtum eſt, bonum eſt adeo à Deo.

Mors duplicẽ habet reſpectum

Queſt. 12. Quæritur duodecimo. An mors corporalis ſit tantum primorum parentum pœna, vel etiam cæterorum ab ipſis deſcendentium.

Videtur enim qui illorum tantũ debebat eſſe pœna, nam illis facta fuit illa prohibitio, ſicut patet per verbum Euæ dicentis; de fructu quod eſt in medio paradiſi præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus; ſed quib. fuit præceptum, eorum fuit in obedientia ſi transgrederentur, & non aliorum. ergo primorum parentum tantũ fuit inobedientia, ſed quorum eſt culpa, eorum eſt pœna per ſe, ergo mors fuit tantum pœna primorum parentum.

Pręterea non videtur, quod mors debeat eſſe pœna iuſtorum, quia mali & peccatores fuerunt, & ſunt imitatores paterni ſceleris, boni autem, & iuſti in quãtum huiuſmodi nequaquam, cum ergo pœna ſequatur culpam, mors deberet eſſe tantum malorum.

Et confirmatur: quia primi parentes, ſi ſtetiſſent in bonitate non fuiſſent perpeſſi mortem; ergo eadem ratione filij eorum niſi peccarent, ſed boni ſunt huiuſmodi; ergo mors non debet eſſe pœna bonorum.

Reſpondetur, quod prohibitio illa data fuit ipſi Adę, vt homini, quaſi vniuerſali (cauſaliter loquendo) & principio omnium hominum; in eo. n. materialiter erant omnes homines, ſiue ſeminaliter, vnde omnes in ipſo peccauerũt, prout dicit Apoſt. ad Rom. & Anſel. in lib. de peccato originali; quantum humana natura, quæ ſic erat in Adam tota, vt nihil de illa extra vnum eſſet, peccando ſine omni neceſſitate, Deũ exhonorauit, vnde per ſe ſatisfacere non potuit.

Ex quo accipitur, quod mors cõmunis debeat eſſe pœna, non tantum Adæ, & Euæ; ſed illorũ, qui nati ſunt de ipſis peccatoribus; vt tamen perſonæ erant, illi ſoli præceptũ domini ſunt tranſgreſſi, non autem filij eorũ, pœna ergo extenditur ad eos, qui ab ipſis deſcenderunt in quantum ab ipſis deſcenderunt, vt peccatoribus; vnde mors non eſt pœna inflicta primis parẽtibus, & accipientibus exemplum malitiæ ab eis, ſed ijs, qui deſcendunt originaliter ab eis, trahẽtes culpam originalem, vel debitum contrahendi eam, & pœnam; hi autem ſunt, tam boni, quam mali: boni enim licet liberentur à culpa originali, non tamen à pœna mortis, vt docet D. Aug. lib. 13. de Ciuit. Dei ca. 3. vbi ſcribit ſi à peccati vinculo per mediatoris gratiã ſoluuntur infantes, mortem illam perpeti poſſunt, quæ animã ſe iungit à corpore: in ſecundam vero ſine fine pœnalem liberanti à peccato, obligatione non tranſeunt.

Quæ-

Quæſt. 13.

Quæritur decimotertio. An corpus Adæ vel ipſe Adam ante lapſum fuiſſet mortalis vel immortalis? Habrei, vt auctor eſt Greg. Niſſenus lib. 1. de homine c.2. dixerũt hominem à principio neque mortalem fuiſſe neq; immortalem; ſed in medio vtriuſque naturæ termino, vt ſi corporales ſequeretur paſſiones vndique in corporales incideret tranſmutationes, vt animæ præeligens bona, immortalitate dignus efficeretur. Si enim à principio eum mortalẽ feciſſet Deus, nequaquam peccantem morte condemnaſſet; nam mortale mortalitate nullomodo condemnat. Si autem rurſus immortalem feciſſet, nequaquã eum eſca indigentem creaſſet, nullum enim immortale eſca corporale indiget. Neque ita facile pęnituiſſet creatũ immortalem, vt mortalem confeſtim faceret.

Non enim in his, qui peccauerũt Angelis hoc feciſſe videtur, ſed in ea quæ à principio eis erat natura immortales permanſerunt, aliam quidem quia peccauerunt ſuſcipientes vindictã, ſed non mortem.

Immortale bifariã ſumitur.

Cæterum hoc hebræorum commentum ſtare non poteſt; nam immortale bifariam accipi poteſt. ſ. proprie, vel improprie, ſi priori modo accipiatur, immortale cõtradictoriæ opponitur huic, quod eſt mortale, & neceſſe eſt alterum tantum de ſubiecto dici, atque adeo vel Adam in ſtatu innocentiæ fuit immortalis. i. non potens mori, vel mortalis. i. poteſt mori; nam negatio incluſa in hac voce immortale proprie accepta negat potentiam moriendi.

Si autem accipiatur poſteriori modo, ſ. improprie, vt non opponitur contradictoriæ, ſed quaſi ſub cõtrarie huic, quod eſt mortale, quatenus negatio incluſa non negat potentiam, ſed actum, vt ſit ſenſus immortale. i. potens non mori, tantum abeſt, quod Adam fuerit in ſtatu innocentiæ, nec mortalis, nec immortalis, quod affirmãdum eſt, ipſum ſimul fuiſſe mortale, & immortale, vt docet Mag. Sent. d. 19. ſecundi libri, erat enim mortalis, quia poterat mori; & erat rurſus immortalis, quia poterat non mori.

D. Thom. p. 1. q. 87. art. 1. affirmat hominem in ſtatu innocentiæ fuiſſe ſimpliciter immortalem, mortalem vero ſecundum quid, ſ. ſi peccaret, explicat D. Thom. ſuam ſententiam hac diſtinctione.

Incorruptibile põt aliquid dici tribus modis.

Aliquid põt dici incorruptibile tribus modis. Vno modo ex parte materiæ; quia ſcilicet nõ habet materiam, vt Angelus, vel ſi habet materiam non eſt in potentia, niſi ad vnam formã, ſicut corpora cœleſtia.

Altero modo aliquid eſt incorruptibile ex parte formæ; quando. ſ. rei, quæ per naturam ſuã eſt corruptibilis, ineſt aliqua diſpoſitio, per quã totaliter præſeruetur à corruptione, ſicut corpus hominis per gloriam efficitur incorruptibile.

Tertio modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte cauſæ efficientis, & hoc modo homo in ſtatu innocentiæ fuiſſet immortális, quia in homine erat vis quędam ſupernaturalis ei à Deo indita, qua poterat conſeruare corpus ab omni corruptione, quandiu ipſa anima eſſet Deo ſubiecta.

Ex his concludit hominem in ſtatu innocentiæ immortalem fuiſſe; non ſolum, quia poſſet non mori; ſed etiam, quia non poſſet mori, atque adeo in illo ſtatu fuiſſet homo ſimpliciter dicendus immortalis: mortalis vero ſecundum quid, i. ſi peccaret. Quæ ſententia colligi poteſt ex illo Eccleſ. 17. vbi de homine dicitur, poſuit in manu eius vitam, & mortem, ac ſi apertius diceret. Deus ſic condidit hominem, quod poſſet mori, & non mori, ſecundum ſui arbitrij libertatem. Quod aſſerit etiam D. Aug. lib. quæſt. noui, & veteris teſtamenti q. 18. dicens. Deus hominẽ fecit qui quãdiu non peccaret immortalitate vigeret, vt ipſe ſibi auctor eſſet; aut ad vitam aut ad mortem.

Oppoſitam ſententiam docet Doct. ſub. in 2. d. 19. q. vnica affirmans hominem in illo fœliciſſimo innocentiæ ſtatu,

tu,

tu, habuiſſe potentiam ad mori, ſimpliciterque fuiſſe mortalem, licet illa potẽtia numquam fuiſſet illo ſtatu perſeuerante ad actum redacta. Pro cuius opinionis intelligentia.

Immortale bifariã ſumitur.

Obſ. eſt immortale bifariam accipi. Primo pro eo, quod nõ poteſt mori, ſeu pro eo, quod non habet potentiam ad mori. Secundo pro eo, quod poteſt non mori: differunt autem iſti duo modi inter ſe; quia in primo negatur potẽtia ad mori; in ſecundo vero conceditur potentia tantum, ad poſſe non mori, non tamen negatur potentia ad poſſe mori. Hoc inſinuauit D. Aug. li. 6. ſuper Gen. ad litt. cap. 24. cum dixit primo homini datum eſſe, non vt non poſſet mori; ſed vt poſſet non mori, ſi vellet, i. ſi non peccaret. Hoc ſtante dico quod.

Corpus Adæ ante lapſum conſideratum erat abſolutè, & ſimpliciter loquẽdo mortale habens verã potẽtiam ad mori. Concluſionem hanc expreſsè docet D. Aug. lib. 6. ſuper Gen. ad litteram c. 28. vbi ſic ait; Denique non ait Apoſtolus corpus quidem mortale propter peccatum, ſed corpus mortuum propter peccatum: Illud quippe ante peccatum, & mortale ſecundum aliam, & immortalem ſecundum aliam cauſam dici poterat. i. mortale, quia poterat mori, immortale quippe, quia poterat non mori. Aliud eſt enim non poſſe mori, ſicut quaſdam naturas immortales creauit Deus.

Aliud eſt autem poſſe non mori; ſecundum quemadmodum primus creatus eſt homo immortalis; quod ei præſtabatur de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ, à quo ligno ſeparatus eſt, cum peccaſſet, vt poſſet mori; quia niſi peccaret poſſet non mori; mortalis ergo erat conditione corporis animalis; immortalis autem beneficio conditoris. ſi enim corpus animale vtique mortale; quia & mori poterat; quãuis & immortale ideo: quia & nõ mori poterat. Neque enim immortale, quod mori omnino non poſſit, erit, niſi ſpirituale, quod nobis futurum in reſurrectione promittitur: ac per hoc illud animale, & ob hoc mortale, quod propter iuſtitiã ſpirituale fieret; & ob hoc mortale omnimodo factum eſt propter peccatum, non mortale, quod & antea erat, ſed mortuũ quod poſſet, non fieri; ſi homo non peccaſſet. Hactenus D. Aug.

Quibus verbis ſępiſſime corpus primi hominis mortale appellat ſolumq; illud immortale fatetur, quia poterat non mori, ſi in accepta iuſtitia perſeueraſſet.

Item dicit illud eſſe mortale, tũ quia animale, & cibis indigens, tum quia nõ poſſe mori ſolum poſt communem corporum reſurrectionem habiturum eſt.

Idem docet Magiſter Sentent. in 2. d. 19. quicquid alij ſentiant, quod vt pateat verba eius referre libet.

Primus, inquit, homo ſecundum naturam corporis terreni, & immortalis fuit, quodammodo ſecundum aliquod, quia potuit non mori & mortalis quodãmodo, quia potuit mori; in illo namque primo ſtatu habuit poſſe mori, & poſſe non mori, & hæc fuit primi hominis immortalitas, ſ. poſſe non mori.

In ſecũdo vero ſtatu poſt peccatum, habuit poſſe mori, & non poſſe nõ mori, quia in hoc ſtatu moriendi eſt neceſſitas.

In tertio ſtatu habebit poſſe non mori, & non poſſe mori; quia ad illum ſtatum pertinet moriendi impoſſibilitas, quod ex gratia erit, non ex natura. En quomodo Magiſter ſolum corpori Adæ in primo ſtatu potuiſſe non mori, in tertio vero non poſſe mori concedit. Eamdem ſententiam docet Grego. Nyſſenus loco ſupracitato.

Et confirmatur primus homo abſolutè loquendo potuit illum fœliciſſimum innocentiæ ſtatum amittere; ergo abſolute mori potuit, antecedens a facto eſſe, ad poſſe probatur euidenter, de facto illum amiſit, cum præceptum ſibi impoſitum de non veſcendo de ligno vetito tranſgreſſus eſt; ergo illum potuit amittere.

Sequela probatur, quia amiſſa illi is

ſtatus

Digitized by Google

ſtatus iuſtitia futurus erat Adam morti obnoxius, iuxta illud Gen. 2. In quacunque hora comederis morte morieris.

Primus homo ſimpliciter, & abſolutè fuit mortalis.

Dicendum eſt ergo primum hominem ſimpliciter, & abſolute fuiſſe mortalem: quia abſolutè habuit potentiam ad mori; immortalem vero ſecundum quid, vtique ſi non peccaret.

Et ſanè neſcio quomodo primus parens potuit in illo ſtatu dici ſimpliciter & abſolutè immortalis, cum naturam animalem haberet, & per alimenti defectum potuerit mori, nec habuerit ſecundum omnes Theologos nō poſſe mori; ſed ſolum poſſe non mori. Profectò decipiuntur, qui illū in illo ſtatu nō poſſe mori habuiſſe affirmant, ſicut & ij, qui illum ſimpliciter immortalem prædicant. Fateor ſanè illum numquam moriturum, ſi non peccaſſet, ac per hoc immortalem illum prędico, ſecundū quid; quia habuit poſſe non mori; ſed non habuit non poſſe mori; ſine quo ſimpliciter immortalis dici nequit.

Præterea corpus Adæ in illo ſtatu erat paſſibile, paſſione proprie dicta, & abiectiua, vt demonſtrabimus infra; ergo non fuit in illo ſtatu ſimpliciter immortalis, ſed potius mortalis. Præterea potuit igne comburi, aqua ſuffocari, à beſtia, Demone, vel homine occidi; habuit enim corpus optimè complexionatum, & ita tenerum, quod potuit conſequenter à ſuo contrario calore, vel frigore exceſſiuo corrūpi, & ſimiliter alio violenter diſſolui. ergo fuit ſimpliciter mortalis, immortalis vero ſecundum quid.

Hanc ſententiam cum Doct. ſub. tenent omnes eius diſcipuli, Baſſolus Landulphus de Neapoli, Guilelmus, Vorilion, Rubion, Tataretus Lechetus, Gratianus, Petrus de Aquila, Nicolaus de orbellis, Ant. Andreas omnes in 2. d. 19. eamdem ſequitur Gabriel Biel in 2. d. 19. q. vnica art. 2. & 3. Caiet. Gen. 2. in illa verba quacumq; die comederis, &c. vbi aperte dicit. Nō dicimus hominem ante peccatum fuiſſe immortalem; ſed quod fuiſſet ſeruandus à morte diuina virtute, ac etiam Pererius lib. 5. in Gen. in diſp. de excellentia ſtatus innocentię quæſt. 3.

Quæritur decimoquarto. Vtrum primus homo ſtante innocentiæ ſtatu potuiſſet mori, at etiam non mori ſi in iuſtitia perſtitiſſet. Quæſt. 14.

Pro reſponſione obſ. eſt primo, quod hæc propoſitio, Adam in ſtatu innocentiæ non potuit mori, duplicem poteſt reddere ſenſum, alterum diuiſum, alterum vero compoſitum: in ſenſu diuiſo eſt propoſitio falſa, ſecūdum fidem. Nā ſenſus eſt, quod Adam, qui erat in ſtatu innocentiæ, non poterat mori, etiam illo ſtatu corrupto, quod planè eſt contra fidem.

Nam primo Gen. dicitur in quacunque hora comederis morte morieris. i. mortis reus eris. Quod vero mortuus fuerit Adā ſcriptura ſacra teſtatur Gen. 5. ex quo ſic conficio argumentū. Adam qui fuerat in ſtatu innocentię verè mortuus eſt, iuxta ſacras literas, ergo potuit mori. (Valet enim conſequentia à facto eſſe ad poſſe) ergo falſa, & hæretica eſt illa propoſitio in ſenſu diuiſo.

In ſtatu vero cōpoſito hoc eſt ex ſuppoſitione, ſeu ſtatu innocentiæ permanente, an ſit vera eſt dubiū; nam aliqui (imo, & communiter omnes cum D. Bon. in 2. d. 19. art. 2. q. 1.) tenent eſſe veriſſimam. Scotus vero, & ſequaces eadē d. oppoſitum affirmant, licet concedāt, de facto nunquam ibi futurā mortem, neque illā potentiam ad mori actui aliquando fore coniungendam.

Cęterum concordari poſſet Doc. ſub. cum D. Bonau. ni fallor hac ratione, ſ. q. permanente ſtatu innocentiæ, & poſita Dei voluntate, & decretō (qui Adam ſi legem ſibi poſitam ſeruaret nunquam moreretur), vere dici poterat hac ratione (vt inquit D. Bonauentura) non poſſe mori; ſicut de prędeſtinato homine dici ſolet in ſcholis, quod poteſt damnari, & quod non poteſt damnari; ſimpliciter enim & abſolutè, in ſenſu diuiſionis damnari poteſt, ex ſuppoſitione tamen, ſeu in ſenſu compoſitionis, i. prout eſt

inau

Digitized by Google

iam à Deo prædeſtinatus, non poteſt damnari, ſi tamen conſideretur homo ſimpliciter in ſtatu innocentiæ, nullo habito reſpectu ad Dei decretum & legem, nõ habuit homo, quod non poſſet mori, etiã illo in nocentiæ ſtatu permanente, ſicut docet Doct. ſub.

Secundo obſ. eſt cauſas mortis poſt lapſum eſſe duas in genere. ſ. ab intrinſeco, vel ab extrinſeco.

Cauſæ mortis poſt lapſum ſũt duæ.

Prima eſt duplex: nam vel corrumpitur res ab aliquo intrinſeco per actionẽ mutuam contrariorum inter ſe in ipſo corpore, vel propter actionem inteſam vnius contrarij in aliud; vel corrumpitur propter defectum alicuius rei neceſſariæ ad vitam, nimirum propter defectum alimenti.

Primo modo accidit corruptio naturalis in reb. animatis, nõ propter actionem elementi in elementum, vel propter aliquam qualitatem elementalem actiuam, vel paſſiuam: quia nec elementa, nec eorũ qualitates manet in mixto formaliter, vt docet Scot. in 2. d. 15. ſed propter actionem vnius partis organicæ in aliam partem corrũpendo ipſam, vt ſic corpus fiat in diſpoſitum, & inhabile ad animationem.

Iſta autem actio, vel eſt caloris naturalis in humidum radicale corrumpendo, & conſumendo humidum, ad cuius corruptionem, & conſumptionem, ſequitur corruptio, & cõſumptio propria ipſius caloris, & per conſequens animalis, ſicut ad conſumptionem olei ſequitur conſumptio ignis: vel virtutis actiuæ ſecundum ſpeciem; pars enim ſecundum ſpeciem habet certam, & determinatam periodum, in qua poteſt conuertere in ſe partem nutrimenti appoſitã, & vltra quam non poteſt; poteſt autem hoc, quam dici poteſt agere ſufficienter in nutrimentum; at vero quia omne agens phyſicum in agendo repatitur, & repatiendo debilitatur ita, tãdem quod non poteſt amplius conuertere nutrimentum, nec reſiſtere corrumpẽti. Tũc huiuſmodi pars ſecundum ſpeciem incipit eſſe ſecundum materiam, & fluere in partem ſecundum materiam deſinẽdo eſſe ſecundum ſpeciem. Hæc eſt ergo cauſa corruptionis. ſ. deperditio paulatiua illarum partium.

Secundo modo accidit corruptio per ſubſtractionem alimenti neceſſarij ad vitam.

Cauſa extrinſeca corruptiua eſt duplex.

Cauſa extrinſeca corruptiua eſt duplex, ſ. diſpoſitio contraria continentis, & violentia illata ab aliquo extrinſeco. Prima accidit, vel quia cõtinẽs corrumpit directe cõtemptum, vt ignis corpus, quod continent, vel quia nõ directe corrumpit, ſed prohibet illud, quod eſt neceſſarium ad vitam, vt aqua, quæ prohibet inſpirationem, & reſpirationem, & ſimiliter terra, & iſta ſunt cito corrumpentia. eſt etiam continens corrumpẽs, ſed non ita ſubito, vt aer regionis intemperatæ.

Secunda cauſa mortis extrinſeca, quę fit per violentiam poteſt euenire vel ab homine, vel ab Angelo malo, vel à beſtia, ſiue animali quocunque.

Primus homo in ſtatu innocentiæ potuit mori, & nõ mori.

His ita cõſtitutis. Dico quod primus homo ſtante innocẽtiæ ſtatu potuit mori, ac etiam non mori, ſi in innocentia perſtitiſſet.

Prima pars huius cõcluſionis eſt Aug. in Magiſtri locis præcedente quæſtione adductis, quæ probatur rationibus. Primo omne illud quod indiget alimento & nutritur regulariter, & naturaliter pro eodem ſtatu ſit ſimpliciter corruptibile ad oppoſitum iam non indiget alimento, nec oportet, quod nutriatur, ſed homo in ſtatu innocentiæ, & pro tali ſtatu durante indigebat alimento, & nutrimento (alioquin non fuiſset ſibi dictum ex omni ligno paradiſi comede) ergo, &c.

Secundo omne illud, in quo pro aliquo ſtatu durãte calidum naturale agit in humidum radicale corrumpendo ipſum eſt ſimpliciter corruptibile, quia in humido, & calido conſiſtit vita, atq; ita mors inducitur per conſumptionẽ humidi. Sed in Adam pro ſtatu innocentiæ, quantumcumque durãte, calidum agebat in humidum conſumẽdo ipſum,

quia

quia alias non indiguiſſet alimento, vel nutrimẽto in ſtatu innocẽtiæ, ergo, &c.

Tertio omne illud quod pro aliquo ſtatu ipſo durante eſt ſimpliciter paſſibile paſſione reali, & abiectiua contrarij, eſt ſimpliciter corruptibile, quia talis paſſio eſt diſpoſitio ad corruptionem; ſed homo in ſtatu innocentiæ ipſo durante fuiſſet ſimpliciter paſſibilis paſſione reali abiectiua, vt ſtatim dicemus, & hoc ab extrinſeco corruptiuo, vel nociuo approximabili, ſicut ab igne, vel ab intrinſeco per actionem vnius partis in aliam, ergo fuit in ſtatu innocentiæ ſimpliciter corruptibilis, atque adeo potuit mori, licet eo ſtatu durante mors non accidiſſet.

Secunda pars concluſionis ſatis conſtat per ea, quæ ex Aug. & Magiſtro præcedente quęſtione attulimus. Et inſuper ſi homo non peccaſſet non fuiſſet mortuus, vt diximus ſupra, ſed potuit non peccare, ergo potuit non mori.

Præterea. In illo ſtatu habuit ſufficiẽtia remedia contra defectus, ex quibus mors oritur, ſaltem vſque ad traslationem eius ad gloriam, ergo potuit non mori, conſequentia eſt nota, & antecedens probatur; in primis habuit remedia cõtra duos defectus, ex quibus quaſi ab extrinſeco mors ſequitur, quorũ primo (qui eſt deperditio humidi radicalis ex actione caloris naturalis) ſubueniebatur per eſum omnium lignorum paradiſi, atque ita dictum fuit. Ex omni ligno paradiſi comede.

Secundo autem defectui, qui eſt debilitatio naturalis vigoris complexionis hominis, quæ naſcitur ex commiſtione extranei nutrimenti cum calore, ſeu humido radicali (quemadmodum vinum eo magis debilitat, quo amplius ei aqua commiſcetur) remedium per eſum ligni vitæ adhibebatur, vt per longiſſimũ tempus viuere poſſet roborata natura per cibum ligni vitæ.

Stante etiam innocẽtia vniuerſali in omnibus, non fuiſſet ſecuta in aliquo homine corruptio, quæ procedit ex ſecũda cauſa intrinſeca corruptionis. ſ. propter ſubſtractionem nutrimẽti. Secus autem ſi fuiſſet innocentia particularis in aliquo, vt puta in paruulo, & pater & mater eſſent nocentes, & mali; ſi non darent neceſſaria paruulo, cum per ſe non poſſet illa acquirere, nec cognoſceret quid quid conueniens, & diſconueniens; moreretur, nec innocentia ſua ſeruaret eũ. At in ſtatu illo homines fuiſſent iuſti.

Deinde habuit remedia contra omnia, mortem ab extrinſeco inducentia; nam contra extrinſeca elementa habuit aeris temperiem conuenientiſſimam, quantum ad omnes qualitates primas. Contra violentiam demonum angelicam cuſtodiam. Similiter, & contra beſtias, quæ tunc non fuére immites, ſed homini obedientes, nam ſuper illas habuit perfectum dominium. Similiter, & homines in ſtatu illo (vt diximus) iuſti fuiſſent, & non peccatores; quare nullus alium læſiſſet. Quod ſi aliquis animum lædendi alium concepiſſet, iam peccaſſet, & ſtatim de Paradiſo expulſus fuiſſet, ſicut de Adam factum eſt. Contra cætera cauſaliter violentantia, opprimentia, vel lædentia, habuit prouidentiam copioſam omnia illa cauendi. Potuit ergo homo in illo ſtatu non mori, cũ mortem ab intrinſeco, vel ab extrinſeco illatam cauere poſſet.

Queſt. 15.

Quæritur decimoquinto. Vtrum homo in ſtatu innocentiæ fuiſſet paſſibilis paſſione propriè dicta, quæ eſt abiectiua contrarij. S. Thom. p. 1. q. 97. art. 2. tenet, quod primus homo in ſtatu innocentiæ non fuiſset paſſibilis paſſione, quæ remouiſset eum à ſua diſpoſitione naturali; quare in illo ſtatu erat immortalis, atque adeo impaſſibilis; nam illæ paſſio, ſemper diſponit ad corruptionẽ, & ad mortem; fuiſset tamen paſſibilis paſſione communiter dicta, & perfectiua naturæ, & quantum ad animam, & quantum ad corpus, quia ſentiebat, dormiebat, &c.

Paſſio dupliciter accipi poteſt

Vnde apud D. Thom. paſſio dupliciter accipi poteſt. Vno modo proprie, atque ita illud dicitur pati, quod à ſua naturali diſpoſitione remouetur, quo ge-

nere paſſionis in rebus naturalibus contraria agunt, & patiuntur adinuicem, & vnum remouet alterum à ſua naturali diſpoſitione, altero modo dicitur paſſio communiter ſecundum quamcumque mutationem, etiam ſi pertineat ad perfectionem naturæ, atque ita intelligere & ſentire dicuntur quoddam pati.

Homo in ſtatu innocentiæ fuit paſſibilis propriè.

Oppoſitam ſententiam docet Doct. ſub. in 2. diſt. 19. vbi cenſet hominem in illo ſtatu paſſibilem fuiſſe paſſione propriè dicta, quæ ſententia ita probari poteſt. Homo in ſtatu innocentiæ indiguiſſet cibo ad reſtaurationem humidi radicalis per continuam actionem caloris naturalis deperditi, ergo vera, & propria paſſio phyſica erat in homine; antecedens eſt certiſſimum, aliàs nutrimẽto non indiguiſſet, quod eſt falſum, conſequentia probatur; quia illa humidi radicalis deperditio, non poterat fieri abſque eiuſdẽ naturæ vera, & phyſica paſſione.

Nam ſi ipſa natura non patiebatur per continuam caloris naturalis actionem, ergo minime cibo, & alimẽto egebat, quo nutriretur, ſi autẽ vere nutriebatur in illo ſtatu, vel ergo ſubſtantia deperdita reſtaurabatur per cibi aſſumpti conuerſionem in ipſam, vel non; ſed naturæ in eodem ſtatu permanent ſubſtantia illa addebatur. Si primum ergo, verè patiebatur paſſione reali phyſica, qua ſola illa ſubſtantia deperdebatur. Si ſecundum ergo, vel numquam indiguiſſet homo alimento, vel ſemper erat in ſtatu augumenti, quorum vtrumque eſt à vera ratione alienum. Certè hominem indigere in illo ſtatu alimento, & non eſſe paſſibilem paſſione phyſica reali, & propriã, eſt duo contradictoria cõſtituere.

Nec ſolutio D. Thom. vbi ſup. art. 3. in reſponſione ad ſecundum aliquod valet, quia dicit ſolum in nutritione pati alimentum, non vero naturam. Nam & ſi hoc verum eſſet (quod tamen reputo falſum: quia omne agens phyſicum in agendo verè repatitur, & debilitatur, & per conſequens natura cõuertens illud alimentum patiebatur) tamen illa nutritio ſupponit paſſionem realẽ; nam ſi nihil detrimẽti natura fuiſſet perpeſſa, non indiguiſſet alimẽto, quo repararetur. Quod optime ſentit Durand. in 2. d. 19. q. 2. ſic inquirens.

Si igitur de ſubſtantia corporis nihil deperderetur ante ſumptionẽ cibi, nec poſt; ſemper aliquod conuerteretur de alimẽto, oporteret neceſſario, quod ſemper ſequeretur augumẽtum, quod non eſt verum.

Fuiſſet ergo in ſtatu innocentiæ vera paſſio naturalis, quæ eſt abiectio alicuius conuenientis ſecundum naturam. Nec tamen fuiſſet ſecuta corruptio ſecundum totum: quia, quod ablatum eſſet, reſtauratum fuiſſet, quaſi in eadem puritate, per virtutem ligni vitæ conſortantis ad modum optimæ medicinæ, vt dicit D. Aug. lib. de quæſt. noui, & veteris teſtamenti, atque ita reſtauratio fuiſſet, quod feciſſet ad vitæ continuationem, quouſque transferrẽtur in ſtatum gloriæ, & confirmatur hoc amplius ex eodem D. Tho. eadem quæſt. art. 4. vbi ait hominem pro primo ſtatu duo habuiſſe remedia ad conſeruationem vitæ contra duos defectus. Primus defectus eſt deperditio humidi per actionẽ caloris naturalis, qui eſt animæ inſtrumentum, & contra hũc defectum ſubueniebatur homini per eſum aliorum lignorum paradiſi, ſicut & nunc ſubuenitur nobis per cibos, quos ſumimus.

Secundus defectus erat diminutio, & debilitatio virtutis actiuè ſpeciei prouenienſ ex actione in alimentum diſſimile, & extraneum. Contra hunc defectum ſubueniebatur homini per eſum ligni vitæ.

Ex his ſic cõficio argumentũ. Vterq; defectus fuit in homine pro primo ſtatu, ergo fuit in eo vera, & propria paſſio. Patet conſequentia, quia deperditio humidi cum fiat actione caloris, manifeſte in actione propriè dicta conſiſtit. Debilitatio quoque virtutis ex admixtione extranei, aperte naturã remouet à ſuo naturali robore, ergo verè, & proprie

priè erat ibi paſſio phyſica, & realis. Profecto adeo clara eſt hæc conſequentia, vt nullus ſanę mẽtis eam negare poſſit, nam vt in antecedente dicitur deperditio humidi paſſione proprie dicta fuit neceſſario.

Reſpondet Caiet. quod ſecundus defectus, qui eſt naturæ debilitatio, non erat in ſtatu innocentiæ: Quapropter cum ait S. Thom. quod lignum vitæ occurrebat huic defectui interpretandus eſt, inquit, non de defectu qui fuit; ſed de eo, qui fuiſſet, niſi lignum vitæ præueniſſet.

Sed contra hoc ſic inſto: virtus actiua naturæ conuertens fructum ligni vitæ in ſubſtantiam aliti debilitatur, ergo talis defectus inerat homini in illo ſtatu, cõſequentia eſt nota, & antecedens probatur; quia omne agens phyſicũ in agẽdo repatitur, & per conſequens debilitatur, vt patet de vino agẽte in aquam, quod toties poteſt in ipſam agere, vt aquoſum reddatur, nec poſſit amplius aquam in ſeipſum conuertere.

Reſpondet Caiet. quod inerat animę vis quædam, qua corpus agens in nutrimentum non repatiebatur. Contra ſi homo nõ cõmediſſet de ligno vitæ infuiſſet ſibi defectus ille ſecundus, qui eſt naturæ debilitatio, vt inquit ipſemet Caie. ergo anima non habebat vim, quia corpus agens in nutrimentum non pateretur, patet conſequentia; quia ſi illam haberet, etiam ſi de ligno vitæ homo non comediſſet non fuiſſet ſecuta illa debilitatio; ſed ſepararetur humidum deperditum per eſum aliorum lignorum abſq; naturæ debilitatione, vt ſatis patet. Ex quo efficax ſumitur argumentũ ad probãdum hominem in illo ſtatu nõ fuiſſet ſimpliciter immortalem; ſed potius ſimpliciter, & abſolutè mortalem: nam ſi non præaſſumpto cibo ſequeretur ab intrinſeco corruptio hominis, quia omni ſua vi actionem naturalẽ caloris impedire nõ poterat, neſcio quo pacto immortalis ſimpliciter dici poterat, ob id ſanè poſt reſurrectionẽ erit ſimpliciter immortalis; habebit enim non poſſe mori, quia contraria in eo exiſtentia non agẽt in ſe inuicem, nec egebit illud corpus nutrimento.

Reſpondet Caiet. ad paſſionẽ, quam infert primus ille defectus, q; illa paſſio erat propria paſſio; cæterum non remouebat corpus à naturali ſua diſpoſitione. Non negat aũt D. Thom. paſſionem abſolutè in corpore primi hominis; ſed ſolum paſſionem remouentem illud à ſua naturali diſpoſitione: quia per eſum ligni vitæ ab ea præſeruabatur. Habemus ergo ex hoc, quod verè illud corpus erat de ſe paſſibile, & per conſequẽs mortale, licet numquam mors, vel vera paſſio remouens illud corpus, à naturali ſua diſpoſitionę fuiſſet ſubſecuta, vt vult D. Thom. licet Sco. illud neget; addatque, quod verè illa natura fuiſſet debilitata, niſi fuiſſet ante mortem translata in gloriam: quia, inquit, omne agens Phyſicum in agendo repatitur, & debilitatur, cui defectui non poterat, nec per animę virtutem, nec per eſum ligni vitę ſubueniri, vt ſupra dicebamus, & ſequ. quæſtione clarius oſtendemus.

Poſſet etiam ad quęſtionem ita reſpõderi; Impaſſibile tripliciter accipi põt. Primo, quia nullam omnino rẽ, aut perfectionem poſſit ſuſcipere, & hoc modo non fuit homo in ſtatu innocentiæ impaſſibilis ſecundũ corpus, põtuiſſet enim calefieri, nutriri, &c. *Impaſſibile tripliciter accipi poteſt.*

Secundo, quia nullam rem poſſit ſuſcipere per quam priuetur aliqua diſpoſitione, ſeu forma, & neque iſto modo fuiſſet homo in ſtatu innocẽtiæ impaſſibilis; nam per incremẽtum corporis, & progreſſum ętatis potuiſſet ſuſcipere diſpoſitiones aliquas habitui naturali corporis in vnaquaque ætate conueniẽtes, per quas aliæ antecedẽtes diſpoſitiones fuiſſent excluſę, & certam quamdã ſiccitatem maiorem, ac ſoliditatem partiũ corporis humani; itẽ amiſiſſet aliquod de humido naturali, quod per nutritionem inſtauratum fuiſſet.

Tertio modo, quia non poſſit vllam rem ſuſcipere, per quã priuetur aliqua meliori diſpoſitione, & ad interitum, &

Digitized by Google

corruptionem tendat, & hoc modo dici poteſt hominẽ in ſtatu innocentiæ fuiſſe impaſſibilem, non quod eius natura non fuiſſet vere debilitata, quantum eſt ex ſe, & ab extrinſeco, cum omne agens phyſicum in agẽdo repatiatur; ſed quia diſpoſitio immediatè ad interitum, ſeu corruptionem diſponens nõ accidiſſet: quoniam ante talem diſpoſitionem, homo tranſlatus fuiſſet in gloriam, atq; ita in eo ſtatu hac ratione impaſſibilis appellari potuit.

Quæſt. 16. Quæſt. 16. An Adam in ſtatu innocentiæ ſeneſcere potuerit. Pro ſolutione dico, quod ſecluſa lege, & ordinatione diuina, qua primum hominem non mori tantum actu, niſi per peccatum Deus ordinauit, cæteris alijs manentibus in innocentiæ ſtatu homo tandẽ ſenio conficeretur, & moreretur, hæc cõcluſio eſt Sco. vbi ſup. quem ſequitur Durandus in 2. diſt. 14. quæſt. prima, vbi aſſerit immortalitatem pro ſtatu innocentiæ homini conceſſam non fuiſſe, vt ſemper viueret; ſed vt viueret vſque ad tempus ſuæ tranſlationis. Idem tenet Ioannes de Baſſolis eadem diſtin. q. vnica art. 2. Landulphus de Neapolis, & Gulielmus Rubion eadem diſt.

Adã in ſtatu innocẽtiæ ſenio conficeretur.

Oppoſitam tamẽ ſententiã defendit Ioan. Maior in 2. diſt. 19. q. 1. vbi docet, quod licet Adam fuiſſet longæuus, & multos annos habens, tamen non fuiſſet virtus eius debilitata, atq; adeo non incurriſſet ſeniũ, eo quod calor eius naturalis poterat ſeruari ita magnus ſicut erat in prima eius creatione, & ita purus per humidum cibale.

In nobis autẽ, inquit, ſunt modo quatuor ſtatus viuendi variati penes actiuitatẽ caloris naturalis, penes quos quatuor ætates ſumuntur.

In nobis sũt quatuor ſtatus viuẽdi penes quos 4 ætates ſumuntur.

Primus ſtatus eſt in quo eſt motus augmenti, & extenſio potiſſimum in longitudine, vt in pueritia. Secundus ſtatus quo permanent in eadem qualitate, & fere in eadem menſura virtutis, atque caloris, & propterea dicitur ſtatus conſiſtentiæ. Iſtas qualitates voluit Auic. æquales, quia non multum diſtant.

Tertius ſtatus eſt prima ſenectus, in qua diminuitur virtus corporis, & calor, non tamen multum ſenſibiliter, ſicut fit in quarto ſtatu, & vltima ſenectute, quæ incipit ab anno ſexageſimo, in qua quis innititur baculo.

Iſta enim Adamo, inquit, non contigiſſet, quia calor naturalis in eo non fuiſſet diminutus: nam ſtetiſſet ſemper in iuuentute, quo ad corporis robur.

Vnde diſtinguit duplicem iuuentutem, quarum vnam appellat corporis iuuentutem, quo ad corporis robur, & hac iuuentute, inquit Adamum ſemper iuuenem permanſurum: quoniam habuiſſet naturalem calorem, ita intenſum, atque ita purum per totam vitam; ſicut in trigeſimo anno habet homo ſanguineus bene complexionatus; nam licet calor naturalis agat in humidum radicale, ipſoque nutriatur, ſicut Lampas agit in oleo, ipſoque nutritur, & ſicut ad olei conſumptionem lampas extinguitur, ita ad humidi radicalis conſumptionem calor naturalis conſumitur.

Iuuẽtus eſt duplex.

Cæterum hoc in Adamo non contigiſſet: quia per humidum cibale purũ foueretur calor eius naturalis, ſicut in humido radicali.

Alteram iuuentutem appellat iuuentutem, quo ad annos, quæ correſpondet ſenectuti, quæ conſiſtit in multos viuere annos, & hæc ſenectus impertiens eſt abſolute cum corporis valetudine. Caleph enim plures habebat annos, quando erat natus 85. annos, quam quando habebat 40. & tamen erat ita iuuenis tunc, quoad corporis vires, ſicut quando erat natus ſolum quadraginta annos.

Tandem concludit quod quo ad annos bene verum eſt, quod annorum congeries ſequitur corporis debilitas, & eius ſenectus.

Sed contra hanc opinionem ſic inſtatur, omne corpus naturale à quo aliquod deperditur, & aliquid reſtauratur per continuam actionem, ſtante lege

Digitized by Google

lege comuni naturæ, tandē in ſua actio ne reſtaurandi deperditum fatigatur,& deficit ab agendo. Sed Adam in innocentia durante habuiſſet tale corpus, in quo continuo fuiſſet aliquod deperditum,& aliquod reſtaurandum,ergo tādem ſua virtus nutritiua defeciſſet, & per conſequens ſenio cōfectus obijſſet; probo maiorem: quia agens naturale agens in ſuum contrarium,repatitur,& debilitatur,& cum ſit finitæ virtutis,tandem deficit,& fatigatur per diminutionem ſuæ virtutis.

Maiorem oſtendo: quia Adam indiguiſſet alimento in illo ſtatu,indigentia autem alimenti neceſſario ſupponit deperditionem,& reſtaurationem ſubſtātiæ viuentis, vel humidi radicalis eius, alimentum enim ſumitur, vt id, quod per actionem continuam caloris deperditur,reſtauretur.

Præterea ſi homo in illo ſtatu non incurriſſet ſenium,& virtus eius nō debilitaretur,hoc maxime eueniſſet: quia per eſum ligni vitæ conſeruaſſet humidum;vel ſufficienter reſtauraſſet deperditū,ſed hoc eſt impoſſibile, ergo, &c.

Probo minorem:quia quicquid fuiſſet principium actiuum in homine,non potuiſſet continuare actionem; quin aliquando debilitaretur:quia omne agens phyſicum in agendo debilitatur.

Eſto ergo quod natura eſſet debilitata,& ſumeret de fructu, non potuit ſuſtentari per iſtum fructum niſi conuertendo ipſum, vt alimentum in ſubſtantiam, & naturam ſuam; ſed illud conuerſum non potuit eſſe nobilius quam conuertens, ſimiliter natura conuertēs prius fuit debilitata, & in conuertendo etiam nutrimentum illius fructus debilitabatur magis,ſicut enim in vna actione,ita & in alia, ideo magis, & magis debilitabatur, quanto magis, & magis agebat in cōuertendo: ergo ſemper debilitabatur;atque adeo quandoque deficeret. Excellentiſſimum Ariſt.1.de gen. ca. 34.& 39. de aqua mixta vino ad hoc vinat: nam ſicut aqua adiuncta vino,primo quidem conuertitur in naturam vini;ſed quo magis additur, eo magis diminuit fortitudinem vini, donec tandem vinum euaneſcat,& in aquam degeneret.

Et cōfirmatur,aut enim natura ipſius fuiſſet ſemper fortior,& fortior ad agēdum, & ſemper creſcens in fortitudine per cibum ligni vitæ, aut in eodem ſtatu maneret,nam ſemper aut debilitata fuiſſet continuo;non poteſt dici primū: quia eſt ſtatus neceſſario ſecundum naturam;nec ſecundum:quia oppoſitum experitur in exemplo ſenſibili de vino, quod ponit philoſophus loco ſupracitato, quod conuertendo aquā in ſe ipſum debilitatur,& tandem euaneſcit, atque corrumpitur, ergo ita in propoſito natura primi hominis fuiſſet debilitata per continuam actionem, & repaſſionem, & tandem defeciſſet,nec per eſum ligni vitæ potuiſſet ad priſtinum ſtatum reduci;per conuerſionem enim illius fructus in propriam ſubſtantiam debilitabatur,atque ita toties poterat in ipſum agere,quod defeciſſet omnino, ſicut videmus modo in partibus viuentis, quæ enim prius erant ſecundum ſpeciē, per continuam actionem,& paſſionem,incipiunt eſſe partes ſecūdum materiam, & defluunt.

Præterea,homo poſt peccatum ſumēdo de fructu ligni vitæ, non potuiſſet à morte præſeruari,& ſi in pœnam peccati non fuiſſet introducta; ſed ob conditionem naturæ, ergo nec ante peccatū; antecedens eſt notum, & conſequentia probatur:quia nec naturam per peccatū aliquod extrinſecū amiſit, nec lignum vitæ virtutem conſeruandi vitam perdidit. Dices animam perdidiſſe virtutē, qua corpus à morte præſeruare poterat. Contra. Numquam illam virtutem habuit,ergo illam non perdidit.probo antecedens:quia calor naturalis agens in humidum radicale,non ſubdebatur animæ imperio, (alias ſine cibo potuiſſet homo per longiſſimum tempus viuere, quod rationi, & naturæ contrariatur) ergo nō habuit virtutem in ſe, qua poſſet corpus à corruptione præſeruare;ſed

Digitized by Google

ſi ab ea præſeruare potuit; id ſane fuit ab extrinſeco. ſ. à ligno vitæ in ſubſtantiam ipſius corporis conuerſo, quod vtique homines ab interitu præſeruare potuiſſet, ad certum aliquod dumtaxat tēpus, quo nimirum exacto transferēdus erat in ſtatum æternæ vitæ, & cæleſtis gloriæ, ita vt vltra illius temporis terminum defeciſſet Adam, ſiquidem vera ſunt, quæ de vi & efficacitate arboris vitę ſupra ſcripſimus, dum explicaremus cap. ſecundum.

Quęſt. 17. Quæſtio decimaſeptima. An immortalitas Adæ in ſtatu innocentiæ fuiſſet naturalis. Non defuerunt viri docti, qui putauerunt iuſtitiam originalem, quæ continebat potentiam nō moriendi, & perfectam carnis, & ſenſus ſub imperium, & poteſtatem rationis ſubiectionem, fuiſſe donum quoddam naturę humanæ quodammodo debitum, hoc eſt: licet à ſolo Deo effectum, & conceſſum homini; ad naturalem tamen hominis integritatem, & perfectionem, omnino pertinens, vt eo dono poſt peccatum Adæ priuata hominis natura cēſeri debeat naturaliter imperfecta, mutila, & quaſi monſtruoſa, atque adeo affirmāt immortalitatem, quæ Adam fuit promiſſa ei naturale fuiſse, cum ex cauſis naturalibus ortum habuiſſet, nimirum per eſum fructus arboris vitæ, cuius vis perpetuandi vitam, atque adeo erat naturalis, vt etiam poſt peccatū, ſi Adam ex eo comediſſet in æternum viuere potuiſſet, iuxta ea, quæ dixiſſe dominum ſcribuntur in fine huius capituli.

Ne forte mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.

Immortalis Adami in ſtatu innocentia non fuiſſet naturalis.

Verum hæc opinio ſtare non poteſt. Nā immortalitas Adami non efficiebatur, vt iſti putant ex cauſis naturalibus, quinimo cum Adamus ex materia, quę habet potentiam contradictionis, & ex quatuor elementis conſtaret, ex his naturali conſequentia exiſtebant naturalis potentia, & neceſſitas aliquando moriendi.

Fructus autem arboris vitæ habuiſſet vim ſeruandi homines ab interitu, non tamen in perpetuum; ſed ad certum quoddam tempus longiſſimum ſanē; quamobrem fraſi hebræa, & conſuetudine ſcripturæ appellatur æternum; ſed finitum tamen, vſque ad quod. ſ. tēpus conſtituerat Deus, vt homo vitam animalē ageret in terris, exinde vero tranſferretur in cœlum, vitam ſpiritualem, & cœleſtem ſempiterno æuo acturus. Quod ſi contendant iſti fructum illum habuiſſe vim largiendi vitam immortalem, equidem non dubitauerim dicere, cum illam non fuiſſe naturalem; ſed ſuper naturalem id, quod Auguſtino, Bedę, Bonauenturæ, & alijs primæ claſſis Theologis placuiſſe videtur, præterquā quod Adami immortalitas nō omnino, nec ex toto; ſed aliqua tantum ex parte, ex illius arboris fructu pendebat; multis autem, & præcipuis alijs nominibus pendebat ex ſupernaturalibus, & diuinis priuilegijs conceſſis homini, vel concedendis, quæ vno vocabulo ſpecialis Dei aſſiſtentiæ, & protectionis comprehendi, & enunciari poſſunt.

Quapropter alij dixerunt immortalitatem, qua Adam poterat non mori ei ineſſe, tum per naturalia, tum magis per ſupernaturalia. ita ſentiunt. Alex. de Ales vbi ſup. D. Bona. in 2. d. 19. art. 3. q. 1. Ricard. ead. diſt. art. 3. q. 1. & Durandus eadem diſt. q. 1. art. 3. & quidam ita ſenſiſſe affirmāt Doct. ſub. eadem d. ſed falſo: nam ibidem Sco. de hac re nec verbum quidem. immo ex verbis eius totū oppoſitum elicitur.

Explicant autem eorum ſententiam tali pacto. Ad immortalitatē ipſius Adę, qua poterat non mori, tria concurrebāt ſimul. ſ. virtuoſitas ſuæ naturæ, tamquā diſpoſitio remota, efficacia ligni vitæ, tamquam diſpoſitio magis propinqua, & cōditoris beneficium ſupernaturale, quod fuit bipartitum, vel tripartitum, tamquam complementum.

Cuius beneficij vna pars fuit originalis iuſtitia, per cuius adiutorium virtus naturalis ipſius Adæ poterat de ligno vitæ reſtaurare illud, quod in Adā conſum-

Digitized by Google

ſumptum fuiſſet de radicali humido, & calorem naturalem in virtute ſua conſeruare, vel debilitatum reſtaurare, & elementa in corpore continere, atq; ita poterat corpus ab omni naturali corruptione præſeruare.

Alia pars beneficij conditoris erat diuina prouidentia, qua Deus immediatè per ſeipſum, vel miniſterium angelicum præſeruaſſet ipſum, ab omni re violenta.

Tertia pars ſecundum aliquos fuit aliqua ſupernaturalis virtus data ligno vitæ quod videtur ſentire. D. Aug. ca. ſup. gen. ad litt. cap.... dicens illam arborem talem cibum, quamquam corporalem præſtitiſſe, quo corpus hominis ſanitate ſtabili firmaretur, nō ſicut ex alio cibo; ſed non nulla inſpiratione ſalubritatis occulta, atq; ita patet, quod immortalitas, qua Adam poterat non mori, non inerat ſibi per naturalia tantū; ſed longe magis erat ſupernaturalis, quam naturalis.

Immortalitas quā habuit primus homo erat ſimpliciter & abſolutè ſupernaturalis.

Cæterum dicēdum eſt, quod illa immortalitas quam habuit primus homo erat ſimpliciter & abſolutè ſupernaturalis, ita ſentit D. Thom. 1. p. q. 97. artic. 1. Scot. in 2. d. 19. Landulphus de Neapolis eadem diſt. & q. Baſſolus eadem diſt. & cæteri Scotiſtæ. Et probatur primo illa immortalitas erat ſuper omnia principia naturalia hominis de cuius natura eſt, quod ſit corruptibilis ratione materiæ, ergo, &c.

Secundo, illa, quæ ſunt naturalia in homine, manſerunt integra poſt peccatum, ſicut etiam dicit de Aug. D. Dyoniſius c. 4. de diuinis nominibus, ſed illa immortalitas nullo modo manſit poſt peccatum; ergo erat omnino ſupernaturalis. Præterea D. Aug. lib. 6. ſuper Gen. inquit. Primus homo mortalis conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris.

Item Hugo ſuper Eul'hyer. inquit. Natura hominis de corruptibili materia ſumpta; ſed per gratiam ſuper corruptionem eleuata, & contra corruptionē confirmata, hēt in ... acceperat, vt ortum quidem cum cæteris rebus tranſeuntibus haberet, occaſum autem non haberet.

Immortalitas Adæ quo dici pōt naturalis.

Verum eſt tamē quod poſſet dici naturalis in eo ſenſu, quo ſolet vocari naturale illud, quod habetur in exordio natiuitatis ſicut Sap. 12. Malitia hominis appellatur naturalis, & ipſa iuſtitia originalis vocatur naturalis, quoniam ab ipſa natiuitate daretur homini, vt docet D. Thom. 4. contra gentes. cap. 56. ad 6. & ibi Ferrara. Naturale enim, vt explicat ipſemet D. Thom. in 2. d. 19. q. 1. art. 4. bifariā ſumitur; vno dicitur id, quod conuenit alicui ſecundum naturā quaſi conſequens principia eſſentialia talis naturæ, ſicut riſibilitas eſt naturalis homini, cōſequitur enim eſſentialia hominis principia; alio modo dicitur naturale illud, quod à natiuitate, vel à principio conuenit rei, etiam ſi nō oriatur ex principijs eſſentialibus illius, & hoc ſecūdo modo immortalitas poteſt dici naturalis homini in primo ſtatu, quoniam à principio ſuæ conditionis, homini conueniebat, at non primo modo: quia nō cōueniebat homini ex principijs intrinſecis ſuæ naturæ; ſed ex dono gratuito Dei, eandem ſententiam docet Aure. in 2. d. 19. q. 1.

Natura le bifariam ſumitur.

Quæſt. 18.

Quæſt. 18. An cauſa immortalitatis, qua primus homo in ſtatu innocentiæ dicebatur immortalis, erat aliquod donum ſupernaturale animæ, aut corpori inhærens, vel ſola diuina protectio eū à corruptione præſeruans? De hac re multiplex fuit inter theologos opinio: nā quidam dixerūt, quod cauſa immortalitatis hominis fuiſſet innocentia; contrariorum enim contrariæ ſunt cauſæ; ſed cauſa mortis hominis fuit eius culpa; nam ſi homo nō peccaſſet mortuus non fuiſſet, ergo eius innocentia fuiſſet cauſa oppoſitæ immortalitatis, & confirmatur: quia pœna nulla niſi ex culpa, ſed mors corporalis eſt pœna hominis, ergo, &c.

Cauſa immortalitatis primi hominis fuiſſet innocentia.

Sed hic modus dicendi duplicē poteſt habere intellectum, vnū quod innocentia fuiſſet cauſa meritoria immorta-

litatis,

litatis. Alterum quod fuiſſet cauſa aliquo modo effectiua; ſecũdum primum intellectum poteſt concedi, non autem penes ſecundum eo. n. modo innocẽtia fuiſſet cauſa immortalitatis, quo cauſa oppoſita ipſius mortis; ſed culpa cõmiſſa non fuit cauſa mortis, nec alicuius alterius effectiua; ſed tãtum demeritoria, ergo, &c.

Alij dicũt, quod cauſa immortalitatis hominis fuiſſet plenum dominium rationalis animæ ſuper corpus; vires enim inferiores obediuiſſent animæ ad nutũ, atque adeo non fuiſſet reſolutio ſubſecuta corporis, contra voluntatem, & affectum mentis.

Cũ immortalitatis hominis nõ fuiſſet plenũ dominium rõnalis cẽa ſup corpus.

Sed hic modus dicendi deficit, quia falſum accipit, cũ dicit, quod anima habuiſſet plenum dominium ſuper corpus & quod vires inferiores ipſi fuiſſent ad nutum obedientes, non enim fuiſſet magis, quam nũc in animæ poteſtate actus virtutis nutritiuæ; qui eſt conuerſio alimenti in alitum; ſic enim neceſſario anima ipſa volente, vel nolente fuiſſet tũc huiuſmodi conuerſio, ſicut modo; non magis etiam tunc, quam modo ipſa anima potuiſſet impedire ſeu ſuſpendere actionem, & paſſionem mutuam qualitatum actiuarum, & paſſiuarum corporis humani, nec eius deperditionem, ſeu corruptionem propter actionem alimenti propter ipſum; ergo ſuper nullũ iſtorum, ex quibus contingit in homine mors, & corruptio ab intrinſeco habuiſſet tũc anima maius dominium, quam modo, ergo &c.

Et confirmatur: quia habens dominium ſuper aliquod actiuum principiũ poteſt impedire, & ſuſpendere eius effectum; ſed anima humana non potuiſſet in ſtatu innocentiæ magis, quam modo impedire, ſeu ſuſpendere effectum actus naturalis agentis ab ipſa differẽtis. Hoc apparet primo: quia ſola prima cauſa poteſt ſuſpendere actiones cuiuſcunque ſecundæ cauſæ circa paſſum diſpoſitum ipſi propinquum.

Secundo quia ſi anima potuiſſet tunc actionem, ſeu effectũ alicui agenti poſſibilẽ impedire, aut igitur per ſe immediatè, aut aliquo ſibi infuſo ſupernaturaliter mediante; ſed non poteſt poni primum, quia non fuiſſet alia, nec alterius potentiæ, ſeu virtutis tunc, quam ſit nunc, ergo, &c.

Nec poteſt poni ſecundum quoniam tale ſupernaturale non poſſet aſſignari niſi originalis iuſtitia, quæ contemperaſſet actiones contrariorum; ſed iuſtitia originalis hoc efficere non poterat, quia iuſtitia originalis non fuit dos corporis; ſed animæ donum, atque adeo homine dormiente, nulla actio eſſe poterat per iuſtitiam originalem, & per cõſequens actio contrariorum fuiſſet tunc immoderata; prӕterquam quod in ſtatu illo, nõ credo quod fuerit tãta ſubiectio viriuin inferiorum, quod ſaltem in potẽtijs animalibus, & vitalibus nulla eſſet in eis actio abſque intellectu, & voluntate operantibus per iuſtitiam originalem.

Præterea hic modus dicendi ſecundo deficit: quia eſto, quod eſſet verũ illud, quod accipit, puta quod anima in ſtatu innocentiæ habuiſſet plenum dominiũ ſuper corpus, & vires inferiores, adhuc tale dominium non potuiſſet eſſe cauſa immortalitatis hominis, quia homo nõ tantum eſt mortalis ab intrinſeco; ſed ẽt ab extrinſeco, puta à ferro, vel gladio, quo poteſt diuidi, & ab igne quo poteſt comburi.

Sed conſtat quod per tale animæ dominium ſuper corpus ſuum, & eius vires inferiores, corpus ipſum non fuiſſet impaſſibile, imo fuiſſet paſſibile anima ipſa volente, vel nolente à quocunque agente extrinſeco, à quo poteſt pati modo, nõ enim fuiſſet in ſua poteſtate eius corpus, non diuidi à ferro, vel non comburi ab igne ipſi approximato: quia nec ſuper aliquod agens extrinſecum aliquod dominium habuiſſet, nec effectus ipſi poſſibilis impeditiua fuiſſet, ergo licet ex tali dominio potuiſſet vitari mors ab intrinſeco, non tamen ab extrinſeco, ergo &c.

Alij dixerunt, quod quia in corpore

Adæ

Adæ qualitates elementares erant in pũtali æqualitate æquiparantiæ, ita quod tantum poterat in eo frigiditas, quãtum caliditas, & econuerſo, & humiditas quantum ſiccitas, & econuerſo, ideo in eius corpore non erat mutua actio, & paſſio ſine qua naturale corpus humanum diſſolui non poteſt.

Qualitates elemẽtares non erãt in corpore Adæ in pũtali æqualitate æquiparãtiæ.

Sed hæc ratio inualida eſt: nam qualitates elementares non fuerunt in corpore Adæ in puntali æqualitate æquiparantiæ: quia ad hoc, quod corpus ſit animabile maxime tam nobili anima ſicut eſt rationalis, oportet quod caliditas, & humiditas plus poſſit in corpore, quam frigiditas, & ſiccitas: quia vita hominis principaliter in calido, & humido radicatur, vnde quia ſanguis inter humores calidus eſt, & humidus, dicitur Leu. 17. quod anima omnis carnis in ſanguine eſt, & accipitur ibi anima pro vita.

Præterea ſi in corpore Adæ non fuiſſet actio, & paſſio, nulla fuiſſet ibi conſumptio, atque ita alimento ad vitæ conſeruationem non indiguiſſet, quod falſum eſt. Aliter enim Gen. 2. non fuiſſet ſibi præceptum comedere de omni ligno paradiſi à ligno ſcientiæ boni, & mali. D. etiã Aug. dicit lib. 6. ſuper Gen. quod immortalitas pręſtabatur homini de ligno vitæ; quod quo modo ſit intelligendum patet ex his, quæ diximus ſupra. D. Thom. prima parte q. 37. artic. 1. inquit, quod immortalitas pręueniebat homini ex quadam virtute ſupernaturali diuinitus ei data, per quam poterat præſeruare corpus; ſed nõ explicat aperte quæ eſſet illa virtus, licet affirmet, quod non erat corporis; ſed animæ. inquit enim quod in corpore primi hominis non erat aliqua qualitas inhærens per quam fieret immortalis; ſed audiamus ipſum D. Thom.

Tertio modo (inquit) dicitur aliquod incorruptibile propter cauſam efficientem, & hac ratione in ſtatu innocentiæ fuiſſet homo incorruptibilis, & immortalis: quia vt Aug. dicit in lib. de quæſt. noui, & veteris teſtamenti quæſt. 19. Deus hominem fecit, qui quãdiu non peccaret immortalitate vigeret, vt ſibi auctor eſſet, aut ad vitam, aut ad mortem. Non enim inquit, D. Tho. corpus Adami erat indiſſolubile per aliquẽ immortalitatis vigorem; ſed inerat animæ eius vis quędam ſupernaturalis diuinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione pręſeruare quamdiu ipſa Deo ſubiecta manſiſſet. Sco. autem in 2. Sent. d. 19. hanc B. Thomæ ſententiam minime probat, dicens ſe non videre quemadmodum qualitas aliqua, ſeu vis animæ exiſtens, poſſit corpus ſua natura corruptibile, & paſſibile præſeruare, ne pati, & corrumpi queat, omne namque corpus natura ſua corruptibile poteſt pati paſſione corruptiua; quæ ſi, vel perſeueret, vel intendatur neceſſario tandem perducitur ad interitum. In ſtatu tamen innocentiæ potentia illa moriendi nũquam reducta fuiſſet ad actũ, Deo præueniente tempus mortis, priuſquam adueniret tempus, quo naturaliter cępiſſet ſanitas, & firmitas humani corporis debilitari, & declinare, ac labi ad interitum.

Cæterum Caiet. in commẽtarijs ſuis in primam parte D. Thomæ ſuper illis ipſis verbis eius, quæ proxime commemorauimus inquit. Si Scot. ocularia reuerentiæ erga D. Aug. habuiſſet vidiſſet vtique, quod homo erat ſibi auctor vitæ quamdiu anima erat ſubdita Deo; etenim cũm hæc credita ex facto pendeant, & ſupernaturali virtute indigeant de his nulla eſt maior ratio, quam auctoritas diuina per ſe, vel per ſanctos ſuos nobis manifeſtata, & hæc quidem Caiet. quibus verbis videtur concedere, quod oppugnat Scot. in Adamo, ſcilicet fuiſſe vim quamdam in anima eius inhærentem, quæ corpus eius ſeruabat à corruptione: hanc autem vim animæ ſi intelligat ab anima deriuatam in corpus aduerſatur D. Thom. affirmanti Adamum non fuiſſe immortalem intrinſecus per aliquam vim, ſeu vigorem ſibi inhærentem, ſed tantum extrinſecus, & ex parte cauſæ efficientis; aduerſatur etiam rectè ratio-

tioni,

tioni, nam ne animo quidem fingi poteſt qualis fuerit illa virtus,& quemadmodum ageret in corpus, præterquam quod ſi ea fuiſſet in Adamo vis, vel ipſa ſola,ſatis fuiſſet ad tuendam hominis immortalitatem, neque ad id fuiſſet opus vel arbore vitæ, vel temperatiſſimo, & ſaluberrimo Paradiſi domicilio.auctoritas autem illa Aug.ex lib. de quæſt.noui, & veteris teſtamenti qua vehementer vrgeri, & premi Scot.putat Caiet. nihil plane, aut certè per parum nocet Scoto. Nam nec Auguſtini eſſe librum illum multis manifeſtis cōiecturis,& argumentis compertum eſt, ſed potius alicuius hæretici, cum ſcateat multis erroribus,quos prçter Eraſmum notauerunt Theologi louanienſes initio eius libri, tomo quarto operū Auguſtini, nec ſi eſſet Auguſtini locus tamen ille valde confirmaret,quod intendit Caiet. auctor enim eius libri illud tantum eo loco ſignificat, primum hominem ita eſſe factum, vt ipſe ſibi auctor eſſet, & ad vitā, & ad mortem, auctor inquam, non efficiendo immortalitatem;ſed merendo;vel (vt in ſcholis loquimur) erat ſibi auctor vitæ, & mortis, non effectiuè, ſed meritoriè: namque obediēdo legi diuinæ meruiſſet vita ſibi perpetuari,eam vero legem violendo pœnam mortis promeruit. Potius ergo indigebat Caiet. ocularijs intelligentiæ, quam reuerentiæ Scot.

Cæterum quænam fuit ſecundum mentem D. Thomæ illia virtus, qua poterat anima corpus à corruptione præſeruare, nec ipſe Caietan. explicat. Bannes autem parte 1.quæſt.97. articu. 1.concl. 5. dicit virtutem illam homini diuinitus datam non eſſe diſtinctā ab ipſa iuſtitia originali.

Sed hic modus dicendi eſt omnino irrationabilis; quoniam aut huiuſmodi qualitas eſt accidens corruptibile, aut incorruptibile. Si primum non poteſt poni cauſa incorruptibilitatis, & immortalitatis,nullum enim corruptibile pōt eſſe cauſa incorruptibilitatis,nec mortale immortalitatis, ſi ēt ponatur. Secundum videlicet, quod ſit accidens incorruptibile, adhuc non poteſt poni cauſa incorruptibilitatis corporis, nec immortalitatis hominis; quoniam nullum accidens ſiue ſit animæ rationalis,ſiue corporis, poteſt eſſe incorruptibilius, nec corpori intimius, nec per conſequens magis ratio incorruptibilitatis corporis, quam anima ipſa rationalis corpus informans; ſed conſtat quod anima intellectiua,licet incorruptibilis,non tamen facit, ſeu reddit corpus incorruptibile, quod informat ergo,&c.

Et confirmatur, quia aut huiuſmodi qualitas fuiſſet in corpore, vel immediate in anima ſubiectiue, ſi in corpore,ergo fuiſſet extenſa, ſicut eius ſubiectum,& per conſequens diuiſibilis,& corruptibilis, ſicut ipſum; eſto etiam quod eſſet incorruptibilis, non magis corpus eſset incorruptibile qualitate huiuſmodi, quam forma ſubſtantiali nimirū anima rationali informatum, ergo, &c.

Si autem dicatur, quod huiuſmodi qualitas fuiſet in anima immediate ſubiectiue, ergo & ipſum corpus eſt immediatius ſubſtantiam animæ rationalis, quam huiuſmodi qualitatis, atque adeo non magis potuit, propter huiuſmodi qualitatem, quam propter animam intellectiuam exiſtere immortale, ſeu incorruptibile; conſtat autem, quod propter animam ipſum immediate informantem, non fuiſet ſicut nec nunc eſt impaſſibile, & incorruptibile, ergo, &c.

Præterea non magis, quod eſt ex ſe paſſibile,& corruptibile poteſt effici impaſſibile, & incorruptibile, mediante aliqua qualitate, quam quod ex ſe impaſſibile, & incorruptibile efficiatur paſſibile,& corruptibile iſto modo,ſed propter nullam qualitatem, quod eſt ex ſe impaſſibile, & incorruptibile poteſt fieri paſſibile, & corruptibile, ergo, &c.

Quapropter, vt veritatem aliquam habeat ſententia D. Thom. ita eius verba

verba interpretanda ſunt, vt per vim illam animę corpus hominis in ſtatu innocentiæ à corruptione ſeruantem intelligat ſingularem quamdã ſcientiam rerum omnium earum, præſertim quæ prodeſſe Adamo, vel obeſſe poterant, ſimul & ſummam vim, atque prudentiam ea diſcernendi, atque præcauẽdi, quæ quia fuerat homini ſupernaturaliter donata, & humanæ prudentiæ, ac prouidentiæ vim excedebat, propterea vocatur à S. Thoma vis ſupernaturalis in animam Adami collata.

Cã immortalitatis hominis fuiſſet ſolus De⁹. Dicendum eſt ergo, quod cauſa immortalitatis hominis innocentis non fuiſſet alia, quam ſolus Deus, qui per ſe ipſum hominem à morte ei tũc poſſibile, ſicut modo tam ab intrinſeco, quam etiam ab extrinſeco præſeruaſſet, donum, itaque immortalitatis fuit præcisè diuina præuentio, & protectio; qua Deus præueniſſet hominem aſſumendo eum in patriam ante mortem.

Quæſt. 19. Quæſtio decimanona. An immortalitas ſtatus innocentiæ ſit alia ab immortalitate reſurgentium. Pro ſolutione obſeruandum eſt, quod ſi accipiatur immortalitas pro vt dicit potentiam, ad non moriendum, vel ad ſemper viuendum, & eſt potẽtia paſſiua obedientialis ex parte corporis, eadem eſt immortalitas ſtatus innocentiæ, & reſurgentium; ſi vero accipiatur immortalitas, vt dicit aliquam perfectionẽ formalem naturæ ſuperadditam à qua efficiatur homo immortalis, non erat eadem immortalitas Adami, & reſurgentium, ſed prima erat per gratiam innocentiæ, alia erat per donum gloriæ, vtraque autem prouenit ex victoria animæ ſuper corpus; ſed in ſtatu innocentiæ erat talis victoria animæ ſuper corpus, vt nihil poſſet effici in corpore, quod animæ aduerſaretur, & tamen ſi anima vellet, quod corpus pateretur, poſſet pati, & verè pateretur, non ſolum paſſione intentionali, ſed etiam reali; In ſtatu autem reſurgentium erit maior victoria animæ ſuper corpus, ita quod nõ ſolum non fiet in corpore contra voluntatem animæ, ſed etiam proprietates animæ quodammodo in corpus redundabunt, ita vt corpus ſit lucidum, agile, ſpirituale, & impaſſibile.

Immortalitas quã accipiatur.

Damnatis autem reſurgentibus competit immortalitas, & tamen non erit per redundantiam proprietatum animę in corpus, quia eorum corpora nõ erũt lucida, agilia, ſpiritualia, ſiue ſubtilia, & impaſſibilia, quæ vocantur dotes corporum, & ſunt corporum glorificatorum, & non damnatorum, erunt enim illa paſſibilia, ſed non mortalia. Eſt igitur differentia inter immortalitatem hominum in ſtatu innocentiæ, & reſurgentium, quia reſurgentes habebunt dotes quatuor corporis, per redundantiã quãdam virtutum animæ in corpus, in ſtatu autem innocentiæ nulla dos iſtarum erat.

Inter immortalitatẽ hominũ in ſtatu innocentiæ & immortalitatẽ reſurgẽtiũ quæ ſit differentia.

Non enim erat corpus Adæ clarum, agile, ſubtile, atque impaſſibile, quia nõ poterat Adam eſſe ſubito vbicumque vellet, ſicut poteſt habens corpus glorificatum, neque erat corpus ſuum emittẽs fulgorem; ſed opacum ſicut corpora noſtra, etiam tranſire non poterat corpus Adæ per obſtantia ſolida, i. lapides, vel ligna, aut parietes, ſicut poſſunt corpora glorificata ex dote ſubtilitatis, ſicut & corpus Chriſti tranſiuit per ianuas clauſas Ioan. 20. ita de impaſſibilitate dicendum eſt.

Secunda differentia eſt, quia Adam poterat ſemper viuere, & nunquã mori; ſed hoc non erat ſine cibo, immo comedendo de lignis Paradiſi ſicut præcepit ei Deus, de omni ligno, quod eſt in Paradiſo comedere. ſup. cap. 2.

In reſurgentibus autem erit immortalitas ſine cibo, quia cibo non vtentur, neque eis prodeſſet aliquid cibus, licet vere comedere poſſent, ſicut Chriſtus comedit poſt reſurrectionem, Luc. 24. & hanc differentiam ſignificauit Chriſtus Matt. 22. dicens. In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſederunt, ſicut Angeli Dei ideſt ſicut Angeli non vtuntur cibo, & potu, neque copula carnali, ita neq; reſurgẽtes vtuntur his. Luc. 20.

Tertia

Digitized by Google

Tertia differentia eſt, quia in corpore Adæ fiebat quotidie aliqua generatio, & corruptio in corporibus autem reſurgentium nihil iſtorum fieri poterat. de Adamo patet: quia Adam ſumebat cibum, atque ita conuertebatur cibus in ſubſtantiam aliti, & conuerſio illa erat quædam generatio. Item qui naſcerentur ex Adamo in innocentia permanente, naſcerentur paruuli, & poſtea creſcerent ad debitam magnitudinem, hæc autem augmentatio eſt quædam generatio; ſimiliter fiebat quotidie corruptio aliqua, ſ. ad conuerſionem cibi cum digereretur corrumpebatur aliquod: quia alioquin tranſiret totus cibus in corpus Adæ, quod falſum eſt. In ipſo etiam corpore Adæ fieret, & fiebat corruptio quã tum ad ſubſtantiam eius, nam quotidie reſoluebatur aliquod de corpore Adæ per actionem caloris, alias nõ indiguiſſet cibis aliorum lignorum paradiſi, neque etiam ligno vitæ; cum cibus etiam in nobis. & in omnibus animalibus nõ proſit, niſi ad reſtaurationem deperditi; nam da oppoſitum animalia numquã ſumerent cibum poſtquam peruenerint ad debitam magnitudinem: quia vſque illuc eſt cibus neceſſarius ad augumentum, etiam ſi nulla reſolutio fieret; ſed cum habuit animal debitam magnitudinem, ſi non fieret reſolutio, cibus non eſſet conueniens, & tamen animal indiget ſemper cibo, ideo eſt propter reſolutionem continuam; vt reſtaureretur deperditum in eo. Adamus vero, & Eua formati fuerunt à Deo in ætate completa, atque adeo cum non indigerent cibo ad augumentum, indigebant tamen nutrimento, & Deus iuſſit, vt comederent propter reſtaurationem deperditi.

Quarta differentia eſt: quia Adam poterat mori ſi voluiſſet: nam ſi non ſumeret cibum aliquem moreretur, aut ſi ſumeret cibos alios; & non de ligno vitæ moreretur, poſt reſurrectionem autem nemo poteſt mori.

Quinta eſt: quia Adam poterat pati, & dolere ſi voluiſſet, etiam ſi non moreretur, vt ſi mitteret manum in ignem vreretur, & ſi applicaret gladium carni ſuæ cæderetur, atque ita à duris læderetur, & confringeretur ſi vellet illa ſibi applicare, & poterat pati, & dolere. In reſurgentibus autem beatis hæc accidere non poſſunt.

Sexta, quia Adam ita erat immortalis, quod poterat mori, ſicut & mortuus eſt: quia peccauit. Reſurgentes autẽ ita ſunt immortales qui non poſſunt mori, nec morientur vnquam.

Septima eſt, quia Adam licet eſſet immortalis, ſicut neceſſe ei erat ſumere cibum, ita emittere ſuperflua: quia nullus cibus totus conuertitur quantumcunq; bonus, & ſalutaris in ſubſtantiam rei alitæ; ſed fit reparatio impuri, & emiſſio. In reſurgentibus autem: quia nõ eſt accipere cibum, neque eſt etiam emittere ſuperflua. Multæ aliæ poſſunt colligi inter reſurgentes, & Adamum differentiæ, ſed iſtæ ſufficiant.

Breuiter ergo dicẽdum eſt, quod immortalitas innocentiæ fuiſſet alia ab immortalitate ſtatus gloriæ: quia illa non reddidit corpus ſpirituale; ſed conſeruabat corpus animale indigens cibo, & potu, fuitq; alterabile per qualitates primas, & violentabile per extrinſeca aduerſa. Sed in hoc fuiſſet immortale: quia contra omnia mortem inferre valentia intrinſeca, & extrinſeca habuit ſufficientia munimenta, vt dictum eſt ſup. ſed immortalitas gloriæ reddit corpus glorioſum, & ſpirituale, ita vt non indigeat corporalibus alimentis, nec alterari poterit, aut lædi à quibuſcunque extrinſecis; ſed erit in plena poteſtate ſpiritus ipſum viuificantis, animæ. ſ. rationalis quantum ad agere etiam pati per donum gloriæ.

Immortalitas innocentiæ fuiſſet alia ab immortalitate ſtatus gloriæ.

Quæſtio 20. An ea quæ ponuntur in maledictione viri extendantur ad fœminam. *Quæſt. 20.*

Aliqui dixerunt, quod nõ: quia ſi maledictio viri intelligeretur, etiam extendi ad mulierem ſuperuacuè ponerẽtur diuerſæ maledictiones; ſed Deus poſuit aliam maledictionem viri, aliam mulieris, ergo maledictio viri non extenditur

ad mulierem. Secundo, quia fuerunt maledictiones datæ propter peccata, ſed diſtincta fuerunt peccata viri, & fœminæ: ideo debuerunt eſſe diuerſæ malediſtiones.

Præterea ſi maledictio viri extenderetur ad fœminam, ſimiliter diceremus maledictionem ſerpentis ad fœminam extendi, quia ſicut peccauerunt vir, & fœmina circa eandem rem, ſcilicet de ligno vetito comedēdo; ita videtur malum fuiſſe circa eamdem rem, ſcilicet ſuadendo comedere de eodem ligno, & tamen maledictio ſerpentis non extenditur ad fœminam; ergo neque maledictio viri ad fœminam extenditur. Deinde ſi maledictio viri extenderetur ad fœminam, ſimiliter maledictio fœminæ extenderetur ad virum, quia videtur eadem ratio extenſionis, etiam quia circa eamdem rem peccauerunt, licet non fuerit idem peccatum, & tamen maledictio fœminæ non extenditur ad virum, neque extendi poteſt, quia vir non poteſt parere, neque concipere, ergo neque maledictio viri extenditur ad fœminam.

Ex altera parte videtur, quod maledictio viri extendatur ad fœminam. Tum, quia in maledictione viri ponitur mors, cum dicitur reuertaris in terram de qua ſumptus es: mors autem de neceſſitate competit fœminæ, quia ipſa quoque moritur, & hoc accidit propter peccatum, ſicut dicit Apol. ad Romanos 8. Corpus propter peccatum mortuum eſt, ergo extenditur maledictio viri ad fœminam. Tum quia dicitur maledicta terra in opere tuo ſpinas, & tribulos, &c.

Sed terra non ſolum germinat hæc laborante viro, ſed etiam operante fœmina agros, ergo eamdem maledictionem dedit virique. Tum demum quia dicitur in ſudore vultus tui, &c. in quo ſignificatur vita laborioſa, ideſt acquiſitio difficilis eorum, quæ pertinent ad cibum, ſed hoc eſt etiā in fœmina, quia & illi eſt difficilis acquiſitio, ergo tota maledictio viri extenditur ad mulierē.

Maledictio viri, quomodo extēdatur ad fœminam.

Dicendum, quod accipiendo ſtrictè ſicut peccata fuerunt diſtincta, ita & maledictiones diſtinctæ, & minime coincidentes. Si enim Deus intenderet maledictionem viri extendere ad mulierem, vel è conuerſo, non protuliſſet diuerſas maledictiones, quod autem ea, quæ in maledictione viri continetur, mulierem etiam comprehendant accidentarium eſt; quia neque ex vi verborum maledicentis, neque ex eius intentione quantum per verba ſignificatur, ſed aliunde accidit. De maledictione autem mulieris non ſic; quia ea, quæ ponuntur in eius maledictione ad virum non extenduntur, nam ex vi maledictionis quælibet eſt propria ei, cui prænunciata eſt; nec fuit aliquod ſecundum quod malum fœminæ viro accideret; atque adeo nullo modo maledicta, quæ in fœminæ maledictione pronunciatur, ad virum extenduntur.

Cæterum maledictio viri in laborioſa victus acquiſitione conſiſtebat; nimirum quod terra eſſet maledicta in opere ſuo, & quod germinaret ſpinas, & tribulos, quæ etiam ad fœminam extenduntur, non quatenus pronunciata contra illam; ſed quia terra reddita eſt talis, vt cuilibet colenti eam difficilis reddatur, & aſpera, atque adeo tam viro, quam fœminæ hæc germinat. acquiſitio etiam victus cum difficultate, quæ ſignificatur illis verbis. In ſudore vultus tui, &c. non ſolis competit viris, ſed etiam fœminis; quia non eſt illis facilitas acquirendi victum ſine ſudore, qui ex labore, & calore reſoluente partes teneras corporis prouenit, alias iudicarentur in hoc fœliciores viris. De maleditione autem fœminæ ſecus eſt, quia nihil de illa extenditur ad virum, propterea quod illa conſiſtit in conceptu, partu, & ſubiectione; quæ viro competere nequeunt, cum vir non concipiat, neque pariat, neque ſit ſub poteſtate viri, cum ipſe ſit vir.

Cæterum, & ſi maledicta viri comprehendant etiam fœminam, tamen maledictio viri non fuit ea intentione:

pro-

Digitized by Google

prolata; vt fœminam comprehenderet, ſed quaſi eſſet aliquod viri proprium. Nam hoc eſt ſpeciale in homine ad alia animalia, vt docet Ariſtot. libro octauo, Ethyc. quod viri, & fœminæ opera ſint diſtincta: in alijs autem animalibus non ſunt diſtincta opera maſculi, & fœminæ, atque adeo inter maſculũ, & fœminã in ſpecie humana duæ ſunt cõmunicationes, ſcilicet naturalis, quæ eſt propter ſimile tertium derelinquere, quæ ſimiliter eſt in omnibus animalibus in quibus eſt maſculus, & fœmina, & oeconomica, & iſta eſt quatenus vir, & mulier habent diuerſa opera, & quia in animalibus non ſunt diuerſa opera maſculi, & fœminæ, non eſt in eis oeconomica communicatio, ſed ſola naturalis. Conſiſtit autem huiuſmodi operum diuerſitas quatenus fœmina in ſpecie humana eſt magis apta ad obſequia viri, ad rem domeſticam, & ad ea, quæ ſunt minoris laboris, & minoris prudentiæ, ſunt tamen maioris humilitatis, & inferioris gradus, opera autem viri ſunt ipſa acquiſitio rerum in quantum pertinet ad negocia exteriora, & ſunt maioris prudentiæ, atq; maioris difficultatis; non tamen ſunt tantæ humiliationis, & ſeruitutis, quantæ ſunt opera fœminæ de quibus loquitur Ariſtot. 1. lib. oeconomicorum dicens. Vnam autem mulierem operum præeſſe eis, quæ domi ſunt, &c. Et iuxta hunc modum, qui naturæ conuenit, & quem Ariſtot verum eſſe putauit, inſtituit Deus habitationem maſculi, & fœminæ in ſpecie humana, ſcilicet vt fœmina operaretur circa rem domeſticã. Vir autem circa rem exteriorem, ideo dixit fœminæ ſub poteſtate viri eris, per hoc determinans officia maioris humilitatis, & minoris gradus, quæ fœmina exhibitura erat, quatenus obſequeretur viro in eis, quę ille iuberet. Viro autem dixit. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, quaſi ſoli viro imponeret culturam agrorum, & ad fœminã de hoc non pertineret; nam ſi etiam fœmina deberet colere agros, eſſent communia opera viri, & mulieris, quod tamen eſt falſum, quia tunc non conſtituerent oeconomicam; ſed naturalem communicationem. Sicut ergo obſequia domeſtica non pertinet ad virum, niſi ſecundum quamdam vſurpationem; ita & adminiſtratio rerum exteriorũ non pertinet ad fœminam, atque adeo cultus agrorum non eſt fœminarum, ſed virorum dumtaxat, & iuxta hoc maledictio viri ad eum ſolum directe pertinet; quia tota conſiſtit in difficultate acquirendi victum, quæ à cultura agrorum dependet.

Quæſt. 21.

Mala pronunciata in ſentẽtia viri cur expendantur mulierẽ, & nõ è cõtra.

Quæſtio vigeſimaprima. Cur mala pronunciata in ſententia viri extendantur ad mulierẽ, & non è cõtra, dicendũ quòd hoc accidit ex diuerſitate naturę. Vir enim, & fœmina communicant in aliquo, & in aliquo differunt; communicant in natura, ideſt in ſpecie, & differunt ſexu, quia ſunt maſculus, & fęmina. Quatenus communicant in natura, quia ambo ſunt homines, conueniũt eis quædam bona; & poſſunt conuenire mala oppoſita, & ſicut natura eſt cõmunis, ita neceſſe eſt communia eſſe bona, vel mala. Quatenus autem differunt ſecundum ſexum neceſſe eſt accidentia conſequentia ſexum diſtincta eſſe in eis, & non communicari ambobus, ſiue in bono, ſiue in malo.

De primo patet, vt in nutritione; nã tam maſculus, quam fœmina cibo, & potu vtuntur, quod non conuenit eis inquantum ſunt maſculus, & fœmina, ſed in quãtum ſunt animalia, quia omne animal nutritur, & attrahit cibum, etiam animalia in quibus nõ eſt diſtinctio ſexus; immo & animata, non animalia, vt plantæ nutriuntur, & attrahunt; & licet in alijs animalibus ſit differentia cibi iuxta diuerſitatẽ ſpecierum; viro tamẽ & fęminæ eſt idem cibus, quia non eſt cibus propter ſexum, ſed propter ſpeciem, & ſicut conuenit habere cibos eoſdem, ita & conuenit illos acquirere, eſſe autem eorum facilem, vel difficilem acquiſitionem, eſt accidentale, nam in Paradiſo terreſtri ex diuino mune-

Digitized by Google

munere erat facilis acquiſitio; poſt expulſionem vero ex pœna difficilis, atque adeo ſicut in Paradiſo erat vtrique facilitas acquirendi cibos, ita poſt expulſionem vtrique difficultas; maledictio autem viri tota conſiſtit in difficultate acquirendi cibos; quia ad virum pertinet acquiſitio ciborum pro ſe, & pro fœmina; nam vt dictum eſt vir, & fœmina in humana ſpecie conſtituunt oeconomiam propter diuerſitatẽ operum, & ibi ad virum conuenit acquiſitio ciborum in opere exteriori. Cum itaque loqueretur Deus iſtã hanc oeconomicam diſpoſitionem, quæ naturæ conueniebat, fuit maledictio viri in laborioſa acquiſitione victus, quaſi hoc ad fœminam non pertineret.

De ſecundo in quo differunt, ſcilicet in ſexuum diſtinctione etiã patet, quòd quantum ad hoc nõ poſſunt eis eadem accidentia conuenire, viro enim competit gignere, fœminæ autem concipere; maleditio autem fœminæ poſita fuit in eo, quod pertinebat ad ſexum, ſcilicet in concipiendo, pariendo, & ſubiectione, atque adeo cum vir, & fœmina ſint differentes ſexu, non potuerunt iſtæ pœnalitates fœminæ conuenire viro. De conceptu, & partu notum eſt; de ſubiectione autem diximus ſuper cum de maledictione fœminæ loqueremur, quod ſubijci in ordinatiſſima communicatione competit ei, quod minus eſt; fœmina autem ex eo, quod fœmina eſt, neceſſe eſt, quod ſit minus nobilis quã vir nobilitate naturali, atque ita ſubijci competit ei ſecundum naturam, licet ſi maneret natura integra in Paradiſo terreſtri eſſet quidem ſubiectio; ſed non pœnalis, vt oſtendimus ſuper. Nũc vero manet ſubiectio, & accidit ſibi eſſe pœnalem propter peccatum, atque ita ex conditione ſexus, competit mulierem eſſe ſubiectam, & per conſequẽs non poterat talis ſubiectio viro competere, cuius eſt diſtinctus ſexus, atque ita nulla pars maledictionis fœminæ extendi poteſt ad virum, licet maledictio viri ſaltem per accidens tota extendatur ad fœminam. Poſſet etiam dici, quod & ſi maledictio viri ſit diſtincta à maledictione fœminæ, voluit tamen Deus maledictionem viri ad fœminã extendi, & non è contra; quia peccatum mulieris fuit viro cauſa peccandi, cum ipſa virum impulerit ad peccandum: Vir autem non fuit mulieri cauſa peccandi, quia ipſe poſterius peccauit, atque adeo conueniens erat viri maledictionem ad fœminam extendi, & non è contrario, ne denotaretur peccatum viri fuiſſe mulieri peccandi occaſio; quemadmodum fœminæ peccatum fuit viro cauſa peccandi, duas itaque debuit mulier habere maledictiones, quæ dupliciter peccauit, nam peccatum viri quoquo modo peccatum fœminæ fuit, peccatum autem viri fuit ipſius tantum, & non fœminæ peccatum, quia ipſe fœminam peccare non fecit, atque adeo ipſe non debuit habere niſi maledictionem vnam.

Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Euam, eo quod mater eſſet cunctorum viuentium.

NOn ſatis liquet, an hæc nominis impoſitio præpoſtero ordine narretur à Moyſe, ſitque hoc nomen ab Adamo vxori impoſitum ante peccatum, vel poſtquam è Paradiſo ſunt eiecti; nam aliquibus videtur haud eſſe veriſimile, eo tempore, quo Adam iudicio Dei vehementer præmebatur inter medias pœnas, atque flagella amariſſimamque mortis denuntiationem, quaſi tranquillo, & vacuo animo de imponendo nomine vxori cogitaſſe.

Cæterum Toſtatus in 3. capitul Gen. inquit, hanc rationis impoſitionem factam fuiſſe cum adhuc Adam erat in Paradiſo. Verũ mirabile videtur Adamum appellaſſe mulierem cunctorum viuentium matrem, cum habita mortis ſententia, magis appellanda foret morientium, quam viuentium mater.

Quapropter, quidam exiſtimauerũt Adamum, ingenti dolore obſtupefactum,

ctum, quod tantis bonis expoliatus eſſet, tantiſque malis, mortique malorũ omnium extremo addictus, vxorem ſuam eorum malorum auctorem, & mortis cauſam, ſeu per amarum quemdam iocum, acerbamque ironiam appellaſſe matrem viuentium quemadmodum græci furias infernales appellant Eumenides, ideſt faciles, ac mites à contrario nempè, quippe cum ſint duræ, & inexorabiles.

Sunt qui opinentur Adamum ita ſuam vxorem appellaſſe habito reſpectu ad venturum Meſſiam, à quo ſolo ſui remedium expectabat, qui naſciturus erat ex ſola muliere ſine commixtione viri, & iccirco mulier dicta eſt, Mater omnium viuentium; non autem Adam dictus eſt Pater omnium viuentium.

Pro hoc facit, quod ſcribit Groppius in Indoſchyncis. fol. 540. quod Eua ab Adamo vocata eſt Baccant; quæ vox habet duplicem interpretationem, vel iuramenti vas, vel ſeculi vas. In primo ſenſu ſignificat Euam eſſe illã, cui Deus iurauit ſe daturum ex ſe ſemen, quod eſſet calcaturum caput ſerpentis. In ſecũdo ſignificat Euam fuiſſe futuram vas totius ſeculi; quod in ea fuit conceptum principium omnium ætatum. Idem etiam ſcribit D. Ambr. ſuper Luc. capitulo tertio, vbi inquit primam mulierem appellatam fuiſſe Euam, ideſt vitam, quia per Chriſtum dominũ erat poſt peccatum viuificanda.

Rupertus autem libro tertio, de Trinit. & eius operibus, capitul. 26. Cenſet Adamum ex ingenti ſuperbia, animique peruicacia, hanc diuinam ſententiã mortis aduerſum ſe pronunciatam, aut minime credentem; aut parui pendentem, appellaſſe vxorem ſuam matrem viuentium, quaſi diceret. Nec timeo mortem, quinimo & me victurum credo, nihilominus quam ſi non peccaſſem, & idcirco vxorẽ meã Euam appellari volo; quod futura ſit mater viuentium, Sed referamus verba Ruperti. Quid (inquit) inſanius, quam in tali articulo, Euam dicere eã, quæ non habet vitam? Eua nunquam trasfertur in vitam. Dixerat autem Deus. In quocunque die comederis ex eo morte morieris.

Et illa comederat, & viro ſuo dederat, & dando occiderat, & nunc in præſentiarum dicebat, quia puluis es, & in puluerem reuerteris, & ſic vtraq; morte, ſcilicet animæ, & corporis iam mortuus, & adhuc moriturus erat, tam ipſe, quam vxor ſua. Quid ergo inſanius quam in illo talis cauſæ iudicio, illam nuncupare Euam ideſt vitam, quæ nec ſaltem habebat vitam; dicere matrem cunctorum viuentium eam, quæ potius mater eſt cunctorum morientium? omnes enim in peccato eius moriuntur, & nemo filiorum eius viuit, niſi qui per vnum hominem Chriſtum viuificantur.

Et quidem ſi hoc alias dixiſſet, verbi gratia ſuperius vbi dixit. Hæc vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt, ſi inquam tunc dixiſſet. Hæc vocabitur Eua, quia mater cunctorum viuẽtium eſt, nullam nobis admirationem feciſſet, quia videlicet & ſecundum ſenſum eius, cunctorum viuentium, ideſt hanc infœlicem vitam ingredientem mater eſt. Nũc autem in eo mirabile eſt, quod vbi mortis corporeæ ſententia ferebatur, iam ſpirituali morte mortuus, illic vxorem ſuam Euam, ideſt vitam appellauit. Similiter, & hoc notandũ, quod nuſquam Sacra Scriptura nomen iſtud, quod eſt Eua, commemorat, niſi hoc loco, & paulo infra, cum dicitur cognouit Adam Euam vxorem ſuam, ibi, ſicut, & hic, ſi ritè perſpicis miranda cordis impœnitentis duritia eſt; mira, quoque carnis inuenitur ſuperbia gloriantis, adhuc in ipſa pœna ſua de poſteritate futura. Hoc inter nominis vtriuſque poſitionem, quæ ſunt ſcilicet Adam, & Eua diſtare manifeſtum eſt, quia nomẽ hoc, quod eſt Eua. Præſumptor homo ſuperba æſtimatione adinuenit; illud autem, ſcilicet Adã dominus Deus, vtrique ſexui poſuit, ſicut poſtmodum

ſum-

Digitized by Google

ſumptum eſt maſculum, & fœminã fecit eos, & vocauit nomen eorũ Adã in Die, quo conditi ſunt. Igitur quod cum dixiſſet Deus; quia puluis es, & in puluerem reuerteris, continuo ſubiunctũ eſt, & vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Euam, eo quod mater eſſet cunctorum viuentium, idẽ eſt, ac ſi diceret ſicut ſuperius dicente Deo, In quocumq; Die comederis ex eo morte morieris, non credidit, ſed comedit, quia mulierem, quæ prior comederat, nõ ſtatim corporaliter mortuam eſſe videt; ſicut, & nunc dicenti. Donec reuertaris in terrã, de qua ſumptus es, quia puluis es, &c. ideo non credidit, vt è contrario vocaret nomen vxoris ſuæ Euam ideſt vitam, eo quod mater eſſet cunctorum, viuentium Hæc Rupertus.

Quæ ſententia meo quidem iudicio plus nouitatis, & admirationis habet, quam fidei.

Lyranus capite 3. in Geneſ. atque eodem in loco Toſtatus. Interprætantur nomen Euæ tamquam ſignificans matrem omnium non ſimpliciter, ſed ærumnosè, ac miſere viuentium; Ita enim ſcribit Lyranus. Et vocauit Adã nomen vxoris ſuæ Euam; quod nomen ſonat vitã in hæbreo, pœnalitatibus tamen ſubiectã, eo quod mater eſſet, &c. ideſt omnium hominum in hac mortali vita degentium. Cui ſubſcribens Toſtatus inquit. In hebræo habetur Haua, quod deſcendit de Hai ideſt vita, quia vt redditur ratio in littera, ipſa eſt mater omnium viuentium, ante enim denominauerat Adam vxorem ſuam nomine naturæ, ideſt viraginem, quia de viro ſumptam, Hic autem nominat eam, à miſeria, ſcilicet, quia miſerorum omnium mater futura erat, adeo quòd eſt ſenſus, eo quod mater eſſet, ideſt futura eſſet, quia nondum erat alicuius, cum non genuiſſet, omniũ viuentium ideſt omnium hominum miſerabiliter viuentium, Ita Toſtatus. Burgenſis additione quarta ad tertium cap. Gene. inquit, quòd in hebræo, Eua ſonat vitam ſimpliciter, non connotando, quòd ſit pœnalitati ſubiecta, vel non; ſicut enim cum dicitur mater omniũ viuentiũ, non denotatur quod ſint in hac vita mortali, vel non; vnde hæc vocatio aliter videtur continuari ad prædicta. Ad quod ſciendũ, quod licet Adam, ſecundum, quòd tradunt doctores ſciuerit naturas omnium aĩalium, & omnium ſcientiarũ de quibus homo natus eſt inſtrui pro vt, patet in 1. p. q. 94. artic. 3. in corp. q. non tamen habuit notitiam futurorum contingentium, niſi pro vt ex diuina reuelatione habuit, vel experimẽtaliter poterat acquirere, & ideo cũ mulier ſtatim poſtquam fuit producta, ſibi adducta fuerit neſciens, an Deus diſponeret, eos ſic remanere, & alios de nouo procreare, an ex ea eſſet proles per propagationem procreãda; vocata eſt ab eo virago, quaſi de viro ſumpta, ad denotandum, quod erat ſibi data in conſortium domeſticæ conuerſationis, non declarans, an eſſet ſibi data ad prolis propagationem, quod etiã conuenit verbis Dei dicentis ante mulieris productionem ſuper Gene. 2. cap. dixitque Deus non eſt bonũ hominẽ eſſe ſolum faciamus ſibi adiutoriũ ſimile ſibi, ſed poſt peccatum ex diuina ſententia contra ipſum, & vxorem ſuã lata, duo colligit; vnum ſcilicet, quod ipſi eſſent mortales, & hoc cum ſibi fuit dictum, Puluis es, & in puluerem reuerteris.

Secundum, quia debebãt habere filios per propagationẽ, ſicut cætera animalia, & hoc cum dictum fuit mulieri, Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus, et in dolore paries filios; ex quibus concluſit, qđ illa deberet eſſe mater omnium ſuccedentium, cum iã ceſſauiſſet Deus à nouis creaturis cõdẽdis, & ideo audita diuina ſñia vocauit eam Euam, quod nomen interprætatum eſt ipſe Adam dicens, eo quod eſſet mater, omnium viuẽtium. Qm̃, vt inquit D. Aug. lib. 11. ſupra Gen. ad litt. cap. 38. ea verba, eo quòd eſſet mater omnium viuentium, non ſunt ſcriptoris narrantis, vel affirmãtis, ſed ipſius primi hominis verba intelligenda ſunt, vt diceret; quoniã

Digitized by Google

hæc eſt Mater omnium viuentium tam
quã nominis à ſe impoſiti cauſam inſe
rens, cum eam vocauerit vitam.

Cæterum hæc Burgenſis interpræta-
tio falſo innititur fundamento, ꝙ ſcilicet
Adã à principio formationis mulieris,
neſciuerit eam matrem cunctorũ homi
num futurã; quod falſum proculdubio
eſt, qm̃ ſciuit hoc ſtatim ſpiritu profeti-
co, nã formata muliere dixit, Hoc nun-
cos ex oſſibus meis, & caro de carne
mea, propter hoc relinquet homo pa-
trem, & matrẽ ſuã, &c. ecce ſciuit eam
ſibi datam in vxorẽ, ſciuit quoque ſe fu
turum patrem, & Euã futurã matrem,
atque adeo ſciuit eam plus ſibi coniun-
ctam, quam ob conuerſationem dome
ſticam, quã habent pater, & filius, quo-
rum tamen coniunctione, maiorẽ dixit
coniunctionem vxoris ad virum, & è
conuerſo; ſciuit quoque hoc ipſum ex
Dei benedictione ante lapſum de qua
dicitur 1. c. non latuit eũ nuptias, ante
lapſum inſtitutas, & per Deum benedi-
ctas, vt vult D. Aug. lib. 18. de Ciuit. cap.
22. & lib. 8. ſupra Gen. c. 3. Cum igitur
ante lapſum fuerunt nuptiæ celebratæ,
quamuis non conſumatæ, tamen præ-
ceptum de conſumando per benedictio
nem receperunt cũ dixit dominus Cre
ſcite, & multiplicamini, &c.

Sententia aũt Lyran. & Toſt. deſum-
pta eſt ex D. Hierony. dicẽte quod Eua
ſignificat vhe, ideſt vitã, & calamitatẽ,
& ex D. Aug. lib. 2. de Gen. contra Ma-
nichæos cap. 20. prope finẽ, & Magiſter
hiſtoriarum in Gen. c. 18. inquit, impo-
ſuit ei, & aliud nomen Eua. ſ. poſt pecca
tum, ꝙ ſonat vita, eo ꝙ futura eſſet Ma
ter omnium viuentiũ, ſed quia hoc no-
mẽ impoſitũ fuit, poſt maledictionem
denotat, qđ homo quaſi plangens miſe
riã, dixit eã Euã, quaſi alludẽs eiulationi
paruulorum, maſculus. n. recẽter natus
euilando dicit, à, mulier vero, e, quaſi di
ceret, dicent, è, vel, a, quot quot naſcen-
tur ab ea; Idem replicat c. 24. in fine in-
quiens. Et tunc Adam plangens miſe-
riam poſteritatis ſuæ vocauit vxorem
ſuam Euam, vt dictum eſt ſupr. cap. 18.

Fecit quoque Dominus Deus Adæ, &
vxori eius tunicas pelliceas,
& induit eos.

POſtquã Moſes docuit nos, quomo-
do Mulieri impoſitum ſit nomen
iterum oſtẽdit nobis bonitatẽ Dei, quæ
non deſpexit ſuas creaturas in tanta nu
ditate, & ignominia verſantes, & fecit
(inquit) dominus Deus Adæ, & vxoris
illius veſtes pelliceas, & induit illós ſi-
cut miſericors pater filiũ habens bona
indole præditũ, & omni cura educatũ
& fruentẽ omnibus delitijs & veſte ni-
tida & ſericis amictum, & paternis opi
bus ſecure vtentem, cum viderit eũ ni-
mia proſperitate in malitiæ præcipitiũ
prolapſum, priuat illis omnibus, & ſuæ
poteſtati ſubijcit, & veſte ſpoliat, & vilẽ
ſeruilemq; togã illũ induit, ne omnino
nudus ſit, & turpis. Ita & miſericors
Deus: qm̃ Adam, & Eua indignos ſeſe
exhibuerunt indumẽto glorioſo illo, &
nitido, & quod tegendo nullis corpora
libus, eos neceſſitatibus obnoxios eſſe
ſinebat, exuit nunc omni illa gloria, &
fruitione, qua ante grauẽ hanc ruinam
gaudebãt, multamq; erga illos declara-
uit miſericordiã, miſericordia. n. motus
ob tantam ruinã: quia videbat magna
confuſione circumamictos, & neſcios,
quid facerent; Tales enim ſunt diaboli
machinationes, vt ſi qñ aliquẽ inuenit,
qui ſibi pareat, eũ voluptãtu la quadam
ſupplantatum, & in profundũ malitiæ
proiectum, omniq; confuſione, & igno
minia plenum iacere relinquat, miſera
bile omnibus, qui illum vident ſpecta-
culum. At animarum noſtrarũ curator
videns illos in tãtis difficultatibus, ipſos
non omnino deſtituit præſidio, ſed ve-
lamentum illis excogitat, veſtem fru-
galem, oſtendens qualibus ſe veſtimen
tis dignos fecerint.

Circa hæc verba tria conſideranda Quæſt. 1
ſunt; Primũ quales fuerint illæ tunicæ
pelliceæ, Secundum quomodo confe-
ctæ; Tertium cur huiuſmodi tunicis
Deus primos illos homines induere vo
luerit; Quo ad Primum Origenes in
Tho-

Digitized by Google

Thomis Geneſeos hæc verba exponens dixiſſe fertur, quod tunicę pelliceæ, qui bus Deus primos parentes induit, non fuerint veræ tunicæ pelliceæ, ſed carnalia, & mortalia corpora, quibus poſt offenſam, & eiectionē de Paradiſo Adā, & Eua induti ſunt. Hunc Methodius in Aglaophonte Origeni attribuit. Epiphanius quoque in libro Anchorato idem confirmat, inquiens, ideo illū ita ſenſiſſe, quia exiſtimaret rē admodum rediculam eſſe, quod Deus decoriatis mortuis animantibus pelles pararet, & pelliceas tunicas conſueret, ac ſi eſſet coriarius, & pellium ſutor. Hunc eundem errorem ſine auctoris nomine refert, & refellit Rupertus lib. 3. de operibus Trinit. cap. 27.

Verum quo ad Originem ſuſpicor hunc locum fuiſſe corruptum ab emulis Origenis, is enim in hac re mentem ſuam catholice aperit hom. 6. in leuit. vbi loquens de indumentis Pontificijs, & ſacerdotum, ita ſcribit Priuſque de ſpecie ipſa indumentorum dicere incipiamus velim conferre illa infælicia indumenta, quibus primus homo cum peccaſſet indutus eſt, cum his Sanctis, & fidelibus indumētis, & quidem illa dicitur Deus feciſſe. Fecit enim inquit Deus tunicas pelliceas, & induit Adā, & mulierem eius, illæ ergo tunicæ de pellibus erant, ex animalibus ſumptæ. Talibus enim oportebat indui peccatorem pelliceis (inquam) tunicis, quæ eſſent mortalitatis, quam primo peccato acceperat, & fragilitatis eius, quæ ex carnis corruptione veniebat indicium, hæc Origenes. Quib. verbis manifeſte fatetur tunicas veras fuiſſe pelliceas iuſſu Dei paratas: eadē verba habet Cyrillus Alexan. in leuit. lib. 6. Franciſcus Georgius tomo primo, problematum contendit hunc locum ſecundū ſolam, ac nudam allegoriā, intelligendū eſſe, ita. n. apud eū legimus problemate. 59. Deus non fuit lanius, vt occideret oues, vel agnos. quia cum aialia fecerit bona, & bina, ſi duo, vel quatuor occidit ad perficiēdas tunicas, ergo deinceps creanit alia quod falſum eſt, quia quieuit Deus die ſeptimo, ſed hæc ſunt per allegoriā dicta, vt intelligantur hæc tunicæ factæ ex pelle illius agni, de quo ſcribitur, Agnus occiſus eſt ab origine mūdi, vt ipſius meritis oīa peccata tegātur. Similis fuit Gregorij Niſſeni, & aliorum quorumdam interpretatio. Verum hi ſi putent hanc eſſe Moſis germanā, & hiſtoricam verborum ſnīam, ſine dubio falluntur. Eſt enim huius loci, vt ſuperiorum rerū hiſtorica narratio, ob idq; vt ipſa verba ſonant ſic accipienda eſt, vt apertiſſimis verbis oſtendit D. Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 39. ita enim ſcribit. Et hoc ſignificationis gratia, factū eſt, ſed tamen factum, ſicut illa, quæ ſignificationis gratia dicta ſunt, ſed tn̄ dicta ſunt. Hoc. n. quod ſæpe dixi nec me ipſius piget dicere, à narratore rerū proprie geſtarū exigendū eſt, vt ea narret facta eſſe, quæ facta ſunt, dicta eſſe, quæ dicta ſunt; ſicut aūt in factis quæritur quod factū ſit, & quid ſignificet, ita in verbis, quod dictū ſit, & quid ſignificet ſiue enim figuratè, ſiue propriè dictum ſit, quod dictum eſſe narratur, dictum tn̄ eſſe, non debet putari figuratum. Dicendum eſt ergo tunicas illas pelliceas veras fuiſſe, atque reales, ex veris, atque realibus pellibus confectas.

Quo ad ſecundum. ſ. vnde, aut quō illæ veſtes factæ ſunt; Theodorus Heracleæ epiſcopus, & Gennadius Conſtātinopoleos etepiſcopus dixerūt, illas veſtes ex aīalium pellibus non eſſe factas, ſed ex arborū corticibus nam ſicut animaliū circa, pelles dicuntur, ita & arborum cortices pelles appellantur, ex arborū ergo corticibus aptis ad veſtiū compoſitionē primi parentes diuina pietate ſuggerente, tunicas ſibi fecerut, ſicut, & prius ſibi ipſis præcinctoria fecerant ex folijs fici ad protegendam genitalium turpitudinem. Quæſt. 2

Verum hanc ſnīam refellit Theodoretus, q. 39. in Gen. vbi ita loquitur, ex his qui allegoria perſequuntur, quidam aiunt carnem eſſe mortalem, quidā vero alij è corticibus arborū eas cōpara-

Digitized by Google

tas fuiſſe dixerunt. Ego vero neutrũ horum approbo, hoc.n. nimis curioſum, illud vero valde fabuloſum; Cum.n. diuina ſcriptura dixerit, corpus formatũ eſſe ante animam, quo fabuloſum non eſt dicere Deũ illis dediſſe carnẽ mortalem poſt tranſgreſſionẽ mandati? verũ curioſe inquirere, Vnde pelles Deus habuerit, & ob id nouam amictus ſpeciẽ ex arborũ corticibus excogitare, ſuperfluũ eſſe mihi videtur, cũ oĩum creatori nõ deeſſet, vnde tunicas illas pararet.

Procopius Gazzeus in Cõmẽtarijs Geneſeos inquit abſq; occiſione animalium bifariã tunicas illas cõfici potuiſſe, hoc eſt, vel ex conuerſione præexiſtẽtis materiæ in pelles (ſicut.n. aquas Nili cõuertit in ſanguinem, ſic materiã elementorum in pelles mutare potuit) vel ex creatione de nihilo, nam cũ homo diei ſextæ initio conditus, hora ſexta eiuſdẽ diei peccauerit, & de Paradiſo eiectus fuerit, nihil prohibet Deum eadẽ ſexta die pelles creaſſe de nihilo, cũ nõdum ſeptima aduenisset dies, in qua quieuit ab omni creationis opere, quod patrarat. D. Chriſoſt. hom. 18. in Gen. interpretatur; Deum tunicas illas feciſſe, hoc eſt imperaſſe, vt in poſterũ ſibi tunicas pelliceas facerẽt. Ita enim ſcribit. Id, quod ſæpe dixi, id, & nunc dico, vt omnia ita intelligamus, ſicut par eſt de Deo intelligi, & verbũ fecit, accipe, pro eo, quod eſt imperauit, vt eſſent. Iuſſit enim togis pelliceis veſtiri in perpetuã memoriã, quod inobedientes fuerimus Domino. Eamdem explicationẽ ſecuti ſunt Hugo victorinus, atq; Rupertus Abbas li. 3. de operibus Trinit. ca. 27. vbi ita ſcribit. Fecit tunicas pelliceas ideſt faciendi neceſſitatẽ illius impoſuit. Talia quippe tamquam miſera propter peccatum corpora eſſe voluit, quæ ſine tunicis pelliceis durare non poſſint.

Cæterũ, vt vulgatior, ita probabilior eſt opinio fuiſſe veſtes ex animaliũ pellibus confectas, neque ſit curioſius diſquirendum quomodo factæ ſint veſtes, fieri enim potuerunt, vel ex nihilo, vel ex aliqua materia ſubito, Dei potentia, commutata in pelles, vel cæſis animalibus Angelorum miniſterio detractæ pelles ad formam, & vſum veſtium accomodari potuerũt. Neque obſtat quod obijcit Theodoretus nõ potuiſſe id fieri ſine interritu alicuius ſpeciei animãtiũ bina enim tantum in vnaquaque ſpecie animalium; vnum ſcilicet marẽ, vnamque fœminam fuiſſe in exordio mũdi à Deo creata, vt ipſe putat, nec verũ eſt, nec veriſimile, nec põt probari ex diuina ſcriptura, quãdo potius multa ſecundum quamque ſpeciem vtriuſq; ſexus eſſe facta magis conſentaneum rationi eſt, & à nobis ſuperius demonſtratum, & licet illæ pelles per creationem deduci ad eſſe potuiſſent, tamen iuxta regulam à nobis poſitam ſupra cap. 2. Numquam eſt ponendum miraculum ſine neceſſitate, atque adeo, & ſi potuerint per creationem fieri illæ pelles, hoc tamen neceſſarium non fuit, quia animalia ad humanum ſeruitium facta ſunt, ideo non eſt inconueniens, quòd nunc hominibus pellium operimento indigẽtibus occiderẽtur animalia, vt ab eis pelles detraherentur, ſicut nunc, vt carnes comedamus animalia occidimus.

Quo ad Tertium. Cur ſcilicet Deus primos homines tunicis pelliceis poſt peccatum induere voluit. Quæſt. 3

Dicendum, quòd multiplex fuit huius rei cauſa; Prima, vt ſic verecundiæ, & continentiæ conſuleretur, ſi quidem nuditas corporis, homini nõ inſano maxime pudenda eſt, & aſpectus nudi corporis magna eſt libidinis illecebra. Secũda cauſa eſt, vt homines mortales atque paſſibiles, ſeu magis ærumnis, & incõmodis obnoxij, propter peccatum effecti, mox è Paradiſo eijciendi præmunirentur, & protegerentur huiuſmodi veſtibus aduerſus intemperiem cœli ſub quo deinceps victuri erant ita Toſtatus in Gen. cap. 3.

Tertia cauſa, vt oſtenderet in poſterũ fore illis licitũ animalia occidere, ſi nõ ad esũ, qui ante diluuiũ nõ fuit hominibus vſitatus, certè ad vſum veſtitũ ex eorũ pellibus Toſt. vbi ſupr. Quarta cauſa

Digitized by Google

vt oſtenderet Deus ipſos homines, & ſi à Paradiſo deliciarum exules non fuiſſe tamen ſua prouidentia, & cura orbatos, quantum ad ea, quæ ipſis neceſſaria eſſent ad victum, & veſtitum. Dedit namque Deus homini cum labore, & indigentia duo miſeriæ ſolatia; victum ſcilicet, & veſtitum. Victum vbi paulo ante dixit. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo; veſtitum vbi nunc dictum eſt fecit quoque Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, &c. Ita Rupertus Abbas vbi ſupra.

Quinta Cauſa eſt, vt demonſtraret Deus huiuſmodi veſtibus pelliceis qualis veſtitus probo, & honeſto viro comparandus ſit, ſcilicet qui nō ad luxum, mollitiem, & ſuperbiam faciant, ſed protegendo, tuendoq; corpori ſufficiat. Ita Chriſoſt. hom. 18. in Gen.

Sexta cauſa fuit, vt huiuſmodi veſtes eſſent in perpetuam memoriam, quod inobedientes fuerimus Domino; ita Chriſoſt. vbi ſupra.

Septima cauſa fuit, vt ſignificaret eiā eos fuiſſe morti obnoxios, quia eos mortuorum pellibus contegebat. Ita Origenes hom. 6. in leuit. & Cyrillus Alexan. lib. 6. in leuit. Alcuinus in Geneſ. & D. Aug. lib. 2. de Gene. contra Manichæos cap. 21. vbi ita ſcribit. Illa mors, quam omnes, qui ex Adam nati ſumus cæpimus debere naturæ, quam minatus eſt Deus cum præceptum daret, ne arboris fructus ille ederetur, illa ergo mors in tunicis pelliceis figurata eſt, & parū infra inquit. Quomodo enim maiore iudicio potuit; ſignificari mors, quam ſentimus in corpore, quā pellibus, quę mortuis pecoribus detrahi ſolent.

Octaua cauſa. Voluit Deus eo veſtitu indicare, quemadmodum Adamus, & quiuis peccatorum nuditatē animæ ſuæ, ac fœditatem peccati obtegere deberet, nempe pellibus mortuorum animalium; quippe quæ virtutem pænitentiæ ſignificant, per quam moriendū eſt peccatis, omneſque carnales, & terrenæ cupiditates ſpiritus vigore domādæ, ac mortificandæ ſunt.

Sola enim pænitentia ritè peracta idoneum poteſt eſſe peccatorum tegumentum, de quo licet intelligere illud quod dicit Dauid Pſal. 31. Beati quorū remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.

Nona, & vltima cauſa, vt ſic veſtitus primus Adam, velut figura quædā eſſet ſecūdi Adami domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum eſſet Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cęlis factus, indui tamen voluit pellibus mortuorum animalium, ideſt veſtiri peccatis noſtris, habitu inuentus vt homo, & in ſimilitudinis carnis peccati factus.

Itaque tamquā Iacob pellibus Eſau veſtitus, à Deo patre benedictionē nobis obtinuit; & quod Adamo per ironiam dixit Deus ecce Adā, quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum, id veriſſimè in eum, qua homo erat dici potuit. Ille homo per vnionem perſonalem naturæ humanæ cum verbo factus eſt quaſi vnus ex diuinis perſonis, ideſt filius Dei, nec illa particula, quaſi, veritatē rei minuit, ſed declarat, ſicut alio loco dicitur. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, nec illud ſciens bonū, & malum ad hanc interpretationem haud aptiſſime quadrat: de Chriſto enim prædixerat Iſaias. Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum, tentatus enim per omnia eſt pro ſimilitudine abſque peccato.

Et ait. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt ſciens bonum, & malum.

HAec verba, vt decet digne de Deo, intelligenda ſunt. Vult enim per hæc verba in memoriā referre, quomodo decepti fuerimus à Diabolo per ſerpentem. Quando quidem ille dicebat ſi comederitis eritis ſicut dij; & ſpe potiendæ diuinitatis cibum hunc ſumere auſi ſunt, atque hac de cauſa Deus iterum illos manere volens, vt ſentirent quā grauiter eſſent lapſi per inobediē-

tiam,& deceptionẽ,inquit. Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis. Ita acriter verbum hoc vibratur, vt tranſgreſſorem attingere valeat. Propterea inquit, quod contempſiſti mandatum meum,ecce factus es, quod expectaſti, immo nõ quod expectaſti, ſed qualem te fieri dignum erat.

Rupertus Abbas lib.3.de Trinit. & operibus eius in Gen.cap.28. pulcherrimè hunc locum explanat; ſic autem inquit.Iam demum iam ſpiritualiter homine mortuo, & corporaliter morituro,victus quoq; pariter,& veſtitus indigente facto, idem dominus exclamat. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt ſciens bonum,& malum.Ecce,quod eſt oſtendentis aduerbium, cum dicit dominus Deus magnũ in præſenti fragorem incutit cunctis aures audiendi habentibus. Quid enim oſtẽdit?Adam inquit quaſi vnus ex nobis factus eſt;In Adam (quod interpretatur terrenus) virum ſimul, & mulierem intelligere, quia viri pariter,& mulieris commune nomen eſt, ſicut iam dictum eſt. Quid eſt quaſi vnus ex nobis factus? quaſi Deus factus eſt. Eadem enim Trinitas hic loquitur,quæ & ſuperius locuta eſt pluraliter ad ſemetipſam dicẽdo,faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Eadẽ Trinitas hic oſtendit, qualis Adam vitio ſuo factus ſit, quæ ſupra propoſuerat, qualẽ illum facere voluerit. Dicit ergo quaſi vnus ex nobis,nempe ex tribus perſonis Trinitatis, Vnus eſt pater, vnus eſt filius, vnus eſt Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt. Alius eſt enim pater, alius filius,alius Spiritus ſanctus.Adam ergo inquit dominus Deus,quaſi vnus ex nobis factus eſt, vt iam non ſimus nos Trinitas,ſed quaternitas, quamquam non cum deo Deus, ſed contra Deũ affectauerit eſſe Deus.Grauiſſima hæc more domini Dei, & acerba nimis ironia eſt.Quis enim vel qualis Adam? Adam in anima iam mortuus, & corpore quoque in breui moriturus indigens victu, & neceſſario coopertus, atq; cooperiẽdus veſtitu;Sed enim quilibet ex nobis ſiue pater, ſiue filius, ſiue Spiritus ſanctus, neque mortuus eſt, neque morietur,neque propter famem victu,neque propter turpitudinẽ, aut frigus indiget veſtitu, ergo non verè, ſed ironicè dictũ,aut dicendũ eſt, quia hic talis quaſi vnus ex nobis factus eſt, & cum tali ironia irridẽdus eſt. Videlicet quia ſtultè, & ſuperbe fallaciſſimo diabolo credidit dicenti.Et eritis ſicut dij. Ecce quomodo ſicut Deus,vel quaſi vnus ex nobis factus eſt;quomodo ſciens bonũ, & malum factus eſt. Non quomodo ipſe ſperauit, ſed ſic factũ eſt illud, quomodo deceptor voluit. Nõ ſic ſcit bonum, & malum,quomodo oĩum proſpiciens Deus,ſed iam expertus bonũ, ſicut nũc experitur & malũ, quomodo nõ Deus. Hoc modo quaſi affirmatiua enũciatione dictu, grauitate dicentis adiuuante, multo acerbius denegatũ eſt, quã ſi negatiua dictione exclamaſſet ſic dicẽdo. Ecce Adam nequaquã, vt ſibi promiſſum fuerat,quaſi vnus ex nobis factus eſt. Et quidem ille nõ ſolum nequaquã ſicut Deus,ſed penè factus erat ſicut diabolus;ſed accelerauit,& præuenit miſerator dominus Deus; ne Deo mortuus ſic immortalis permaneret homo, ſicut diabolus; Hæc Rup.

Quæritur ad quẽ huiuſmodi ſermo Dei referatur,& cui Deus ſit locutus. Quæſt.1 Quidã ex his verbis exiſtimauerũt concludi nequaquam poſſe, Adamũ concupiuiſſe, & affectaſſe Dei æqualitatẽ,nã ſtultiſſimo ac impijſſimo iſtius opinionis errore deceptus fuiſſet, ipſum aũt nõ fuiſſe deceptũ, ideſt Epiſt.ad Thim. c.2.D.Paulus affirmat. Sed quid hac de re ſentiẽdum ſit diligenter à nobis ſup. diſputatum fuit. Quo circa hæc verba Dei referri exiſtimant, vel ad redarguẽdam Euæ ſtultitiã,& vecordiã, illa Dei æqualitatem ſibi maritoq; ſperantis,vel ad demonſtrandũ quã mendax, & fallax fuerit ſerpens id eis promittens.

Cæterũ D.Chriſoſt.hom.18 in Gen. exiſtimat hæc Dei verba nedũ ad Euã, ſed etiam ad Adamũ referri, ita enim ſcri-

ſcribit. Quando quidē ſerpens dicebat, ſi comederitis eritis ſicut dij, & ſpe potiendæ diuinitatis, cibum hunc ſumere auſi ſunt, atq; hac de cauſa Deus iterū illos monere volens, vt ſentirent quam grauiter eſſent lapſi per inobedientiam & deceptionē inquit. Ecce Adā factus eſt, &c. eandē ſententiā ſecutus eſt Rupertus Abbas vbi ſupra inquiēs. In Adā (quod interpretatur terrenus) virū ſimul, & mulierem intellige; quia viri pariter, & mulieris commune nomen eſt. At D. Augu. ea Dei verba præcipue ad Adamum referre videtur, ſi quidē eadē lib. 11. de Gen. ad lit. c. 39. explanans, ſic ait. Hoc inquit non aliter intelligendum eſt, niſi vt propter Trinitatē numerus pluralis accipiatur, ſicut prius dictū eſt. Faciamus hominē; & Dominus de ſe, & de patre ſuo ait, ad eū veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Replicatū igitur eſt in caput ſuperbi, quo exitu concupiuerit, quod dictum eſt à ſerpente; Eritis ſicut dij. Ecce inquit Adā factus eſt quaſi vnus ex nobis. verba ſunt hæc Dei, non tamen huic inſultantis, quam cæteros, ne ita ſuperbiant de terrētis, propter quos iſta conſcripta ſunt. Quid enim aliud intelligendū eſt, niſi exemplū timoris incutiēdi eſſe propoſitū, quod non ſolū nō fuerit factus, qualis eſſe voluit, ſed nec illud, quod factus fuerat, conſeruauit. Hæc D. Aug.

Quo ad ſecūdum Hierony. Oleaſter hæc verba non ad Trinitatē perſonarū referēda eſſe putat, ſed vel ad Angelos, quibus Deus ea verba dixerit, vel vt Deus ſecū locutus ſit more magnatū, & ſummorum Principū; qui maioris auctoritatis, & maieſtatis exprimēdæ cauſa numero plurali de ſe ipſis loquūtur, ſed hoc abſurdum, & ridiculum commentum eſt, & à nobis ſupra cum expli caremus illa verba faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinē noſtram ſatis confutatum.

Toſtatus in c. 3. Gen. duplicem affert his verbis explicationē. Prima inquit. Deū eſſe locutū ad Angelos, adeo vt ſit ſenſus, ô Angelici ſpiritus videte, quō Adam, & Eua qui comedēdo de fructu vetito voluerunt eſſe nobis ſimiles, non ſunt effecti ſicut vnus ex nobis. quēadmodum ſerpens inducens Euā ad comedendū repromiſit; inquiens, eritis ſicut dij, i. ſicut Angeli, ſed lapſi ſunt in magnas calamitates. Altera dicit ſermonē iſtud fuiſſe inter perſonas diuinas ſanctiſſimæ Trinitatis, ita vt vna loquatur ad aliam dicens. Ecce quō Adam nō factus eſt, quaſi vnus ex nobis, ꝙ intendebat fœmina. Quarū explicationū magis probat primā. Quia ironia inquit debebat fieri ſecundū verba, quæ Eua intendebat eſſe vera, diabolus. n. dixerat, Eritis ſicut dij. i. ſicut Angeli; quia fœmina nō intelligebat eſſe plures deos, & ideo nūc debet cōuerti ſermo ad Angelos, ſicut vnus ex nobis; i. ſicut Deus, vel vnus ex Angelis, q a nobis demōſtrat ibi ſubſtātias ſpirituales ſicut Deus, & Angeli.

Cæterum ipſemet Toſt. in c. 13. Gen. q. 486. reiciens primam ſententiā, ſecundæ adhæret; quia qn̄ Deus hic inſultat Adæ dicens. Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis, nō ſtat, ꝙ Angelis loquatur, quia non eſt eadē ſimilitudo De, & Angelorū, atq; adeo loquitur Deus in ſe ipſo pluraliter propter pluralitatem perſonarum. Et quidē incogruū profecto erat, Deique maieſtati valde alienū Angeli, qui ſunt eius miniſtri, & ſerui, quaſi ſodalibus ſuis, & æqualis cōditionis, eiuſdēq; dignitatis, auctoritatis, & maieſtatis conſortibus dixiſſe. Ecce Adā quaſi vnus ex nobis factus eſt; ita docet D. Auguſt. lib. 65. q. q. 36.

Ergo illa verba per ironiam dicta, vt fere oēs interpretes cenſent, eā reddere videntur ſententiam. ſ. Adamus magnificis ſerpentis, & vxoris credēs promiſſis, poſt eſum fructus vetiti factus eſt tanquā vnus ex nobis. i. factus eſt omni potēs, vt ſum ego Deus Pater, aut omniſciens, vel ſapiēs, vt eſt filius meus vnigenitus, aut omnino bonus, purus, & ſanctus, vti eſt qui ex me, & filio meo pariter procedit Spiritus ſanctus; aut factus eſt ſua vi, & natura immortalis, ex nullo pendens, nullius egēs, & per ſe bea-

tus, vti nos ſumus, vnus in perſonarum Trinitate, Deus. Illa namq; verba, factus eſt vnus ex nobis. dupliciter intelligi queunt, vt inquit D. Aug. lib. 2. de Gen. cõtra Manichæos c. 22. priori modo factus eſt tamqnam vnus ex nobis. i. vnus ex nobis quaſi, & ipſe Deus, q̃ pertinet ad inſultationẽ, ſicut dicitur vnus ex ſenatoribus vtiq; ſenator; poſteriori modo factus eſt quaſi vnus ex nobis, quia & ipſe Deus eſſet, quamuis Creatoris ſui beneficio non natura. ſi ſub eius poteſtate manere voluiſſet, ſicut dictum eſt ex nobis, qũo dicitur ex conſulibus; aut proconſulibus, qui iã non eſt. Sed ad q̃ rem factus eſt vnus ex nobis? Ad ſcientiam. ſ. dignoſcendi boni, & mali, vt iſte per experimentum diſceret dum ſentit malum, quod Deus per ſapientiã nouit, & poteſtatem illã omnipotentis, quam pati noluit beatus, atq; conſentiẽs pęna ſua diſcat eſſe ineuitabilẽ. Hæc D. Aug.

Nunc ergo ne forte mittat manũ ſuam, & ſumat etiã de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.

ECliptica. i. defectiua locutione pro re, & tempore ſcriptor in perſona Dei vſus eſt; eſt. n. modus loquẽdi abbreuiatus, propter vnius dictionis defectũ, & aliquando vnius orationis. & eſt modus loquendi ſatis frequens in hebraico, quo omittitur vna dictio; translatio vero noſtra expreſſit, quod in hebreo omittitur, vel ſub intelligitur. Et eſt ſenſus. Nunc ergo ſupple videte ne forte mittat manum, &c.

Quæſt. 1 Quæritur primo, quibus dictũ eſt. Videte ne forte mittat manum ſuam, &c. Rup. Abbas lib. 3. in Gen. ca. 29. dicit, q̃ eſt locutio Dei patris ad alias diuinas perſonas. ſ. ad filiũ, & Spiritũ ſanctũ, ſic enim Deum loquentẽ introducit. Quia quaſi vnus ex nobis factus eſt, immo quia ſimilitudinis noſtræ gratia priuatus eſt, quia comedit, & mortuus eſt, & exinde aperti ſunt oculi eius, & cognouit quod nudus eſſet, quem iã ſaturitas, & otiũ nõ iuuet, vt quid hoc tantopere agẽdũ eſt? Videlicet, ne forte mittat manũ ſuã, & ſumat ẽt de ligno vitæ, & comedat, & hoc facto talis, tã miſer factus Adam viuat in æternũ? Quid. n. ſi cum talis factus ſit viuat in æternũ. vtiq; nil niſi malum ęternũ; iam. n. miſer factus, ſi æternus quoq; ſit, q̃d niſi miſeriã æternã habebit? Precamus illi, ne hoc modo male ſit quaſi vnus ex nobis, ne ſicut quiſq, noſtrũ æternus eſt, æternus enim pater, ęternus filius, ęternus Spiritus ſanctus, ſic & ille æternus ſit, & ob hoc veracẽ ſe eſſe, rideat oculus nequã diaboli, qui Dei ſimilitudinẽ illi repromiſit.

Cæter. Alex. de Ales. 2. p. q. 104. m. 3. quẽ ſecuti ſunt Nicol. de Lyra, & Toſt. ſupra 3. c. Gen. dicit quod Deus locutus eſt Angelis tamquã miniſtris, quorum miniſterio prothoplauſti è Paradiſo expulſi ſunt, vt. ſ. cauerent, ne. Adã, vel ſua poſteritas mitteret manũ ad lignũ vitę. Et ſumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternũ. quæ ſententia, vt communior, etiã vt probabilior tenẽda eſt.

Quæritur ſecundo. Cur Deus noluit Adamum poſt peccatũ comedere de ligno vitæ; nã alicui forte dura videbitur iſta ſnĩa, quia poſt tot miſerias inflictas prothoplauſtis, adhuc interdicatur eis, ne comedãt de ligno vitæ. Huic dubitationi reſpondet D. Chriſoſt. hom. 18. in Gen. dicẽs, q̃ hoc fecit Deus ex maxima pietate, & miſericordia, circa hoĩem. Cũ enim Deus Adæ mandatũ daret à nullo alio abſtinere præcipit, quam ab vnico ligno, de quo, quia edere fuit auſus, pęna capitalis irrogata eſt, id, q̃d cũ præciperet illi definiuit, ſi audiret, de ligno, aũt vitæ nihil ſignãter præceperat, q̃nquidem, vt exiſtimo, & eſt veriſimile immortalẽ illũ feciſſet. Potuiſſetq; ipſe ſi voluiſſet, cũ alijs ẽt de hoc veſci, quod perpetuã illi cõtuliſſet vitã, eo q̃ nullum mandatum de illo acceperat; ſi autem curioſulus aliquis rogat, quare lignũ vitæ appellatũ eſt; ſciat ſi noſtris rationibus innitamur nõ poſſe hoĩem omnia Dei opera cõtueri. Viſum. n. fuit domino, vt meditationem quamdã obedĩetiæ, & inobediẽtiæ haberet homo à Quæſt. 2

ſe

Digitized by Google

ſe factus, & in paradiſo degens, & hæc duo, duobus illis lignis monſtrabantur nempe ligno vitæ,& mortis.

Nam eſus, & trangreſſus mandati mortem illi attulit. Itaque vbi de hoc accepit mortalis factus eſt,corporiſque neceſſitatibus obnoxius.

Et originẽ accepit peccati ingreſſus, propter quod & mors à domino vtiliter diſpenſata eſt. Non poſt hac in paradiſo reliquit Adã; ſed exire inde iubet, monſtrãs,quod propter nihil aliud hoc faciat, quam propter miſericordiã erga nos,& vt hoc diſcamus,operepretium fuerit verba diuinæ ſcripturæ denuo legere. Et nunc,inquit, ne quando extendat manum, & accipiat de ligno vitæ, & comedat,& viuat in æternum.Nam quia magna intemperantiæ,inquit,indicia exhibuit, præuaricandoq; mãdatum mortalis factus eſt, ne nunc & lignum quod vitam præbet continuam, attingere audeat peccaturus perpetuo, ſatius fuerit hinc ipſum eijci, ita vt magis prouidentiæ; quam indignationis fuerit illa eiectio.Hic enim mos eſt domini noſtri,vt puniens non minus, quã benefaciẽs,ſuam erga nos declaret prouidentiam. Quippe,& hanc pœnã admonitionis gratia nobis irrogauit.

Quia vtique ſi ſciſſet nos non peiores fieri impune peccando,ne vtiquam vltra puniſſet,ſed vt reprimat noſtrum ad deteriora progreſſum, & tollat malitiã vlterius graſſantem ſuam ſeruando miſericordiam punit, id, quod & nunc facit curã.n.agens protoplaſti; eijci ipſum è paradiſo præcepit. Hactenus Chriſ.

Verum hanc ſententiam luciḋiſſime, vt aſſolet explicat Rup.loco ſupracitato vbi ita ſcribit.In magna ira;magnæ miſericordiæ dominus Deus recordatus eſt,in hoc ipſo, quod lignum vitæ non conceſſit miſero homini; quippe quem voluit ſic eſſe ſimilem ſibi,vt eſſet vtrobique diſſimilis diabolo; ideſt ne viueret homo æque vt diabolus vſque ad vltimum iudicium,& ęque vt ille abſque temporali morte tranſiret ad æternum incendium. Etenim malum, quod illi erat temporalem eſſe, ſed peſſimũ fuiſſet æternum eſſe. Mala nimis, & falſa eſt hæc ſimilitudo Dei,multo melius illi eſt,eſſe omnino diſſimilem Dei.Quo modo? videlicet vt quia miſer eſt, ſit etiam temporalis, hoc eſt eſſe omnino diſſimile Dei. Deus enim & ęternus eſt, & fœlix, & eſt eius æterna fœlicitas,fœlix æternitas.Horum alterum ideſt fœlicitatem perdidit diabolus, æternitatẽ vero non amiſit, & eſt eius æterna infœlicitas, infęlix æternitas. Parcamus, inquit Deus homini; & quia fœlicitatẽ perdidit,æternitatem quoque pręripiamus infœlici;vt in neutro ſit,quaſi vnus ex nobis.Vobis eſt æterna fœlicitas, fęlix æternitas, ſit illi temporalis miſeria, vel miſera temporalitas,& nunc illi cõmodius reformetur æternitas,cũ fuerit recuperata fœlicitas.Hæc Rupert.

D.Augu.lib.2. de Gen.contra Manichęos c.22. hæc verba explicans inquit. Quod autem dictum eſt. Ne porrigeret Adam manum ſuam ad arborem vitæ; etiam hæc ambigua locutio eſt; loquimur enim ſic cum dicimus.Ideo te moneo,ne iterum facias,quod feciſti,volẽtes vtique,quod non faciat. Et iterum ſic. Ideo te moneo, ne fortè ſis bonus, volentes vtique vt ſit. i. moneo te non deſperans quod bonus poſſis eſſe. Sicut loquitur Apoſtolus cum dicit. Ne fortè det illis Deus pęnitentiam ad cognoſcendam veritatem.

Poteſt ergo videri propterea homo in labore huius vitæ eſſe dimiſſus, vt aliquando manum porrigat ad arborem vitæ,& viuat in æternum.

Manus autem porrectio ſignificat bene crucem per quam vita æterna comparatur,quamuis etiam ſi illo modo intelligamus,ne manum porrigat, & viuat in æternum non iniuſta pœna eſt poſt peccatum intercluſum eſſe aditum ad ſapientiam, donec Dei miſericordia menſuris temporum reuiuiſcat qui mortuus eſt,vt inueniatur qui perierat Hæc D.Auguſt.

Quæritur tertio. Vtrum Adam poſt peccatum, ſi de ligno vitæ comediſſet, Queſt. 3

perpe-

Digitized by Google

Adã ſi poſt peccatũ ederet de ligno vitæ an viueret in æternu.

perpetuari potuiſſet. De hac re eſt duplex ſentẽtia, prima eſt affirmatiua, quę aſſerit, quod ſi Adam poſt peccatum de ligno vitæ comediſſet nõ diuturno dũtaxat tempore; ſed æterno vixiſſet. Hæc ſententia initur verbis domini hoc loco dicentis.

Nunc ergo ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum; quibus affirmari videtur, quod per eſum ligni vitæ potuerit in æternum viuere, & perpetuari, alias ratio à domino aſſignata non videretur bona. Et confirmatur exemplo Henoch, & Eliæ, qui etſi in peccato concepti fuerit conſeruantur tamen in paradiſo, vt Sancti docent per eſum ligni vitæ, vſque ad aduentum Antichriſti: qua autem ratione vſq; tũc conſeruantur per eſum ligni vitæ, poſſent deinceps, & in æternum conſeruare. Hanc ſententiam videtur tenere D. Ang. lib. 11. de Gen. ad lit. C. 40. vbi in ſententia dicit, quod Adam cũ peccaſſet ſeparatus eſt à ligno vitæ, vt poſſet mori; ſed audiamus quid ipſe dicat. Alienatus enim à vita, non ſolum quã fuerat, (ſi præceptum ſeruaſſet) cum Angelis accepturus; ſed ab illa etiam, quam ducebat in paradiſo fœlici quodam corporis ſtatu; ſeparari vtique debuit a ligno vitæ, ſiuè quod ex ipſo illo ſubſiſteret fęlix ille ipſe ſtatus corporis ex re viſibili; virtute inuiſibili; ſiue quod in eo eſſet Sacramentum viſibile inuiſibilis ſapientiæ. Alienandus inde fuerat vtique vel iam moriturus, vel etiam tanquam excommunicatus; ſicut etiam in hoc paradiſo.i. eccleſia ſolent à Sacramentis Altaris viſibilibus homines diſciplina eccleſiaſtica remoueri.

Idem etiam confirmat lib. 1. contra aduerſarium legis, & prophetarum cap. 15. Vbi ita ſcribit, quod homo à ligno vitæ ſeparatus, traditus eſt morti, conſumendus ætate, qđ nequaquam illi accidiſſet, ſi ſemper eodem cibo frueretur, & patũ infra. Ad hoc inde prohibitus, vt ex peccati pœna iam illi eſſet neceſſitas mortis.

Hanc eandem ſententiam docet D. Chriſoſt. hom. 18. in Gen. Hilarius in illud Pſ. quem tu percuſſiſti. Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes c. 37. & lib. 3. contra Iulianum Apoſtatam, & Rupert. lib. 3. in Gen. c. 30. vbi ait, quod ſemel ſumptus ille fructus præſtabat immortalitatem, quod eſt incredibile: quia naturale eſt, quod calor naturalis agendo patiatur, & conficiendo alimentum eius vis hebetetur atque minuatur.

Docent etiam ex ſcolaſticis eandem ſententiam Albertus Magnus in 2. diſt. 19. art. 6. & in Summa de homine. & Durand. eadem d. q. 1. in reſponſione ad argumenta in oppoſitum. Quæ ſententia vtique vera eſſet ſi fructus ligni vitæ virtutem haberet reparandi naturã ad priſtinum, & antiquum vigorem, & ad eandem puritatem, quam prius habuit. Quod non credo verum. Quoniam ſi arbor vitæ vim habuiſſet conſeruandi hominem perpetuo vis atque potentia illa foret plane otioſa, inanis, & ſuperuacanea, fruſtraque illi arbori tributa. Cum enim homo in ſtatu innocentiæ non eſſet in terris perpetuo vitam acturus; ſed vſque ad definitum tẽpus adeo, puta ter, vel quater mille annorum quo vſque ad cęleſtem patriam eſſet transferendus; rationi conſentaneum erat, vt arbor vitæ potentiam haberet ſeruandi hominem incorruptum, & integrũ vſque ad illud tempus præſcriptum. Vltra vero illud tempus, nec opus erat homini, & fuiſſet ſine vllo vſu, atque omnino ſuperuacaneum.

Deus autẽ, & natura (inquiunt philoſophi) nihil fruſtra, nihil ſine cauſa, nihil ad nullum vſum, & finem faciunt.

Corpus humanũ quadruplici ratione eſt corruptibile.

Et cum corpus humanum ſit intrinſece corruptibile quadruplici nomine: quia ex materia: quia ex elementis: quia ex partibus ætherogeneis, contrarijſque coagmentatum eſt: quia denique calor eius debilior fit in dies, & ex repugnantia alimenti, & ex impuritate humoris alimentaris, qui eſt pabulum eius; cum igitur ita ſe habeat corpus humanũ nõ poteſt fieri naturaliter, vt non aliquãdo

cor-

Digitized by Google

corrumpatur. Nec ex vllo cibo, vel medicina opinor poſſe fieri calorem, & humorem natiuum, ita perfectum, & purum, ſicut eſt ab ortu hominis, nec multiplicanda ſunt miracula de illa arbore ſine neceſſitate cum iuxta opinionē ſequentem, quam nos ſequimur, praeclare omnia conſtent, quæ vel in ſcriptura, vel à patribus de ea traduntur.

Adam poſt peccatū per eſum ligni vitæ perpetuari haud poſſet.

Dicendum eſt ergo, quod Adam poſt peccatum per eſum ligni vitæ perpetuari non potuiſſet; vel quia, vt inquit Alex. de Ales 2.q.104. m.3. lignum illud habebat poteſtatem efficiendi corpus incorruptibile, ſi corpus erat diſpoſitum, & incorruptibilitatis ſuſceptibile; at corpus Adæ poſt peccatum non erat diſpoſitum, neque immortalitatis ſuſceptibile, atque adeo etſi per Adæ peccatum arbor vitæ non amiſit ſuam virtutē, tamen per eſum fructus eius non efficeretur Adam immortalis; Vel quia vt dicit D.Bonau.in 2.d.19.art. 2.q. 2. eadem lege qua diuina iuſtitia nō patitur innocentem puniri, & mori nō patitur, etiam malum remanere impunitum, & ideo diuinum decretum fuit, vt ſi homo mandatum Dei tranſgrediendo peccaret, & ipſe auctori ſuo inobediens exiſteret, ſpiritus carnis dominiū amitteret, & ſicut voluntas à Deo receſſerat, ſic anima in vita corpus ipſum deſereret, & diſſolutam in ſuam originē, vnde ſumptum erat, rediret, & quoniam diuinū decretū erat inuiolabile, hinc eſt, quod poſtquam homo peccauit, quantumcunque de ligno vitæ ederet, corpus eius nō fieret indiſſolubile, atque mortem non poſſet euadere. Vel quia vt dicit Ricar. eadem d.art.2.q. 2. Adam poſt peccatū per eſum ligni vitæ perpetuari non potuiſſet: quia per peccatum fuit ſpoliatus originali iuſtitia, ſine qua per lignū vitę conſumptio radicalis humidi ſufficienter reſtaurari non potuiſſet, nec etiā per virtutem animæ iuſtitia originali ſpoliatam potuiſſent virtutes corporis prohiberi à diſtemperantia diſponente ad mortem, per eſum tamen ligni vitæ longe diutius conſeruari potuiſſet, quā conſeruatum fuerit propter efficaciam ligni illius, vel quia vt diximus ſup. fructus ligni vitæ non habet virtutem ad reparādam naturam, & reſtaurandam ad priſtinum vigorem, & eamdem puritatē.

Et ad id, quod hoc loco dicitur. Et nunc ne ſumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum, quidam dicūt illa verba interpretanda eſſe ironice, ſicut verba præcedentia. Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis.

Alij dicunt, quod vbi nos habemus, & viuat in æternum, hebraica veritas habet, & viuat in ſeculum, eſt autem ſeculum ſpatium centum annorum q. d. & diu viuat; ſed communius dicitur, quod æternum accipitur pro tempore longiſſimo, ſicut frequenter in ſacra ſcriptura vſurpari ſolet, vt cum vocantur montes æterni, vel pactum æternū, ita reſpondet D.Thom.2.2.q.164.art.4.ad ſextum.& D.Bona.in 2.d.13.art.2.q.2. ad primum, & Ricar. ibidem. Ad illud de Henoch, & Elia reſpondent, Eliam, & Henoch ſuſtentari illo cibo ligni vitę tempore longiſſimo, cæterum non poſſent perpetuo conſeruari in immortalitate ex defectu iuſtitiæ originalis, quæ erat præcipua cauſa immortalitatis, vel dicendum eſt cum D. Bonau. qui non concludit vitæ interminabilitatem; ſed ſolum quamdam diuturnitatem, quam etſi lignū vitæ poſſet homini lapſo conferre per ſibi diuinitus collatam virtutem, non tamen poterat in æternū conſeruare: quia diuinum decretum infirmare non poterat, & corpus hominis peccantis adhuc poſt peccatum habile non erat, & illud lignū in ſolo eo. quod diſpoſitionē habebat ad eius effectum, efficaciam habebat, vel poſſumus dicere cum Ricard. quod in ſuſtentatione Eliæ, & Henoch, non ſolum interuiuit virtus ligni vitæ, ſed etiam aliquod ſpeciale auxilium ſupernaturale; nam veriſimile eſt Deum habere ſpecialem curam ſupra eos.

DE

Digitized by Google

DE EXPVLSIONE Adami è paradiſo.

Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt.

ET emiſit eum dominus, i. Adam, & non ſolum eum; ſed etiam vxorem ſuam, quæ magis peccauerat, & ad generandum neceſſaria erat, de paradiſo voluptatis, vt operaretur terrã. ſ. ipſe Adã. Nam licet in Adam vir ſimul, & mulier intelligantur, & vterque ſit eiectus, vel emiſſus, tamen quod dictum eſt, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt, melius de ſolo viro accipitur, qui de terra ſumptus eſt, nam mulier de carne, vel oſſibus viri ſumpta eſt. Vnde & ipſa natura docet dicere virum, vt operaretur terram; nam mulieri magis congruit, vt erga corpus viri in quolibet opificio ſeruiliter occupetur, proinde cũ dicitur, vt operaretur terrã de qua ſumptus eſt, commode ſubauditur, & mulier operaretur circa cultũ viri, de quo ſumpta eſt.

Cæterum illa particula, vt, non dicit finem; ſed conſecutionem: nõ enim expulit Deus Adam de paradiſo, vt terrã coleret; ſed quia expulit eum de paradiſo, neceſſe fuit ei colere terram, non potens alias viuere; finis ergo eiectionis Adæ fuit, vt in terram lueret pęnas debitas ſceleri ſuo cum tota poſteritate, donec rediret ſpiritus eius ad Deum, qui fecit illum, per mortis reſolutionem.

Quæſt. 1 Quæritur primo, quõ Adam è paradiſo deliciarũ exierit, an. ſ. per ſeipſum, vel angelorum miniſterio. Toſtatus in 3. cap. Gen. tenet, quod hoc factum fuit miniſterio angelorum educentium eos, & locantium in terra habitationis. Non enim inquit, ipſe poterant Adam, & Eua per ſe deſcendere de altitudine paradiſi, & tranſire magnas congregationes aquarum quæ circuunt paradiſum, & venire per longa terrarum ſpatia in terras ignotas; ſed Angeli deduxerunt, ſicut deduxit Angelus domini Abacuch de Iudęa in Babilonem, ſup. lacum Leonum, vt patet Daniel 14. & fuerunt ducti apud locum, in quo poſtea facta eſt Vrbs Hebron, octo leucis à Hieruſalẽ contra meridiem, in quo loco Adã formatus fuerat, & poſtea ſepultus.

Cæterum nos conformiter ad ea, quę diximus ſup. c. 2. de tranſlatione Adami in paradiſum dicimus, ꝙ tribus modis educi potuit Adam de paradiſo, ſicut tribus modis poteſt intelligi, quod illuc tranſlatus fuerit. Primo, vt Deus interiori motu in ſpirauit Adamo, quo ſibi eumdem eſſet. ſ. extra paradiſum, in hũc ærumnarum ac miſeriarum locum, velut in domicilium ſibi paratum ad luendas pœnas ſuo ſceleri debitas, quemadmodum legimus apud Matth. capit. 4. Dominum noſtrum à ſpiritu ductum eſſe in deſertum, & huic interpretationi conſonare videntur, quæ ſcribit D. Auguſt. lib. 2. de Gene. contra Manich. cap. 22, vbi inquit. Bene dictum eſt dimiſit, non excludit, vt ipſo ſuorum peccatorum pondere tamquam in locum ſibi congruum videretur vrgeri. Quod pariter plerumque malus homo, cũ inter bonos viuere cæperit, ſi ſe in melius commutare noluerit, ex illa bonorum congregatione pondere malæ ſuæ conſuetudinis pellitur, & illi eum non excludunt reluctantem, ſed dimittunt cupientem. *Adam trib. modis educi potuit de paradiſo.*

Secundo poſſumus intelligere, ſicut Henoch, Abacuc, & Philippum proditum eſt, ſpiritu Dei eſſe abreptos, & in longinqua loca delatos, ita Adam è Paradiſo in hanc lacrimarum vallem, ſpiritu Dei, vel Angelorum miniſterio eſſe translatum. Denique etiã illud opinari licet, per argumentum humani corporis ſpeciem indutum, eſſe Adam è Paradiſo in hanc terrã quaſi manu ductum ſicut Angelus Raphael ducebat Tobiam, & hoc D. Auguſt. mihiq; veriſimilius fit; nec obſtant, quæ Toſtatus in contrarium adducit, nam de ſitu Paradiſi ex ſacris ſcripturis nihil certi habet,

bet,

bet, neque veriſimile eſt, aquas circumdare illum deliciarum locum; cæterum de ſitu paradiſi ſatis ſup. quę à nobis ſupra diſputatum eſt.

Queſt. 2 Quæritur ſecundo, quo in loco vixit Adam poſtquā eiectus fuit è paradiſo? Toſtatus vbi ſup. cenſet Adam non vixiſſe in oriente circa paradiſum, ſed in Hebron, Nā infra c. 4. dicitur de Cayn, quod iuit profugus contra orientem, & conſtruxit Ciuitatem. ſ. fugiendo à loco in quo habitabat pater ſuus, ergo non habitabat circa orientem.

Verum D. Chriſoſt. hom. 18. in Gen. oppoſitū ſenſit; ita enim ſcribit. Eiecitq; dominus Deus Adam, & habitare fecit eum è regione horti deliciarū. Animaduerte, inquit, D. Chriſo. quod dominus noſter in ſingulis operibus miſericordię argumentum oſtendit, & ſingulę pęnarum ſpecies bonitate plenę ſunt. Nam enim hoc ſolum miſericordiæ, & benignitatis argumentum erat, quod emittebat, & eijciebat; ſed, & quod contra paradiſum illum habitare faciebat, vt iugem dolorem haberet, quotidie cogitans vnde exciderit, & in quem ſtatum ſe coniecerit. Et quamuis grauiſſimi doloris ſpectaculum erat, eſt tamē magnæ vtilitatis occaſio, vt dolens cōtinuo aſpectu munitur, & cautior eſſet in alijs, ne iterum in ea peccata incideret, qui hominis (vt plurimum) mos eſt nam quoniam cū bonis fruimur neſcimus ipſis, vt oportet, vti, illorū priuatione emendati ſumus, & tunc experientia ſentire cępimus miſericordiam deſidiam. Itaque tanta rerum mutatione docemur, & à quibus excidimus, & quibus nos ipſos malis iniecimus. Itaque quod prope, & è regione paradiſi nos habitare iuſſit, maxime prouidentiæ, & noſtri curæ ſignum fuit, vt & ſpectando memor eſſet, & inde lucrum faceret, & neque immodica viuendi auiditate concupiſcere, neque foris exiſtens de ligno comedere præſumeret: diuina .n. ſcriptura omnia nobis prout noſtræ infirmitati congruunt, narrat Hactenus D. Chriſo.

Quam ſententiam aliqui ex eo probare contendūt, quod hoc in loco dicitur, vt operaretur terrā de qua ſumptus eſt, nempe, quod eodē in loco vixit Adam poſt peccatum, in quo formatus fuerat, non eſt autem veriſimile, Adamū fuiſſe formatum in loco admodum diſtāti à paradiſo, ſed valde prope. Cæterum licet hoc verum ſit, tamen probatio iſta, non conuincit, nam iſtud relatiuum, de qua, non refert eumdem locum, vel partem terræ præciſe, ſed ſpeciem terræ.

Nam de quolibet agricola verū eſt, qui colit terram de qua ſumptus eſt, & tamen non colit eam partem, de qua ſumpta fuit materia eius diuerſis temporibus. Cæterum quia hic fuit mentio de emiſſione Adę de paradiſo, oritur quæſtio, quo tempore fuit eiectus, & quanto tempore, ſtetit; atque adeo.

Quæritur tertio, an eadem die, quo creatus fuit Adā ſit è paradiſo eiectus. Ireneus lib. 5. aduerſus hæreſes. Ephrem in Comm. in Gen. Iacobus Sabugēſis in oratione de paſſione domini, Diodorus Tarſenſis Epiſcopus citatus in Cathena in Gen. ſup. illa verba. De omni ligno paradiſi veſcimur, Moſes Barcephas lib. de paradiſo, Cyrillus, & Epiphanius à Moſe citati. Hi omnes cenſent eodem ipſo die, quo creatus eſt Adamus fuiſſe eum introductum in paradiſum, & in ibi tentatum, ac lapſum, atque ex hoc loco eiectū, nec manſiſſe in paradiſum vnum diem integrum artificialem, hoc eſt per 12. horas, ſed tantum, vt quibuſdam placet per ſex horas, vel vt viſum eſt, alijs per ſeptem, ſiue vt nonnulli tradunt per decem. Nam qui putant tantū per ſex horas in paradiſo manſiſſe dicūt Adam prima hora ſexti diei artificialis fuiſſe creatum extra paradiſum, deinde tertia hora collocatum in paradiſo, poſtea circa horam ſextam comediſſe fructum vetitum, ad horam autem nonam veniſſe Deum in paradiſum, & increpaſſe Adamum, & Euam, ſuiſq; pœnis mulctaſſe. Ad veſperam vero, & ante ſolis occaſum eiectos eſſe ex paradiſo. Queſt. 3

Adā in eodē die quo creatus fuit, ſit è paradiſo eiectus.

Adam ſecundū aliquos per ſex horas tā iū fuit in paradiſo.

Ad huius autem ſententiæ confirmationem, non minus pulchram, quāpiam inten

inter Adamum, & Chriſtum redemptorem noſtrum adducunt annalogiã: Chriſtus.n. dominus noſter paſſus eſt, vt Adami peccatum tolleret, atq; adeo euenit, vt quæ ipſe paſſus eſt emẽdando, expiandoque Adami delicto mirificè reſpondeant. Etenim ſexto die Adamus eſt creatus, eodem quoque die paſſus eſt Chriſtus. In eius diei exordio ille eſt ex luto compoſitus. Hic item ad tribunal raptus, & ſordidiſſimis fœdatus ſputis. Hora eius diei tertia inductus eſt Adamus in paradiſum, & Chriſtus tertia hora mortis accepta ſententia, Vrbe Hieroſolyma extractus eſt ad ſupplicium. Inter ſextam, & nonam horam Eua, & Adamus protenderunt manus ad decerpendos fructus negatos, ex quorum guſtu nefariam ceperunt voluptatem. Hoc tempore Chriſtus ſuas manus extendit ſuper ligno Crucis, & amariſſimo felle potatus eſt. Denique poſt meridiem dominus eijecit Adamum ex paradiſo. Chriſtus autem latronem ſicut ei promiſerat in paradiſum introduxit.

Mirabilis inter Chriſtũ dominũ & Adamũ analogia.

Qui vero affirmant Adamum manſiſſe in Paradiſo per ſeptem horas ex eo mouentur, quod in ſacra ſcriptura dicitur, quod Deus ambulabat ad aurã poſt meridiem atq; ita ſignatur Adam poſt meridiem excluſus de paradiſo; à principio autem diei vſque ad meridiem, ſunt ſex horæ, Adamus vero fuit expulſus poſt meridiem, ergo erant ſeptẽ horæ. Et propter hoc dicunt iſti ſunt ſeptẽ pſalmi pœnitentiales, ad ſignificandum illas ſeptem horas, quibus ibi manſit Adam. Sed motiuam huius opinionis non cogunt, primum non: quia nõ conſtat, an Deus deambularet ad aurã ſtatim poſt meridiem, an vero circa ſolis occaſum, nam totum tempus, quod eſt inter meridiem, & ſolis occaſum vocatur poſt meridiem, atque ita potuit eſſe tribus, vel quatuor horis poſt meridiẽ, vnde eſſent plures quam ſeptem horæ à principio diei. Præterea non eſt certum, an in ortu diei fuerit creatus Adã, quod hæc opinio præſupponere videtur; nam forte creatus fuit hora tertia, vel quarta, & per conſequens, eſto quod expelleretur hora ſeptima adhuc non manſiſſet ſeptem horis in paradiſo, præterquam quod ſi Adam fuiſſet creatus die præcedenti, & die ſequenti poſt meridiẽ fuiſſet expulſus, quod eſſe potuit, vt oſtendemus infra, manſiſſet in paradiſo pluſquã per ſeptem horas.

Adam ſecundũ aliquos p ſeptẽ horas in Paradiſo mãſit

Et quod addunt de ſeptem pſal. pœn. minus concludit: quia pęnitentia eſt de malo, & pro malo, ſ. pro peccato quod commiſimus, quod malum eſt, & ita pęna, quæ malum eſt nõ infertur niſi pro peccato, non autem pro bono, vel de bono. Cæterum tempus, quo Adam permanſit in Paradiſo pertinuit ad ſuam fœlicitatem, ergo pro ſeptem horis, quibus ibi eum ſtetiſſe dicũt, non debuerũt eſſe aliqui pſalmi pœnitentiales.

Poſtremo affirmantes Adamum permanſiſſe in Paradiſo per nouem horas, & decima expulſum fuiſſe, hanc congruentiam afferunt quod Chriſtus tantum durauit tormenta patiendo, quantum fuit Adam in paradiſo, atque adeo perſeuerauit Chriſtus vſque ad horam nonam diei, & tũc expirauit. Ita Adam perſeuerauit nouem horis in paradiſo, & hora decima eiectus eſt. Addunt etiã, quod Deus ambulabat ad auram poſt meridiem, atq; ita expulſio Adami fuit poſt meridiem, poſt meridiem autẽ eſt hora decima, & confirmatur, quia aura, quæ ſurgit poſt meridiẽ oritur propinquius ad occaſum diei, quam ad meridiem, atque adeo potius hora decima, quam ſeptima ambulabat Deus ad auram poſt meridiem.

Adam iuxta aliorũ ſẽtentiam ſtetit in paradiſo p nouem horas.

Cæterum quicquid ſit de veritate rei motiua, tamen iſtorum non ſunt conuenientia. Nam mors Chriſti non fuit pro bono noſtro, ideſt, quia bonum habeamus, ſed pro malo, ſ. pro peccato, quod commiſimus, aut pro pœna, quam inferri nobis merebamur, vt non inferretur, tempus autem, quo manſit Adam in paradiſo ad eius ſpectabat fœlicitatem.

Ergo pro eo nõ debuit Chriſtus pati, vel iuxta illius menſuram. Præterquam

quod

Digitized by Google

quod Chriſtus non ſolum eſt paſſus per nouem horas, ſed pluribus; nam comprehenſus fuit nocte pręcedente poſt cęnam, & ſtatim poſt comprehenſionem inceperunt pœnalitates eius, atq; ita totam illam noctem in pœnis duxit, cum ſequenti die, vſque ad horam nonam, quando expirauit, atque iſtæ ſunt horæ fere viginti, aut paulo pauciores. Motiua etiam de poſt meridiem, & de hora decima non concludunt, & iiſdem rationibus diſſoluuntur, quibus ſoluta fuere motiua de horis ſeptem.

Primi parẽtes plus vno die verſati sũt in paradiſo.

Dicendũ eſt ergo, quod plus vno die verſati ſunt primi parentes in paradiſo: non enim omnia, quę Moſes de illis narrat, priuſquam è paradiſo pulſi eſſent vnius diei ſpatio confecta videntur, vt infra manifeſtabimus. Hanc ſententiam docet Ioſephus lib. 1. antiq. c. 1. Baſilius hom. de Paradiſo. Damaſc. lib. 2. de fide Ortho. c. 10. quippe qui ſcriptum reliquerint ſerpentem in paradiſo præter cæteras animantes frequẽter ad primos illos homines adire, & cum eis blande, & quaſi familiariter verſari ſolitum, indeque poſtea diabolum anſam decipiẽdi mulierem accepiſſe, tandem ſententiam ſecutum fuiſſe D. Augu. declarant illa verba, quæ ſunt in c. 31. lib. 11. ſup. Gen. ad litt. prope finem. tale quippè pomum (inquit) credẽdum eſt fuiſſe in illa arbore, ſ. vetita; eius generis poma iã in alijs arboribus innoxia ſenſerãt, quibus verbis innuit Adamum in paradiſo guſtaſſe fructus aliarum arborum præter illam vetitam, atque adeo non ſtatim vt locatus fuit in Paradiſo peccauit, neque credendum eſt, quod ſtatim in paradiſo poſitus ex aliorum arborũ fructibus comederit. Sed iuxta temporis opportunitatem, idem quoq; in lib. 20. de Ciuit. Dei c. 26. licet primos homines non longo tempore, in paradiſo mãſiſſe cenſeat, diutius tamen quam per vnum diem eo in loco fuiſſe non obſcure indicat, vbi explicans illa verba Malachiæ ca. 3. & placebit domino ſacrificium Iuda, & Hieruſalem, ſicut diebus priſtinis, & ſicut annis prioribus. Inquit quapropter eſponere nos oportet, quõ ſit accipiendum, quod dictum eſt: ſicut diebus priſtinis, & ſicut annis priorib. Forraſſis enim tempus illud commemorat, quo primi parentes in paradiſo fuerunt, tunc enim puri, atque integri ab omni ſorde, ac labe peccati, ſeipſos Deo mundiſſimas hoſtias offerebãt. apertius hoc ipſum ſignificat. B. Greg. lib. 4. dial. c. 1. in paradiſo, inquit, aſſueuerat homo verbis Dei, & beatorum angelorum ſpiritibus cordis munditia, ac celſitudine viſionis intereſſe.

Queſt. 4

Adam eodẽ die quo peccauit ex pulſus ẽ de paradiſo.

Queritur quarto, qua hora diei excluſus eſt Adam de paradiſo dicendum eſt, quod eodem die, quo peccauit Adam è paradiſo eiectus eſt; nam poſt peccatũ erubuerunt corporis nuditatem atq; ad eam velandam fecerant ſibi perizomata, poſt, audita voce Dei timore, atq; pudore percuſſus abſcondit ſe, & è latibulo iuſſu Dei egreſſus fuit, à Deo increpatus, & è paradiſo excluſus: nam ſtatim, vt manifeſtum fuit Adę peccatum expulit eum Deus è paradiſo; non. n. paradiſi locus homini nocenti conueniebat; & homini, qui eſſet vita beata ducenda; non peccatori, cui pęnalitates manebãt, quas Adamo renunciauit Deus duraturas vſque ad mortem, atque adeo totũ tempus à tempore prænunciatarum pœnalitatum erat in miſerijs agendum. Paradiſus autem non erat locus ad mala patiendum, ergo ſtatim expulit eum, vt pœnas meritas ſuſtinere inciperet. Præterea ſtatim poſt Adamo pronunciatam mortem poſuit Deus, cuſtodiam ad lignum vitæ, ne Adam mitteret ad illud manum, vt comederet, & viueret in ęternum; ſed ſi Adam, & Eua manſiſſet in Paradiſo poſt prænunciatas ſibi pœnas, potuiſſent ſumere de ligno vitæ, ergo, debuerunt ſtatim poſt prænunciatas pœnas à paradiſo excludi.

Deinde ſi diutius manſiſſet in paradiſo, poſt admiſſum peccatum proculdubio commixtus fuiſſet cum vxore, cum iam mutua exarſiſſent libidine; atqui Moſes poſtquam eiectus eſt Adamus ex paradiſo, primum memorat cognitam fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe ab eo Euā,& Auguſtini,& aliorū patrum ſententia eſt primos homines dum fuerunt in paradiſo, virgines fuiſſe, ſed qua hora diei excluſus fuit? dico q̄d eiecti ſunt ex paradiſo ſub fine eius diei,quo peccauerunt.i.paulo ante ſolis occaſum.

Adam, & Eua paulo ante ſolis occaſū è paradiſo eiecti ſunt.

Etenim Moſes narrat veniſſe Deum in paradiſo ad auram poſt meridiē.i.ad auram,quæ fluat poſt meridiem, vel ſicut dicit littera hæbraica ad aurā diei, & licet non ponatur hoc principaliter ad tempus determinandum, ſed ad determinandum ventum, tamē quatenus dicitur aura diei,deſignatur quo tempore flauerit: quia aura eſt ille ventus qui ſurgit inter meridiem, & occaſum ſolis, vt explicauimus ſupra,& iſte ventus nō ſurgit ſtatim poſt meridiem, ſed in maiori propinquitate ad occaſum ſolis.& cauſa eſt:quia tunc debilitatur calor ſolis,vt non poſſit cōſumere vapores,quos eleuat,& hoc facit ventus;cæterum ſtatim poſt meridiem,aut tempore proximo adhuc eſt calor fortis, ideo non ſurgunt tunc venti; cum ergo ambularet Deus,ad auram poſt meridiem,ſignum eſt,quod erat prope ſolis occaſum,quādo illa aura cōfortatur.i.eo tēpore, quo in locis marittimis ventus refrigerans excitare,& ſpirare ſolet,nimirum ſole ad occaſum vergente.

Queſt.5 Quæritur quinto, an plus vno die Adam fuerit in paradiſo, & quāto plus. De hac re multiplex eſt opinio. Quidā enim,vt vidimus ſup.)dicunt quod Adā manſit in paradiſo per ſeptem horas ſolum;quidam per ſex;alij per decem, atque hij omnes affirmant non manſiſſe in paradiſo per diem vnū artificialem integrum.

Adam ſecundū aliquos tot annos fuit ī paradiſo, quot an. Chriſtus dominus vitā mortalē duxit.

Quidam alij dixerunt tot annos,primos parentes fuiſſe in paradiſo,quot annos Chriſtus dominus vitam in terris mortalem, & ærumnoſam agit; ſed id nullo modo probabile eſt.Alij per quadraginta dies,totidem enim dies Chriſtus ieiunauit in ſolitudine, vt hoc ieiunij remedio intemperantiæ illorum peccatorum ſanerer, verum neque hoc ſpeciem probabilitatis aliquam habet Ioſephus lib.1.antiquitatum c.1. arbitratur Adamum manſiſſe in paradiſo per plures dies, non ſolum poſtquam formata fuit Eua;ſed & antequam formaretur ita enim ſcribit.Videns autē Deus Adam non habentem ſocietatem ad fœminam,neque cohabitationem, cū vtique non eſſet delectatus cum alijs animalibus,quæ copulata videbantur,vno die, quo eo dormiente auferret coſtam eius, finxit ei mulierem, quibus verbis ſignificat multos dies tranſiſſe, cum dicat,q'uod vno die abſtulit ei coſtam.Cæterum falſum eſt, quod Ioſephus aſſumit nimirum,quod inter formationem Adæ,& Euæ fluxerunt aliquot dies, immo nec vnus fluxit dies; ſed eodem die, quo formatus eſt Adam fuit Eua formata,vt oſtendimus ſup.ca.2.Illud autem innuit Ioſephus,ſ.quod aliquanto tempore manſerint Adam, & Eua in paradiſo non eſt omnino improbabile, immo probabile fit auctoritatibus doctorum ſic exiſtimantium,quos q.3.adduximus Toſtatus q.610.in 3.ca.Gen.exiſtimat eos poſtero die,quam creati ſunt è paradiſo eiectos, qui quidem fuit dies ſabbathi; ſed eius ſententia non videtur hiſtoriæ Moſis cōſentanea;etenim cum illum diem ſabbathi ſantificauerit & benedixerit Deus, requieſcens ab omni opere ſuo,quod pattrauerat, nō videtur congruum eo die tam ſeuerum diuinæ vindictæ iudicium exerceri.

Dicendum eſt ergo, quod non vno tantum die primi parentes in paradiſo verſati ſunt.Nam ſi tam exiguum tempus inter creationem eorum, & ſerpentis temptationem interfluxiſſet, nulla ratio erat cur ſerpens diceret Euæ. Cur non ex omni ligno paradiſi comeditis? Nam potuiſſet reſpondere.Quia nec dū vel neceſſitas,vel cupiditas cibi ſumēdi nos inceſſit.Verum quia ſerpens obſeruabat eos,ex omnium arborum fructibus edere ſolitos præter vnum arboris ſciētiæ boni,& mali fructum,à quo religioſe videbat eos,ſeſe abſtinere, ex eo cępit occaſionem ſic aggrediendi Euā;

Adam, & Eua non vno tantum die in paradiſo verſati ſunt.

quæ

Digitized by Google

quæ idipſum viſa eſt ſuo reſponſo confirmaſſe cum dixit. De fructu lignorum quę ſunt in paradiſo veſcimur, de fructu vero ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus.

Quid eſt veſcimur, niſi veſci ſolemus? Præterea non videtur veriſimile tã multa, & varia, quæ inter Adami creationẽ, & eius è paradiſo expulſionẽ facta eſſe narrantur, in dimidium fere vnius diei coartari poſſe. Etenim ſexto die, primũ quidẽ creata ſunt animalia terreſtria, deinde formatus eſt Adã extra paradiſum, & in paradiſum deductus; poſt hoc dato ſibi præcepto de non comedendo de ligno ſcientiæ boni, & mali, adduxit Deus omnia animalia ad Adam, & cũ ea diligenter præſeruaſſet, quo ad ſingulorum naturam congruentia impoſuit eis nomina, & cum in eis nullum reperiretur ei idoneum ad vitæ ſocietatem, & ad prolis generationem adiutorium ex Adami altiſſimo ſomno ſopiti coſta è latere eius educta; Eua formata eſt, quæ ad ipſum poſtea fuit adducta, & in vxorem tradita, adhuc nudi verſabãtur ambo in paradiſo, ſine vllo aut nuditatis ſuæ pudore, aut externi incommodi, & moleſtiæ per paſſionem. Poſt hæc ſerpẽs tentauit mulierem, conſecutuſque eſt ſermo inter ſerpentem, & Euam vltro, citroque habitus, & multo longior, vt credibile eſt, quam a Moſe commemoretur.

Eua porrò ſerpẽtis decepta promiſſis ad arborem vetitam adiuit eiuſque curioſe ſpectata, & conſiderata pulchritudine decerpit fructum, comedit, porrexit ad virum, & ſuis blanditijs eum pellexit ad comedendũ, quo facto erubuerunt feceruntque ſibi perizomata, & poſt hæc omnia venit Deus ad eos poſt meridiem, qui audita Dei ad eos venẽtis voce ſeſe ad medium paradiſi in locum dentiſſimis opacum arborib. abdiderunt.

Vnde iuſſu Dei eos vocantis egreſſi vterque ſeparatim ab eo interrogati, increpati, puniti, tandem è paradiſo expulſi ſunt. Tantam igitur hanc rerum molem reſpicit animus credere in dimidium vnius diei commode includi poſſe.

Cæterum quot dies fuerunt in Paradiſo? dico quod hæc dubitatio eſt de numero earum, in quibus nihil certũ poſſumus reſpondere, cum id neq; colligi ex diuina ſcriptura poſſit, neque vt certum ſit traditum à probatis auctoribus, neque antiqua certaque maiorum traditione compertum, neq; veriſimilibus conjecturis perſuaſum ſit.

Verum ſi fas ſit diuinare, dicerẽ fuiſſe eos in paradiſo per octo dies, & octauo die, qua creati fuerint, qui dies fuit ſexta feria Hebdomadæ, electos fuiſſe è paradiſo. Nam ſpacium octo dierum ſufficiens fuit, experiendæ aliquãtulum eius ſtatus fœlicitatis, & cõuenientiam atque conſonantiã habet cum eo, quod circa ſecundum Adamum, ideſt Chriſtum dominum euenit. Quippe qui feria ſexta conceptus eſſe in vtero Beatiſſimę Virginis à multis creditur, eademq; diem eſt in cruce mortuus. Et iuxta hãc ſententiam, vere interpretari licebit, quod à patribus eſt traditum, eodẽ die Adamum eſſe creatum, & peccaſſe, ac paradiſo pulſum eſſe, eodem inquam die, non numero; ſed eadem feria Hebdomadæ.

Adam & Eua in paradiſo fuerunt per octo dies

DE CVSTODIA Paradiſi.

Eiecitque Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendum viam ligni vitæ.

Illud in primis eſt hic aduertendum, quod illa verba, ante Paradiſum ſeptuaginta interpretes in tranſlatione huius loci iunxerunt cum eo, quod præ-

ceſſit. Eiecitque Adam volentes ea intelligi de Adamo, quem Deus licet paradiſo eieciſſet, voluit tamen eum è regione paradiſi habitare, quo ſcilicet frequenti paradiſi aſpectu, & eius quam perdiderat fœlicitatis aſſidua recordatione vehementius intimis animi ſenſibus augeretur, maiorique odio diabolum, qui ſibi tantorum malorum auctor fuerat, ſuumque peccatum tantæ infœlicitatis cauſam perſequeretur.

Quam ſeptuaginta interpretum lectionem ſecuti ſunt patres græci, & potiſſimè Chriſoſt. hom. decima octaua in Gen. vbi vt ſup: vidimus ex hac lectione magnificat, atque exagerat hanc Dei prouidentiam, eamque pro magno beneficio homini tributo prædicat.

Lectio autem ſeptuaginta interpretum, ſi verbum è verbo latinè reddatur, ſic habet hoc loco.

Et eiecit Adam, & collocauit eum ante paradiſum voluptatis, & poſuit Cherubim, & flammeum gladium verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.

Verum ſcriptura hebraica, vt inquit Pererius, paraphraſis autem Caldaica, & noſtra verſio Latina, illud poſuit ante paradiſum coniungit cum Cherubino, & flammeo gladio verſatili, quibus ante paradiſum à Deo collatis, aditus homini ad arborem vitæ omnino eſt interclusus.

Sed quod per Cherubim, quid item per flammeum gladiũ & verſatilem, ſignificauerit Moſes, & intelligi voluerit interpretari, & aſſequi, hoc opus, hic labor eſt. Ideo.

Quęſt. 1 Quæritur primo, an quod dicitur de Cherubim, & gladio flammeo, & verſatili, hiſtoricè, an tantum figuratè, ac myſticè ſit accipiendum.

Quidam exiſtimãt hæc verba metha phoricè, ac figuratè accipienda eſſe, & non ſecũdum hiſtoricum, ac litteralem ſenſum, voluntque his verbis ſignificare voluiſſe Moſem, Deum firmiſſimo præſidio muniuiſſe paradiſi aditũ, ne quis eum in locum intrare poſſet, hoc eſt, homini omnem ſpem ademiſſe fœlicem, atque immortalem vitam in terris agendi.

Quidam vero putant his verbis Moſem ſignificaſſe magna impedimenta, quibus homines poſt peccatum ab ingreſſu in paradiſum cœleſtem retardantur.

Duplex eſt impedimentorum genus, quibus cæleſte paradiſũ hominibus præcluditur.

Quorum impedimentorum dicunt duplex eſſe genus. Vnum inuiſibile, ex ipſis demonibus, & hoc dicũt per Cherubim ſignificari, iuxta ad quod ſcribit. D. Paulus ad Epheſ. vlt. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem; ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarũ harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.

Alterum eſt viſibile tam bonorum quam malorum corporalium, quibus homines vel allecti, vel deterriti, fractique à conſecutione bonorum cœleſtium retrahuntur, quod adombratum eſt à Moſe per flammeum gladium, & verſatilem.

Tria sũt rerũ genera quæ homines ad vitã æternam cõſequẽdam impediunt.

Alij tria genera rerum his verbis denotari volunt, quæ ad æternam vitam conſequendam magno ſunt hominibus impedimento; etenim vocabulum Cherubim ſignificat ſcientię plenitudinem; curioſum autem ſcientiæ ſtudium, mentiſq; ſuperbia recuſantis humiliter ſubijci diſciplinæ ac fidei Chriſtianæ multis ingreſſum cœli prohibet. Per gladiũ vero flammeum ſignificãtur omnes cupiditates, & vitia, quæ oriuntur ex appetitu ſenſitiuo; hic autem duplex eſt, concupiſcipibilis, qui ſignificatus eſt, per flãmeam, & iraſcibilis per gladium. Volubilitas autem eius gladij inſtabilitatem denotat, atque in conſtantiam rerum humanarum ipſorumque hominũ, quorum plerique ſi quando bene agere incipiunt, mox tamen defatigati deficiunt, nec in bonis ſtudijs propoſitis, cęptiſq; perſeuerant.

D Aug. lib. 2. de Gen. contra Manichęos inquit. Cherubim latine ſcientiæ plenitudo eſſe dicitur. Flammea vero framea verſatilis temporales pœnæ in-

telli-

Digitized by Google

telliguntur, quæ temporum volubilitate verſantur dicitur flammea, quia vrit quodámodo omnis tribulatio; ſed aliud eſt vri ad conſumptionem, & aliud eſt vri ad purgationem.

Nam & Apoſtolus dicit. Quis ſcandalizatur, & ego non vror? ſed iſte affectus purgabat eũ magis, quia de charitate veniebat. At illæ paſſiones, quas iuſti patiuntur, ad iſtam pertinent flammeam frameam, quoniam in igne probatur aurum, & argentum, & homines acceptabiles Deo in camino humiliationis.

Et iterum vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tẽtatio tribulationis.

Quoniam ergo quẽ Deus diligit hũc corripit, & flagellat omnem filiũ, quem recipit, & legimus, & audimus, & credendum eſt arborem vitæ plenitudine ſcientię flammea framea cuſtodiri. Nemo ergo poteſt ad arborem vitę peruenire niſi per has duas ideſt per tollerantiam moleſtiarum, & ſcientiæ plenitudinem. i. per charitatem, nam plenitudo legis eſt charitas, quę in gemino illo pręcepto continetur.

Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges proximum tamquam teipſum, in quibus duob. pręceptis tota lex pendet, & prophetæ.

D. Ambroſius explanando verſiculum illum pſal. 118. Retribue ſeruo tuo, vt viuam, & cuſtodiã verba tua, ignem hunc in aditum paradiſi collocatũ, interpretatur ignem purgatorium, in quo iuſtorum animæ, qui in hac vita maculas peccatorum penitus non abſterſerunt, vel pro condonatis ſibi delictis, non plenè Deo ſatisfecerunt in totum purificantur, omnique debito perſoluto expiantur.

Eandem ſententiam ſecutus Ruper. Abbas lib. 3. commentariorum in Geneſim ca. 32. & 33. affirmat propterea ignẽ fuiſſe poſitũ ante paradiſum, vt qui ex hac vita excedunt non omnino puri, atque immaculati per illum examinatorium ignem purificati beatam in patriam admittantur, vt veriſſime poſſint dicere quod eſt in pſal. 65. Probaſti nos Deus, igne nos examinaſti, ſicut examinatur argumentum, & quia miniſterio angelorum animæ iuſtorum introducuntur in cœlum, & pro meritis cuiuſque aliæ citius, aliæ tardius ex illo igne purgatorio in æternam requiem per angelos transferuntur idcirco dicuntur etiam Cherubim fuiſſe ante paradiſum.

Cæterum hæc Ambroſij, & Rup. interpretatio, qua ignem purgatorium comprobat, atque confirmat veriſſima eſt, nec à Catholico vllo negari, aut in dubium reuocari poteſt: qua vero ad hunc ignem purgatorium, ille, qui ante paradiſum erat accomodatur ſecũdum allegoricum, & myſticum ſenſum, egregia, valdeque laudanda interpretatio; verum hanc non eſſe hiſtoricam, & litteralem verborum Moſis ſententiam, ex eo patet, quod ignis ille poſitus erat ante paradiſum terreſtrem, ignis vero purgatorius tranſeundus eſt ante ingreſſum in cœleſtem paradiſum.

Itẽ ignis ille locatus fuit in aditu paradiſi, ne quis in eum locum penetrans fructum arboris vitæ comedens, in æternum viueret, quod ad ignem purgatorium applicari nequit, præterquã quod ignis purgatorius intra terram ponitur à Theologis non procul terræ centro; ignis autem de quo loquitur Moſes ſuper terram, & ante paradiſum terreſtrẽ erat poſitus.

Non ſunt autem hæc verba myſtice ſolum, atque metaphorice explicanda, habent enim, vt ſuperiora omnia, quæ hiſtorice à Moſe narrantur, veram, atque litteralem intelligentiam, quod apertiſſime docet D. Auguſt. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 40. vbi ita ſcribit. Et ordinauit Cherubim, & flammeam romphæam quæ verſatur cuſtodire viam ligni vitæ.

Hoc per cœleſtes vtique poteſtates etiam in paradiſo viſibili factũ eſſe credendum eſt, vt per angelicum miniſterium eſſet illic ignea quædam cuſtodia,

Rr 2 non

non tamen fruſtra factum eſſe, niſi quia ſignificat aliquod etiam de paradiſo ſpirituali non eſt vtique dubitandum.

Quæſt. 2 Quæritur ſecũdo, quid literaliter per Cherubim ſignificetur. Theodoretus Cyrẽſis Epiſcopus in lib. quæſt. in Gen. q. 40. Inquiens quid ſit ſecũda. Cherubim. i Cherubini poſiti ad cuſtodiẽdam arborem vitæ, dicit non eſſe credẽdum, Cherubinos paradiſi cuſtodes eſſe ſpirituales, & inuiſibiles virtutes, cẽu quidã exiſtimant; ſed potentes, & terribiles quaſdam viſiones, ac formas animaliũ, quæ Adamum ab ingreſſu paradiſi arcerent.

Cherubim, quid literaliter ſignificet.

Theodoreti hæc ipſa ſunt verba. Nõ eſt credendum Cherubini dicere virtutes quaſdam inuiſibiles, vt quidam exiſtimant; quoniã inuiſibilis natura nihil illic contuliſſet, cum viſio ſenſibilis eſſe deberet, quæ ipſum Adam exterreret.

Non igitur gladius ille flammeus naturaliter igneus erat; ſed viſu talis, neq; Cherubim erant animalia: ſed talia videbantur, ſi quidem & Ezechiel Cherubim videt habentes quatuor facies, cum tamen inuiſibilis natura quadruplicem faciem non habeat; ſed Cherubim vocat, illud omne, quod potentia prædi tum eſt: ſic dicit. Qui ſedet ſupra Cherubim, hoc eſt qui potenter regnat & aſcendit ſupra Cherubim, hoc eſt, aduenit cum multa virtute.

Illud igitur, & ſtatuit Cherubim dixit, vt indicet potentem quamdam, & terribilem viſionem, & formã, perinde ac ſi quędam animalia in ingreſſu paradiſi collocaſſet, quibus ille Adam arceretur. Hæc Theodoretus. Ante quẽ Theodorus Heracleæ Epiſcopus, & poſt quẽ Procopius Gazeus hunc ipſum Geneſeos locum explicantes, eamdem ſententiam, & iiſdem pene verbis ſcripſerunt. Demum quidam nouus Hæreſiarcha Iacobus Chyus inter multas hæreticorum hæreſes à ſe reuocatas in lucem errorem iſtũ inſtaurauit, hic enim in ſymboli expoſitione à ſe edita, ſermonẽ de angelis faciens inter cætera, hæc de Cherubim ſcripſit.

Cherubim in ſacris litteris non ſignificant aliquam ſpiritualem ſubſtãtiam, vel incorporeum aliquod animal, ſed ſtatuam ad ſimilitudinem pueri formatam, quales erant pueriles illæ ſtatuæ aureæ ſupra arcam collocatæ, & ſtatua illa cum igneo gladio ad cuſtodiam Paradiſi poſita, quã Moſes Cherubim appellauit. Hic enim non erat Angelicus ſpiritus, ſed virile quoddam ſimulacrum horribili forma armaque circumtectum, quod Deus ad incutiendum terrorem primis parentibus præ foribus Paradiſi collocauerat, iuxta morem Agricolarum, qui in ſatis, & hortis ligneos palos defigunt; laceris humanarum veſtium pannis indutis, vt eo terriculamenti genere aues à ſeminum; atque frugum paſtu deterreat.

Cæterum contra hanc ſententiã ſunt fere omnes Patres tam græci, quam latini, non enim ſolus Ambroſius, Aug. atque omnes latini doctores, ſed & doctorum plerique græcorum teſtantur Cherubim, quos Moſes hoc loco refert cœleſtes eſſe virtutes, inter quos Chriſoſt. hunc locum exponens, id aperte fatetur inquiens. Præcepit Deus, vt virtutes illæ Cherubim cuſtodirent viã, quæ illuc inducit, & in ſermone de Aſcẽſione, hoc ipſum clarius explicans ait Angeli; & Archangeli noſtris dolebãt ſupplicijs, & quãdo puniebamur, ipſi quoque nimia triſtitia tenebantur, & Cherubim, licet Paradiſum cuſtodiebant, tamen noſtris ſupplicijs triſtabantur, & ſicut conuerſus bonus cũ à domino cuſtodiendum conſeruũ ſuſceperit ſatisfecit quidẽ dominicæ viſioni, ſed tamen pęna conſerui nimio dolore cõteritur, ſic & Cherubim meruerũt quidẽ cuſtodire Paradiſum, ſed dolebant honorem cuſtodię. Gennadius hęc eadẽ Moyſis verba exponẽs. Cherubini ſunt virtutes inuiſibiles, has ipſas dixit ſuſcepiſſe Paradiſi cuſtodiam. Dicendũ eſt ergo hæc Moſis verba vt ſonant, ita eſſe accipienda, & interpretanda, vt ſcilicet per Cherubim intelligamus cœleſtes virtutes, Angelicoſque ſpiritus.

Quæ-

Queſt.3 Quæritur tertio, an ſint Cherubini ſpirituales ſubſtantiæ? Theodoretus vbi ſup.cenſet, Cherubim de quibus ſæpe in diuinis ſcripturis fit mentio, neque animalia eſſe, neque vllam viſibilis naturę ſubſtantiam: Sed Cherubim diuinā ſcripturam appellare illud omne, quod magna præditum eſt potentia, quem ſecutus eſt Iacobus Chyus loco ſupracitato: Vnde ne quis putaret Cherubim eſſe viuas ſpiritualeſque ſubſtantias, cautū eſt ſynodalibus legibus grę́corum ne in Triſagio græcorum cantaretur. Qui ſedes ſup.Cherubim. Verum ſi negarē iſti volunt nomen Cherubim ſignificare aliquando in ſacris litteris ordinem quendam cœleſtium ſpirituum nequaquam ſunt audiendi, eſtque eorum ſententia pluſquam erronea; nam contra hunc errorem, eſt omnium patrum, & præcipuè græcorum auctoritas. In primis vero Dionyſius Areopagita, qui c.7. cœleſtis hierarchiæ Cherubinos enumerat ſtatim poſt Seraphinos in 2. ordine primæ, ac ſupremæ hierarchiæ cæleſtium ſpirituum; atque his iuxta hębraici nominis interpretationem aſcribit excellentiſſimum eximiæ ſcientiæ plenitudinem, ex fonte diuinæ ſapientiæ hauſtam. Cui conſentiens Athanaſius in ſermone ſup. illud. Omnia tradita ſunt à patre meo, inquit Cherubim eſſe ampliſſima animantia nihil Deo propinquius, quæ Dei maieſtatem labijs nunquam ceſſantibus extollunt. Chriſoſt. in 3. de incomprehenſibili Dei natura ſermone, Cherubinos eſſe dicit virtutes ſeraphicis ſpiritibus ſuperiores, Deoque propinquiores, quarum nuncupatio plenam accumulatamque naturam ſignificat. Idemque in liturgia ſua Deum his verbis alloquitur. Tibi quidē aſſiſtunt millia Archangelorum, & multa millia Angelorum Cherubim, atque Seraphim ſenis alis pluribus oculis ſublimia pennata victorialem hymnum canentia, vociferantia, clamantia, & dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus Sabaoth; immo & ipſe Theodoretus forte erroris ſui pœnitens in libro diuinorum decretorum Cherubinos ex diuinæ ſcripturæ teſtimonio inter Angelos collocauit. ſic in 7.c. ſcribens. Angelorum miniſterio eſt Dei laudatio, & hymnorum decantatio; de Seraphinis enim dixit B.Eſaias, quod clamant dicentes. Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus Sabaoth, de Cherubinis autē dixit diuinus Ezechiel, quod audiuit ab eis. Benedicta gloria domini ex loco eius. Denique in ſecundo Cōcilio Niceno actione 4. approbatur ſentētia Athanaſij exponētis dictum illud ex Pſ. Qui ſedes ſuper Cherubim his verbis. Cherubini omnib. hominibus natura ignoti, ſpiritus, & ignis ſunt ab omni corporum figuratione, & natura alieni, & quæ de ipſis à propheta, tamquam corporalibus dicūtur ſimbolicum ſenſum habent. Quæ verba habentur in Epiſtola Germani Epiſcopi Cōſtantinopolęos ad Thomam Epiſcopū. Claudiopoleos cuius initium eſt. Salomon Sapientiæ doctor.

Ad id, quod Iacobus inducit de Sinodis vetantibus, ne in Triſagio cantetur. Qui ſedes ſuper Cherubim fateor me in Tomis conciliorum, quæ nunc extant hæc quæ dicit Iacobus nequaquam inuenire potuiſſe; extra quorū numerum ſi ſit alia Synodus receptæ auctoritatis vbi hoc prohibitū inueniatur, dicimus cōfirmiter ad ea, quæ ſcribit D.Hieron. ſup.6.c.Eſaiæ, nimirum, quod dominus in aurigæ modū ſuper Cherubim apertè ſedere oſtenditur; ſuper Seraphim, autem in ſcripturis canonicis legiſſe me neſcio inquit Hierony. Ergo errāt, qui ſolent in precibus dicere.

Qui ſedes ſuper Cherubim, & Seraphim. Ita dicimus non eſſe ab illa ſynodo ſimpliciter prohibitum, ne enunciaretur. Qui ſedes ſuper Cherubim; ſed ne cantaretur, qui ſedes ſuper Cherubim adiecta particula, & Seraphim, ſic olim imperiti quidam in publicis præcationibus canere ſolebant, quos D.Hieron. vbi ſup. damnat.

Quæritur quarto. An Cherubim poſiti ad cuſtodiēdam viam ligni vitę ſint Queſt.4

 ſpiri-

ſpiritus, ex ſecundo ordine ſupremæ, ac primæ hierarchiæ an Angeli ex infimo ordine 3. & vltimæ hierarchię. Pererius lib. 6. in Gen. diſput. de Cherubim q. 6. inquit, quod vocabulo Cherubim, ſignificantur Angeli; nam licet id nominis proprie tribuatur octauo Angelorũ ordine, extenditur tamen ad omnes ordines angelorum, nam iuxta Dionyſij ſententiam omnes proprietates omniũ ordinum angelorum in ſingulis etiam reperiuntur, verum hoc diſcrimine proprietates ſuperiorum reperiuntur etiam in inferioribus; ſed per diminutam eorum proprietatum participationẽ; proprietas autem inferiorum ordinũ ſunt item in ſuperioribus; ſed eminenter, & excellenter. Cherubim igitur ſignificãt plenitudinem ſcientiæ, quæ per excellẽtiam eſt in octauo ordine, per participationem autem communicatur cum inferioribus ordinibus. Itaque hoc in loco nomen Cherubim non ſignificat ſpiritus cœleſtes octaui ordinis, ſed inferiorum ordinum angelos; ſupremæ enim hierarchiæ ſpiritus nõ mittuntur à Deo in externa miniſteria. Angeli porrò qui bus cuſtodia paradiſi aſſignata eſt rite nominati ſunt Cherubim ex abundãtia ſcientiæ, vt ex eo intelligeretur, vigilantiſſimum, & ſapientiſſimum paradiſi cuſtodem eſſe à Deo poſitum, quem ſcilicet nemo, aut dolis fallens, aut viribus vincẽs in Paradiſum intrare poſſet. Vel, vt dicunt aliqui appellãtur Cherubim, vel quia miſſi ſunt à Cherubim, vel qa Cherub dicitur ſciẽtia: quia ergo homo ſcientiam appetendo peccauit, ideo Cherub dicitur.

Cæterum hæc motiua minime concludunt, & primo incertum eſt non probatum, quod accipit Pererius, ſ. quod Angeli ſupremæ hierarchiæ ad externa miniſteria non mittantur immo oppoſitũ manifeſte apparet ex illo Eſa. 6. Vidi dominum ſedentẽ, &c. & volauit ad me vnus de Seraphim, &c. vbi concedunt omnes doctores, verum fuiſſe miſſum illum Angelum, qui appellatur Seraphim, & quamuis ſciam huic loco duplicem afferri reſpõſionem à D. Tho. p. 1. q. 112. nimirum illum Angelum, qui labia Iſaiæ purgauit, non fuiſſe vere ex ordine Seraphim ſed ex ordine inferiori; Seraphim autem appellari, vel quia exercebat officiũ Seraphim, quatenus labia Iſaiæ incendere, atque purgare volebat, vel quia viſio facta erat per Seraphim, licet Angelus inferior purgauerit, quæ reſponſiones nedum ſunt Diui Thomæ; ſed etiam Dyoniſij c. 13. & D. Gregorij hom. 14. in Euangelia atque Lyrani in c. 6. Eſaiæ, tamen iudicio meo non ſatisfaciunt, quod ex eo clarum eſſe poteſt: quia S. Diony. loco citato eas, neque approbat, neque improbat; ſed dubius hæret dicens. Et nunquid hæc ratio verax eſt? & ſimilimodo dicit S. Gregor. nam eadem hom. inquit: Sed quia in quibuſdam ſcripturę locis, quędam per Cherubim, quædam vero per Seraphim agi didicimus: Vtrum per ſe hæc faciãt, an per ſubiecta agmina agantur, quæ ſicut dicitur in eo, quod à maioribus veniunt maiorum vocabula ſortiuntur, nos affirmare nolumus, quod apertis teſtimonijs non approbamus. Præterquam quod D. Hierony. in c. 6. Eſaiæ dicit, quod in tota ſcriptura nullibi, pręter hic legitur nomẽ Seraphim, & illum, qui ad Eſaiam volauit fuiſſe verum Seraph. affirmat. D. Hier. inquiens. Volat igitur, vel miſſus eſt, vnus de Seraphim, & infra Seraphim mittitur à Deo, vel volat propria voluntate, quia huic officio mancipatus eſt.

Sãctus Athanaſius in id, omnia mihi tradita ſunt à patre meo: hanc viſionem refert, & de veris Seraphim explicat dicens. Quid enim Deo propinquius Cherubinis, & Seraphinis, illi, non obtubentur hãc maieſtatem, aut in pedibus erectos ſe tenent, immo ne faciem quidem relinquunt; ſed ea obuelata, gloriã maieſtatemque Dei labijs numquam ceſſantibus extollunt.

Sanctus Cyrillus Alex. lib. 1. in Eſaiã, de veris Seraphim explicat, & ſubdit, D. Paulus ſcribit, de ſanctis Angelis, ꝙ omnes adminiſtratorij ſpiritus ſunt, ꝙ non

non eſt obſcurum, omnia namque ab illis ſupremis poteſtatibus adminiſtrantur, atque idem omnibus ſanctis ſpiritibus quaſi iugum eſt, & hærili nutui ſeruiunt, non indignam cenſentes ſeruitutē, mittitur itaq; vnus de Seraphim, &c.

Et quantum attinet ad hunc locum Gen. collocauit ante paradiſum volupta tis Cherubim, &c. de veris Cherubinis explicatur à patrib. Chriſoſt. n. hom. 18. in Gen. Præcepit, inquit, Deus, vt virtutes illę Cherubini cuſtodirent viam. Iſidorus relatus in gloſſa ordinaria, ponitur Cherubim ad cuſtodiendam viam, quia ad paradiſum non reditur niſi per Cherubim, quæ eſt plenitudo ſcientiæ cum charitate.

D. Auguſt. lib. 11. de Gen. ad litt. c. 40. inquit, & hoc ſignificādi gratia factum eſt; ſed tamen factum eſt, vt Adam contra paradiſum poneretur, & ordinauit Cherubim, & flammeam rompheam, quæ vertitur cuſtodire viam ligni vitæ. Hoc per cœleſtes poteſtates, etiam in pa radiſo viſibili factum eſſe credendū eſt, non tamen fruſtra: quia ſignificat etiam aliquod de paradiſo cęleſti, quid autem ſignificat, explicat lib. 2. de Gen. contra Manichęos c. 23. vt vidimus ſup.

Nec in congrue dicitur illum Angelum verum fuiſſe Cherub, quod ſciētiæ plenitudinem dicit, vt ſciret quinam in paradiſo eſſent admittendi, ne. ſ. arceret cum alijs ſimul Enoch, & Eliam. Quare Rupertus lib. 3. de trin. & operib. eius c. 3. dicit. Recte Angeli, qui in huiuſmodi præſunt Cherubim dicuntur. i. pleni tudo ſcientiæ: ipſi namque iudicandi plenam habent ſcientiam, ſciunt enim quid in lib. vniuſcuiuſque ſit ſcriptum, ideſt bene habent memoriæ traditum, quid beni, aut mali geſſerit vnuſquiſq; noſtrum. Quotidie ſingulariter legunt, & in nouiſſimo vniuerſaliter recitaturi ſunt libros illos, de quibus in Danielle, ſcriptum eſt. Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.

Et ad id quod dicebatur, quod dicun tur Cherubim, quia miſſa ſunt à Cherubim, voluntaria eſt, hæc explicatio cum dicatur Deum poſuiſſe Cherubim; nec firmior eſt, ſecunda explicatio, ſ. quod dicantur Cherubim, quia Cherub dicitur ſcientia, & homo peccauit ſcientiam appetendo, atque adeo Cherub. appellatur: nam peccauit homo etiam ſuperbiendo, & Dei æqualitatem appetendo, quare ergo non eſt poſitus ad cu ſtodiam Michael qui dicitur, quis vt Deus: ſicut enim ſathanan è cœlo expulit, ita ſi ad ſenſum noſtrum conſilia Dei liceret attrahere, dicendum eſſet, quod etiam ibi debuiſſet collocari Michael.

Cæterum hæc quæ de hac re diximus probabiliter tantum dicta eſſe volumus.

Quæritur quinto, quid ſit flammeus gladius, atq; verſatilis de hac re multiplex eſt opinio, Sanct. Thom. exiſtimauit his verbis Moyſen ſignificare voluiſſe ſitum Paradiſi, qui eſt ſub ęquino ctiali antequem eſt Zona torrida, quæ metaphoricis verbis hoc loco deſcribitur à Moſe, ita enim ſcribit, 2. 2. q. 164. art. 2. ad ſecundum ſaluis ſpiritualis ſenſus Myſterijs; ille locus præcipue videtur eſſe inacceſſibilis, propter vehemen tiam æſtus in locis inter medijs ex propinquitate Solis: Et hoc ſignificatur per flammeū gladiū, qui verſatilis dicitur, propter proprietatem motus circularis, huiuſmodi æſtū cauſantis, & quia motus corporalis creaturæ diſponitur miniſterio Angelorum, vt patet, per Aug. lib. 3. de Trin. c. 4. Conuenienter, etiam ſimul cum gladio verſatili Cherubim adiungitur ad cuſtodiendam viā ligni vitæ. Significatur ergo ſecundū ſententiam D. Thom. quę fuit etiā opinio Tertulliani in Apologetico, vbi affirmat locum Paradiſi eſſe velut quædam materia igneæ Zonæ à communi noſtri orbis notitia ſegregatam, hac Moſis oratione Paradiſum, propter Zonā torridam qua eſt circumdatus, eſſe mortali bus inacceſſus.

Queſt. 5

Flammeꝰ gladius, atque verſatilis quid re vera ſit.

Verum hæc opinio D. Thomæ ſtare non poteſt, quoniam vt inquit Caieta. eo loci, Zona, quæ Torrida vocatur, à qua nunquam Sol recedit, iam inuenta

eſt habitata: habent enim iuge æquinoctium habitatores terræ illius, vt teſtantur inde venientes, & nos (inquit Caiet.) miſimus fratres noſtros ad partes illas, & eunt, & redeunt, pro vt expedit. Præterquã, quod refellitur etiam hæc opinio: quoniam liquet ex Moſis narratione poſt primorum hominum peccatum eorumq; de Paradiſo eiectione collocaſſe Deum in aditu Cherubim, & gladium flammeum, atq; verſatilem: ac ſitus Zonæ torridæ, & æſtus, quæ in ea Sol efficit non eſt propter peccatum. aut poſt peccatũ hominis factus a Deo, ſed qualis nunc eſt, talis fuit ab exordio mundi, quippe qui naturalem ipſius mundi conſtructionẽ, & conformationem, rationemq; motuum cœleſtiũ neceſſario conſequitur. Equinoctialis n. eſt linea totum Zodiacum in duo diuidens æqualia, ſcilicet ad punctum Arietis, & ad punctum principij libræ, & illam decurrit Sol motu rapto bis in anno, in die quo intrat Arietem, & quando intrat libram; ſed numquã ea directe decurrit, quia ſemper facit ſpiras, id eſt imperfectos circulos. Cum ergo Zodiacus in octaua ſphera die ſecũda creatus fuerit, ergo æquinoctionalis, etiam: ardor autem æquinoctionalis, quarta die eſſe incæpit, ſcilicet quando Sol, & Luna creati ſunt; hæc omnia fuerunt ante expulſionem Adæ in die ſexto, non poteſt ergo dici, quòd æquinoctionalis ardor, locatus fuit ante Paradiſum eiecto Adamo cum antecedenter ibi fuiſſet.

Hic de Lyra, qui putauit Paradiſum in celſiſſimo orbis terrarum mõte fuiſſe collocatum; arbitratur ex illo altiſſimo Paradiſi monte iuſſu Dei circumquaque maximam vim, & copiã ignis erupiſſe, & in modum coronæ ſeu muri, omnem Paradiſi aditum à Deo eſſe circumcluſum. Verum hæc Lyrani ſententia non probatur Toſtato; quoniam ſi de illo monte naſcerentur interius flammæ eſſent viſcera montis tota ſulphurea, & exuſta, & locus terræ eſſet inhabitabilis ad fructificationem arborũ. Toſtatus ipſe credit, quod ille ignis non naſcitur de montibus ſed fuit ibi à Deo poſitus, non enim diceretur propriè ibi locatus gladius flammens, ſi flammæ ibidem naſcerentur, id enim poſitum dicitur, quod aliunde adducitur, & ſituatur, dicendum eſt ergo (inquit Toſt.) quod Deus de nouo ibidem ignem creauit; forte materiam aeream illius loci, in ignem conuertendo, eſtque ignis ille per modum muri totum locum Paradiſi ambiens, & incipit de longe à ſuperficiè terræ; ne nimia ignis propinquitas amenitati Paradiſi noceat, & aſcendit ille ignis per omnia, aeris interſtitia, & continuatur regioni, ignis vſque ad lunam, & hæc ſententia quæ fuit etiam Magiſtri Hiſtoriarum in Gen. cap. 28. eſt conſona dictis Iſidori atque Baſilij dicentiũ, quod ille ignis peruenit, vſque ad concauitatem orbis Lunę, vocatur autem ignis ille gladius; quia ſicut gladius acutus eſt, ita ignis in, extremitate acuitur, dicitur verſatilis, *Nic. de Lyra.* quoniam ad quamcunque partẽ ſe conuertit ſcindit, ignis autem in omnẽ partem cõburit, vel dicitur verſatilis, quia *Toſtat.* illo gladio omnis via in Paradiſum ducens, *Chriſoſ.* præcluditur, eo quod gladius ille dum verſatur obturat, & præmunit omnes vias, quæ illic ferunt, eo quod ignis illæ totum Paradiſi aditum circundat; vel dicitur verſatilis; quia eſt vtrobique ſecans, quia pœna fuit homini in vtraque ſui parte puniri, in anima, ſcilicet & *Mag. Hiſt.* in corpore, vel dictus eſt verſatilis, id eſt aptus ad uertendum, id eſt tollendum, cum Deus vellet, ablatus enim fuit ad tempus intrantibus Elia, & Henoch.

Pererius per flammeum gladium intelligit, illos ipſos Angelos ſub ſpecie, & figura hominum tenentes manibus ſuis, gladios accerrima acie acutiſſimos, & ex eorum vibratione fulgentiſſimos, ſolet enim enſis cum vehemẽter vibratur emiſſis quaſi ſcintillis, et fulgore explendeſcere, quod autẽ dicitur gladius verſatilis, periti linguæ hebreæ ſignificari volunt, gladium illum fuiſſe ancipitem, id eſt vtrinq; acutiſſima acie, &

ad

Digitized by Google

ad feriendum accerrima prædium.

Quæſt.6 Quæritur ſexto.Cur Deus duplicem poſuit ingreſſus Paradiſi cuſtodiam,ſcilicet Cherubim, & gladiū flammeum. Reſpondetur,quòd voluit Deus ingreſſum Paradiſi occludere,tam contra diabolum,quam contra hominem, ad arcendum diabolum poſuit Cherubim, ad fugandum hominem poſuit ignem, ignis,enim,& gladius ſunt maximè homini formidabiles,atque terribiles;Demones autem igneis muris non arcentur,atque ad eo poſuit Deus Cherubim cuſtodientem cōtra Demonū inſidias.

Mag. Hiſtor. vbi ſup.

De° cur ad Paradiſi ingreſſum duplicē poſuit cuſtodiam.

Sed quæret aliquis, Quid neceſſe erat cuſtodire illum locum contra Demonem? Demones enim locorum amenitate non lętantur,quia natura in corporea voluptatibus ac delicijs corporis affici,atque oblectari non poteſt; homines autē ibi non erant, quos oppugnarent;non videtur ergo, quod ineſſet eis vlla cupido intrandi in Paradiſum, ſed quid ergò opus fuit Paradiſi cuſtodia ad arcendum Demones? Reſpondetur quòd ideoCherubim,& gladius igneus poſiti fuere ad cuſtodiā ligni vitæ: non quia Demones ligno illo indigerēt, ſed quia ipſi cupientes ad ſui cultum homines adducere, ipſos homines interdum per diuitias, interdum per aliqua adiutoria ad perpetranda mala, ad ſui cultum inducunt; & quia nullum bonum eſt hominibus magis deſiderabile,quam vitam; ſi Demones poſſent adducere fructū ligni,auidiſſimos, & curioſiſſimos fallerent, & ad ſui cultū, & obſequium adducerent Valde ergo prouidit Deus ſaluti ſpirituali humani generis arcēdo Demones, ne intrare poſſent ad lignum vitæ.

Sed huius tertij capitis explicatio, quam de infeliciſſimo ſemperq; lacrymabili primorum hominū caſu ſcripſimus hic finis eſto.Tria tantū ſuperſunt, vt de ipſo Adamo explicemus, ſcilicet quantum vixerit,vbi mortuus, atq; ſepultus fuerit,& an ſalutem,æternamq; gloriam ſit conſecutus.

De Morte, atque ſalute ipſius Adæ.

Quæſt.1 QVæritur ergo primo. Quot annos Adā vixerit, nam longe vitas illorū hominū primæ ætatis mundi Gentilibus incredibilis atque fabuloſa viſa eſt,Epigenes enim plus centum viginti duos annos vitam naturaliter impleri poſſe negauit; Beroſus vix excedi centum decem,& ſeptem; Alij vero paulo plus vltra protendi poſſe crediderunt, atque adeo exiſtimauerunt quidā, annos illos non fuiſſe tales,quales ſunt noſtri,ſed fuiſſe paulo pluſquā menſtruos, hoc eſt, triginta ſex dierum, qui eſt numerus quadratus; efficitur enim is numerus ex numero ſenario ſexies ducto, ita quòd vnus de noſtris annis denos continet illorum annorū, & ſi anni illi diuiderētur in 12.menſes,cuilibet menſi non niſi tres dies aſſignarētur,ſed hoc quam ſit non modo falſum,ſed etiā ipſi ſcripturæ apertè contrarium,facile, per ſe quilibet poteſt intelligere.Nā ſi hanc annorum rationē ſequamur, efficietur, Cainan,& Henoch, cū eſſent ſex annorum cum dimidio, genuiſſe filios; nam ſacra tradit ſcriptura eos genuiſſe, cum ſexaginta quinq; annorum eſſent, ergo ſi decem ex illis annis vnum de noſtris efficerent, neceſſario ſequeretur, cū nondum ſeptēnes eſſent genuiſſe filios; deinde, cum nemo illorum hominū attigerit milleſimum annum, ſi tales fuiſſent anni,quales iſti volunt, nemo hominū illius ætatis perueniſſet ad nonageſimū ſeptimum annum, cum tamen hodie nō pauci centū annos ſupergreſſi inueniantur, Præterea ſcriptura ait.Abrahamum plenum dierum in bona ſenectute obijſſe, ſic enim de eo ſcribit Moſes Gen.25.Fuerunt autē dies Abrahæ centum ſeptuaginta quinq anni,& deficiēs mortuus eſt in ſenectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum; cæterum ſecundum iſtos vixiſſet dumtaxat annos ſeptemdecim cum dimidio; ſed quis non rideret talem ſenectutem?

Vide Toſt. in Gen.c.5.

Ab antiquis etiam,& Gentilibus ſcriptoribus memoriæ proditum eſt quoſdam vixiſſe ad quingentos, & ſexcētos, & eo amplius annos, vt auctor eſt Ioſephus

phus lib. 1. antiquitatum cap. 3. in fine, qui teſtes huius rei appellat Manethonem Aegiptiarum rerum, atque Beroſum Caldaicarũ ſcriptores, qui tradunt priſcos illos ad mille annos vitã produxiſſe. Eſto ergo annos, quos vixiſſe homines ante diluuium narrat ſcriptura pares noſtris fuiſſe, dicendum eſt Adamũ vixiſſe nongentos triginta annos.

Adã vixit annos nongẽtos triginta.

Adã ergo conſpicatus filios filiorum, & nepotum ſuorum vſque ad nonam generationem, moritur anno, vitæ 930. annis ante diluuium ſeptingentis viginti ſex, ante raptum Henoch annis quinquaginta ſeptem, Lamech autem patris Noë quinquageſimõ ſexto. Vidit itaq; Adam octo ſuas generationes.

Nam recenſentur decem generationes ab Adam vſque ad Diluuium, quæ compræhendunt annos mille ſexcẽtos quinquaginta ſex, tempus videlicet trãſactum a creatione Adæ, vſque ad Diluuium. In qua generationum ſerie tres inueniuntur lõgioris vitæ, quam fuerit Adam nempè Iared, qui vixit nongentos ſexaginta duos annos, & Noë qui fuit nongentorũ, & quinquaginta annorum, & ſuper omnes Mathuſalem, quòd vitã produxit ad nongenteſimum ſexageſimum nonum annũ. Elias Cretenſis in Commentario orat. decima Greg. Naz. quæ erat oratio funebris in laudem Cæſarij fratris, neſcio quo fundamento affirmauit. Adamũ poſt tranſgreſſum mandatum, vitam produxiſſe ad nogenteſimum tertium annũ, cum ſcriptura aperte dicat. Gen. c. 5. Adamũ vixiſſe annos nongentos triginta; ita enim ſcribit Moſes, & factum eſt omne tempus, quod vixit Adam anni nongenti triginta, & mortuus eſt.

Pereri° vbi ſup.

Modernus quidã exiſtimat Adamũ vixiſſe pluſquam Mathuſalem ſi conſideretur ætas in qua creatus fuit Adam; nimirum perfecta, & idonea ad generandum: nam cũ ætas virilis hominum viuentium centũ annos, ſit ætas triginta annorum, conſentaneum eſt ætatẽ virilem hominum viuentiũ ferme ad mille annos, fuiſſe ad minus ſexaginta annorum. Neminem enim reperies in hac prima ætate mundi, & in hac ſerie generationum, qui non poſt ſexageſimum annum generaſſe memoretur, nam qui citiſſime generarunt ſexaginta quinque annorum erant. Si igitur Adam creatus eſt in ætate ſexaginta annorum, & poſt eam vixit nongentos triginta annos, tota eius vita verè exiſtimari, & cenſeri debet nongentorũ nonaginta annorũ, atque adeo longiori tempore vixit, quam Mathuſalẽ, qui vitã ad nonageſimum ſexageſimum nonum annum produxit.

Cæterum eſto qui in ætate ſexaginta annorum creatus fuerit Adã, dici non poteſt illos ſexaginta annos vixiſſe, ſed tantum creatum fuiſſe in ea corporis conſtitutione, in qua homo naturaliter penitus eſſet annorum ſexaginta. Poteſt fortè dici Adam, quando mortuus fuit habuiſſe annos nongentos nonaginta, vixiſſe tamen nongentos triginta annos, adeo, quod plures habuit annos, quàm vixerit annos; quod de nullo alio homine dici poteſt. Eua autẽ vxor eius teſte Mariano ſcoto annis decem poſt virum ſuum moritur anno, ſcilicet vitæ ſuæ, & mundi conditi. 940.

Eua decẽ annis poſt virum ſuũ moritur.

Quæſt. 2

Quæritur ſecundo. Quo in loco mortuus, atq; ſepultus ſit Adam; hac de re eſt communis ſanctorum patrum traditio, Adam ſepultum eſſe in eo mõte, in quo Chriſtus fuit crucifixus indeq; appellatum eſſe Caluariæ montem, quia ibi primi hominis caput reconditũ eſt ita docuit Origenes tract. 35. in Matth. vbi ita ſcribit. Locus Caluariæ dicitur, non qualemcunque diſpenſationẽ habere, vt illic qui pro hominibus mortuus fuerat moreretur.

Venit enim ad me traditio quædam talis, quod corpus Adæ primi hominis, ibi ſepultum eſt, vbi Chriſtus eſt crucifixus; vt ſicut in Adam omnes moriũtur, ſic in Chriſto omnes viuificentur, vt in illo loco, qui dicitur Caluariæ locus, i. locus capitis, caput humani generis reſurrectionem inueniat cũ populo vniuerſo per reſurrectionem domini Saluatoris,

qui

Digitized by Google

qui ibi paſſus eſt,& reſurrexit.Inconueniens enim erat,vt cum multi ex eo nati remiſſionem acciperent peccatorum, & beneficium reſurrectionis conſequerentur, non magis ipſe pater omnium hominum huiuſmodi gratiam, conſequeretur.Hæc Orig. Item Tertullianus lib. 2. carminum contra Marcionem c. 4.ita ſcribit.

Golgota locus eſt, capitis Caluaria quondam
Lingua paterna prior, ſic illum nomine dixit.
Hic medium terræ eſt, hic eſt victoriæ ſignum,
Os magnum hic veteris noſtri docuere repertum;
Hic hominem primum ſuſcipimus eſſe ſepultum,
Hic patitur Chriſtus, pro ſanguine terra Madeſcit.
Puluis Adæ,vt poſſit veteris cum ſanguine Chriſti
Commixtus, ſtillantis aqua virtute lauari.

Idem Baſilius in Leuit.c. 5. obtinuit, inquit, fama, quædam in Eccleſia memoriam conſeruans,nō quidam ſcripto proditam,quæ talis eſt.

Quod primū vtique Iudęa hominem habebat accolam,nimirum Adā,ſimul atque excidit delicijs paradiſi in hac terra collocatum,ad mitigādam iacturam bonorum,quibus fuerat exutus. Prima igitur etiam mortuum hominem excepit,qui & illic, eā cui addictus erat ſententiam condemnationis plenè eſt executus. Ita quod inſolens eſſe, ac nouum videbatur illius ætatis hominibus ſpectaculum,os capitis,defluentre carne,nudum,at illi recondentes carnium, loco illi indiderunt nomen Carnion. ideſt Caluariā, probabili ratione potuit Noè non ignoraſſe ſepulcrum principis huius,& mortalium hominū primigenij, ſi quidem de hac re fama à diluuio mox per orbem propagata eſt ab ipſo, & dimanauit,eoque dominus excuſſa originе humanæ mortis, in Caluariæ loco eſt paſſus.Hucuſq; Baſilius. Idē Chriſo. hom.84.In Ioannem,in ea verba exiuit in eum,qui eſt Caluariæ locus.Vbi quidam dicunt,Adam,& mortuum, & ſepultum eſſe, & Ieſum vbi mors dominata eſt,ibidem tropheum erexiſſe,hoc eſt crucem,quam tulit contra mortis Tirannidem,Hæc Chriſoſt.Hieron.in Epiſtola ſub nomine Paulę,& Euſtochij ad Marcellā Tomo 1. Epiſt. 17. In hac inquit Vrbe(i.Hieruſalem) immo in hoc tunc loco, & habitaſſe dicitur, & mortuus eſſe Adam, Vnde, & locus in quo crucifixus eſt dominus noſter Caluaria appellatur.ſ. quod ibi ſit antiqui hominis Caluaria condita,vt ſecundi Adam, ideſt Chriſti ſanguis de Cruce ſtillans, primi Adam, & Iacentis prothoplaſti peccata dilueret,& tunc ille ſermo Apoſtoli compleretur. Excitare,qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.Hæc ille.

Similiter Ciprianus in ſermone de reſurrectione Chriſti fol. 469. Ita nos, inquit, ad Chriſtum pertinentes, cuius ſanguine conſperſa creditur Adæ Caluaria,qui ſub loco, quo crux domini fixa eſt,humatus creditur ab aliquibus, &c. D.Aug.ſerm.71.de tempore ita ſcribit, etiam hoc antiquorum relatione refertur,quod & Adā primus homo, in ipſo loco vbi crux fixa eſt, fuerit aliquando ſepultus,& ideo Caluariæ locū dictum eſſe,quia caput humani generis ibi dicitur eſſe ſepultum. Et vere fratres non incongrue creditur, quia ibi erectus ſit medicus,vbi iacebat ægrotus, & dignū erat,vt vbi occiderat humana ſuperbia, ibi ſe inclinaret diuina miſericordia,& ſanguis ille prætioſus, etiam corporaliter puluerem antiqui peccatoris, dum dignatur ſtillando cōtingere redemiſſe credatur. Idem docent Epiphanius contra Hæreſes hæreſi 46.in fine, Athanaſius de paſſione,& Cruce.Ambr.Cab.5. Epiſtolarū Epiſtola 19. Verba Ambroſij ſunt iſta, Chriſtus animam Euangelicam in Golgota ſuſcepit, vbi Adæ ſepulcrum,vt illum mortuum in ſua cruce reſuſcitaret. Vbi ergo in Adam mors omnium,ibi in Chriſto omnium reſurrectio.

rectio. Euthimius in Matth ca.27.& Theophilactus cum multis noſtris ſeculi viris.

Verum hæc ſententia non placuit D. Hierony. nam in Commentario Epiſtolæ ad Epheſios, huic ſententiæ contradicens ait. Audiui quendam expoſuiſſe Caluariæ locũ in quo ſepultus eſt Adã, & ideo ſic appellatum eſſe, quia ibi antiqui hominis ſit conditum caput, & hoc, quod Apoſtolus dicat, Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus, fauorabilis interpretatio mulcens aurem populi, nec tamẽ vera; extra Vrbem enim, & foras portam loca ſunt in quib. truncantur capita damnatorum, & Caluariæ, ideſt, decollatorum ſumpſere nomen. Propterea autem ibi Crucifixus eſt dominus, vt vbi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martirij, & quomodo pro nobis maledictum Crucis factus eſt, & flagellatus eſt, & Crucifixus; ſic pro omnium ſalute quaſi noxius, inter noxias crucifigeretur. Sin autem quiſpiam contendere voluerit, ideo ibi dominum crucifixum, vt ſanguis eius ſuper Adæ tumulum diſtillaret, interrogamus eũ, quare, & alij larrones in eodem loco crucifixi ſunt, ex quo apparet Caluariam, nõ ſepulcrum primi hominis, ſed locũ ſignificare decollatorum, vt vbi abundauit peccatum ſuperabundet gratia. Adã vero ſepultum inter Hebron, & Arbee in Ieſu filij Naue volumine legimus. Hæc Hierony. Hierony. ſecuti ſunt. Rup. in Ioan. D. Thom. 3. par. q. 4.6. artic. 10. ad vltimũ Lyranus Ianſenius Toſt. Ioſue c.14. Eraſmus, & alij. Et addit D. Thom. congruentiã; quia magis fuit expediens Chriſtum crucifigi in cõmuni loco damnatorum quam ſuper ſepulcrum Adæ, ne Chriſti crux profutura putaretur peccato Adæ, & non aliorum.

Cęterum de hac re aliud eſt loqui de re ipſa, an ſcilicet Adã ſepultus ſit in loco Caluariæ; & aliud de denominatione Caluariæ vnde ſumpta ſit. Quo ergo ad rẽ attinet in primis non videtur contemnenda tantorum patrum traditio, non enim adduci poſſum, vt quod non ab vno, vel alio, ſed ab omnibus ferè antiquis patribus, nec vt quidpiam recens excogitatum, ſed à maioribus traditũ, & ſcriptum eſt tam facile refellã neque enim veriſimile eſt traditionem illam nõ fuiſſe ex aliquo probabili fundamẽto ortam. Præſertim quia argumenta Hierony. non videntur eſſe huiuſmodi, quæ me ab illis pœnitus de ſentire compellant. Quid enim repugnat, vt locus ille vbi primus homo ſepultus dicitur, poſtea electus fuerit ad ſupplicia damnatorum? cum in edito loco ſitus ſit; & Hieroſolymis proximus? Quod vero ad illum Adam pertinet, qui ſepultus dicitur in Hebrõ, vt Ioſue 18. legitur, adduci nõ poſſum, locum adeo patentem præterijſſe tot diſertiſſimos viros, vt adeo inconſulte, ne dicam temere, ea de primi parentis ſepultura conſcripſerint ſi exiſtimaſſent tanto teſtimonio mendacio poſſe accuſari, atq; redargui, niſi & ipſi ſenſiſſent, de altero potius Adã, quam de primo omniũ patre diuinam ſcripturam eſſe locutã. Nam vt taceam eum locum multo aliter vertiſſe 70. interprætes his ſcilicet verbis. Nomen aũt heberonis olim Vrbs Arbe præcipua, Vrbs enacim iſta; Quibus verbis ſignificatur Vrbem illã fuiſſe metropolim illius regionis, quam in habitabat, gens Enacinorum. Certe in tranſlatione noſtra vocabulum illud Adam nõ eſt proprium primi illius hominis, ſed eſt commune, idem ſignificans apud hebræos, quod apud latinos vocabulũ hominis; vt ſit hæc ſententia illius loci. Propterea Vrbem Hebron olim eſſe dictũ Ciuitatem Arbe, quod Arba maximus homo fuerit inter Enacinos; maximus autem fuiſſe dicitur, vel nominis celebritate, & rerum geſtarum gloria, vel principatus amplitudine, & potentia; aut diuturnitate, vel deniq; quòd illius Vrbis conditor, aut gentis Enacinorum ſator, & parens fuerit; Atq; hanc ſententiam expreſsè tradit ſcriptura hæbraica eius loci, quæ ad verbum latine reddita ſic habet. Nomen Hebronis olim fuerat Carinth

Adã in monte Caluariæ humatus fuit.

rinth Arbe, is fuerat homo inter Enacinos maximus. Non igitur de primo homine loquitur ibi ſcriptura, nec pōt ex eo loco probari Adamum inibi fuiſſe humatum. Vnde idem Hierony. in Epiſtola 27. ca. 5. quæ eſt Epitaphiū Paulæ, dicit pleroſque exiſtimaſſe illum maximum hominem ibi ſepultū eſſe Cabeb.

Alij ex textu colligunt eſſe Enac filiū Arbe, de quo fit mentio Ioſue. 15. ille enim exiſtimatur fuiſſe Gigas, & progenitor Gigantum, qua de cauſa Gigātes in ſcriptura vocantur filij Enacim. Nu. 13. Deut. primo & Ioſue. 11. Quod igitur Adam maximus inter filios Enacim ſepultus dicatur, non de alio, quā de vno ex Gigantum numero, ſcilicet de Arbe filio. Enac, vel de aliquo alio; qui cętero rum maxime haberetur, quiq; Adā ſit appellatus; ſi Adam non ſit nomē commune, ſed proprium. Et Ioſephus lib. 5. antiquitatum cap. 2. refert eo loco ſolita eſſe reperiri oſſa Gigantum, qui ibi ſepelliebātur adeo magna, qualia inquit vix credant; qui non viderunt ipſi. Perſuadet illud ipſum hoc maxime, quod inuſitata ſit in diuina ſcriptura nomen datura, vt primus omniū parens Adā, ſit maximus appellatus.

Mons Caluariæ vide nomē acceperit. Quod attinet ad denominationem Caluariæ; licet quibuſdam minime probetur à capitibus decollatorū, quòd illic truncarentur capita damnatorū locum illum appellatū eſſe Caluariam, cum eiuſmodi ſuppliciū apud hebræos nec lege eſſet ſancitum, nec conſuetudine probatum, & apud Romanos ſolum eſſet in vſum, quos haud multo ante hæc tempora Iudæis dominari cæpiſſe certum ſit, tamen vt verū fatear, mihi probabiliſſimū eſt nō ea de cauſa; quia ſcilicet ibi ſepultus fuerit Adā Caluaria dictum eſſe locū Caluariæ, ſed propter rationem à Hierony. traditam, locumque illum eſſe deputatum damnatis ſupplicio afficiendis, eaque de cauſa, duo etiam cum Chriſto crucifixi ſunt malefactores; cæterum cum hoc ad nomen pertineat non multum refert.

Non prætermittam tamen ad notare aliam Etymologiam, quam Cyrillus Hieroſolymitanus Cath. 13. ſcriptam reliquit. Aliqui (inquit) Propheticæ locū hunc Caluariæ appellarunt, in quo verum caput Chriſtus Crucem ſuſtinuit, ſicut Apoſt. dicit. Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis, caput hoc in loco Caluariæ paſſum eſt, ò magnā prophetiçam appellationē? modo enim & nomen hoc te admonet, vt nō tamquā ſimplici homini attendas crucifixo, caput enim omnis poteſtatis Crucifixum eſt. Deinde adnotandū eſt magno myſterio fuiſſe factum, vt vbi mortuus iacebat primus Adam; qui nos oēs peccato mortuos effecit, ibi pro omniū ſalute, & vita moreretur ſecundus Adam. Hact. Cyrillus.

Quæritur tertio. Vtrum Adā purgatō per pœnitentiā peccato ſuo tandem ſalutem ęternā ſit conſecutus. Tatianus quidam diſcipulus Iuſtini martyris, & Magiſter, atq; Dux Hæreticorū, qui nominati ſunt Encratitæ, vt teſtantur B. Irenæus lib. 1. aduerſus hæreſes cap. 30. & D. Hierony. in Commentario ſuper Prophetā Amos, inter cæteros errores, quos mortuo Iuſtino Martyre eius Magiſtro (nam ipſo viuēte nihil male ſe ſentire vnquam oſtendit, vt teſtatur Euſebius Cæſarienſis in Ecleſi. Hiſtoria) is vnus fuit; qui aſſeruit Adā, & Eua damnatione perpetuā eſſe propter peccatum punitos. Quæſt. 3

Rupertus etiam Abbas li. 3. Cōmentariorū in Geneſ. 31. ſcribit de Adamo vtrum ſaluus ſit, an damnatus, & olim nonnullos dubitaſſet & ſuo etiā tempore dubitare multos. Propterea quod nuſquā aliqua ſcriptura Canonica reſtatur egiſſe eum pœnitentiam, nec vllum eius bonum opus commemoretur, ſed peccatum eius tātummodo; narret, cuius in omnes homines diffuſione, & quaſi cōtagione omne genus humanū viciatum, atque corruptū eſt. Quia etiā Paulus in Epiſtola, quā ſcripſit ad Ro. cap. 5. & in priori Epiſtola quam miſit ad Corinth. c. 15. Adamū opponit Chriſto, illum faciēs peccati, mortis, & condemna-

demnationis auctorem, hũc verò iuſtitiæ vitæ,& immortalitatis effectorem.

Et licet Rupertus haud diſſimulet eos, qui primũ affirmauerũt Adamum periiſſe, fuiſſe hæreticos, nec ipſe quicquam certi ſtatuat, ac definiat, ſatis tamen indicat hanc ſibi ſententiam videri probabiliorem. Sed immeritò ſanè.

Et aduerſo enim eſt concors patrum ſententia, & cõmunis Eccleſiæ ſenſus, & quod caput eſt manifeſtum diuinæ ſcripturæ teſtimonium, quod affert D. Aug. in Epiſtola 99. quæ eſt ad Euadiũ vbi ita ſcribit. De illo primo homine, patre generis humani, quòd Chriſtus cum deſcendit ad inferos inde eũ liberauerit Eccleſia fere tota conſentit, quã eam non inaniter crediſſe credendum eſt, vndecunq; hoc traditum ſit, etiam ſi canonicarum ſcripturarũ hinc expreſſa non proferatur auctoritas. Quamquam illud, quòd in lib. ſapientiæ, cap. 10. ſcriptum eſt. Hæc (nempè ſapiẽtia diuina) illum, qui primus factus eſt à Deo patre orbis terrarum cũ ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo, & dedit ei virtutẽ continendi omnia. Hoc inquam, quòd ibi ſcriptum eſt magis pro hac ſententia, quam pro vllo alio intellectu facere videatur. Hæc Aug. Cæterum Rupertus hoc teſtimonium de lib. ſapientię petitũ nimis profecto audacter reiicit, affirmans eũ librum non eſſe Canonicum, & eorum, quæ narrantur in illo ipſo capite, quædam eſſe planè falſa, quale eſt illud, datam eſſe Adamo virtutem continendi omnia, quod nulli homini præter dominum noſtrum Ieſum Chriſtum conuenire poteſt.

Verũ valde miror ignoraſſe Rupertum, multis ante ſuam ætatẽ ſeculis relatum eſſe innumerum librorum canonicorum librum ſapientiæ ab Eccleſia. In Concilio enim Carthaginenſi 3. cap. 47. libri quinq; Salomonis inter Canonicas ſcripturas connumerantur. Idem etiam ſtatuit Innocẽtius primus Epiſtola tertia ad Exuperium Tholoſanum Epiſcopum c. 7. ac Gelaſius primus, in decreto de libris Canonicis, quod habetur in 2. tom. Conciliorum in fine. Epiſtolatur Gelaſij Papæ, vbi ſic legitur. Salomonis libri tres. Prouerbia, Eccleſiaſtes, & Cant. canticorum.

Item ſapientiæ liber vnus Eccleſiaſticus liber vnus, nec mirum eſſe debet, quod in Can. 84. Apoſtolorũ, & in Concilio Laodicenſi, Can. 60. tres tantũ libri Salomonis inter Canonicos annumerentur, ſcilicet Prouerbia, Eccleſiaſtes, & Cantica Canticorum, quoniam nedum Salomonis ſapientiã, & librum Eccleſiaſtici: Verum etiã libros Heſter, Tobiæ, Iudith, & Baruch, & quaſdam alias Hiſtorias nedum veteris, ſed noui teſtamenti, nec non Epiſtolam D. Pauli ad hebræos, Iacobi Epiſtolam, Petri ſecundam, Ioa. ſecundam, & tertiã, Iudæ Epiſtolam, ac Ioan. Apocalypſim priſci Eccleſiæ patres, tamquã apocriphas, & non canonicas ſcripturas habuerunt; quas tamẽ Eccleſia inter ſcripturas irrefragabilis authoritatis demum recepit, vt patet in Concilio Carthaginenſi 3. in decretis ſummorum Pontificũ Innocentij primi, & Gelaſij, & in Magno Lateranenſi Concilio, & in Cõcilio Florentino, ac demũ in Concilio Trid. ſeſſ. 5. in decreto de Canonicis ſcripturis.

Illud autem continere omnia, ſi quis græcam ſcripturam eius loci conſulat, intelliget non aliud ſignificare quã dominare, & imperare omnibus. quibus verbis alluditur ad id, quod traditũ eſt à Moſe ſupra cap. 1. Dominamini piſcibus maris, &c. & Dauid in Pſal. 8. omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, &c. vt clariſſimè docet D. Bona. in Commẽtario lib. ſapientiæ, cap. 10.

Dicendũ eſt ergo ex tam apperto ſacrarum literarũ teſtimonio (quod valde miror fugiſſe Alphonſum à Caſtro, ita vt dicat lib. 2. contra Hæreſes ſub titulo Adã, & Eua hæreſi prima ſibi locũ ſacræ ſcripturæ appertũ non occurrere, quo poſſit conuinci Adamũ eſſe ſaluẽ conſecutum) & communi patrũ, & totius Eccleſiæ conſenſu ſine dubitatione Adamum fuiſſe ſaluũ, ad quod perſuade-

de n-

Digitized by Google

Adam fuit ſalutē conſequtus.

dendum, quam plures rationes addunt patres, quas breuitatis ſtudio à nobis prætermiſſas, reperiet Lector apud Irenæū lib. 3. à c. 34. vſq; ad quadrageſimū in quibus de hac re diſputat, & apud Epiphanium de hęreſibus, vbi diſputat contra hæreſim 47. & deniq; apud Alphonſum a Caſtro loco ſupracitato.

Quod etiam manifeſtiſſimè probant patres, quos in ſuperiori quæſt. citauimus aſſerentes Adamum eſſe ſepultum in mōte Caluariæ, in quo dominus noſter crucifixus eſt, vt qui primus peccati fuerat auctor, primus etiam peccati medicinæ ſalutaris, hoc eſt ſanguinis Chriſti vim experiret. In cuius gloriā. Quicquid operis, diligentiæ, lectionis, & ingenij impēdimus in explicatione priorum trium capitum libri Geneſeos referimus, & conſecramus, quam viris doctis, etſi Eccleſiæ cenſoribus, examinandam, corrigendam, aut approbandam vltro tradidimus, & ſubijcimus.

Laus Deo Opt. Max.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

4

Digitized by Google

Digitized by Google